Digitized by Google

NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
16 H
33
41
H

13-17. B. 33.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

GRATIANI CANONES

GENUINI AB APOCRYPHIS DISCRETI,

CORRUPTI AD EMENDATIORUM CODICUM FIDEM EXACTI,

DIFFICILIORES COMMODA INTERPRETATIONE ILLUSTRATI

Opera et Studio

CAROLI SEBASTIANI BERARDI

PRESBYTERI UNELIENSIS

In Regio Athenæo Sacrorum Canonum Anteceſſoris.

PARTIS II. TOM. SECUNDUS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

TAURINI, MDCCLV.

EX TYPOGRAPHIA REGIA.

Digitized by Google

REGI AUGUSTISSIMO

CAROLUS SEBASTIANUS BERARDUS.

QUantuncumque laboris, operæ, curæ, ſtudii conferendum fuit ad iſtas elucubrandas in Gratianeum Opus animadverſiones, id totum vel ab ipſo ſcribendi initio eo libentius contuli, quo ſplendidius nomen, ac nobilius patrocinium fuit, quod illis decorandis, ac tuendis acceſſurum eſſe ſperabam; Tuum nimirum ampliſſimum, & maximum,

REX

Digitized by Google

Rex Augustissime, *cujus gratiam, quemadmodum vehementer optaveram, clementiam, munificentiam fui ſtatim, atque illas in lucem prodidi, ex voto, & cumulatiſſime conſecutus. Poſtquam vero Tuam in dies majorem benevolentiam in fovenda, promovendaque ſtudiorum meorum ratione expertus ſum, ubi præſertim nuper me Eccleſiaſticorum Canonum Anteceſſorem in Athenæo Regio deſignaveris, cum facile intellexerim, id eſſe Tuæ erga meum opus beneficentiſſimæ voluntatis argumentum, tum equidem ſenſi, mihi majores vires adjici, ac ſtimulos, quibus ad opus idem alacrius perſiciendum ardore quodam prope ſingulari, atque incredibili concitarer. Quamobrem defatigari quidem potui recenti munere, quod me propemodum deſigebat paleſtræ in interpretatione Sacrarum Legum publice, & pro concione explicandarum, nullo tamen modo ita diſtrahi, aut morari, ut a cæpto vel cohiberi paulliſper, vel deſtitiſſe viderer. Jam dimidiam compleveram Operis partem, & prope eram, ut Volumen tertium pro modulo expolirem, expolitumque Typographo commendarem: cumque ea duo, quæ gerenda mihi erant officia, commode jungi, ſociarique poſſe cognoſcerem, quorum potius alterum altero juvaretur, quorum etiam grata vice identidem recrearer, una utrumque geſſi ſtudio, quo potui, impenſiſſimo, ut expectationem, quam de me in utraque parte conceperas, ſi non explere poſſem, ſaltem attingere, aut non omnino fruſtrari quoquo modo conarer. Itaque en tertium operis Clementiæ Tuæ multis nominibus debiti, ac dicati Volumen, quod ut eadem ipſa, quam in excipiendis ceteris præſtitiſti, benevolentia excipias, ſupplex rogo, obteſtor. Si iis, quæ initio edidi, Tuam,* Rex Augustissime, *in me, reſque meas conciliare gratiam per ſingularem, & vere Tuam, vereque Regiam Clementiam mihi licuit; patere etiam precor, ut poſteriora hæc, quæ ad finem vergunt, poſita a me ſint ad perpetuum, & conſtans grati, atque obſequentis animi monumentum.*

Digitized by Google

INDEX CAPITUM,

Quæ in hoc tertio Volumine continentur.

Cap. 59. *De Gregorio Magno* - - - - - - Pag. 1.
Cap. 60. *De Bonifacio III.* - - - - - - - pag. 182.
Cap. 61. *De Bonifacio IV.* - - - - - - - pag. 184.
Cap. 62. *De Deusdedit* - - - - - - - pag. 187.
Cap. 63. *De Honorio* - - - - - - - pag. 189.
Cap. 64. *De Martino* - - - - - - - - pag. 190.
Cap. 65. *De Eugenio* - - - - - - - - pag. 192.
Cap. 66. *De Agathone* - - - - - - - pag. 193.
Cap. 67. *De Sergio* - - - - - - - - pag. 194.
Cap. 68. *De Gregorio II., & Gregorio III.* - - - pag. 196.
Cap. 69. *De Zacharia* - - - - - - - pag. 209.
Appendix de aliquibus Bonifacii Epiſcopi, & Martyris monumentis - - - - - - - pag. 221.
Cap. 70. *De Stephano II., aut III., vel etiam IV.* - - pag. 224.
Cap. 71. *De Hadriano* - - - - - - - pag. 229.
Appendix de can. 21. cau. 1. qu. 1. adſcripto Taraſio Epiſcopo Conſtantinopolitano - - - - - - pag. 245.
Cap. 72. *De Leone III.* - - - - - - - pag. 246.
Cap. 73. *De Stephano IV., ſeu V.* - - - - - pag. 251.
Cap. 74. *De Paſchali* - - - - - - - - pag. 252.
Cap. 75. *De Gregorio IV.* - - - - - - - pag. 257.
Cap. 76. *De Leone IV.* - - - - - - - pag. 263.
Cap. 77. *De Nicolao* - - - - - - - - pag. 281.
Cap. 78. *De Johanne VIII.* - - - - - - pag. 343.
Cap. 79. *De Stephano V., ſeu VI.* - - - - - pag. 359.
Cap. 80. *De Leone VIII.* - - - - - - - pag. 373.
Cap. 81. *De Leone IX.* - - - - - - - pag. 375.
Cap. 82. *De Nicolao II.* - - - - - - - pag. 379.
Cap. 83. *De Alexandro II.* - - - - - - pag. 385.
Cap. 84. *De Gregorio VII.* - - - - - - pag. 406.
Appendix de Confeſſione Berengarii - - - - pag. 424.
Cap. 85. *De Urbano II.* - - - - - - - pag. 425.
Cap. 86. *De Paſchali II.* - - - - - - - pag. 460.
Cap. *ultimum. De Innocentio II.* - - - - - - pag. 471.

Digitized by Google

Imprimatur. Vicarius Generalis S. Officii Taurini.

V. Allemandi.

Se ne permette la Stampa. Quaregna per la Gran Cancellería.

Digitized by Google

CAPUT LIX.

De Gregorio Magno.

Nemo eſt aut ex Pontificibus Maximis, aut ex Sanctis Eccleſiæ Patribus, qui adeo frequenter a Gratiano laudetur, quemadmodum Gregorius Magnus. Id ſequentia capita demonſtrant, quæ ut numero plurima ſunt, ita accuratiori ordine exhiberi debuerunt.

Sectio 1. de epiſtolis Italiam univerſam ſpectantibus.

Ex epiſt. ad Mauricium & Vitalianum magiſtros militum.	*Can.* 18. *cau.* 23. *qu.* 8. *non omnino certæ auctoritatis.*
Ex epiſt. ad Velocem magiſtrum militum.	*Can.* 17. *cau.* 23. *qu.* 8. *Gratiani propoſito parum accommodatus.*

Sectio 2. de epiſtolis directis ad Cives Urbis Romæ.

Ex epiſt. ad Gratioſum Subdiaconum.	*Can.* 75. *cau.* 12. *qu.* 2. *vix varius in diverſis exemplaribus.*
Ex epiſt. ad Montanam & Thomam.	*Can.* 68. *cau.* 12. *qu.* 2. *ex integra epiſtola ſupplendus.* *Can.* 15. *cau.* 25. *qu.* 1. *Gratiani propoſito parum accommodatus.*
Ex epiſtola ad Theodorum Conſiliarium.	*Can.* 67. *cau.* 12. *qu.* 2. *conſonat cum integris epiſtolæ exemplaribus.*
Ex epiſtola ad Quertinum expræfectum.	*Can.* 8. *diſt.* 88. *incertæ auctoritatis, & alienus a propoſito Gratiani.*
Ex epiſt. ad omnes cives Romanos.	*Can.* 12. *de conſ. diſt.* 3. *conſonat cum integris exemplaribus.*

Digitized by Google

Sectio 3. de Epiſtolis ad Ravennates.

Ex epiſt. ad Caſtorium Notarium.	*Can.* 8. *cau.* 2. *qu.* 5. *jungendus cum epiſtolis ad Marinianum Ravennatem.*
Ex epiſt. ad Johannem Epiſcopum Ravennatem.	*Can.* 1. *diſt.* 68. *a Gratiani ſententia alienus.*
	Can. 22. *diſt.* 93. *jungendus cum can.* 7. & 8. *diſt.* 100.
	Can. 7. *diſt.* 100. / *Can.* 8. *diſt.* 100. } *jungendi cum can.* 22. *diſt.* 93.
	Can. 2. *cau.* 16. *qu.* 1. *jungendus cum can.* 26. *cau.* 18. *qu.* 2.
	Can. 26. *cau.* 18. *qu.* 2. *jungendus cum can.* 2. *cau.* 16. *qu.* 1.
	Can. 1. *cau.* 33. *qu.* 1. *eſt potius Rhabani epiſt. ad Heribaldum.*
	Can. 2. *cau.* 33. *qu.* 1. *pertinet potius ad Capitularia Francorum.*
Ex epiſtola ad Johannem Subdiaconum.	*Can.* 10. *diſt.* 63. *conferendus cum can.* 33. *cau.* 24. *qu.* 1.
	Can. 3. *cau.* 16. *qu.* 5. *ex integra epiſtola ſupplendus.*
Ex epiſtola ad Marinianum Epiſcopum.	*Can.* 11. *diſt.* 50. *conſonat cum integris epiſtolæ exemplaribus.*
	Can. 1. *diſt.* 58. *jungendus cum can.* 28. *cau.* 18. *qu.* 2.
	Can. 9. *cau.* 2. *qu.* 5. *jungendus cum can.* 8. *cau.* 2. *qu.* 5.
	Can. 2. *cau.* 5. *qu.* 1. *ex integris exemplaribus emendandus.*
	Can. 13. *cau.* 7. *qu.* 1. *paullo varius in diverſis codicibus.*
	Can. 3. *cau.* 12. *qu.* 5. *paullo varius in diverſis exemplaribus.*
	Can. 37. *cau.* 16. *qu.* 1. *jungendus cum can.* 27. *cau.* 18. *qu.* 2.
	Can. 27. *cau.* 18. *qu.* 2. *jungendus cum can.* 37. *cau.* 16. *qu.* 1.
	Can. 28. *cau.* 18. *qu.* 2. *jungendus cum can.* 11. *diſt.* 50.
Ex epiſtola ad Secundum.	*Can.* 6. *diſt.* 86. *cum integris epiſtolæ codicibus conſonat.*

Sectio 4. de epiſtolis per Samnium directis.

Ex epiſtola ad Barbarum Beneventanum.	*Can.* 16. *diſt.* 61. *ad integram epiſtolam exigendus.*

Sectio 5. de epiſtolis directis per Latium, & Campaniam.

Ex epiſtola ad Agnellum Epiſcop. Terracinæ.	*Can.* 5. *cau.* 21. *qu.* 1. / *Can.* 6. *cau.* 21. *qu.* 1. } *Simul jungendi, & ex integra epiſtola ſupplendi.*

Ex

Ex epiſt. ad Anthemium Subdiaconum Campaniæ.	*Can.* 1. *diſt.* 84. *ex integra epiſtola ſupplendus.*	
	Can. 2. *diſt.* 84. *ex integra epiſtola ſupplendus.*	
	Can. 2. *diſt.* 89. *conferendus cum can.* 1. *diſt.* 84.	
	Can. 20. *cau.* 7. *qu.* 1. *ex integra epiſtola ſupplendus.*	
	Can. 32. *cau.* 16. *qu.* 1. *jungendus cum can.* 39. *cau.* 27. *qu.* 1.	
	Can. 2. *cau.* 17. *qu.* 4. *ex integra epiſtola ſupplendus.*	
	Can. 5. *cau.* 20. *qu.* 1. *ex Gregoriani temporis adjunctis explicandus.*	
	Can. 39. *cau.* 27. *qu.* 1. *jungendus cum can.* 32. *cau.* 16. *qu.* 1.	
Ex epiſtola ad Benenatum Epiſcopum.	*Can.* 11. *diſt.* 61. *minus accommodus propoſito Gratiani.*	
	Can. 48. *cau.* 16. *qu.* 1. *paullo varius in diverſis exemplaribus.*	
Ex epiſt. ad Clementinam Neapolitanam.	*Can.* 3. *diſt.* 89. *paullo varius in aliis codicibus.*	
Ex epiſt. ad Fortunatum Neapolitanum Epiſcopum.	*Can.* 15. *diſt.* 54. *ex integra epiſtola ſupplendus.*	
	Can. 5. *diſt.* 71. *conſonat cum integris epiſtolæ exemplaribus.*	
	Can. 6. *cau.* 19. *qu.* 3. *conferendus cum can.* 1. *diſt.* 53.	
	Can. 28. *cau.* 27. *qu.* 2. *ex integra epiſtola ſupplendus.*	
	Can. 6. *cau.* 29. *qu.* 2. *paullo varius in diverſis exemplaribus.*	
Ex epiſt. ad Gaudentium Nolanum Epiſcopum.	*Can.* 19. *diſt.* 61. *paullo varius in diverſis exemplaribus.*	
Ex epiſt. ad Godiſcalcum Ducem Campaniæ.	*Can.* 67. *cau.* 11. *qu.* 3. *ex integris exemplaribus emendandus.*	
Ex epiſt. ad Johannem Epiſcopum Velitranum.	*Can.* 44. *cau.* 7. *qu.* 1. *paullo varius in diverſis exemplaribus.*	
	Can. 49. *cau.* 16. *qu.* 1. *paullo varius in diverſis exemplaribus.*	
Ex Epiſtola ad Clerum & Nobiles Neapolitanos.	*Can.* 4. *diſt.* 28.	*ſimul jungendi, & ad integros epiſtolæ codices exigendi.*
	Can. 1. *diſt.* 39.	
	Can. 4. *diſt.* 47.	
	Can. 15. *diſt.* 61.	
	Can. 17. *cau.* 8. *qu.* 1.	
Ex epiſt. ad Milites Neapolitanos.	*Can.* 7. *cau.* 23. *qu.* 1. *incertæ auctoritatis.*	

 Ex

Digitized by Google

Ex epiſt. ad Paſchaſium Epiſcop. Neapolitanum.	*Can.* 3. *diſt.* 45, *paullo varius in diverſis codicibus.*

Sectio 6. de epiſtolis directis per Illyricum.

Ex epiſt. ad Antoninum Subdiaconum in Dalmatia.	*Can.* 8. *diſt.* 74. *jungendus cum can.* 40. *cau.* 7. *qu.* 1. *Can.* 1. *cau.* 8. *qu.* 2. *paullo varius in diverſis exemplaribus.* *Can.* 64. *cau.* 11. *qu.* 3. *ad integram epiſtolam exigendus.*
Ex epiſt. ad Epicopos Epiri.	*Can.* 11. *diſt.* 100. *ex optimis codicibus emendandus.*
Ex epiſt. ad Epiſcopos per Elladiam.	*Can.* 117. *cau.* 1. *qu.* 1. *conſonat cum aliis Gregorii epiſtolis.*
Ex epiſt. ad Johannem Epiſcopum Primæ juſtinianeæ,	*Can.* 9. *diſt.* 63. } *Simul jungendi, nec non cum can.* 11. *Can.* 10. *diſt.* 100. } *diſt.* 100. *Can.* 44. *cau.* 2. *qu.* 7. *ex integra epiſtola emendandus.*
Ex epiſt. ad Johannem Epiſcopum Corinthi.	*Can.* 3. *diſt.* 100. *ex integra epiſtola emendandus.* *Can.* 116. *cau.* 1. *qu.* 1. *referendus ad canonem* 3. *diſt.* 100. *Can.* 6. *cau.* 2. *qu.* 3. } *ſimul jungendi, & ex integra epi-* *Can.* 7. *cau.* 2. *qu.* 3. } *ſtola emendandi.*
Ex epiſt. ad Johannem Epiſcopum Lariſſæum.	*Can.* 52. *cau.* 16. *qu.* 1. *ad integram epiſtolam exigendus.* *Can.* 13. *cau.* 25. *qu.* 1. *referendus ad can.* 52. *cau.* 16. *qu.* 1.
Ex epiſtola ad Maximum Salonitanum.	*Can.* 9. *diſt.* 12. *ex integra epiſtola ſupplendus.* *Can.* 1. *cau.* 6. *qu.* 5. *ex integra epiſtola emendandus.* *Can.* 1. *cau.* 9. *qu.* 1. *ex integra epiſtola ſupplendus.*
Ex epiſt. ad Natalem Epiſcopum Salonitanum.	*Can.* 5. *diſt.* 44. *ex integra epiſtola emendandus.* *Can.* 6. *diſt.* 44. *conſonat cum integris epiſtolæ exemplaribus.* *Can.* 2. *diſt.* 74. *conſonat cum integris epiſtolæ exemplaribus.* *Can.* 40. *cau.* 7. *qu.* 1. *jungendus cum can.* 5. *diſt.* 44. *Can.* 15. *cau.* 24. *qu.* 3. *jungendus cum can.* 10. *cau.* 25. *qu.* 2. *Can.* 10. *cau.* 25. *qu.* 2. *ſupplendus ex integris epiſtolæ exemplaribus.*
Ex epiſt. ad omnes Salonæ Conſiſtentes.	*Can.* 2. *diſt.* 93. } *ſimul jungendi, ac referendi etiam ad* *Can.* 2. *cau.* 1. *qu.* 6. } *epiſtolas ad Maximum Salonitanum, de quibus ſupra.*

Ex

Digitized by Google

Ex epiſt. ad Sabinianum Epiſcopum Jadertinum.	*Can.* 3. *diſt.* 50. *ex integra epiſtola emendandus.*

Sectio 7. de epiſtolis per Apuliam, & Calabriam directis.

Ex epiſtola ad Andream Tarentinum.	*Can.* 7. *diſt.* 33. *conferendus cum epiſt. ad Johannem Callipolitanum.*
Ex epiſt. ad Sergium Defenſorem Sipontinum.	*Can.* 19. *cau.* 27. *qu.* 1. *jungendus cum can.* 18. *cau.* 27. *qu.* 1.
Ex epiſt. ad Vitalianum Epiſcopum Sipontinum.	*Can.* 18. *cau.* 27. *qu.* 1. *jungendus cum can.* 19. *cau.* 27. *qu.* 1.

Sectio 8. de epiſtolis directis per Lucaniam, & Brutios.

Ex epiſt. ad Bonifacium Epiſcopum Regienſem.	*Can.* 9. *diſt.* 32. *jungendus cum can.* 1. *diſt.* 28. *& can.* 1. *diſt.* 31. *Can.* 49. *cau.* 12. *qu.* 2. *conſonat cum integris epiſtolæ exemplaribus.* *Can.* 2. *cau.* 27. *qu.* 1. *non pertinet ad epiſtolas Gregorii Magni.*
Ex epiſtola ad Felicem Epiſcopum de Acropoli.	*Can.* 14. *cau.* 12. *qu.* 1. *ex ipſa epiſtola ſupplendus.*
Ex epiſt. ad Johannem Epiſcopum Squillatinum.	*Can.* 10. *diſt.* 34. *jungendus cum can.* 3. *diſt.* 98. *& can.* 42. *cau.* 7. *qu.* 1. *Can.* 3. *diſt.* 98. *jungendus cum can.* 10. *diſt.* 34. *& can.* 42. *cau.* 7. *qu.* 1. *Can.* 42. *cau.* 7. *qu.* 1. *jungendus cum can.* 10. *diſt.* 34., *& can.* 3. *diſt.* 98. *Can.* 41. *cau.* 17. *qu.* 4. *ex integris exemplaribus emendandus.* *Can.* 42. *cau.* 17. *qu.* 4. *idem eſt cum §. ult. can.* 5. *cau.* 18. *qu.* 2.
Ex epiſt. ad Sabinum Subdiaconum Regionarium.	*Can.* 4. *cau.* 17. *qu.* 4. *conſonat cum integris epiſtolæ exemplaribus.*

Digitized by Google

Sectio 9. de epiſtolis directis per Siciliam.

Ex epiſt. ad Cyprianum Diaconum.	*Can.* 2. *cau.* 12. *qu.* 5. *conſonat cum integris epiſtolæ exemplaribus.* *Can.* 8. *cau.* 19. *qu.* 3. *parum aptus propoſito Gratiani.*
Ex epiſt. ad Donum Meſſanenſem Epiſcopum.	*Can.* 14. *cau.* 12. *qu.* 2. *Can.* 16. *cau.* 12. *qu.* 2. *ſimul jungendi, & ex integra epiſtola ſupplendi.*
Ex epiſt. ad Fantinum Defenſorem.	*Can.* 2. *cau.* 14. *qu.* 6. *ex integra epiſtola emendandus.* *Can.* 98. *de conſ. diſt.* 4. *ex optimis codicibus emendandus.*
Ex epiſt. ad Felicem Epiſcopum Meſſanenſem.	*Can.* 4. *cau.* 25. *qu.* 2. *apocryphus quidem, ſed conſonat cum aliis Gregorii ſententiis.* *Can.* 10. *cau.* 35. *qu.* 2. *apocryphus, & ex integra epiſtola ſupplendus.* *Can.* 2. *cau.* 35. *qu.* 8. *apocryphus, & ad integros codices exigendus.*
Ex epiſt. ad Hadrianum Notarium Panormitanum.	*Can.* 8. *cau.* 26. *qu.* 5. *ſupplendus ex integra epiſtola.* *Can.* 21. *cau.* 27. *qu.* 2. *paullo varius in diverſis exemplaribus.*
Ex epiſt. ad Johannem Epiſcopum Panormitanum.	*Can.* 10. *diſt.* 28. *ex integris epiſtolæ exemplaribus emendandus.* *Can.* 23. *diſt.* 86. *conſonat cum integris epiſtolæ exemplaribus.* *Can.* 2. *cau.* 15. *qu.* 7. *idem eſt cum can.* 23. *diſt.* 86.
Ex epiſt. ad Johannem Epiſcopum Syracuſanum.	*Can.* 4. *diſt.* 22. *ad integros epiſtolarum codices exigendus.* *Can.* 6. *diſt.* 74. *paullo varius in aliis exemplaribus.* *Can.* 21. *diſt.* 93. *paullo varius in diverſis exemplaribus.*
Ex epiſt. ad Juſtinum Prætorem.	*Can.* 6. *cau.* 2. *qu.* 5. *paullo varius in diverſis exemplaribus.*
Ex epiſt. ad Libertinum Præfectum.	*Can.* 13. *diſt.* 54. *ex integra epiſtola ſupplendus.*
Ex epiſt. ad Leonem Epiſcopum Catanenſem.	*Can.* 2. *diſt.* 32. *ex integra epiſtola ſupplendus.* *Can.* 63. *cau.* 16. *qu.* 1. *conſonat cum antiquis Gelaſii Decretalibus.* *Can.* 20. *cau.* 27. *qu.* 2. *idem eſt cum can.* 2. *diſt.* 32.
Ex epiſt. ad Maximianum Epiſcopum Syracuſanum.	*Can.* 3. *cau.* 7. *qu.* 1. *ex optimis exemplaribus emendandus.* *Can.* 29. *cau.* 12. *qu.* 2. *Can.* 45. *cau.* 12. *qu.* 2. *Can.* 38. *cau.* 16. *qu.* 1. *Can.* 12. *cau.* 20. *qu.* 1. *ſimul jungendi, atque ad integros codices exigendi.*

Ex

Digitized by Google

Ex epiſt. ad Prejectem Illuſtrem Panormitanum .	*Can.* 12. *cau.* 25. *qu.* 2. *conſonat cum can.* 1. *cau.* 35. *qu.* 9.
Ex epiſt. ad Petrum Subdiaconum .	*Can.* 1. *diſt.* 28. *emendandus ex can.* 1. *diſt.* 31. *Can.* 1. *diſt.* 31. *conſonat cum integris epiſtolæ exemplaribus .* *Can.* 2. *cau.* 16. *qu.* 4. *conſonat cum recepta Juſtiniani diſciplina.* *Can.* 4. *cau.* 16. *qu.* 6. *ex integris exemplaribus emendandus .* *Can.* 5. *cau.* 16. *qu.* 6. *ex integra epiſtola ſupplendus .*
Ex epiſt. ad Romanum Defenſorem.	*Can.* 25. *diſt.* 81. *ex integra epiſtola ſupplendus .* *Can.* 4. *diſt.* 88. *ex optimis codicibus emendandus.* *Can.* 39. *cau.* 11. *qu.* 1. *jungendus cum can.* 4. *diſt.* 88. *Can.* 3. *cau.* 14. *qu.* 6. *ex integra epiſtola ſupplendus .*
Ex epiſt. ad Secundinum.	*Can.* 16. *diſt.* 50. *falſo Gregorio tributus .* *Can.* 24. *diſt.* 50. *apocryphus , & referendus ad can.* 16. *diſt.* 50. *Can.* 34. *cau.* 16. *qu.* 7. *ex integra epiſtola ſupplendus .* *Can.* 7. *cau.* 18. *qu.* 2. *ex optimis exemplaribus emendandus .*
Ex epiſt ad Venantium exmonachum Syracuſanum .	*Can.* 4. *diſt.* 43. *emendandus ex vulgatis epiſtolæ exemplaribus .* *Can.* 3. *cau.* 17. *qu.* 1. *conſonat cum vulgatis epiſtolæ exemplaribus.*
Ex epiſt. ad Urbicum Abbatem.	*Can.* 25. *cau.* 27. *qu.* 2. *conſonat cum optimis epiſtolæ exemplaribus .*
Ex epiſt. ad plures Siciliæ Epiſcopos .	*Can.* 1. *diſt.* 53. *ad Gregoriani temporis cauſſas exigendus .* *Can.* 1. *diſt.* 94. *ex optimis codicibus emendandus .* *Can.* 9. *cau.* 10. *qu.* 3. *ex optimis codicibus emendandus .*

Sectio 10. de epiſtolis directis per Tuſciam, & Umbriam.

Ex epiſt. ad Candidum Epiſcopum Urbevetanum.	*Can.* 2. *cau.* 7. *qu.* 1. *paulliſper varius in diverſis exemplaribus .*
Ex epiſt. ad Johannem Epiſcopum Urbevetanum.	*Can.* 13. *cau.* 16. *qu.* 1. *ex integra epiſtola emendandus .*
Ex epiſt. ad Valentinum Abbatem.	*Can.* 20. *cau.* 18. *qu.* 2. *conſonat cum can.* 103. & 104. *de conſ. diſt.* 4.

Ex epiſt. ad Venantium Epiſcopum Lunenſem.	*Can.* 10. *diſt.* 50. *ex duabus Gregorii epiſtolis compoſitus.*	

Sectio 11. de epiſtolis per Picenum directis.

Ex epiſt. ad Caſtorium Epiſcopum Ariminenſem.	*Can.* 2. *cau.* 18. *qu.* 2. *Can.* 3. *cau.* 18. *qu.* 2. *Can.* 6. *cau.* 18. *qu.* 2.	*Simul jungendi, atque ad integros codices exigendi.*
Ex epiſt. ad Valerianum & Demerium Clericos Firmanos.	*Can.* 15. *cau.* 12. *qu.* 2. *cum integra epiſtola conſonat.*	
Ex epiſt. ad Johannem Epiſcopum in vicinia Anconitana.	*Can.* 1. *diſt.* 85. *ex integra epiſtola ſupplendus, atque emendandus.*	
Ex epiſt. ad Paſſivum Epiſcopum Firmanum.	*Can.* 18. *diſt.* 61. *fere conſonat cum integris epiſtolæ exemplaribus.*	

Sectio 12. de epiſtolis ad Mediolanenſes ſcriptis.

Ex epiſt. ad Deodatum Epiſcopum.	*Can.* 12. *cau.* 12. *qu.* 2. *referendus ad can.* 1. *cau.* 12. *qu.* 5. *Can.* 1. *cau.* 12. *qu.* 5. *ex integra epiſtola ſupplendus.*
Ex epiſt. ad Conſtantium Epiſcopum.	*Can.* 1. *diſt.* 50. *fere conſonat cum optimis epiſtolæ exemplaribus.* *Can.* 52. *cau.* 11. *qu.* 3. *paullo varius in diverſis exemplaribus.* *Can.* 74. *cau.* 11. *qu.* 3. *cum ipſa Gregorii epiſtola conſonat.*
Ex epiſt. ad Magnum Presbyterum.	*Can.* 2. *cau.* 24. *qu.* 3. *a Gratiani propoſito alienus.*
Ex epiſt. ad Clerum Mediolanenſem.	*Can.* 2. *cau.* 8. *qu.* 2. *cum integra Gregorii epiſtola conſonat.* *Can.* 6. *cau.* 9. *qu.* 1. *ex integra epiſtola ſupplendus.*

Sectio

Digitized by Google

Sectio 13. de epiſtolis per Sardiniam directis.

Ex epiſt. ad Januarium Calaritanum Epiſcopum.	*Can.* 9. *diſt.* 50. *propemodum conſonat cum optimis exemplaribus.* *Can.* 16. *diſt.* 54. *ex integris codicibus ſupplendus.* *Can.* 29. *diſt.* 81. *conſonat cum integris epiſtolæ exemplaribus.* *Can.* 24. *diſt.* 86. *propemodum conſonat cum integris exemplaribus.* *Can.* 5. *diſt.* 89. *ex integris exemplaribus emendandus.* *Can.* 1. *diſt.* 95. *ex optimis exemplaribus emendandus.* *Can.* 11. *cau.* 1. *qu.* 7. *referendus ad canonem* 24. *diſt.* 86. *Can.* 28. *cau.* 2. *q.* 7. *ex optimis codicibus emendandus.* *Can.* 4. *cau.* 5. *qu.* 6. *ex integris exemplaribus ſupplendus.* *Can.* 40. *cau.* 12. *qu.* 1. *ad initium hujus epiſtolæ pertinet.* *Can.* 4. *cau.* 13. *qu.* 2. *ex integra epiſtola emendandus.* *Can.* 12. *cau.* 13. *qu.* 2. *ex integra epiſtola emendandus.* *Can.* 14. *cau.* 16. *qu.* 1. *ex integra epiſtola ſupplendus.* *Can.* 7. *cau.* 19. *qu.* 3. *jungendus cum can.* 13. *cau.* 25. *q.* 2. *Can.* 27. *cau.* 23. *qu.* 4. *conſonat cum optimis exemplaribus.* *Can.* 4. *cau.* 23. *qu.* 6. *a Gratiani propoſito alienus.* *Can.* 13. *cau.* 25. *qu.* 2. *jungendus cum can.* 7. *cau.* 19. *qu.* 3. *Can.* 10. *cau.* 26. *qu.* 5. *conſonat cum ſexti ſæculi diſciplina.* *Can.* 28. *cau.* 27. *qu.* 1. *paullo varius in diverſis codicibus.* *Can.* 29. *cau.* 27. *qu.* 1. *ex integra epiſtola ſupplendus.* *Can.* 120. *de conſ. diſt.* 4. *ex optimis codicibus emendandus.*
Ex epiſt. ad Innocentium, alioſque Epiſcopos.	*Can.* 45. *cau.* 2. *qu.* 7. *ex integra epiſtola emendandus.*
Ex epiſt. ad Venerium Epiſcopum Calaritanum.	*Can.* 29. *cau.* 27. *qu.* 2. *referendus ad can.* 1. *cau.* 33. *qu.* 1. *Can.* 1. *cau.* 35. *qu.* 10. *Gregorio falſo tributus.*
Ex epiſt. ad Vitalem Defenſorem.	*Can.* 19. *cau.* 18. *qu.* 2. *ex optimis exemplaribus emendandus.*

Sectio 14. de epiſtolis directis per Corſicam.

Ex epiſt. ad Bonifacium Defenſorem.	*Can.* 7. *cau.* 25. *qu.* 2. *ex integra epiſtola emendandus.*
Ex epiſt. ad Petrum Epiſcopum.	*Can.* 121. *cau.* 1. *qu.* 1. *ex integris epiſtolæ exemplaribus emendandus.*

Ex epiſt. ad Simmachum Defenſorem.	*Can.* 24. *diſt.* 81. *paullo varius in diverſis exemplaribus.*

Sectio 15. de epiſtolis ad Gallicanos.

Ex epiſt. ad Aregium Vapincenſem.	*Can.* 10. *diſt.* 23. *Can.* 5. *diſt.* 100.	*Conſonant cum vulgatis epiſtolæ exemplaribus.*
Ex epiſt. ad Brunichildem Reginam.	*Can.* 1. *diſt.* 61. *ex integra epiſtola ſupplendus.* *Can.* 2. *diſt.* 100. *ad Gregoriani temporis adjuncta exigendus.* *Can.* 7. *cau.* 2. *qu.* 5. *partim Gregorio, partim recentiori Pontifici tribuendus.* *Can.* 47. *cau.* 23. *qu.* 4. *jungendus cum can.* 2. *diſt.* 100.	
Ex epiſt. ad ConſtantiamReginam.	*Can.* 8. *cau.* 12. *qu.* 2. *Can.* 9. *cau.* 12. *qu.* 2.	*Simul jungendi, ac tribuendi potius Gregorio V.*
Ex epiſt. ad Deſiderium Epiſcopum.	*Can.* 5. *diſt.* 86. *paullo varius in diverſis Codicibus.*	
Ex epiſt. ad Etherium Lugdunenſem.	*Can.* 14. *cau.* 7. *qu.* 1. *ex optimis codicibus emendandus.*	
Ex epiſt. ad Serenum Maſſilienſem Epiſcopum.	*Can.* 27. *de conſ. diſt.* 3. *conſonat cum integra epiſtola.*	
Ex epiſt. ad Syagrium Epiſcopum Auguſtodunẽſem.	*Can.* 7. *diſt.* 17. *ad integram epiſtolam exigendus.* *Cau.* 7. *diſt.* 47. *jungendus cum can.* 2. *cau.* 1. *q.* 1. *Cau.* 2. *diſt.* 48. *ex integra epiſtola emendandus.* *Can.* 3. *diſt.* 59. *ex integris exemplaribus emendandus.* *Can.* 5. *diſt.* 83. *paullo varius in diverſis codicibus.* *Can.* 9. *diſt.* 100. *jungendus cum can.* 7. *diſt.* 17. *Can.* 2. *cau.* 1. *qu.* 1. *jungendus cum can.* 7. *diſt.* 47. *Can.* 4. *cau.* 1. *qu.* 1. *referendus ad can.* 13. *cau.* 1. *qu.* 1. *Can.* 5. *cau.* 1. *qu.* 1. *non verbis, ſed ſententiis Gregorii conſonat.* *Can.* 13. *cau.* 1. *qu.* 1. *paullo varius in diverſis exemplaribus.* *Can.* 27. *cau.* 1. *qu.* 1. *jungendus cum can.* 7. *cau.* 14. *qu.* 5. *Can.* 3. *cau.* 1. *qu.* 6. *paullo varius in diverſis exemplaribus.* *Can.* 7. *cau.* 14. *qu.* 5. *referendus ad canonem* 27. *cau.* 1. *qu.* 1.	

Ex

Digitized by Google

Ex epiſt. ad Theodoricum, & Theodebertum Reges.	*Can.* 20. *cau.* 1. *qu.* 1. *conſonat cum integris epiſtolæ exemplaribus.* *Can.* 28. *cau.* 1. *qu.* 1. *ex integra epiſtola emendandus.*
Ex epiſt. ad Virgilium Epiſcopum. Arelatenſem.	*Can.* 2. *diſt.* 49. *ex integra epiſtola emendandus.* *Can.* 6. *diſt.* 100. *ex integra epiſtola ſupplendus.* *Can.* 59. *cau.* 2. *qu.* 7. *ex optimis codicibus emendandus.* *Can.* 9. *cau.* 25. *qu.* 2. *ex integris epiſtolæ exemplaribus emendandus.*
Ex epiſt. ad omnes Epiſcopos Galliarum.	*Can.* 7. *diſt.* 89. *ex optimis codicibus emendandus.* *Can.* 2. *cau.* 1. *qu.* 3. *apocryphus, ſed Gregorii ſententiis conformis.* *Can.* 16. *cau.* 35. *qu.* 2. *pertinet ad Capitularia Francorum.*

Sectio 16. de epiſtolis ad Hiſpanos.

Ex epiſt. ad omnes Hiſpaniæ Epiſcopos.	*Can.* 1. *cau.* 1. *qu.* 3. *apocryphus, ſed ſententiis Gregorii conſonat.*
Ex epiſtola ad Johannem Defenſorem.	*Can.* 7. *cau.* 2. *qu.* 1. *Can.* 38. *cau.* 11. *qu.* 1. *Can.* 3. *cau.* 16. *qu.* 6. *ſimul jungendi, dubiæ fidei, atque ex optimis codicibus emendandi.*
Ex epiſtola ad Leandrum Epiſcopum Hiſpalenſem.	*Can.* 80. *de conſ. diſt.* 4. *ex optimis codicibus emendandus.*
Ex epiſt. ad Recaredum Regem.	*Can.* 48. *cau.* 7. *qu.* 1. *jungendus cum can.* 11. *cau.* 14. *qu.* 5. *Can.* 11. *cau.* 14. *qu.* 5. *ex integris exemplaribus emendandus.*

Sectio 17. de epiſtolis in Angliam miſſis.

Ex epiſtola ad Auguſtinum Epiſcopum. Dubiæ omnes auctoritatis.	*Can.* 6. *diſt.* 4. *apocryphus, nec ad hanc, ex qua laudatur, epiſtolam pertinet.* *Can.* 1. *diſt.* 5. } *ſimul jungendi, & ex integra epiſtola emendandi.* *Can.* 2. *diſt.* 5. *Can.* 3. *diſt.* 5. *paullo varius in diverſis exemplaribus.* *Can.* 4. *diſt.* 5. *conſonat cum integris epiſtolæ exemplaribus.* *Can.* 1. *diſt.* 6. } *ſimul jungendi, atque ex integra epiſtola emendandi.* *Can.* 2. *diſt.* 6. *Can.* 10. *diſt.* 12. *conſonat cum ſententiis Ambroſii.* *Can.* 3. *diſt.* 32. *idem eſt cum can.* 8. *cau.* 12. *qu.* 1. *Can.* 6. *diſt.* 80. *ex integris epiſtolæ exemplaribus ſupplendus.*

Can. 1. *cau.* 6. *qu.* 3. *jungendus cum can.* 3. *cau.* 25. *qu.* 2.
Can. 8. *cau.* 12. *qu.* 1. *jungendus cum can.* 30. *cau.* 12. *qu.* 2.
Can. 11. *cau.* 12. *qu.* 2. *adverſari videtur aliis Gratiani monumentis.*
Can. 30. *cau.* 12. *qu.* 2. *conſonat cum ſententiis Gelaſii Papæ.*
Can. 2. *cau.* 20. *qu.* 1. *potius Gregorio III. tribuendus.*
Can. 3. *cau.* 25. *qu.* 2. *jungendus cum can.* 1. *cau.* 6. *qu.* 3.
Can. 7. *cau.* 33. *qu.* 4. *paullo varius in diverſis exemplaribus.*
Can. 20. *cau.* 35. *qu.* 2. *jungendus cum can.* 2. *cau.* 35. *qu.* 8.

Sectio 18. de epiſtolis ad Afros.

Ex epiſtola ad Epiſcopos Concilii Bizaceni.	*Can.* 46. *cau.* 2. *qu.* 7. *ex integra epiſtola emendandus.*
Ex epiſtola ad Columbum Epiſcopum Numidiæ.	*Can.* 7. *diſt.* 56. *conſonat cum integris epiſtolæ exemplaribus.* *Can.* 120. *cau.* 1. *qu.* 1. *conſonat cum integris epiſtolæ exemplaribus.*
Ex epiſtola ad Dominicum Carthaginenſem.	*Can.* 8. *cau.* 25. *qu.* 2. *paullo varius in diverſis codicibus.*
Ex epiſtola ad Gennadium Patricium, & Exarchum.	*Can.* 48. *cau.* 23. *qu.* 4. *ex optimis codicibus emendandus.* *Can.* 49. *cau.* 23. *qu.* 4. *ex optimis codicibus emendandus.*
Ex epiſtola ad Epiſcopos Numidiæ.	*Can.* 8. *diſt.* 12. *paullo varius in diverſis exemplaribus.*
Ex epiſtola ad Adeodatum Epiſcopum Numidiæ.	*Can.* 119. *cau.* 1. *qu.* 1. *paullo varius in diverſis codicibus.*

Sectio 19. de epiſtolis ad Conſtantinopolitanos directis.

Ex epiſtola ad Anatolium Diaconum.	*Can.* 1. *cau.* 7. *qu.* 1. *adhuc ex integra epiſtola emendandus.*

Digitized by Google

Ex epiſtola ad Cyriacum Epiſcopum Conſtantinopolitanum.	*Can.* 10. *diſt.* 40. *conſonat cum integris epiſtolæ exemplaribus.* *Can.* 9. *cau.* 8. *qu.* 1. *pallo varius in diverſis codicibus.*
Ex epiſtola ad Domitianum Epiſcopum Melitinæ.	*Can.* 3. *cau.* 2. *qu.* 1. *ex optimis codicibus emendandus.*
Ex epiſtola ad Eliam Presbyterum, & Abbatem Iſauriæ.	*Can.* 122. *cau.* 1. *qu.* 1. *ex optimis codicibus emendandus.*
Ex epiſtola ad Johannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum.	*Can.* 2. *diſt.* 15. *ſupplendus ex integris epiſtolæ exemplaribus.* *Can.* 6. *diſt.* 41. *paullo varius in diverſis codicibus.* *Can.* 1. *diſt.* 45. *ex integra epiſtola illuſtrandus.* *Can.* 93. *cau.* 1. *qu.* 1. *paullo varius in diverſis codicibus.*
Ex epiſtola ad Quiricum, alioſque in Hiberia Epiſcopos.	*Can.* 44. *de conſ. diſt.* 4. *ex integris exemplaribus emendandus.* *Can.* 84. *de conſ. diſt.* 4. *jungendus cum can.* 44. *eadem diſt.* 4.
Ex epiſtola ad Sabinianum Diaconum, & Apocriſarium.	*Can.* 20. *cau.* 23. *qu.* 8. *dubiæ auctoritatis.*
Ex epiſtola ad Mauritium Imperatorem.	*Can.* 41. *cau.* 11. *qu.* 1. *paullo varius in diverſis exemplaribus.* *Can.* 11. *cau.* 27. *qu.* 2. *falſo tributus Gregorio.*
Ex epiſtola ad Conſtantinam Auguſtam.	*Can.* 24. *diſt.* 63. ⎫ *ſimul jungendi, & ex integris codicibus* *Can.* 6. *cau.* 21. *qu.* 5. ⎭ *emendandi.* *Can.* 8. *cau.* 12. *qu.* 2. *ex variis monumentis contextus.*
Ex epiſtola ad Theotiſtam Patritiam.	*Can.* 40. *cau.* 2. *qu.* 1. *ex integra epiſtola ſupplendus.* *Can.* 11. *cau.* 6. *qu.* 1. *ex integra epiſtola ſupplendus.* *Can.* 19. *cau.* 27. *qu.* 2. *ex optimis exemplaribus emendandus.* *Can.* 6. §. 1. *de pœnit. diſt.* 3. *ex optimis exemplaribus emendandus.*

Se-

Digitized by Google

Sectio 20. de epiſtolis directis Alexandriam, Antiochiam, & Jeruſalem.

Ex epiſtola ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinũ.	*Can. 5. diſt. 99. ex adjunctis Gregoriani temporis interpretandus.*
Ex epiſtola ad Anaſtaſium Epiſcopum Antiochenum.	*Can. 26. cau. 1. qu. 1. ex integra epiſtola ſupplendus.*
Ex epiſtola ad Anaſtaſium Presbyterum Jeroſolymitanum.	*Can. 4. diſt. 40. ex integra epiſtola ſupplendus.*
Ex epiſtola ad Palladium Presbyterum de Monte Syna.	*Can. 55. cau. 11. qu. 3. ex optimis codicibus emendandus.*

Sectio 21. de aliis canonibus ex Regeſto Gregorii laudatis.

- *Can. 9. cau. 1. qu. 7. falſo tributus Gregorio Papæ.*
- *Can. 3. cau. 5. qu. 6. referendus potius ad monumenta Johannis Diaconi.*
- *Can. 3. cau. 1. qu. 1. recentioris Collectoris manu editus juxta ſententias Gregorii.*
- *Can. 115. cau. 1. qu. 1. ad alia Gregorii I., vel Gregorii VII. monumenta exigendus.*
- *Can. 63. cau. 11. qu. 3. pertinet potius ad epiſtolas Simplicii.*
- *Can. 1. cau. 35. qu. 8. falſo tributus Gregorio.*
- *Can. 39. cau. 16. qu. 1. ad integram Gregorii epiſtolam exigendus.*

Sectio 22. de canonibus ſub nomine Decreti Gregoriani laudatis.

Ad Epiſcopos omnes.	*Can. 1. diſt. 89. referendus ad monumenta Johannis Diaconi.* *Can. 11. cau. 2. qu. 6. pertinet potius ad Gregorium IV.* *Can. 5. cau. 18. qu. 2. ſæculo XI. aut XII. confictus.*

In

Digitized by Google

In Concilio Generali.

Can. 23. *diſt.* 54. *multo aliter legitur in aliis exemplaribus.*
Can. 2. *diſt.* 92. *dubiæ apud aliquos auctoritatis.*
Can. 4. *cau.* 1. *qu.* 2. *conſonat cum aliis Gregorii monumentis.*
Can. 58. *cau.* 2. *qu.* 7. *conſonat cum aliis Gregorii monumentis.*
Can. 1. *cau.* 16. *qu.* 6. *ex adjunctis Gregoriani temporis interpretandus.*

In Concilio Meldenſi.

Can. 1. *cau.* 35. *qu.* 2. *falſo tributus Gregorio Magno.*

Sectio 23. de Capitibus ex libris Moralium, ſeu Commentariorum in Job.

Can. 2. *diſt.* 13. *ex integris codicibus ſupplendus, atque emendandus.*
Can. 13. *diſt.* 38. *ex integra Gregorii epiſtola ſupplendus.*
Can. 9. *diſt.* 45. *ex integris codicibus emendandus.*
Can. 14. *diſt.* 45. *conſonat cum integris codicibus.*
Can. 1. *diſt.* 46. *ex integris codicibus ſupplendus.*
Can. 2. *diſt.* 46. *conſonat cum integris codicibus.*
Can. 3. *diſt.* 47. *paullo varius in diverſis exemplaribus.*
Can. 18. *diſt.* 50. *Gratiani propoſito minime accommodatus.*
Can. 9. *cau.* 1. *qu.* 4. *conſonat cum integris codicibus.*
Can. 3. *cau.* 3. *qu.* 7. *ex optimis codicibus emendandus.*
Can. 5. *cau.* 3. *qu.* 7. *ex variis Gregorii monumentis compoſitus.*
Can. 10. *cau.* 8. *qu.* 1. (*ſimul jungendi, atque ex optimis*
Can. 99. *cau.* 11. *qu.* 3. (*codicibus emendandi.*
Can. 10. *cau.* 22. *qu.* 2. *ex integris Gregorii codicibus ſupplendus, atque emendandus.*
Can. 19. *cau.* 22. *qu.* 2. (*ſimul jungendi, atque ex optimis*
Can. 20. *cau.* 22. *qu.* 2. (*codicibus emendandi.*
Can. 11. *cau.* 22. *qu.* 5. *recentiore interpretum manu corruptus.*
Can. 22. *cau.* 24. *qu.* 1. *paullo aliter in optimis codicibus deſcriptus.*
Can. 12. *cau.* 24. *qu.* 3. *ex integris codicibus emendandus.*
Can. 13. *cau.* 32. *qu.* 4. *conſonat cum optimis exemplaribus.*
Can. 13. *cau.* 32. *qu.* 5. *paullo varius in diverſis exemplaribus.*
Can. 82. *de pœn. diſt.* 1. *ex integris exemplaribus emendandus.*
Can 4. *de pœn. diſt.* 2. *ex optimis exemplaribus emendandus.*
Can. 22. *de pœn. diſt.* 2. *cum integris codicibus conſonat.*
Can. 23. *de pœn. diſt.* 2. *ex optimis exemplaribus emendandus.*
Can. 43. *de pœn. diſt.* 2. *ſummam continet canonis* 44. *ſequentis.*
Can. 44. *de pœn. diſt.* 2. *ex integris codicibus ſupplendus, atque emendandus.*
Can. 45. *de pen. diſt.* 2. *ex integris codicibus emendandus.*

Can.

Digitized by Google

- *Can.* 17. *de pœn. diſt.* 3. *conſonat cum integris exemplaribus*.
- *Can.* 13. *de pœn. diſt.* 4. *ex integris exemplaribus emendandus*.
- *Can.* 5. *de conſ. diſt.* 4. *conſonat cum integris exemplaribus*.
- *Can.* 22. *de conſ. diſt.* 5. *conſonat cum integris exemplaribus*.

Sectio 24. de Capitulis ex libris Homiliarum depromtis.

Ex homiliis in Ezechielem.

- *Can.* 17. *diſt.* 50. *Gratiani propoſito perperam accommodatus.*
- *Can.* 4. *cau.* 17. *qu.* 1. *ad integros codices exigendus*.
- *Can.* 9. *de pœn. diſt.* 2. *ex integris codicibus emendandus*.
- *Can.* 10. *de pœn. diſt.* 2. } *ſimul jungendi, atque ex integris codicibus emendandi*.
- *Can.* 11. *de pœn. diſt.* 2. }
- *Can.* 15. *de pœn. diſt.* 2. *ex integris codicibus emendandus*.
- *Can.* 29. *de pœn. diſt.* 3. *ex integris codicibus emendandus*.
- *Can.* 40. *de pœn. diſt.* 3. *ex integris codicibus emendandus*.
- *Can.* 16. *de pœn. diſt.* 4. } *conſonant cum integris exemplaribus*.
- *Can.* 17. *de pœn. diſt.* 4. }

Ex homiliis in Evangelia.

- *Can.* 15. *diſt.* 45. *ex optimis codicibus emendandus*.
- *Can.* 53. *diſt.* 50. *ex optimis codicibus emendandus*.
- *Can.* 114. *cau.* 1. *qu.* 1. *conſonat cum integris exemplaribus*.
- *Can.* 10. *cau.* 1. *qu.* 3. *ex optimis exemplaribus emendandus*.
- *Can.* 1. *cau.* 11. *qu.* 3. *ex optimis exemplaribus emendandus*.
- *Can.* 60. *cau.* 11. *qu.* 3. } *ſimul jungendi, item ex optimis exemplaribus ſupplendi, atque emendandi*.
- *Can.* 61. *cau.* 11. *qu.* 3. }
- *Can.* 62. *cau.* 11. *qu.* 3. }
- *Can.* 88. *cau.* 11. *qu.* 3. }
- *Can.* 15. *cau.* 23. *qu.* 4. *ex integris codicibus emendandus*.
- *Can.* 16. *cau.* 23. *qu.* 4. *ex integris codicibus emendandus.*
- *Can.* 28. *cau.* 23. *qu.* 4. *referendus ad canones* 1. 60. 61. 62. *&* 88. *cau.* 11. *qu.* 3.
- *Can.* 45. *cau.* 27. *qu.* 2. *conſonat cum integris exemplaribus*.
- *Can.* 10. *cau.* 32. *qu.* 1. *fere conſonat cum integris exemplaribus*.
- *Can.* 6. *de pœn. diſt.* 3. *conſonat cum integris exemplaribus.*
- *Can.* 47. *de pœn. diſt.* 3. *ad integros Gregorii codices exigendus*.
- *Can.* 7. *de pœn. diſt.* 5. *ex integris codicibus ſupplendus*.
- *Can.* 7. *cau.* 36. *qu.* 2. *referendus ad canonem* 10 *cau.* 32. *qu.* 1.
- *Can.* 34. *de conſ. diſt.* 2. *pertinet potius ad Lanfrancum*.
- *Can.* 73. *princ. de conſ. diſt.* 2. *conſonat cum integris exemplaribus.*
- *Can.* 67. *de conſ. diſt.* 4 *jungi poteſt cum can.* 10. *cau.* 32. *qu.* 1.
- *Can.* 16. *de conſ. diſt.* 5. *ex integris Gregorii codicibus emendandus.*

Se-

Sectio 25. de libro Paſtorali.

Can. 10. *diſt.* 38. *ex integris codicibus emendandus.*
Can. 1. *diſt.* 43. *paullo varius in diverſis codicibus.*
Can. 1. *diſt.* 49. *paullo varius in diverſis codicibus.*
Can. 2. *diſt.* 83. *referendus ad can.* 32. *cau.* 2. *qu.* 7.
Can. 57. *cau.* 2. *qu.* 7. *ex integris codicibus emendandus.*
Can. 13. *de pœn. diſt.* 3.
Can. 14. *de pœn. diſt.* 3.
Can. 15. *de pœn. diſt.* 3.
Can. 16. *de pœn. diſt.* 3.
{ *ſimul jungendi, ex integris exemplaribus ſupplendi, atque ex aliis monumentis explicandi.* }

Sectio 26. de libro Dialogorum.

Incertæ omnes auctoritatis.

Can. 4. *diſt.* 25. *paullo varius in diverſis exemplaribus.*
Can. 18. *diſt.* 32. *parum accommodatus propoſito Gratiani.*
Can. 72. *cau.* 1. *qu.* 1. *exigendus ad canonem* 42. *cau.* 24. *qu.* 1.
Can. 49. *cau.* 7. *qu.* 1. *ex integris codicibus ſupplendus.*
Can. 17. *cau.* 13. *qu* 2. *conſonat cum ſententiis S. Auguſtini.*
Can. 21. *cau.* 23. *qu.* 4. *fere conſonat cum integris exemplaribus.*
Can. 16. *cau.* 23. *qu.* 8. *fere conſonat cum integris exemplaribus.*
Can. 42. *cau.* 24. *qu.* 1. *idem propemodum eſt cum can.* 72. *cau.* 1. *qu.* 1.
Can. 60. *de pœn. diſt.* 1. *fere conſonat cum integris exemplaribus.*
Can. 2. *de pœn. diſt.* 4. *ex integris codicibus emendandus.*
Can. 22. *de conſ. diſt.* 1. *conſonat cum aliis Gregorii monumentis.*
Can. 73. *verſ.* hæc ſalutaris *de conſ. diſt.* 2. *partim ex Dialogorum, partim ex Alcuini libris compoſitus.*

Sectio ultima: de ceteris Capitibus Gregorii nomine relatis.

Can. 4. *diſt.* 17. *eſt potius Pelagii I.*
Can. 2. *diſt.* 29. *pertinet potius ad Gregorium VII.*
Can. 2. *diſt.* 33. *referendus ad librum de Eccleſiaſt. dogmat. Auguſtino tributum.*
Can. 3. *diſt.* 40. *conſonat aliis Gregorii monumentis.*
Can. 11. *diſt.* 40. *ad integras Gregorii ſententias exigendus.*
Can. 29. *diſt.* 63. *pertinet potius ad Pontificalem Librum Anaſtaſii.*
Can. 23. *diſt.* 81. *referendus ad Romanam Synodum ſub Zacharia.*

Digitized by Google

Can. 12. *cau.* 1. *qu.* 1. *referendus potius ad Paſchalem II.*
Can. 84. *cau.* 1. *qu.* 1. *ex variis plurium Patrum fragmentis compoſitus.*
Can. 89. *cau.* 1. *qu.* 1. *potius ad Auguſtini ſententias exigendus.*
Can. 11. *cau.* 1. *qu.* 4. *potius pertinet ad Alexandrum II.*
Can. 42. *cau.* 2. *qu.* 7. *potius pertinet ad Gregorium IV.*
Can. 43. *cau.* 2. *qu.* 7. *referendus ad canonem* 44. *cau.* 2. *qu.* 7.
Can. 2. *cau.* 5. *qu.* 6. *referendus ad canonem* 3. *cau.* 5. *qu.* 6.
Can. 20. *cau.* 11. *qu.* 1. *potius Pelagio I. tribuendus.*
Can. 66. *cau.* 11. *qu.* 3. *pertinet potius ad Iſidorum Hiſpalenſem.*
Can. 70. *cau.* 11. *qu.* 3. *ad varias Gregorii ſententias exigendus.*
Can. 78. *cau.* 11. *qu.* 3. *pertinet potius ad Iſidorum Hiſpalenſem.*
Can. 3. *verſ.* ſoror *cau.* 13. *qu.* 2. *ad Gregorii dialogos referendus.*
Can. 3. *cau.* 15. *qu.* 6. *potius pertinere videtur ad Gregorium VII.*
Can. 23. *cau.* 16. *qu.* 1. *apocryphi, atque ad canones Con-*
Can. 24. *cau.* 16. *qu.* 1. *cilii Nemauſenſis exigendi.*
Can. 35. *cau.* 16. *qu.* 7. *pertinet ad Capitularia Francorum.*
Can. 1. *cau.* 23. *qu.* 1. *eſt potius Origenis.*
Can. 7. *cau.* 23. *qu.* 5. *exigendus ad canonem* 3. *cau.* 14. *qu.* 6.
Can. 22. *cau.* 24. *qu.* 3. *exigendus ad canones Concilii Troſlejenſis.*
Can. 15. *cau.* 27. *qu.* 1. *exigendus ad epiſtolam Gregorii ad Marinianum.*
Can. 14. *cau.* 27. *qu.* 2. *perperam tributus Gregorio.*
Can. 2. *cau.* 28. *qu.* 2. *ad Commentaria Ambroſio tributa exigendus.*
Can. 22. *cau.* 32. *qu.* 7. *falſo tributus Gregorio.*
Can. 2. *de pœn. diſt.* 6. *recentiori auctori tribuendus.*
Can. 3. *cau.* 35. *qu.* 5. *recentiori auctori tribuendus.*
Can. 1. *cau.* 35. *qu.* 9. *referendus ad canonem* 12. *cau.* 25. *q.* 2.
Can. 4. *cau.* 35. *qu.* 9. *tribuendus eſt Nicolao I.*
Can. 17. *de conſ. diſt.* 1. *referendus ad epiſtolam Felici IV. tributam.*
Can. 23. *de conſ. diſt.* 1. *falſo tributus Gregorio.*

QUo tempore in pejus ruebant res Italiæ inſtantibus Longobardis prope finem ſexti ſæculi, ſive anno 590. Maximum Pontificatum geſſit Gregorius cognomento Magnus, vir æque illuſtris ſanctitate morum, atque ad res publicas ſumma prudentia, ac vigilantia adminiſtrandas idoneus, longoque uſu inſtructus. Eximiæ pietatis, atque in Deum religionis, ita dixerim, fundamenta jecerat apud Monachos, qui dudum Sancto Benedicto inſtitutore in Occidentalibus Provinciis vitæ optimæ rationem profitebantur: nimirum Gregorius monaſticæ vitæ addictus illam adeo coluit, ut aliis dein auctor extiterit nova monaſteria erigendo, quæ etiam & beneficiis auxit, & gratia ſua munivit. Illinc vero ad graviora negotia vocatus Apocryſarii munere fungi cœpit apud Imperatorem

in

Digitized by Google

in urbe Conſtantinopolitana, ubi ſane quid optimi regiminis, quid Eccleſiaſticæ prudentiæ ratio exigeret ea ætate, diu addiſcere potuit, quamobrem poſt Pelagium II. dignus habitus eſt Pontificatu Maximo, univerſo ſuffragante Romano Populo, ipſo etiam conſentiente Imperatore. Imperium tunc regebat Mauritius, cui deinde ſucceſſit Phocas adhuc vivente Gregorio: Quum tamen in Oriente plurimum laboraret Imperator, ut Perſarum irrumpentium impetus cohiberet, indefenſam propemodum Italiam Barbarorum incurſionibus reliquerat. Eam ob rem nihil Imperatori gratius eſſe potuit, quam ut electus Gregorius eſſet in Romanum Antiſtitem, cui ipſe tamquam ſibi neceſſitudine juncto publica Imperii negotia committeret in Italia, quemadmodum revera, & Imperii incolumitatem, & ſalutem Italiæ univerſæ commiſit, uti conſtat ex epiſtolis Gregorii numero plurimis. Id ſane quodammodo invitum ſe fuiſſe exequutum Gregorius ipſe teſtatur, probe noſcens, quantum ex ſæcularibus totius Imperii Occidentalis curis detrahi poſſet Eccleſiaſticis utilitatibus, quibus tamen ſicuti ipſe non defuit, ita in ceteris ſeſe ſolertiſſimum, optimum æque Principem, ac Pontificem exhibuit, ut & neceſſitati rerum, & populi mœrore confecti deſiderio, & expectationi Mauritii Auguſti abunde ſatisfecerit. Id doluit Sanctus Pontifex in epiſt. ad Theoctiſtam Imperatoris Sororem lib. 1. epiſt. 5. ita ſcribens: *Sub colore Epiſcopatus ad ſæculum ſum reductus. Tantis terræ curis inſervio, quantis me in vita laica nequaquam deſerviſſe reminiſcor.* Et infrà: *Ecce ſereniſſimus dominus Imperator fieri ſimiam leonem juſſit, & quidem pro juſſione illius vocari leo poteſt, fieri autem leo non poteſt. Unde neceſſe eſt, omnes culpas, ac negligentias meas non mihi, ſed ſuæ pietati deputet, qui virtutis miniſterium infirmo commiſit.* Item in epiſt. 25. lib. 1. ad Johannem Conſtantinopolitanum, atque alios majores Orientis Epiſcopos ait: *Suſcepto itaque paſtoralis curæ onere cum cuncta hæc, atque alia hujuſmodi multa conſidero, videor, quod eſſe non poſſum, maxime quia in hoc loco quiſquis paſtor dicitur, curis exterioribus graviter occupatur, ita ut ſæpe incertum fiat, utrum Paſtoris officium, an terreni Proceris agat.* Idipſum conqueritur in homil. 17. in evangelia, ibi: *Eſt & aliud, Fratres chariſſimi, quod me de vita Paſtorum vehementer affligit, ſed ne cui hoc injurioſum videatur fortaſſe, quod aſſero, me quoque pariter accuſo, quamvis barbarici temporis neceſſitate compulſus valde in his jaceo invitus. Ad exteriora enim negotia delapſi ſumus, & aliud ex honore ſuſcipimus, atque aliud ex officio actionis exhibemus.* Neceſſitas itaque publica ea ætate ita redegerat Eccleſiaſtica munera, ut civium incolumitati, Reipublicæ ſaluti Imperatore ipſo enixe rogante opera impenderetur. Quanti enim interfuiſſet hujuſmodi præſidiis uti, ipſemet Gregorius homil. 18., nunc 6. in Ezechielem his verbis deſcribit: *ubique luctus adſpicimus, ubique gemitus audimus, deſtructæ urbes, everſa ſunt caſtra, depopulati agri, in ſolitudinem terra redacta eſt. Nullus in agris incola, pene nullus in urbibus habitator remanſit, & tamen ipſæ parvæ generis humani reliquiæ adhuc quotidie, & ſine ceſſatione feriuntur . . . . Alios in captivitatem duci, alios detruncari, alios interfici videmus . . . . ipſa autem, quæ aliquando mundi domina eſſe videbatur, qualis remanſerit Roma, conſpicimus. Immenſis doloribus multipliciter adtrita deſolatione civium, impreſſione hoſtium, frequentia ruinarum &c.* Facit ad hanc ipſam rem epiſt. 3. lib. 1., epiſt. 49., alias 47. ejuſdem libri, epiſtola ad Conſtantiam Auguſtam lib. 4. num. 34. Hæc ideo paullo fuſius perſequutus ſum, ut facilius ea traderentur, ac perciperentur, quæ infra de ſollicita Gregorii cura obſerva-

buntur, neve fortaſſis mirum alicui videatur, ſi aliquando Gregorium animadverterit res fortaſſe bellicas, publicaque imperii negotia pertractantem, quæ invitus ipſe, & nonniſi publica exigente neceſſitate ſuſcepiſſe profeſſus eſt.

Jam vero antequam Gregorii Magni monumenta recenſeam, in primis dicam, eadem perpetuo in Eccleſia fuiſſe receptiſſima, quemadmodum & ipſe Gratianus maximi fecit, qui innumera propemodum capita ex illius libris excepit. Quamobrem in iis enumerandis hunc ordinem mihi propoſui, ut priorem locum epiſtolis darem, utpote quæ uberiorem Gratiani decreto materiem ſuppeditaverint; deinde ea expenderem, quæ in Conciliis ipſe definiviſſe dicitur, hinc progrederer ad libros Commentariorum in ſacras literas, poſt quos expenderem librum Paſtoralem, ac librum Dialogorum, tandem vero ſubjicerem cetera, quæ Gregorio ipſi per Gratianum tributa fuerunt.

Utque ab epiſtolis Gregorianis exordiar, illæ in libros plures ſunt diſtributæ, quos *Regeſti* nomine adpellant, ſignificatione ſumta a verbo *regerere*, quod ſignificat in codicem referre, eadem ratione, qua hodie, quæ in codices publicos referuntur, corrupto vocabulo *regiſtrari*, ipſoſque codices *regiſtra* dicimus. Sic Gregorius Turonenſis hac voce uſus eſt in lib. 10. hiſtoriæ cap. 19. ibi: *Scripta enim iſta in Regeſto Chilperici Regis in uno ſcriniorum pariter ſunt reperta*. Iſtud autem Gregorii Regeſtum in plures libros diſtributum deſignatur indictionibus unicuique epiſtolæ convenientibus, ita ut ſuus unicuique epiſtolæ annus accommodetur, quamquam tamen viri in eo plurimum verſati maxime ſe elaboraſſe profiteantur propter codicum varietatem, ut illius reſtitutionem curarent. Epiſtolas iſtas reſtituere conatus olim fuerat Petrus Guſſanvillæus, adnotationibus illuſtravit Dadinus Altaferra, recentius perficere opus viſi ſunt Monachi Maurini, quorum adnotationes optimas huc advocare non pigebit, quoties id opportunum fiet in fragmentis Gratiani. In recenſendis Gregorii epiſtolis ego non utar vulgata codicum methodo, neque ſingulas per temporis ordinem percurram. Geographicum potius ordinem mihi ſequendum propoſui, ut perſpicue magis obſervarentur, quæ pro varietate locorum Pontifex optimus præſtituit; neque enim hanc rationem ad germanam canonum interpretationem minus accommodatam cenſeo, ne huc illuc per varias provinciarum diſciplinas, ac conſuetudines ire, redire, uno fere contextu videar, præſertim vero quod multæ diverſis annis in eandem Provinciam, & ad eoſdem, eiſdem etiam de cauſſis ſcriptæ fuerint, quas incongruum ſane eſt pro ſervanda temporum ratione ſejungere. Porro ex his, quæ ſequuntur, primo quiſquam obtutu obſervabit, Gregorium maximam Eccleſiarum ferme omnium ſollicitudinem habuiſſe, & quidem non ſolum ob Pontificis Maximi officium, quod egregie geſſit, ſed etiam quod ea ætate bellorum injuria turbata maxime erat Epiſcoporum non tam inferiorum, quam majorum juriſdictio, ac poteſtas.

Se-

Digitized by Google

Sectio I.

De epiſtolis Italiam univerſam ſpectantibus.

De epiſtolis ad Mauricium, & Vitalianum, & Velocem Magiſtros Militum.

Huc revocanda ſunt, quæ ſuperius generatim de Gregorio præfabar, nimirum eundem in graviſſima periclitantis Reipublicæ neceſſitate curam aliquando geſſiſſe bellicarum rerum, Imperatore hanc Provinciam commendante. Id enim perſpicue demonſtrant epiſtolæ duæ, quarum prior ad Mauricium, & Vitalianum, poſterior ad Velocem Magiſtros militum directa eſt. Fateor quidem, priorem epiſtolam non omnino indubitatæ auctoritatis exiſtere, quum Monachi Maurini obſervaverint, eam non in omnibus codicibus reperiri. Verum decet illa & Gregorianam vigilantiam, qua Suanenſium fidem explorandam monet a Magiſtris militum Imperialium, ne forte contingeret, Romani Imperii hoſtes clanculum a Suanenſibus auxilium obtinere. Nomina Mauririi, & Vitaliani fictitia non ſunt, quum & Mauricium, & Vitalianum Magiſtros militum fuiſſe ex aliis Gregorii epiſtolis conſtet. Integra hæc epiſtola refertur in can. 18. cau. 23. qu. 8., ubi tamen pro illis verbis *cum quo & tractetis* legunt Maurini, *cum quo ut tractaretis*. Pro illis *menſis Junii* legunt *menſis Januarii*; & pro illis *quantum comperi hoſtis multitudinem habet collectam, & in Marchia dicitur reſidere*, legunt: *quantum comperi hoſtem collectum habet, & Narina dicitur reſidere*. Paulli Diaconi codices habent: *& Nardias dicitur reſidere*. Nec ſane alicui videri debet melior Gratiani ſcriptura; etenim ea loquendi formula, quæ uſurpatur *hoſtem collectum habere*, congruit temporibus Gregorii; nam apud Scriptores mediæ ætatis nomen *hoſtis* exercitum ſignificabat, quemadmodum demonſtrat Cangius in Gloſſario, qui & hanc Gregorii ſententiam aliis auctorum ejuſdem temporis teſtimoniis illuſtrat. Præterea ubi Gratianus legit *ſculpas*, nonnulli MSs. codices habent *ſculcas*, & quidem, ut arbitror, rectius; ſculcarum enim fit mentio in legibus Longobardorum tit. 15. §. 6. lib. 1. ibi: *Siquis in exercitu ambulare contemſerit, aut in ſculcam, det Regi, & Duci ſuo ſolidos* 20. De hujus vocabuli ſignificatione non omnes conveniunt. Quidam putant ſculcas eſſe exploratores, qui ſcilicet explorandi hoſtilis exercitus cauſſa a Duce mittuntur. Alii intelligunt vaſſallorum officium, quo Principem ſuum belli cauſſa iter habentem comitari tenentur. Can. 18. cau. 23. qu. 8.

Altera epiſtola, quam ad Velocem etiam Magiſtrum militum ſcriptam dixi, eſt numero tertia lib. 2. recentioris editionis. Illum Gregorius hortatur, ut Ariulphum Longobardorum Ducem inſequatur, quoties ad Romanas, vel Ravennatenſes regiones excurrere meditaretur. Epiſtolæ hujus fragmentum exhibetur in can. 17. cau. 23. qu. 8., ubi pro *Mauricio* legendum eſſe *Mauriolum* manuſcripti codices cum editis recentioribus monent, quemadmodum etiam in principio canonis pro particula *ut*, legendum *&*. Cetera cum optimis exemplaribus conſonant poſt Correctionem Romanam. Gratianus his fragmentis utitur, ut demon- Can. 17. cau. 23. qu. 8.

Digitized by Google

monſtret, Sacerdotum officium eo etiam pertinere, ut hortentur ceteros ad arripienda arma *ad oppreſſorum defenſionem, atque ad inimicorum Dei oppugnationem*, ut ipſe ſcribit poſt canonem 6. eadem cauſſa, & quæſtione. Ceterum adnotare debuiſſet, Gregorium profeſſum fuiſſe, ſe invitum quodammodo ad hæc peragenda fuiſſe compulſum, & quidem Imperatoris mandato, in illis demum temporum adjunctis, in quibus propemodum pereunti Italiæ nullum ſubſidium ſupereſſe videbatur. Imo & ſi animum Gregorii exploremus, is ſane fuit, ut pacis magis, quam belli inſtaurandi, etiam ubi de Longobardis ageretur, ſe auctorem oſtenderet, imo & id conatus eſt, ubi de memorato Ariulpho ſeſe occaſio obtulit; quemadmodum manifeſte liquet ex Gregorii epiſt. ad Severum Scholaſticum Exarchum, olim 29. lib. 4., in recenti editione 36. lib. 5., cui adjungi poſſunt epiſtolæ 2. & 5. lib. 7. olim, nunc vero lib. 9. epiſt. 4. & 6. ad Januarium Calaritanum, item epiſtola ad Euſebium Theſſalonicenſem, quæ olim erat 6. indictionis 2., nunc in lib. 10. epiſt. 42.

SECTIO II.

De epiſtolis directis ad Cives Urbis Romæ.

De epiſt. ad Gratioſum Subdiaconum.

Can. 75. cau. 12. qu. 2. Canon 75. cau. 12. qu. 2. depromtus ex epiſtola ad Gratioſum Romanæ Eccleſiæ Subdiaconum exhibet liberalem Gregorii voluntatem, quam erga monaſteria, & Monachos ſæpe, ac ſæpius oſtenderat. Quippe is fuit Gregorius, qui monaſteria complura paternis ex facultatibus extruxerat, qui in monaſteriis ipſis diu vixerat, qui tandem ubi Summum Pontificatum adeptus eſt, non dubitavit, quædam Romanæ Eccleſiæ prædia erigendo virginum monaſterio concedere. Quæ apud Gratianum leguntur cum optimis epiſtolæ exemplaribus conſonant, niſi quiſpiam adnotanda arbitretur quædam levioris momenti, nam ubi Gratianus legit: *Campana quondam uxor Patritii . . . . monaſterium virginum . . . . & jam ipſa, quam &c.*, legunt Maurini: *Campana quondam Patritia . . . . monaſterium* (omiſſa voce *virginum*) . . *ut tam ipſa, quam &c.*

De epiſt. ad Montanam, & Thomam.

Can. 68. cau. 12. qu. 2. & Can. 15. cau. 25. qu. 1. Quum ſervorum manumiſſio pietatis officia ſpectet, Gregorius pientiſſimus Antiſtes duos ex Romanæ Eccleſiæ ſervis manumittere non dubitavit, Montanam nomine, & Thomam, ad quos epiſtolam dedit, quæ in vetere editione eſt numero 12. lib. 5. Illorum manumittendorum ſingulares etiam erant cauſſæ: nam Montana monaſticam amplecti vitam optabat, quod deſiderium apud Gregorium rerum monaſticarum maxime ſtudioſum probatiſſimum erat; Thomam vero Gregorius idem ſuſcipiendo Notarii Eccleſiaſtici muneri deſtinaverat. Hinc non ſolum libertate utrumque donavit, ſed etiam peculio. Ex hac epiſtola depromti ſunt canon

canon 68. cau. 12. qu. 2., & canon 15. cau. 25. qu. 1., quos jungere hoc modo oportebit. *Cum Redemtor noſter* (is eſt canon 68.) *totius conditor creaturæ* . . . *quo tenebamur captivi* (Monachi Maurini legunt: *quo tenebamur capti*) . . . . *relaxamus ſervitutis peculium*. Poſt hæc ſubdit Gregorius ſe Montanæ concedere duas uncias hæreditatis olim a Gaudioſo Presbytero quæſitæ, quod ipſa monaſterium ingredi cuperet, ita tamen ut ea portio hæreditatis monaſterio proficeret, item ſe concedere Thomæ quinque uncias ejuſdem hæreditatis a Gaudioſo ſuſceptæ, quem etiam Notarium Eccleſiæ Romanæ adſcripſit, dummodo tamen eadem bona reverterentur ad Romanam Eccleſiam, ſi idem Thomas ſine liberis deceſſiſſet. Hinc ita proſequitur: *Hæc igitur, quæ per hujus manumiſſionis chartulam ſtatuimus, atque conceſſimus, nos, ſucceſſoreſque noſtros ſine aliqua ſcitote refragatione ſervare. Nam juſtitiæ, & rationis ordo ſuadet* (hic eſt canon 15.) , *ut qui ſua a ſucceſſoribus deſiderat mandata ſervari, deceſſoris procul dubio voluntatem, & ſtatuta cuſtodiat. Hanc autem manumiſſionis paginam, &c.* quæ habentur in fine memorati canonis 68. Num vero Gratianeo propoſito conſonet memoratus can. 15., facile hinc unuſquiſque judicabit; etenim Gratianus ex eo conatur demonſtrare, decreta ſacrorum canonum ſemel conſtituta a Pontificibus Maximis eſſe ſervanda; at vero Gregorius ibidem non de canonum decretis ſermonem inſtituerat, ſed de ſervis a ſe manumiſſis.

De epiſt. ad Theodorum Conſiliarium.

Qui ſuperioris epiſtolæ ad Montanam, & Thomam, idem fere eſt tenor epi- *Can.67.*
ſtolæ ad Theodorum Conſiliarium, quæ eſt 18. lib. 2. indict. 11. Conſtituerat *cau. 12.*
Gregorius, remuneratione quadam gratam exhibere voluntatem erga Theodorum, *qu. 2.*
cujus conſiliis utebatur in Eccleſiæ utilitatem; ac propterea, cum ſervorum miniſterio deſtitueretur, Gregorius illi Acoſimum quendam Romanæ Eccleſiæ ſervum donavit, cujus donationis perpetuum eſſe voluit, ac firmum in hac epiſtola monumentum. Hujus epiſtolæ fragmentum emendatum, atque ad integros codices exactum habemus in can. 67. cau. 12. qu. 2.

De epiſt. ad Quertinum Expræfectum.

Epiſtola, quæ ad Quertinum Expræfectum ſcripta fertur, non omnino indu- *Can. 8.*
biæ auctoritatis eſt. Neminem enim non in dubium vocare poteſt Maurino- *diſt. 88.*
rum teſtimonium, qui illam vix in paucis MSs. codicibus ſe reperiſſe profitentur. Movet præterea epiſtolæ ipſius argumentum, quod non ſatis convenire Gregorio videtur. Agitur in ea de Quertino viro illuſtri Expræfecto, qui Gregorio commendaverat Bonitum quendam religioſum virum, ut facilius præfecturam obtineret. Hæ ſane ſollicitudines a Gregorii animo alienæ videntur: etſi enim ille ſæcularibus aliquando ſeſe curis immiſcuit, non tamen niſi ſuadente graviſſima neceſſitate id præſtitit, & precibus Imperatoris quoquo modo compulſus, quemadmodum ſuperius oſtendebam. Ex hac epiſtola, quæ eſt 30. in lib. 10. in vulgari editione, qualiſcumque tandem ſit ejus auctoritas, depromtus eſt canon 8. diſt.

Digitized by Google

diſt. 88., quem Gratianus, ut ſuo propoſito accommodaret, ita recidit, ut Gregorii ſententia vix percipiatur. Sanctus Pontifex ajebat, non expedire Bonito, ut Præfecturæ munere fungeretur, quod tunc temporis adferre poſſet *amaritudines, & tribulationes*. Addit: *quia inutile, & valde laborioſum eſt, hominem literatum ratiociniorum cauſſas aſſumere, & in eis ſe, quod non expedit, obligare*. Verba hæc Bonitum laicum virum, & bonis artibus inſtructum ſpectantia Gratianus ad Clericos transduxit, ut exinde demonſtraret ex ſententia Gregorii, Clericos ratiociniorum cauſſas non debere ſuſcipere, ſed a quibuſcumque ſæculi curis abſtinere.

De epiſt. ad Cives Romanos.

Can. 12. de conſ. diſt. 3. Ad Romanos Cives generaliter ſcripta eſt epiſtola in Maurina editione n. 1. lib. 13., in vulgari vero num. 3. lib. 11., cujus ſententiam integram, licet nonnullis omiſſis verbis, retulit Gratianus in can. 12. de conſ. diſt. 3. Illud unum obſervandum eſt, Guſſanvillæum, qui univerſas Gregorii epiſtolas adnotationibus exornavit, rejicere verba illa, velut adulterina: *Si pro luxu animi, atque voluptatis*; contra quam ſentiant Maurini accuratiſſimi, ſolerteſque operum Gregorianorum reſtauratores.

Sectio III.

De epiſtolis ad Ravennates.

De epiſt. ad Caſtorium Notarium.

Can. 8. cau. 2. qu. 5. Turbaverat vehementer Gregorii animum cauſſa Maximi Epiſcopi Salonitani. Is videlicet de Simoniaca hæreſi accuſatus, imo etiam convictus, excommunicationis vinculo innodatus fuerat, quod contemnens Miſſarum ſolemnia celebrare non dubitavit. Hujus cauſſæ diſcuſſio mandata fuiſſe videtur Caſtorio in Ravennatenſi Civitate Notario, præcipue vero Mariniano Epiſcopo Ravennati, quemadmodum conſtat ex epiſtolis Gregorii ad eos miſſis. Erat Caſtorius urbis Romæ Notarius Eccleſiaſticus Ravennam profectus, ut arbitror, Gregorii mandata ibidem exequuturus, arg. canonis 7. diſt. 100., cujus propterea fidem, atque integritatem cum Gregorius ſatis probatam haberet, facile intelligimus, quare eum ſelegerit una cum Mariniano de Maximi cauſſa judicaturum. Itaque Caſtorius mandatum ſuſcepit ſub ea formula, ut, ſi Maximus ſeſe de more purgaſſet per jusjurandum, illum in Eccleſiaſticam communionem Pontificia auctoritate reciperet, indicta tantummodo pœnitentia, cauſſa obedientiæ, dum ſpreta excommunicationis latæ ſententia Miſſarum ſolemnia celebrare auſus fuerit. Atque huc pertinet canon 8. cau. 2. qu. 5. qui omnino conſonat cum epiſt. 80. in vulgari editione lib. 7. Hac vero in re obſervandum eſt, conſuetudinem fuiſſe tempore Gregorii, ut qui de aliquo crimine accuſaretur, inficiatus ſe ſolemni jurejurando ante Martyrum

Digitized by Google

tyrum ſepulcra purgaret, quemadmodum inferius etiam animadvertendum erit ad can. 9. cau. 2. qu. 5., & liquido conſtat ex memorato canone 8. Sed de hac Maximi Salonitani cauſſa uberius infra ſermo recurret, ubi agetur de epiſtolis ad Marinianum Ravennatem Epiſcopum pag. 29.

De epiſtolis ad Johannem Epiſcopum Ravennatem.

Plures epiſtolæ ſunt, quæ a Gregorio ſcriptæ feruntur ad Johannem Epiſcopum Ravennatem. Gratianus in can. 1. diſt. 68. memorat unam, quæ eſt in vulgari editione 32. lib. 2. Interrogaverat Johannes Gregorium de pluribus Eccleſiaſticæ diſciplinæ capitibus. Inter cetera & interrogationem palam facit, & reſcribit Sanctus Pontifex. *Illud autem quod dicitis, ut is, qui ordinatus eſt, iterum ordinetur, valde ridiculum eſt, & ab ingenii veſtri conſideratione extraneum, niſi forte quod exemplum ad medium deducitur, de quo & ille judicandus eſt, qui tale aliquid feciſſe perhibetur. Abſit autem a fraternitate veſtra ſic ſapere &c.*, quæ leguntur in memorato canone 1., ubi pro illis verbis *non debet conſecrari*, legunt Maurini: *non valet conſecrari*. Species igitur erat de ordinatis Clericis, qui cum crimen aliquod contraxiſſent, poſtulabant, an rurſus ſacris ordinibus eſſent initiandi. Ait Gregorius id ridiculum videri; ut enim ſemel baptizatus rebaptizari non debet, ita nec ſemel ordinatus reordinari. At ſiquis levem culpam admiſiſſet, pœnitentia expiatus, in eo, in quo ſuſceptus eſt, ordine miniſtrabit. Hujus reſcripti ſententia meo judicio non ſatis perſpicua eſt, ut non aliqua indigeat interpretatione. *Ridiculam* eam quæſtionem Gregorius adpellat, quando tamen non eſt adeo certum tam apud veteres Patres, quam apud recentiores ſcriptores, num qui gravis criminis reus exiſtit, ac propterea ex canonum diſciplina a ſuſcipiendis ordinibus arcetur, ſi fortaſſe culpa Epiſcopi cujuſpiam ordinetur, valeat ordinatio. In Concilio Conſtantipolitano I. can. 4. irrita habita fuiſſe videtur ordinatio Maximi Cynici, quod ad Epiſcopatum per Simoniam provectus fuiſſet. Conſtantinus in Concilio Romano duodecim Epiſcoporum depoſitus legitur, quod ſtatuta ordinum interſtitia non ſervaſſet, cautumque de Epiſcopis ab ipſo ordinatis, ut rurſus ordinarentur. Videatur Morinus de Sacris Ordinationibus parte 3. exercit. 5. Ad hanc rem notare juvabit verba illa, quæ etiam leguntur in can. 1. diſt. 68. *cum levi culpa*. Videlicet Johannes ita generaliter poſtulavit de jure, ut quæreret, an pro qualibet etiam levi culpa unuſquiſque ordinatus denuo ordinari deberet. Hæc ſane quæſtio ridicula viſa eſt Gregorio, qui pro admiſſi qualitate expiatum Clericum reſcripſit in ſuſcepto ſemel ordine permanſurum. At de gravis criminis reo, nihil tale Gregorius reſpondit: ſciebat enim eum ita repellendum eſſe, ut perpetuo a ſacris officiis amoveretur, fruſtra autem quæri, an, ſi admittendus eſſet ad Eccleſiaſtica officia, ordinari rurſus deberet; quæ ſane quæſtio in conſpectu ſacrorum plurium monumentorum, ridicula adpellari neutiquam potuiſſet. Gratianus hoc fragmento abuſus eſt; etenim de illis Clericis intellexit, qui ordinati fuerint ab eo, quem non conſtat Epiſcopum eſſe.

Can. 1. diſt. 68.

Alia eſt epiſtola Gregorii ad Johannem Ravennatem in vulgari editione 54. lib. 2. indict. 11., in Maurina vero 56. lib. 11., ex qua depromti ſunt canon 22. diſt. 93., & canones 7. & 8. diſt. 100. Ibi Gregorius Johannem objurgat,

Can. 22. diſt. 93. Can. 7. & 8. diſt. 100.

gat, quod pallio tantum uteretur poſt Miſſarum ſolemnia, completaque Eccleſiaſtica officia, ſive, ut in eadem epiſtola dicitur, *poſt dimiſſos de ſecretario filios Eccleſiæ.* (Secretarium erat Diaconicon, ſive locus veſtibus ſacris deſtinatus, uti apud Dionyſium Exiguum in can. 21. Synodi Laodicenæ, Concilium Agathenſe can. 66., Bedam hiſtor. Anglorum cap. 1. lib. 2.). Priora ejuſdem epiſtolæ verba eadem ſunt cum verbis canonis 7. diſt. 100., & quidem poſt Romanam Correctionem optime conſonant. Poſt hæc ſubſequuntur in epiſtola verba canonis 8. ſubſequentis uſque ad illa *injuſta correptio*. In editione Maurina pro illis verbis in parentheſi poſitis *quod a vobis abſit*, legitur, *quod a nobis abſit*. Hinc Gratianus nonnulla omiſit, quæ modo ſupplere juvabit. *Mota autem nimis eſt veſtra fraternitas, atque cum tumore cordis quaſi ſatisfaciens ſcripſit nobis, pallio te nonniſi poſt dimiſſos de Secretario filios Eccleſiæ, & Miſſarum tempore, atque in litaniis uti ſolemnibus, verbis aliquid te uſurpaſſe contra generalis Eccleſiæ conſuetudinem apertiſſima veritate profeſſus. Quomodo enim fieri poteſt, ut illud cineris, atque cilicii tempore per plateas inter populorum ſtrepitus agas licite, quod te agere in conventu pauperum nobilium, & in Secretario Eccleſiæ velut illicitum excuſaſti? Illud tamen, Frater chariſſime, tibi non putavimus ignotum &c.* hæc exhibet Gratianus in dicto canone 8., ubi tamen pro illis verbis: *Præceptumve a prioribus Romanæ urbis Pontificibus, quod hæc &c.* legunt Maurini: *Præceptum a prioribus Romanæ urbis Pontificibus, quo hæc &c.*, nec non illis verbis: *Quod ſi poſtremo nihil horum eſt, aliis Metropolitanis hujus te præbere &c.* legunt iidem: *Vel ſi poſtremo nihil horum eſt aliis Metropolitis hujuſmodi te præbere &c.* In fine ejuſdem epiſtolæ leguntur verba canonis 22. diſt. 93., ubi tamen nonnulla deſiderantur in fine, ut integra Gregorii ſententia percipiatur. Nimirum poſt illa verba, *ſola ſubreptione præſumitur*, ita legitur in epiſtola. *Sed nos ſervantes honorem fraternitatis tuæ, licet contra voluntatem antedicti Cleri noſtri, tamen primis Diaconibus veſtris, quos vobis quidem teſtificati ſunt, & ante eis uſos fuiſſe, in obſequio dumtaxat tuo mappulis uti permittimus; alio autem tempore, vel alias perſonas hoc agere vehementiſſime prohibemus.* Mappulæ, de quibus hic mentio fit, erant Sudarioli quidam, quos Clerici ſacris veſtibus induti, præſertim dum ſacræ prædicationis munus obibant, ſiniſtra manu tenebant ad tergendam frontem paratos, in quorum locum ſucceſſerunt circa ſæculum 11. recentiores manipuli, quos modo in ſacrarum veſtium numero recenſemus, uti animadvertit Cardinalis Bona lib. 1. Rerum Liturgicarum cap. 24. §. 5.

Can. 2. cau. 16. qu. 1. & Can. 26. cau. 18. qu. 2.

Alia itidem eſt epiſtola Gregorii ad Johannem num. 1. in lib. 4., in qua Sanctus Pontifex totus eſt, ut doceat neminem ex Clericis Eccleſiaſticis miniſteriis addictum, eſſe ad monaſteria, ut Monachis præſit, transferendum. Integram epiſtolam duobus ſeparatis capitibus deſcripſit Gratianus, quam hoc in loco exhibebo. *Pervenit ad me* (hic eſt canon 26. cau. 18. qu. 2.) *quod in Eccleſia fraternitatis tuæ aliqua loca dudum Monaſteriis conſecrata, nunc habitacula Clericorum, aut etiam Laicorum facta ſunt; dumque hi, qui ſunt in Eccleſiis, fingunt ſe religioſe vivere, Monaſteriis præponi appetunt, & per eorum vitam Monaſteria deſtruuntur. Nemo etenim poteſt, & Eccleſiaſticis obſequiis deſervire* (quæ ſequuntur Gratianus omittit in canone 26., ſed recitat in canone 2. cau. 16. qu. 1.) *& in monachica regula ordinate perſiſtere, ut ipſe Monaſterii diſtrictionem teneat, qui quotidie in miniſterio Eccleſiaſtico*

ſiaſtico cogitur permanere. Proinde fraternitas tua (hæc omittuntur in dicto can. 2., ſed habentur in fine dicti canonis 26.) *hoc quolibet in loco factum ſit, emendare feſtinet, quia ego nullo modo patiar, ut loca ſacra per Clericorum ambitum deſtruantur. Vos itaque ita agite, ut mihi hac de re correctam cauſſam ſub celeritate nuncietis.*

Duo adhuc ſuperſunt Gratiani fragmenta, quæ ex epiſtola Gregorii ad Johannem Ravennatem laudantur, videlicet canon 1. & 2. cau. 33. qu. 1., neuter *Can. 1.* tamen aut in epiſtolis ad Johannem, aut in ceteris Gregorii monumentis legitur. *cau. 33. qu. 1.* Quod ſpectat canonem 1., is ab eodem Gratiano laudatur ex epiſtola Gregorii ad Venerium Epiſcopum Calaritanum in can. 29. cau. 27. qu. 2., ut proinde Gratiani auctoritas in hac re, ſicut in aliis numero plurimis parum valeat. Video potius hunc canonem pertinere ad Rhabanum in epiſt. ad Heribaldum cap. 29., ubi hæc leguntur. *Quod autem interrogaſti de his, qui matrimonio conjuncti ſunt, & nubere non poſſunt, ſi ille aliam, vel illa alium ducere poſſit, non cum auctoritate, ſed de quorundam ſtatutis reſpondemus, in quibus ſcriptum eſt: Vir, & mulier ſi ſe conjunxerint matrimonio, & poſtea dixerit mulier de viro, quod non poſſit ei nubere, ſi poteſt probare per juſtum judicium, quod verum ſit, accipiat alium.* Rhabanus in primis profeſſus eſt, ſe *non cum auctoritate* reſpondere, quatenus in eccleſiaſticis canonibus generalibus nihil tale conſtitutum fuerat; verum juxta *quorundam ſtatuta* reſcribit, quorum ſane nomine intelligit Capitularia Francorum, in quibus ita legitur in lib. 6. cap. 55. *Si vir, & mulier conjunxerint ſe in matrimonium, & poſtea dixerit mulier de viro non poſſe illum nubere cum ea, ſi ea poterit probare, quod verum ſit, accipiat alium.* Idipſum habetur in cap. 91., & in Capitulis Iſaac Lingonenſis tit. 11. cap. 13. Primus Burchardus Gregorii Magni nomine eadem retulit, quod, uti alias ſæpe animadverti, a Capitularibus Francorum nominandis ſibi propoſuerat abſtinendum. Burchardum ſequutus eſt Ivo, Ivonem Gratianus. Obſervandum etiam eſt, poſtrema illa Gratiani verba, *ſi autem ille aliam acceperit, ſeparentur*, legi quidem apud recentiores Collectores, non vero aut in Capitularium capitibus memoratis; aut apud Rhabanum.

Quod etiam ex epiſtola Gregorii laudetur canon 2. cau. 33. qu. 1., Burchardo debemus, qui cum præcedentem canonem 1. numero 40. libri ſui 9. Gregorii nomine retuliſſet, canonem hunc 2. in cap. 43. ejuſdem libri 9. eodem nomine de- *Can. 2.* ſcripſit. Nota nobis eſt Burchardi fides; ipſe enim ſi Capitularium fragmenta alie- *cau. 33. qu. 1.* nis nominibus inſignivit, & Gregorio tribuit, quod referebat in capite 40., quid ni eadem ratione tribuiſſe credendus eſt Gregorio caput 43.? Excidit, fateor, quemadmodum alia numero plura exciderunt, hujuſmodi Capitulare, tantum ſub nomine Gregorii Burchardo auctore ſuperfuit in recentioribus collectionibus Ivonis, Gratiani, & Gregorii IX. in cap. 5. de frigidis, & maleficiatis. Sane ſtylus ipſe, quo fragmentum illud deſcribitur, Capitularibus Francicis apprime conſonat, in eo præſertim, ubi ſeptima manu jusjurandum fieri dicitur; etenim conjuratores, qui etiam dicti ſunt Sacramentales, aut Conſacramentales paſſim in legibus Salicis, Bajuvariis, aliiſque mediæ ætatis Conſtitutionibus memorantur. Jusjurandum inſuper tactis Sanctorum reliquiis apud Francos ſolemne erat, uti in Capitularibus Dagoberti anni 650. ſub titulo legis Alamannorum tit. 5., & in Capitulari, cui interfuit Bonifacius Sedis Apoſtolicæ Legatus circa annum 744. cap. 14., ibi; *Omne Sacramentum in Eccleſia, & ſuper Reliquias a laicis juretur.* Cum igitur memoratus canon nec inter Gregorii epiſtolas habeatur, nec Gregorio conveniat, conveniat autem Capitularibus Francorum;

eorum; alias Burchardus nomine Gregorii abuſus fuerit in recenſendis Capitularium fragmentis; ego ſane non dubito, quin illud caput recte Francorum Capitularibus tribui debeat.

De epiſtolis ad Johannem Subdiaconum.

Can. 10. *diſt.* 63. Non ſemel legatione Pontificis Maximi functus eſt Johannes Subdiaconus, præſertim in Eccleſia Ravennate, ac Mediolanenſi, quemadmodum conſtat ex duabus Gregorii epiſtolis, quarum una eſt 30. lib. 3., altera 17. lib. 13. in Maurina editione. Ex illa depromtus eſt canon 10. diſt. 63., pertinetque ad cauſſam eligendi Mediolanenſis Epiſcopi in vicem defuncti Laurentii, quo tempore Mediolani vices Pontificis Maximi gerebat Johannes. Verba canonis cum integra epiſtola conſonant, in qua tamen Maurini Monachi omiſerunt illa verba *& auxiliante*. Ex hac epiſtola conſtat facile, Mediolanenſem Antiſtitem conſueviſſe de more quidem a Clero eligi, electioni autem conſueviſſe formam dare, eandemque ſemel perfectam confirmare Romanum Antiſtitem, quemadmodum poſtrema hujus canonis verba perſpicue demonſtrant. Imo & id clarius liquet ex epiſtola Pelagii, ex qua habemus canonem 33. cau. 24. qu. 1., ubi conqueritur Pontifex de Aquilejenſi Epiſcopo, quod Mediolanenſem Epiſcopum ſchiſmaticus ordinaſſet, quum tamen Mediolanenſis Epiſcopus ad ordinationem Romani Antiſtitis ſpectaret, & tum demum permiſſum eſt Mediolanenſem ab Aquilejenſi ordinari, aut Aquilejenſem a Mediolanenſi Epiſcopo, cum *pro longinquitate, vel difficultate itineris ab Apoſtolico onerosum illis fuerat ordinari.*

Can. 3. *cau.* 16. *qu.* 5. Ex altera epiſtola habemus canonem 3. cau. 16. qu. 5., quoniam vero nonnulla apud Gratianum ibidem deſunt, non gravabor integram epiſtolam hic deſcribere. *Lator præſentium Johannes frater, & Coepiſcopus noſter aliqua nobis de cauſſis Eccleſiæ ſuæ dato Capitulari noſcitur intimaſſe. Quibus cognitis culpanda a nobis experientia tua fuerat, ſi ad te perlata hactenus indefinita remanſerint. Sed inquirentes agnovimus, quod ad notitiam tuam minime ſunt perducta. Ipſum ergo, quod nobis Capitulare porrectum eſt, his fecimus ſubter adnecti. Agnitis itaque omnibus, ac diſcuſſis, ſi ita apud ſe eſſe, ut ſuggeſtum eſt, manifeſta veritate patuerint, Fratrem, & Coepiſcopum noſtrum Marinianum adire te volumus, eumque modis omnibus adhortari, ut his, quorum in peragendis negotiis Eccleſiæ ipſius intereſſe dignoſcitur, debeat deputare, quatenus perperſis omnibus cum prædicto viro, de his, quæ mota* (legunt alii *nota*) *fuerint, eccleſiaſtica inter ſe debeant tranquillitate decidere. Si vero elegerint renitendum, experientia tua immineat eſſe judicium, & quidquid cognitorum inter eos fuerit ſententia definitum, te debeat exequente compleri, ne diutinis protractionibus dilata paupertas Eccleſiæ ipſius diverſis, ſicut jam factum aſſerit, diſpendiis ingravetur. Indicavit etiam nobis, quod quidam Exuperantius Epiſcopus auſu temerario in Diœceſi ipſius oratorium conſtruxerit, idque ſine præcepti auctoritate contra morem præſumſerit dedicare, Miſſaſque illic publicas celebrare non metuit. Quam rem cum ſumma te celeritate, ac diſtrictione convenit emendare, ne ulterius tale aliquid adtentare permittas. Oratorium vero, quod ab incompetenti perſona repereris eſſe conſtructum, huic cum proprio te volumus Epiſcopo, ſi res, ut dictum eſt, ita ſe habere conſtiterit, ſine mora aliqua reformare.* Ex his ita deſcriptis adparet, in Ravennatenſi Provincia Johannem Subdiaconum mandata ſuſcepiſſe Apoſtolica, quibus in iis cauſſis, quæ emergebant, Marinianum Ravennatenſem Epiſcopum adiret, moniturus, ut ſingula dirimeret pro æquitate; quod ſi executioni non fuerit deman-

Digitized by Google

mandatum, ipſe Johannes Cognitoribus præſtitutis, quidquid definitum eſſet, exequeretur. Quæ porro ſubjiciuntur de Epiſcopo, qui in aliena Diœceſi oratorium conſtruxerat, ac dedicaverat *ſine præcepti auctoritate, & contra morem*, referuntur plane ad præcepta Gelaſii, de quibus in can. 4., & ſequ. de conſecr. diſt. 1., quibus explicandis & hoc Gregorii monumentum congruere poteſt.

De epiſtolis ad Marinianum Epiſcopum Ravennatem.

Jam ſuperius memoravi Marinianum Ravennatem Epiſcopum Johannis ſucceſſorem, ad quem plurimæ habentur apud Gregorium epiſtolæ. Quam primum memorat Gratianus, eſt in lib. 7. num. 18. in vulgari editione, & lib. 8. num. 15. in Maurina, cujus fragmentum eſt in can. 1. diſt. 58. Vulgo receptum eſt, hinc originem ſumſiſſe exemtiones, & privilegia Monachorum. Sane, quod in canone 1. legitur, nonnihil diminuiſſe videtur liberæ Epiſcoporum auctoritatis in Monachos, cum Gregorius indulſerit Abbatibus, ne ipſis non offerentibus ad clericales gradus Monachi Epiſcopali auctoritate diſtraherentur. Verba canonis ita legenda ſunt: *Ad eccleſiaſticum tamen officium nullus exinde producatur, niſi quem Abbas loci admonitus propria voluntate obtulerit*; quæ quidem intelligere oportet non de Monachis ideo ordinandis, ut in monaſterio munera clericorum implerent, ſed ut ad ordinem eccleſiaſticum exercendum extra monaſteria traherentur. Siquidem ea ætate nondum obtinuerat, ut Monachi intra clauſtra eccleſiaſticis officiis fungerentur, ſed ſibi tantum, vitæ privatæ, quieti, atque orationi ſtudebant. Hanc eſſe germanam Gregorii ſententiam, apertiſſime demonſtrant hæc verba, quæ in epiſtola ipſa ſubſequuntur: *Quiſquis autem ex prædicto monaſterio ad eccleſiaſticum ordinem pervenerit, ulterius illic nec aliquam poteſtatem, nec licentiam habeat habitandi*. Verum, num hæc Monachorum exemtio in certa juriſdictionis ſpecie conſtiterit, an generalis fuerit, quæ ſcilicet omnia monaſteria ſpectaret, maxime dubito, imo reor, potius ſingularem fuiſſe favore Monaſterii Beatorum Johannis, & Stephani in Claſſitana Civitate conſtituti, de quo uno ſicut hæc epiſtola concepta eſt, ita veroſimile eſt Gregorium cogitaſſe; nec adeo facile, ubi de privilegiis agitur, licet interpreti latiorem, quam verba ferant, ſignificationem adfingere. Ejus privilegii occaſio ſingularis etiam fuit: nimirum Epiſcopus, cujus juriſdictioni illud monaſterium ſuberat, prætextu ſacrarum ordinationum, ſive clericorum e monaſterio adſumendorum, Monachorum quietem ſæpiſſime turbaverat, quemadmodum deducitur ex can. 5. cau. 12. qu. 2., cujus plura verba ad hanc epiſtolam pertinent, ibi: *Quam ſit neceſſarium monaſteriorum quieti proſpicere, & de eorum perpetua ſecuritate tractare, anteactum vos officium, quod in regimine monaſterii exhibuiſtis, informat. Et ideo, quia monaſtarium Beatorum Johannis, & Stephani, quod in Claſſitana eſt Civitate conſtitutum, cui communis filius Claudius Abbas præeſſe dignoſcitur, multa a prædeceſſoribus veſtris præjudicia, atque gravamina pertuliſſe cognovimus &c.* Id etiam clarius deducitur ex can. 28. cau. 18. qu. 2., qui ad eandem epiſtolam pertinet. Illum Gratianus, quaſi generalem diſciplinam contineret, expreſſit; oportebit propterea ita reſtituere ex integris epiſtolæ exemplaribus. *Oportet, ut hoc ſanctitas veſtra decenter debeat temperare, ut viſitandi, exhortandique gratia ad monaſterium, quoties placuerit, ab ejuſdem civitatis Antiſtite accedatur, ſed ſic charitatis officium illic Epiſcopus impleat, ut gra-*

Can. 1. diſt. 58.

Can. 28. cau. 18. qu. 2.

Digitized by Google

gravamen aliquod monaſterium non incurrat. Quæ omnia ut ad ſua principia revocentur, animadvertendum eſt, olim Monachos tamquam laicos vitam traduxiſſe; & nullo ſpeciali jure gaviſos fuiſſe in Eccleſia. Primum in Concilio Chalcedonenſi conſtitutum novimus, ut Monachi ſub ſpeciali Epiſcopi regimine ſubderentur, ac tum, licet nondum pro clericis haberentur, tamen viſi ſunt ſingulari jure laicis eſſe majores in Eccleſia, uti liquet ex can. 4. ejuſdem Concilii. Aucta eſt Monachorum conditio ex eo, quod frequentius e monaſteriis ſeligebantur, qui adſumerentur in Clerum. Quoniam vero nonnullorum Epiſcoporum ambitu, vel avaritia aliquando factum eſt, ut juriſdictionem ſuam impenſius exercendo monaſteriorum bona diriperent, Monachorum in oratione conſiſtentium quietem turbarent, vel ſibi vindicarent certam lucri ſpeciem in monaſteriis viſitandis, in chriſmate quotannis renovando, in eligendis Abbatibus, in dedicandis monaſteriorum Eccleſiis; vel canonicam portionem poſtularent ſibi addici, quoties certa bona monaſteriis offerebantur, quaſi eccleſiaſtica, arg. can. 27. cau. 12. qu. 2., vel frequentius Sacra publica cum maxima celebritate in monaſteriis celebrarent, hæc omnia in cauſſa fuerunt, cur Gregorius Magnus in illis monaſteriis, in quibus hæc ita ſeſe habere contingeret, ſingularem obtinere decreverit diſciplinam, atque Epiſcoporum juriſdictionem illorum reſpectu paulliſper imminuerit.

Can.27. cau. 18. qu. 2. & Can.37. cau. 16. qu. 1. Opportunum erit his omnibus jungere canonem 27. cau. 18. qu. 2., licet habeatur in alia epiſtola ad eundem Marinianum, quæ in vulgari editione eſt 40. lib. 6., in Maurina vero eſt 43. lib. 7. Integra fere epiſtola in eo canone legitur, dummodo cum eo jungatur canon 37. cau. 16. qu. 1., qui ad eandem pertinet, in quibus etiam nonnihil adnotandum eſt, quoad ſcripturæ varietatem. *Dudum ad nos multorum* (hic eſt canon 27.) *relatione pervenerat .... niſi orandi tantummodo cauſſa .... myſteria. Sed ne vel pro cujuslibet Monachi, aut Abbatis promotione* (quæ hic omittit, Gratianus retulerat in dicto canone 37.) .... *ut diximus, poteſtatem. Ne monaſteria hujus occaſionis velamine ea, quæ prohibemus, ſuſtinere onera compellantur. Hæc itaque omnia &c.*, quemadmodum legitur in fine dicti canonis 27. Ex hac porro integra ſententia patet, monaſteria Ravennatenſis Diœceſeos clericorum avaritia, aut ambitu nonnihil gravaminis pertuliſſe, quod in cauſſa fuit, ut Gregorius aliqua decerneret ad eorundem incolumitatem.

Can.31. cau. 12. qu. 5. Præterea opportunum erit his omnibus jungere epiſtolam in vulgari editione 1. lib. 5., & in Maurina 1. lib. 6., ex qua depromtus eſt canon 3. cau. 12. qu. 5. Ejus epiſtolæ hoc eſt argumentum. Johannes Ravennas Epiſcopus Mariniani prædeceſſor, dum viveret, Monaſterium quoddam conſtrui juſſerat juxta Eccleſiam S. Apollinaris, atque quædam bona Eccleſiaſtica eidem contulerat annuente Gregorio Magno, penes quem perſuaſum erat Monaſteriorum erectiones piis cauſſis adcenſeri. Erat enim Gregorius Monachorum Patronus, ut ſuperius obſervatum eſt; ac propterea inter cauſſas, quibus erogarentur Eccleſiaſtica bona, & hæc liberalitatis in Monaſteria optima illi videri poterat. Poſt hæc Johannes idem teſtamentum condidit moriturus, eoſque heredes inſtituit, qui hereditatem inde adire recuſarunt. In eodem teſtamento confirmavit, quæ primum Monaſterio inter vivos donaverat. De ea teſtamenti ſpecie queſtus eſt Marinianus, novum eſſe allegans, Epiſcopos teſtamenta condere, alioſque præter Eccleſias ſuas ſucceſſores optare. Reſpondit Gregorius, diſcrimen intercedere inter bona intuitu Eccleſiæ quæſita, & bona familiaria, ut de his, non de illis teſtamentum ſubſiſteret: imo

vero

vero illud ratum haberi debere, quod favore Monaſterii, velut in piam cauſſam diſpoſitum fuerat; præſertim quod eam diſpoſitionem jam pridem Gregorius ipſe probaverat. Hinc Gregorius Marinianum velut minus liberalem non tam in hoc, quam aliis in locis fuiſſe teſtatur, quemadmodum inter cetera liquet ex can. 6. diſt. 86. Canonis 3. verba ita ex integris exemplaribus legenda ſunt. *Quia vero dum viveret* (ſubaudiendus Johannes Mariniani prædeceſſor) *ſæpius a nobis expetiit, ... neceſſario prævidimus adhortandam .... Hæc itaque omnia ſic ſollicite &c.* uſque in finem. Obſervandum eſt etiam in illis verbis: *Et collatarum illic rerum,* aliquos Codices ex editis ita habere: *Et collectarum illic rerum*, quamquam Maurini Monachi obſervaverint in omnibus MSS. Codicibus legi *collatarum*, quæ lectio videtur integro contextui accommodatior. Non eſt hoc loco prætermittenda ſubtilis quidem, ſed elegans obſervatio, quam ego opportunam, atque utilem arbitror in ſpecie teſtamentorum a Clericis conditorum, in quibus variam juxta varia tempora, & loca diſciplinam agnovi. Non loquor ſane de teſtamentis Clericorum in cauſſa familiaris peculii, de quo nulla eſſe poteſt dubitatio, quin Clerici libere teſtamentum condant. Nec itidem loquor de teſtamento condendo de rebus Eccleſiaſticis in uſus minime pios; id enim eſſet adverſus Eccleſiaſtici peculii conditionem, quod extra uſus pios perdere nec viventi Clerico conceditur: alias vero in æternæ ſalutis periculum concedendum non eſt morientibus, quod viventibus denegatur. Reducitur res ad ſupremas diſpoſitiones piarum cauſſarum favore faciendas. Olim ſcio a nonnullis Sanctis Patribus improbata fuiſſe Clericorum teſtamenta, quæcumque tandem cauſſæ pietas proponeretur, minuſque morientibus, quam viventibus permittebatur. Id probat hoc ipſum Gregorii monumentum in dicto can. 3., ubi probari dicuntur Mariniani donationes, non quod teſtamento illas confirmaſſet, id enim *prohibente lege* factum eſſe dicitur; ſed quod Gregorius ipſe eas donationes extra ordinem probaverat. Probat etiam S. Auguſtinus, qui omnia Clericorum teſtamenta ſæpius deteſtatus eſt. At vero Alexander III. in cap. 12. de teſtamentis ait, conſuetudine non improbanda inductum fuiſſe, ut Clericorum teſtamenta firma habeantur, & rata, ubi cauſſæ pietas id expoſcit. Num aliud Auguſtinus, ac Gregorius; aliud Alexander III. tradiderunt? Agnoſco difficultatem, & varietatem diſciplinæ, quæ ex mera philoſophicorum principiorum diverſitate profecta eſt, nullatenus ex eo, quod diverſa ratione ſenſerint Eccleſiaſtici viri de peculio Clericali. Nimirum omnibus perſuaſum erat, Clericorum adminiſtrationem in rebus Eccleſiaſticis morte finiri, omneque jus beneficiarii, ut vocant, penitus interire, ut ad Eccleſiam, vel ſucceſſorem devolvatur. At non ſemper apud Patres Eccleſiæ fuit probatum, momentum mortis, a quo teſtamentorum vim omnem ac poteſtatem pendere placuit, morti potius adſcribi, quam vitæ. Fuit in hac re inter Philoſophos veteres plurimos, atque Juriſconſultos Romanos diſſenſio, Philoſophis præſertim Platonem ſecutis, aſſerentibus momentum mortis morti adſcribendum, contra ſentientibus Stoicis, quorum doctrinam veteres Juriſconſulti amplexi fuerunt. Hinc veteres Eccleſiæ Patres, Auguſtinus præſertim Platonicorum philoſophiæ deditus, ceterique, qui ſimplicem potius philoſophorum doctrinam, quam Juriſconſultorum Romanorum placita adamarunt, rejecerunt Clericorum teſtamenta, ne forte adminiſtrationem eccleſiaſticorum bonorum ultra vitæ ſuæ tempus producere quodammodo viderentur. At vero ſæculo ineunte 12., quo Alexander III. floruit, jam recipi in Eccleſia cœpit Romano-

manorum Juriſconſultorum prudentia, quam canonum diſciplinæ amicam, ita dixerim, manum præbere conſtabat, præſertim ubi nomocanones fieri cœperunt auctoribus Photio, Balſamone, & Armenopulo, quos dein recentiores Latini imitati fuerunt: Tunc nimirum etiam juris civilis capita ſacris canonibus Collectorum induſtria aſſui cœperunt, ac ſic paullatim canonicæ, civiliſque juriſprudentiæ ſtudia jungi, ut, ubi nil aliud obſiſteret, communia utriuſque principia haberentur. Quamobrem relicto Platonicorum adagio illud addidicerunt ex vetere philoſophia Juriſconſultorum Viri eccleſiaſtici, momentum mortis vitæ potius tribuendum fore, atque ea ratione non improbandam conſuetudinem eſſe dixerunt, qua Clerici poſſent in piis cauſſis teſtari, in quas eccleſiaſticas obventiones impendere, dum viverent, potuiſſent. Sic reor, me veterem prudentiam canonum cum recentiore conciliaſſe.

Eſt alia ad Marinianum epiſtola 79. lib. 7. in vulgari editione, quæ ad cauſſam
Can. 9. cau. 2. qu. 5. pertinet Maximi Salonitani, de qua jam aliqua animadverti initio hujus ſectionis ad canonem 8. cau. 2. qu. 5., quæ huc etiam referre juvabit. Utrobique Gregorius, ſive ad Caſtorium Notarium, ſive ad Marinianum ſcribens voluit, ut ſi Maximus ſe jurejurando ante Martyrum ſepulcra purgaſſet, ab accuſationibus prorſus abſolveretur. Quæ ſane reos purgandi ratio tempore Gregorii recepta erat, cum perſuaſum tunc eſſet, eos, qui perjuri ad ſepulcra Martyrum acceſſiſſent, Divinam ultionem experturos. Hinc Gregorius idem homil. 32. in Evangelia num. 6. ait: *Ad extincta eorum* (ſcilicet Martyrum) *corpora viventes ægri veniunt, & ſanantur, perjuri veniunt, & a Dæmonio vexantur*. Ex hac epiſtola depromtus eſt canon 9. cau. 2. qu. 5.

In Ravennatenſi Urbe quidam anonymus ſcriptum evulgaverat contra Caſtorium
Can. 2. cau. 5. qu. 1. Diaconum in eadem Urbe degentem, de pluribus criminibus eundem redarguens, aliqua etiam adjiciens adverſus Gregorium Pontificem Maximum de pace, de qua ſtabilienda idem Pontifex ſtudio gravi curabat inter Imperatorem, ac Principes Longobardorum Italiæ fere univerſæ minitantes. Hunc calumniatorem anonymum anathemate perculit Gregorius in epiſtola juxta vulgarem editionem 30. lib. 5., juxta Maurinam 31. lib. 6., quæ hanc habet inſcriptionem: *Gregorius Mariniano Epiſcopo Ravennatenſi cum ceteris Fratribus, & Coepiſcopis, Sacerdotibus, Levitis, Clero, Nobilibus, Populo, Militibus Civitate Ravenna conſiſtentibus, vel ex ea foris degentibus*. Hæc ſane inſcriptio indicat, quantum Gregorio inſideret imo corde, damnationis ſententiam publicam eſſe, & per omnium ora traduci, ut qui publice aliis injuriam inferre non dubitaverat graviſſimam, publice etiam damnaretur. Integra fere epiſtola legitur in can. 2. cau. 5. qu. 1., cujus verba cum optimis exemplaribus conſonant, dummodo dematur vox illa *publico*, uti animadverterunt Correctores Romani; dummodo etiam pro illis verbis; *non valet, ſi tanti mali conſcius etiam probibitus*, legatur; *non valet tanti conſcius, & jam probibitus*; & pro illis, *percuſſus ſit, ut fallax &c.*, legatur; *percuſſus ſit, & ut fallax &c.*

Canon 13. cau. 7. qu. 1. legitur in alia ad Marinianum epiſtola, quæ in vulgari editione eſt 49. lib. 7., in Maurina eſt 19. lib. 7. Ibi abdicante Ariminenſis
Can. 13. cau. 7. qu. 1. Eccleſiæ Antiſtite epiſcopatu ſuo cauſſa infirmitatis, mandat Gregorius alium eligi Antiſtitem. In memorato canone, ſicut in ipſa epiſtola deſcribenda, non conſonant omnino codices univerſi: etenim in primis pro illis Gratiani verbis: *Corporis, qua noſtis*, in aliquibus codicibus legitur: *capitis, qua noſtis*, in aliquibus *capitis, ut noſtis*.

Digitized by Google

noſtis, legendum eſſe potius *capitis*, quam *corporis* ſuadent poſteriora illa verba: *de eadem capitis, qua detinebatur, moleſtia*. Deinde pro illis verbis *precibus urgentium*, in aliquibus editis codicibus legitur: *precibus arguentium*; itidem pro voce *compuiſi* legendum eſt *compulſis*, pro voce *revocari* legendum *evocari*, & pro illis verbis *vobis quoque vita placuerit* legendum eſt *vobis quidem vita placuerit*. De nomine *Heptatheuci* jam animadverterunt Romani Correctores, apud Gregorium legi *Eptatici*, quam vocem exhibet etiam epiſtola 32. lib. 2. in Maurina editione. Ea ſignificantur ſeptem priores libri veteris teſtamenti, Geneſis, Exodi, Levitici, Numerorum, Deuteronomii, Joſue, & Judicum, eodem modo, quo quinque priores Pentatheuci nomine deſignantur.

Non abſimilis cauſſa eſt, quam tractavit Gregorius in alia epiſtola ad Marinianum in vulgari editione 39. lib. 6.; in Maurina 42. lib. 7., ubi nimirum mandat Mariniano, ut in Cornelienſi Eccleſia in locum lapſi Epiſcopi curet alium a populo eligi, electumque conſecret. Cornelienſis Eccleſia ea eſt, quæ olim Urbs dicebatur forum Cornelii, vulgo Imola, nunc Romandiola dicta inter Bononiam, & Ravennam, & quidem ſub Ravennatenſi Archiepiſcopatu. Ex hac epiſtola depromtus eſt, eiſdemque omnino verbis conſonat canon 11. diſt. 50. *Can. 11. diſt. 50.*

De epiſtola ad Secundum.

Cum Secundo Ravennate, qui in pluribus vulgatis codicibus Secundinus adpellatur, fuit arctiſſima Gregorio Papæ neceſſitudo, qui illi, laico quidem viro, graviſſima etiam negotia peragenda commiſerat. Hujus rei argumento eſt epiſtola 29. lib. 5. in vulgari editione, ſeu 30. lib. 6. in Maurina, in qua Sanctus Pontifex Secundo commiſit inſtituendæ pacis leges cum Agilulpho, ut ſcilicet ejus animum cum Imperatore conciliaret. Nimirum id ſibi quodammodo proprium Gregorius fecerat, ut paci inter Principes ſanciendæ ſtuderet, quemadmodum conſtat ex epiſtola ad Severum Scholaſticum, lib. 5. num. 36. in Maurina editione, & alibi pluries. Item eidem Secundo commiſit, ut Pontificio nomine Marinianum Ravennatenſem Epiſcopum in rebus eccleſiaſticis, muneribuſque epiſcopalibus quodammodo obdormientem expergefaceret, præcipue excitaret ad eleemoſynam pauperibus elargiendam. Huc pertinet canon 6. diſt. 86. eiſdem omnibus verbis ex epiſtola in codicem Gratiani relatus. *Can. 6. diſt. 86.*

Sectio IV.

De Epiſtolis per Samnium directis.

De epiſt. ad Barbarum Beneventanum.

Ex illis epiſtolis, quas Gratianus commemoravit, una eſt per Samnium directa, quæ videlicet ad Barbarum Beneventanum Epiſcopum ſcripta fertur. Ibi Gregorius Barbarum conſtituit Panormitanæ tunc vacantis Eccleſiæ Viſitatorem. Mos

Digitized by Google

enim erat ſexto Eccleſiæ ſæculo, ut quoties vacarent Eccleſiæ, deſignaretur Epiſcopus, qui interea ſacra perageret, & curaret, ut quantocius ſucceſſor eligeretur. Hæc epiſtola, quæ eſt in vulgari editione 16. lib. 11., integra deſcribitur in can. 16. diſt. 61. In aliquibus codicibus pro verbo *commonemus* legitur *commonentes*; item pro verbis illis *laicæ perſonæ adſpirare præſumant*, legitur: *laicam perſonam adſpirare permittas*. In verſic. *monaſteria &c.* admonent Monachi Maurini, illum in MSS. Codicibus pleriſque non reperiri, ac conſequenter ſuſpectæ fidei eſſe. Quiſpiam forte ſuſpicabitur, a Monachis has epiſtolas deſcribentibus aut omiſſum, aut abraſum fuiſſe, ubi cœperunt exemtiones monaſteriorum, & privilegia vires habere. Quærunt aliqui, quiſnam fuerit Barbarus ille Epiſcopus, qui Viſitatoris munere fungi debuit. Dubium moverunt codicum diverſa exemplaria; etſi enim in plurimis, iiſdemque vulgaribus dicatur fuiſſe Beneventanus Epiſcopus, alibi tamen hæc ineſt epiſtolæ inſcriptio: *Gregorius Barbaro Epiſcopo Carinis*. Carinenſis Urbs fuit olim apud Brutios non procul a Regio. Sunt, qui putent intelligendam eſſe inſcriptionem de Epiſcopo alius Urbis Urbi Panormitanæ proximioris, forte ex ruinis Hyccaris oppidi conſtructæ, ea ratione, quod veroſimile non videatur, Gregorium voluiſſe conſtituere Panormitanæ Eccleſiæ Viſitatorem eum, qui procul ab Urbe Panormitana Epiſcopatum teneret. Quoties major non urget ratio, non video, cur a vulgatis codicibus ſit recedendum, quin diſſiti loci ratio obſiſtat; forte enim contingere potuit Barbarum Beneventanæ Eccleſiæ Epiſcopum neceſſariis quibuſdam curis fuiſſe diſtentum prope Urbem Panormitanam, quod facile contingere potuit illis temporibus ob publicas turbationes Provinciarum, proindeque ea occaſione Panormitanæ Eccleſiæ viſitationem perficere potuiſſe, præſertim cum hæc viſitatio non diu protraheretur, ſed uno, aut altero menſe finem acciperet. Major vis his accedit ex eo, quod Barbarus iſte jam fuerit Gregorio acceptiſſimus, & in viſitandis vacantibus Eccleſiis alias probatus, cui jam demandata fuerat Eccleſiæ Hortonenſis viſitatio, ut liquet ex epiſtola Gregorii in vulgari editione 39. lib. 3., & in Maurina 41. lib. 4.

Sectio V.

De epiſtolis directis per Latium, & Campaniam.

De epiſt. ad Agnellum Epiſcopum Terracinæ.

Agnellus quidam Epiſcopus Eccleſiæ de Fundis in Latio excluſus a ſua Eccleſia fuerat improbitate hoſtium, qui urbem occupaverant, ita ut nec ad illam ſacra miniſteria celebraturus accedere poſſet, nec epiſcopales reditus ex illa percipere, proptereaque non tam ipſe Eccleſiæ, quam Eccleſia ipſi deeſſet, vir cæteroquin Epiſcopatu digniſſimus, & diu probatus. Vacaverat interea Tarracinenſis Eccleſia etiam in Latio conſtituta, cujus Populus, & Clerus electione facta in Agnellum Fundenſem conſenſerunt. Poſtulatum hinc a Gregorio, ut factam Agnelli electionem confirmaret. Annuit Sanctus Pontifex, reſcribens, ut Agnellus Tarracinenſem quidem Eccleſiam regendam ſuſciperet, ſed *Fundenſis Eccleſiæ Pontifex eſſe* *non*

Can. 5. & 6. cau. 21. qu. 1.

non deſineret, nec curam, gubernationemque ejus præteriret. Epiſtolæ hujus, quæ in Maurina editione eſt 13. lib. 3., in vulgata 13. lib. 2. indict. 11., exemplar perhibet Gratianus in can. 5. & 6. cau. 21. qu. 1., apud quem tamen nonnulla deſiderantur, quæ hoc loco exhibebo. *Relatio Cleri ſimul*, (hic eſt canon 5.) *& Populi Tarracinenſis nos valde lætificat. Et quia defuncto Petro Pontifice ſuo ſibi Cardinalem poſtulant conſtitui te Sacerdotem, eorum vota neceſſario complenda eſſe prævidimus; quatenus & illi ſe gaudeant impetraſſe, quod poſtulant, & nos conceſſiſſe, quod expedit, videamur. Quia igitur ob cladem hoſtilitatis nec in Civitate, nec in Eccleſia tua eſt cuiquam habitandi licentia, ideo te auctoritate noſtra Tarracinenſi Eccleſiæ Cardinalem conſtituimus Sacerdotem, admonentes, ut ita de animabus populorum illic conſiſtentium, Deo protegente, debeas eſſe ſollicitus, quatenus callidi, perverſique hoſtis inſidiæ commiſſo tibi gregi qualibet arte nocere non valeant, ſed ſollicitudinis tuæ grex circumſeptus cuſtodia, digni ſe Paſtoris gaudeat meruiſſe tutamina. In tuis actibus plebi exempla bene vivendi exiſtant. Avaritia in te vires non habeat. Tua prædicatione qui literas neſciunt, quid divinitus præcipiatur, agnoſcant. In Dei timore populum quemadmodum vivere poſſit, tui mores inſtituant. Operibus exerce, quod ſubjectos doces, & prædicas. Actus tui in aliorum correptionem proficiant, in adjutorium ſibi vitæ tuæ imitationem aſſumant. Sicque te in cunctis operibus exhibere feſtina, ut ſcripturam, conſtructionemque in te habeat, quicumque aut negligit, aut non poteſt lectione formari. Tota igitur mentis intentione . . . . . modis omnibus facultatem. Illud quoque fraternitatem tuam &c.*, quemadmodum in canone 6. Singularis ſane diſciplina ex hac epiſtola dignoſcitur, & adverſus generales juris eccleſiaſtici regulas, quæ monent, neminem in duabus Eccleſiis Epiſcopum poſſe conſtitui. Fuit in Agnello ratio ſingularis; ipſe enim licet vigilantiſſimus ad Eccleſiam ſuam accedere non ſinebatur improbitate hoſtium, ut diximus, ac propterea, ne improbis indulgeretur, non erat ab Epiſcopatu Fundenſi Pontificia auctoritate transferendus. Alias vero ne Agnellus idem ſine Eccleſia eſſe videretur, neve neceſſariis ſubſidiis deſtitueretur, rectæ œconomiæ ratio poſtulabat, ut alteri Eccleſiæ regendæ præficeretur. Jure igitur Gratianus ante eos canones ſcribere potuit: *Poteſt etiam utrique* (Eccleſiæ) *tamquam titulatæ præeſſe, ſed jure ſpeciali, non communi*. Non video autem, cur Romani Correctores hinc occaſionem arripuerint arguendi Gratianum, ſubjicientes: *Alia eſt ſententia B. Gregorii, ac Gratianus putare videatur. Hunc enim Agnellum, qui antea Fundorum erat Epiſcopus, quod ea Civitas ab hoſte eſſet vaſtata, Tarracinæ Cardinalem conſtituit Sacerdotem*. Verum, venia dixerim graviſſimorum Virorum, idem & ipſi cum Gratiano adſtruunt, & quidem optime. Quid enim aliud eſt, ideo Agnellum duplici Epiſcopatu frui potuiſſe, quod Fundenſis Eccleſia ab hoſte vaſtaretur, quam duplici Epiſcopatu frui potuiſſe ex jure ſingulari? Illud ego ſingulare jus dixerim, quod ſingularia vel locorum, vel temporum, vel perſonarum adjuncta inducere poſſunt; neque, ut arbitror, alia fuit Gratiani ſententia. De voce *Cardinalis*, quæ in hac epiſtola occurrit, nihil dixero. Jam de illa ſatis loquuti ſunt, & optime Romani Correctores iidem ad cap. *Fraternitatem* diſt. 71.

Digitized by Google

De epiſtolis ad Anthemium Subdiaconum in Campania.

Can. 1. diſt. 84. Fuit Anthemius unus ex Subdiaconis Regionariis, quibus Pontifices Maximi certis de cauſſis vices ſuas demandare aliquando conſueverant, ut vel quid geſtum eſſet, ipſi renunciarent, vel, ſi forte levior cauſſa videretur, judicio ſuo dirimerent. Plures ad eum ſunt Gregorii epiſtolæ. Ex his eſt epiſtola 31. lib. 11. in vulgari editione, & 26. lib. 13. in Maurina, ex qua depromtus eſt canon 1. diſt. 84., cujus verba ita exigenda ſunt ad vulgatos Gregorii codices, cum apud Gratianum nonnulla deſiderentur. *Pervenit ad nos Fratrem . . . . ſive filii Eccleſiæ* (hanc vocem *Eccleſiæ*, monent Maurini Monachi in aliquot MSS. Codicibus deſiderari) *vel oppreſſi pauperes . . . . poſſit addiſcere; ſed rebus, quæ ad Paſtoris curam pertinent, prætermiſſis, ad fabricandum naves toto ſe ſtudio inutiliter occupare. Unde, ſicut fertur, contigit, quadringentos illum, aut amplius jam ſolidos perdidiſſe. Hoc quoque ejus culpis adjungitur, quod ita quotidie deſpectus cum uno, aut duobus Clericis dicitur ad mare deſcendere, ut & apud ſuos in fabula ſit, & extraneis ſic vilis, ac deſpicabilis videatur, ut nihil habere Epiſcopalis vel genii, vel reverentiæ judicetur. Quod ſi ita eſt . . . . debeas, ac hortari, ut vitio torporis excuſſo, deſes eſſe non debeat; ſed in Eccleſiæ ſuæ, ac Monaſteriorum cura ſit vigilans, paternam filiis ſuis caritatem exhibeat, in defenſionem pauperum cum diſcretione, in quibus juſtitia ſuaſerit, ſit erectus, conſilia ſapientum libenter ſuſcipiat, quatenus & Civitas illa ejus queat ſollicitudine conſolari, & ipſe deſidiæ ſuæ culpas valeat operire. Si vero, quod non credimus &c.* Paſchaſius, de quo hic ſermo inſtituitur, erat Epiſcopus Neapolitanus. Jungatur can. 2. diſt. 89.

Can 2. diſt.84. Huic argumento proxima eſt epiſtola ad eundem Anthemium in vulgari editione 33. lib. 11., in Maurina 27. lib. 13., ex qua depromtus eſt canon 2. diſt. 84. Priora epiſtolæ verba hæc ſunt, quæ a Gratiano omiſſa fuerunt: *Quoties illa de Fratribus Coepiſcopiſque noſtris audimus, quæ & illos reprehenſibiles oſtendere, & nobis triſtitiam valeant generare, de eorum nos emendatione non mediocriter cogit neceſſitas cogitare. Quia ergo nuntiatum nobis eſt, Campaniæ Epiſcopos ita negligentes exiſtere, ut immemores honoris ſui, geniique neque &c.* Vocem illam *geniique*, quæ & in Gratiano, & in plurimis editis exemplaribus deſideratur, aſſerunt Maurini in MSS. codicibus vetuſtis reperiri. Eadem formula uſus eſt Gregorius in epiſtola ſupra memorata ad Anthemium, ſive in can. 1. diſt. 84. ibi: *Nihil habere Epiſcopalis vel genii, vel reverentiæ.* Obſervandum etiam eſt, ubi Gratianus legit: *Convocatis, & noſtro illos mandato*, in editis epiſtolæ exemplaribus ita legi: *Convocatis ex noſtro illos mandato.*

Can. 2. diſt.89. Epiſcopo minus dignam ſollicitudinem fuiſſe, quam habebat Paſchaſius Neapolitanus Antiſtes, obſervavimus ad can. 1. diſt. 84. Aliud ejuſdem rei argumentum ſuppeditat canon 2. diſt. 89. ex epiſtola Gregorii ad Anthemium in vulgata editione 66. lib. 9., in Maurina 71. lib. 11. Ait ibidem Gregorius: *Hortandus præterea idem Frater ex noſtro mandato eſt, ut ſe in omnibus vigilantem exhibeat, & Eccleſiæ ſuæ amplius diſciplinam non negligat, ne & peccatum de his, qui ei commiſſi ſunt, ſuſtineat, & nos contra ſe vehementer ſtimulet, ſi in officii ſui cura, quod non optamus, incautus, vel lentus extiterit. Volumus autem, ut memoratus Frater noſter*

Paſcha-

Paſchaſius & Vice-Dominum &c., quæ legimus in dicto canone 2. Jungendus idem canon erit cum can. 1. diſt. 84., ex eo enim liquebit facile, quæ fuerit præcipua Paſchaſii cura, nimirum a negotiis Eccleſiaſticis aliena, quamobrem a Gregorio debuerit admoneri, imo etiam reprehendi; quamquam tamen ex eadem epiſtola liqueat, parum Gregorii monita apud ipſum potuiſſe, cum iteratis præceptis, & comminationibus opus fuerit. De Vice-Dominis, quorum officium hoc in canone memoratur, mentionem etiam fecit Caſſiodorus in lib. 5. variarum epiſt. 14., item Gregorius idem in can. 3. diſt. 89. Sane olim ex can. 27. Concilii Chalcedonenſis diſciplinam fuiſſe conſtat, ut Epiſcopi Œconomum, quem etiam Vice-Dominum dicebant, haberent in peculio eccleſiaſtico adminiſtrando, ne ſine teſtibus ipſi pro voluntate eodem peculio uterentur. Paſchaſius receptæ ſui temporis diſciplinæ non ſervierat, ſed ſpreto cujuſcumque Œconomi officio, ipſe per ſe ſuæ Eccleſiæ reditibus utebatur, ut voluptatibus ſuis indulgeret, præſertim in navibus inſtruendis, quemadmodum conſtat ex canone 1. jam pluries memorato.

Ad redarguendam quoque Pigmenii Amalphitani Epiſcopi (erat olim Amalphia *Can. 20.*
Urbs Epiſcopalis in Campania, nunc Archiepiſcopalis in Regno Neapolitano) ne- *cau. 7.*
gligentiam pertinet Gregorii epiſtola alia ad Anthemium, quæ eſt 23. lib. 5. in *qu. 1.*
vulgari, & lib. 6. in Maurina editione. Fere integra refertur in can. 20. cau. 7. qu. 1., ſi quæ autem apud Gratianum deſunt, ex his facile quiſquam ſupplebit, *Pervenit ad nos Pimenium* (legunt alii *Pigmenium*) *Amalphitanæ Civitatis Epiſcopum . . . vagari, quod videntes alii nec ipſi in caſtro ſe retinent, ſed ipſius exemplum ſequentes, foris magis eligunt habitare. Et quia hoc agentes ipſi potius ad ſuam hoſtes deprædationem invitant, idcirco hac tibi auctoritate præcipimus &c.*

Alia eſt ad Anthemium epiſtola in vulgari editione 40., in Maurina 42. lib. 1.,
qua Gregorius inhibet Monachis, nequis ex ipſis e monaſterio egrediatur, nec ad *Can. 32.*
ſæcularis vitæ genus tranſeat, imo nec ad Clericatus officia facile adſpiret. En *cau. 16.*
priora epiſtolæ verba, ex quibus facilius explicabitur canon 32. cau. 16. qu. 1. ex *qu. 1.*
eadem epiſtola depromtus. *Johannes Frater, & Coepiſcopus noſter directo per Juſtum Clericum ſuum capitulari, inter alia plura hoc nobis noſcitur intimaſſe, aliquos Monachos monaſteriorum in Surretina Diœceſi poſitorum, de monaſterio in monaſterium, prout eis libuerit, tranſmigrare, & a proprii Abbatis regula deſiderio rei ſæcularis abſcedere, ſed &, quod non licere notum eſt, peculiaritati eorum ſingulos ſtudere. Si quos autem qualibet occaſione a Clericatu &c.* Sunt hæc verba memorati canonis 32., quem a Gratiano corruptum emendaverunt jam in ſuis adnotationibus Correctores Romani.
Poſt pauca ſequuntur, quæ Gratianus edidit in canone 39. cau. 27. qu. 1. eiſdem *Can. 39.*
omnino verbis. Aliqua in hiſce canonibus digna ſunt ſingulari animadverſione. In *cau. 27.*
primis novi, ibidem agi peculiari ſermone de Monachis Surretinæ tantummodo *qu. 1.*
Diœceſeos. Porro Urbs Surretina Urbs erat Epiſcopalis in Campania, nunc Archiepiſcopalis. Deinde ſunt, qui putant, verba illa *qualibet occaſione*, quæ habentur in dicto can. 32. juxta ea, quæ nuper deſcribebam (quidquid Romani Correctores ex ſuis exemplaribus ſcripſerint) falſo eſſe inſerta in vulgaribus editionibus; hinc Thomas Jameſius in vindiciis Gregorianis ait: *Verba hæc qualibet occaſione ad amplificandum Monachorum ordinem ſpectant, adjecta ſunt, atque aſſuta textui ab aliquo tenebrione, in membranis non comparent.* Quæ ſane ſi vera ſunt, Romanorum Correctorum codex aliis codicibus præſtabit. Demum quod ſpectat interdictum, ne paſſim Monachi ad Clericatum adſpirent, ſuis ſane rationum momentis innitebatur,

Digitized by Google

tebatur, quæ egregie expendens Severus Sulpitius dialogo 1. cap. 14. ita de Monachis eiſdem ſcribebat. *Siquis Clericus fuerit effectus, dilatat continuo fimbrias ſuas, gaudet ſalutationibus, inflatur occurſionibus, ipſe etiam ubique diſcurrit, & qui ante pedibus, aut aſello ire conſueverat, ſpumante equo ſuperbus invehitur. Parva prius, ac vili cellula contentus habitare, erigit celſa laquearia, conſtruit multa conclavia, ſculpit oſtia, pingit armaria, veſtem reſpuit groſſiorem, indumentum molle deſiderat, atque hæc caris viduis, ac familiaribus mandat tributa virginibus, illa ut byrrum rigentem, hæc ut fluentem texat lacernam.*

Benenatus quidam Meſſenates Epiſcopus certam pecuniæ quantitatem acceperat, ut caſtrum in Urbe, in qua reſidebat, ædificari curaret. Exequi tamen ipſe neglexerat, quod ſpoponderat, imo ſuſceptam pecuniam in alios, privatoſque uſus convertebat. Monuit de hac re Anthemium Gregorius epiſtola 33. lib. 11. in vulgari, & 51. lib. 9. in Maurina editione, cujus ſententiam integram hic deſcribam, ut commoda ſit interpretatio canonis 2. cau. 17. qu. 4. *Pervenit ad nos, quendam Benenatum Meſſenatem Epiſcopum pro conſtruendo illic caſtro ſolidos accepiſſe. Et quia pars eorum ſolidorum apud eum dicitur remanſiſſe, experientia tua ſubtili indagatione perquirat, & ſiquid manifeſte de ipſis ſolidis cognoveris remanſiſſe, comitatio comiti prædictæ Civitatis ſub deſuſcepti illud pagina contradat, atque immineat, ut in conſtructione ejuſdem loci, ſicut ſunt dati, Deo adjuvante, proficiant, quia ratio nulla permittit, ut propriis cujuſquam uſibus applicetur, quod pro communi utilitate datum eſſe cognoſcitur.* Benenatus ille, qui Meſſenas hic dicitur, alibi Miſenus, ſive Miſenæ Civitatis Epiſcopus adpellatur, quem ſpectant canon 11. diſt. 61., & canon 48. cau. 16. qu. 1.

Can. 2. cau. 17. qu. 4.

Eſt alia ad Anthemium epiſtola 48. in vulgari, 51. in Maurina editione lib. 1., in qua legitur can. 5. cau. 20. qu. 1., ubi pro voce *providentia* legendum eſt, *experientia*. Palmaria inſula, de qua in eo canone ſermo eſt, parva ſane, & in mari Tyrreno ſita contra Terracinam, fuit olim receptaculum Monachorum, quemadmodum & inſula Orphiaria, ſive Orphiana, de qua ſermo fit in eadem epiſtola Gregorii; ſiquidem Monachi in inſulis tunc degere ſolebant, in quibus procul a ſtrepitu quietam, & qualis ſolitariis hominibus convenit, vitam traducebant, quemadmodum teſtatur Ambroſius lib. 5. in Hexameron cap. 5. Vult ibi Gregorius, neminem ante annos decem & octo in monaſteriis inſularum recipiendos eſſe, ea ratione, *quia dura eſt in inſulis congregatio Monachorum*. De hac re inveſtiganda video parum ſollicitos Interpretes fuiſſe, & Gloſſographos. Ego id minime prætermittam, novi enim, quod ibidem Gregorius ſtatuit, non generalem diſciplinam continere, ſed ſingularem & ſuis tantummodo temporibus accommodatam. Erat tum Italia univerſa hoſtilibus armis concuſſa, Italique debiliores vel ætate, vel ſexu in inſulas Italiæ adjacentes ſeſe quaſi in aſylum recipiebant, rati eo hoſtium exercitus neutiquam perventuros. Id tradit ipſe Gregorius initio ejuſdem epiſtolæ, ibi: *Comperimus in inſula Orphiana .... multos virorum cum mulieribus ſuis diverſorum patrimoniorum illuc pro neceſſitate feritatis barbaricæ refugiſſe, quod importunum judicavimus, ut dum aliorum refugiorum loca vicina ſint, ibidem cum Monachis debeant mulieres habitare.* En igitur apertiſſimam cauſſam, cur ea ætate *dura eſſet in inſulis congregatio Monachorum*, qui tenebantur vel ex ipſo charitatis, ac miſerationis officio integras excipere familias in monaſteriis ſuis, in monaſticæ ſolitudinis, quietis, orationiſque divinæ diſpendium. His accedit, puerulos metu

Can. 5. cau. 20. qu. 1.

hoſtium

Digitized by Google

hoſtium in inſularum monaſteria adductos, facile parentum ſuaſionibus monaſticam vitam profeſſos tum fuiſſe, quam tutam omnino a publicis perturbationibus in inſulis illis eſſe ſuiſmet oculis videbant; proindeque non ſatis maturo conſilio, perpenſaque cauſſa Monachos ſe fieri exoptabant.

De epiſtolis ad Benenatum Miſenum.

Vacante Cumana Eccleſia prope Miſenum Promontorium ſita, quæ hodie ob Cumanam dirutam Urbem Neapolitanæ Eccleſiæ juncta eſt, a Gregorio conſtitutus eſt ejus Viſitator Benenatus Miſenus Epiſcopus, ad quem directa eſt epiſtola 19. in vulgari, & 25. in Maurina editione lib. 2. Ad eam referendus eſt canon 11. diſt. 61. his verbis: *Caritas tua ad prædictam Eccleſiam ire properabit, & aſſiduis adhortationibus Clerum, plebemque ejuſdem Eccleſiæ admonere te volumus, ut remoto ſtudio diverſarum partium uno, eodemque conſenſu talem ſibi præficiendum expetant Sacerdotem, qui & tanto miniſterio dignus valeat reperiri, & a venerandis canonibus nullatenus reſpuatur. Qui dum fuerit poſtulatus, cum ſolemnitate decreti, omnium ſubſcriptionibus roborati, & dilectionis tuæ teſtimonio literarum, ad nos ſacrandus occurrat &c.* Si hæc ita deſcripta perpendantur, liquebit facile, quam perperam uſus fuerit Gratianus hoc fragmento. Oſtenſurus ipſe erat diſcrimina, quæ intercedunt inter poſtulationem, atque inter electionem, tradens inter cetera, atque eo monumento comprobans, electionem quidem fieri *cum ſolemnitate decreti omnium ſubſcriptionibus roborati, poſtulationem vero ſimplici petitione*. At bone Deus! cum Gregorius ſolemnitatem decreti omnium ſubſcriptionibus roborati exigit, poſtulationis utitur vocabulo, ibi: *dum fuerit poſtulatus &c.* Quomodo igitur ad electionem ea pertinent; aut quomodo poſtulatio fieri dicitur ſine decreti ſolemnitate? Dixerit forte quiſpiam, apud Gregorium nomine poſtulationis electionem intelligi. Et ipſe id fateor, quia Gregorii tempore erant hæc promiſcua nomina, nec adhuc poſtulatio diverſo jure, ac electio dicebatur. At ſi id verum eſt, quomodo ex Gregorii monumentis potuit Gratianus jura poſtulationis ab juribus electionis omnino ſejungere, & diverſam utriuſque formulam tradere? *Can. 11. diſt. 61.*

Cumanam Eccleſiam vix jure Viſitatoris adivit Benenatus, non quidem cogitavit, ut electionem fieri Antiſtitis curaret, ſed potius ut illam ſuæ Eccleſiæ jungeret, ipſeque eſſet tum Miſenæ, tum Cumanæ Eccleſiæ Epiſcopus. Id obtinuit ex Gregorii reſcripto, ſeu epiſtola 31. in vulgari, & 45. in Maurina editione lib. 2. Hæc fere integra legitur in can. 48. cau. 16. qu. 1., & quidem eiſdem verbis, ſi conferatur cum editione vulgari. In editione Maurina levis eſt ſcripturæ varietas; nam ubi legunt alii *utraſque nos Eccleſias . . . . & ideo te quæcumque tibi de earum . . . . perſpexeris, ibi habitato . . . . Eccleſiam, cui corporaliter præſens non es &c.* legunt Maurini Monachi: *utramque nos Eccleſiam . . . & quæque tibi earum . . . . perſpexeris, habitato . . . Eccleſiam, a qua corporaliter ad præſens abſens es &c.* *Can. 48. cau. 16. qu. 1.*

De

Digitized by Google

De epiſtolis ad Clementinam Neapolitanam.

Clementinam, ad quam ſcripta eſt epiſtola 11. lib. 1., Patritiam Neapolitanam fuiſſe Maurini Monachi conjiciunt ex lib. 3. epiſtolarum Gregorii epiſt. 1.
Can. 3. dift. 89. Eam conſolatur in primis Sanctus Pontifex de morte Eutherii Viri clariſſimi; deinde, cum Clementina ad ſe mitti petiiſſet Anatolium quendam Diaconum, reſcribit Gregorius, illum mitti non poſſe, quod Romanæ Eccleſiæ Vice-Dominus, ſive Œconomus jam conſtitutus eſſet. Hanc poſteriorem epiſtolæ partem retulit Gratianus in can. 3. diſt. 89., in quo tamen duo menda occurrunt in nonnullis Gratiani exemplaribus; ubi enim Gratianei codices habent, *quem ad nos dirigi*, & *auſteritas fecit*, in vulgatis epiſtolarum codicibus legitur: *ad vos dirigi*, & *auſteritas facit*. De nomine Vice-Domini nihil hic dixerim, quum quædam attigerim ſuperius ad canonem 2. diſt. 89.

De epiſtolis ad Fortunatum Epiſcopum Neapolitanum.

Plurimæ ſunt, & quidem diverſis in cauſſis, Gregorii epiſtolæ ad Fortunatum
Can. 15. diſt. 54. Neapolitanum Epiſcopum. Prior recenſetur apud Gratianum in can. 15. diſt 54. epiſtola 32. lib. 6. in Maurina, & 31. lib. 5. in vulgari editione. Agit ibi Gregorius de ſervis Judæorum, ſive Judæi fuerint, ſive Gentiles, ac ſcribit, eos quoties Chriſtiani eſſe maluerint, abs Judæis amplius poſſideri non poſſe, imo nec venditionis titulo in aliorum dominorum poteſtatem transferri, ſed jure ad libertatem proclamare. Jam pridem id Chriſtiani Imperatores conſtituerant toto tit. Codicis, ne Chriſtianum mancipium; quamobrem ſtudendum erat Gregorio, aliiſque Eccleſiaſticis Antiſtitibus, ne Imperialia privilegia favore Religionis Chriſtianæ conceſſa in deſuetudinem abirent. Id perſpicue patet ex integra epiſtola, cujus initium hoc eſt: *Fraternitati veſtræ ante hoc tempus ſcripſimus, ut hos, qui Judaica ſuperſtitione ad Chriſtianam Fidem Deo aſpirante venire deſiderant, dominis eorum nulla eſſet licentia venumdandi, ſed ex eo, quod voluntatis ſuæ deſiderium prodidiſſent, defendi in libertatem per omnia debuiſſent. Sed quia, quantum cognovimus, nec voluntatem noſtram, nec legum ſtatuta ſubtili ſcientes diſcretione penſare, in paganis ſervis hac ſe non arbitrantur conditione conſtringi, Fraternitatem veſtram oportet de his eſſe ſollicitam, &c.*, quæ leguntur in dicto canone 15., in quo, ſiquæ eſt codicum varietas, Romani jam Correctores animadverterunt.

Alia epiſtola 11. lib. 6. in Maurina, & 11. lib. 5. in vulgari editione laudatur
Can. 5. diſt. 71. in can. 5. diſt. 71. in cauſſa Gratiani Venafranæ, ſeu, ut alii ſcribunt, Benefranæ Eccleſiæ Diaconi. Is enim cum in propria Eccleſia miniſtrare hoſte prohibente non poſſet, Pontificia auctoritate, ac petente Neapolitano Epiſcopo Neapolitanæ Eccleſiæ adſcriptus eſt. Verba dicti canonis 5., quæ cum ipſa epiſtola omnino conſonant, argumentum hujus rei perſpicue oſtendunt. Poſtularem hoc in loco a Romanis Correctoribus, cur non illud animadverterint, quod animadvertendum voluerunt in can. 5. & 6. cau. 21. qu. 1.

Sollicita, & propemodum anxia in Monachos cura, qua afficiebatur Gregorius, eun-

Digitized by Google

eundem excitavit, ut ad Fortunatum Epiſcopum ſcriberet, conquerens, quod ille Monachos, ac monaſteria non foveret, quemadmodum decere Epiſcopum videbatur. Ea eſt epiſtola 23. lib. 8. in vulgari, & 24. lib. 10. in Maurina editione, ad quam referendus eſt canon 6. cau. 19. qu. 3. Primum monuit Gregorius, ne quiſquam ad tonſuram monaſticam admitteretur, niſi primum per biennium manſiſſet in monaſterio tyrocinii cauſſa. Id Maurini Monachi in lib. 1. vitæ S. Gregorii cap. 3. in tomo ultimo ſuæ editionis ita ſunt interpretati, ut ſingulare fuiſſet conſtitutum in Eccleſia Neapolitana urgentibus quibuſdam loci ſimul, ac temporis adiunctis; quia videlicet, ut in eadem epiſtola Gregorius refert, tunc contigerat in Urbe Neapolitana, quendam Mauritium præcipitanter de laico Monachum factum, nec antea probatum, ſublatis monaſterii rebus aufugiſſe. Præterea monuit Gregorius, ut nemo ex militibus ad monaſticam profeſſionem admitteretur, niſi prius Gregorius ipſe de ea re certior fieret. Romani Correctores recte animadverterunt, Interpretes, ac Gloſſographos in hac epiſtola expendenda nonnihil a propoſito aberraſſe. Etenim Gregorii monitum reſpiciebat Conſtitutionem Mauritii Imperatoris, qua cavebatur, ne milites ante expletum militiæ tempus ad monaſticam profeſſionem admitterentur. De hac lege diſſerendum erit inferius ad canonem 1. diſt. 53. Unum tantum hoc loco animadvertam, nimirum ubi apud Gratianum legitur, *quos ad converſationem ſuſceperint*, & *qualicumque præſumat ratione ſuſcipere*, legi in optimis codicibus, *quos ad convertendum ſuſceperint*, & *qualibet præſumat ratione ſuſcipere*. *Can. 6. cau. 19. qu. 3.*

Epiſtola 20. lib. 6. in vulgari, & 23. lib. 7. in Maurina editione, ex qua depromtus eſt canon 28. cau. 27. qu. 2., ſcripta eſt ad Fortunatum Neapolitanum Epiſcopum, ſimul & ad Anthemium Subdiaconum, ac Defenſorem. Acceperat Gregorius, virginem quandam ſponſalia contraxiſſe cum Stephano, poſt datam autem fidem monaſticam vitam profeſſam fuiſſe. Eam ob rem Stephanus ſua intereſſe putabat, ſi domum, aliaſque res virginis, velut in injuriæ ſibi illatæ compenſationem, occuparet. Gregorius cauſſæ cognitionem Fortunato ſimul, atque Anthemio demandavit, quorum operæ commiſit, ut ſi vera fuerint, quæ narrarentur, monerent Stephanum de rebus reſtituendis, ea addita ratione, *quia decreta legalia deſponſatam, ſi converti voluerit, nullo omnino cenſuerunt damno multari*, quemadmodum in dicto canone 28. legitur; at ſi Stephanus monitis non acquieverit, ſibimet quid factum fuerit, renunciaretur, ut ipſe Gregorius opportunis modis faciendam ex neceſſitate reſtitutionem curaret, quam Stephanus ſponte, & ex conſilio facere neglexiſſet. Monent Maurini pro verbo illo *multari*, in aliquibus MSS. codicibus legi *multare*. *Can. 28. cau. 27. qu. 2.*

In canone 6. cau. 29. qu. 2. integra refertur epiſtola 1. in vulgari editione lib. 6., in Maurina libro 7. Agitur ibi de cauſſa Clerici cujuſdam Neapolitani, qui prætextu ſervitutis, qua uxorem affectam ajebat, a ſe illam abjecerat. In eodem canone obſervandum eſt, ubi Gratianus legit *cautius novit, quia ſcilicet maritus ſuus . . . . ſuo eam vos conjugio reformaretis . . . . macula ſervilis . . . nos illud cognoſcatis &c.* in aliis codicibus ita haberi: *Acutius novit, quum quia maritus ſuus... ſuo eam vos conjugi reformare Fraternitas veſtra cognoſcat . . . macula ſervitutis.... nos illum cognoſcatis &c.* *Can. 6. cau. 29. qu. 2.*

Digitized by Google

De epiſtola ad Gaudentium Nolanum Epiſcopum.

Vacante Eccleſia Capuana, ejuſdem viſitationem juxta morem ſui temporis mandavit Gregorius Gaudentio Nolano Epiſcopo per epiſtolam 11. lib. 10. in Maurina, 13. lib. 4. in vulgari editione. Nimirum ne bona vacantis Eccleſiæ a quoquam diriperentur, Metropolitani, aut Primatis ſollicitudo Epiſcopum deſignabat, cujus ſolertia omnia cuſtodirentur, imo & electio Succeſſoris celebraretur. Huc ſpectat canon 22. Concilii Chalcedonenſis, canon 35. Synodi ſextæ, quibus addi poſſunt can. 45. 46. 47. 48. cau. 12. qu. 2. Ex laudata Gregorii epiſtola depromtus eſt canon 19. diſt, 61., cujus poſtrema verba in aliquibus exemplaribus corrupta ſunt, ideoque ita reſtitui debent: *Sedulo, ac devote debeant deſervire*. In prioribus verbis non conſonant omnes Gregorii codices; alicubi enim pro nomine *Feſti* Capuani Epiſcopi legitur *Sixtus*, alicubi *Fuſcus*.

Can. 19. diſt. 61.

De epiſtola ad Godiſcalcum Ducem Campaniæ.

Can. 67. cau. 11. qu. 3. Elegans eſt Gregorii ſententia, quæ legitur in can. 67. cau. 11. qu. 3. ad coercendos effrænes iracundiæ impetus maxime accommodata. Ea legitur in principio epiſtolæ ad Godiſcalcum Campaniæ 12. lib. 8. in vulgari, & 11. lib. 10. in Maurina editione. Ira percitus Godiſcalcus (alii appellant Gudiſcalcum, alii Guidiſcalcum) adverſus Abbatem monaſterii Sancti Archangeli, ejuſdem monaſterii januas effringi juſſerat, irruenſque armata militum ſelectorum manu, quidquid militibus libuiſſet, eripiendum voluit. De hoc gravi iracundiæ motu conqueſtus eſt apud ipſum Ducem Gregorius, adſerens iram ratione eſſe temperandam, quemadmodum legitur in dicto canone 67., cujus poſtrema verba ita ex editione Maurinorum erunt legenda: *Nam commotionis tempore juſtum putat ira, quod fecerit*.

De epiſtolis ad Johannem Epiſcopum Vellitranum.

Can. 44. cau. 7. qu. 1. Duplex memoratur apud Gratianum epiſtola Gregorii ad Johannem Epiſcopum Vellitranum (eſt Velletri Urbs Campaniæ non procul a Roma, cujus Epiſcopatus hodie junctus eſt Oſtienſi). Prior epiſtola eſt in editione Maurina 14. lib. 2., in vulgari 11. lib. 2., ex qua excerptus eſt canon 44. cau. 7. qu. 1. Ibi Gregorius metropolitico etiam jure Johanni mandat, ut injuria belli cauſſam præbente, interea Epiſcopalem Sedem in alium Diœceſeos locum transferat. Variam varii codices exhibent lectionem; ubi enim Gratianus legit: *In loco quondam Arenata .... tranſmigrari, quatenus ab hoſtilitatis .... illic conſuetudinem ſolemnium feſtive diſponas*, in aliis codicibus habetur: *in locum, qui Harenata dicitur .... tranſmigrare, quatenus & ab hoſtilitatis .... illis conſuetudinum ſolemnium feſta diſponas*. Omitto ea, quæ jam in his poſtremis verbis Romani Correctores animadverterunt; eo enim omnia collineant, ut indicetur, in loco Harenata conſtituendam opportune eſſe Eccleſiam Cathedralem, ad quam populus ſolemnibus diebus eccleſiaſticis con-

confluere teneretur juxta veteres canones, videlicet canonem 21. Concilii Agathenſis, can. 15. Concilii Arvernenſis, can. 25. Concilii Aurelianenſis I., & can. 3. Concilii Aurelianenſis IV.

Altera epiſtola, ex qua depromtus eſt canon 49. cau. 16. qu. 1., habetur in lib. 2. epiſtola 35. in vulgari, epiſtola 50. in Maurina editione. Inſcriptio epiſtolæ non eadem eſt in omnibus codicibus; in aliquibus enim Johannes dicitur Epiſcopus *Vellitranus*, in quibuſdam *Veliternus*, in uno MS. *Squillacinus*, uti obſervaverunt Monachi Maurini. Non videtur recedendum a vulgari lectione unius, vel alterius codicis cauſſa, ubi præſertim nulla melior ratio ſubeſt. Extat fere integra epiſtola in dicto canone 49., ubi Romani Correctores pro voce *Treverenſium* recte adpoſuerunt *Triumtabernenſium*. Monachi Maurini freti auctoritate codicum MSS. legerunt *trium tabernarum*; & quidem optime congruit emendatio cum epiſtolæ integræ contextu; nam tres tabernæ erant olim Urbs Latii Epiſcopalis, cujus veſtigia ſuperſunt in via Appia non procul ab Urbe Velletrenſi, de qua etiam mentio fit in Actibus Apoſtolorum cap. ult. ibi: *Occurrerunt nobis uſque ad Appii forum, & tres tabernas*. Illud adjici poteſt, Monachos Maurinos in MSS. Codicibus quibuſdam pro voce illa *commoti* legiſſe *commoniti*. *Can. 49. cau. 10. qu. 1.*

De epiſtola ad Clerum, & Nobiles Cives Neapolitanos.

Vacante Neapolitana Eccleſia, Clerus, & Populus ſuffragia ita diviſerat, ut vix conſtaret, quis rite electus eſſet ex duobus Diaconis Johanne, & Petro. In his cauſſarum adjunctis ad Clerum, & Nobiles Neapolitanos ſcripſit Gregorius epiſtolam, quæ in vulgari editione eſt 40. lib. 8., in Maurina 62. lib. 10. Ipſam integram deſcripſit Gratianus, quinque ſcjunctis fragmentis. Initium epiſtolæ legitur in can. 17. cau. 8. qu. 1., poſt cujus poſtrema verba, ita ſequitur: *Prius enim quam ſcripta ad nos veſtra recurrerent* (legunt alii *diſcurrerent*) *Johannem Diaconum &c.*, quæ habentur in can. 4. diſt. 28., & ſtatim ſubſequuntur verba canonis 1. diſt. 39. ibi: *Petrus item Diaconus, quem a vobis electum adſeritis &c.* Huic ſane canoni aliam ſententiam Gratianus affinxiſſe videtur, quam quæ Gregorii eſſet. Ait Gregorius, eo tempore debuiſſe talem in Epiſcopatu conſtitui, qui *de extrinſeca etiam ſubjectorum utilitate, & cautela ſciret eſſe ſollicitus*, quæ ſane intelligenda erant in conſpectu hoſtium barbarorum; tunc enim pene ruente Orientalium imperio, inter graviſſimas anguſtias preſſi ab exteris Itali Populi conſueverant ad Epiſcopos ſuos, tamquam ad parentes optimos confugere, quamobrem opportunius tempus eſſe non poterat, quo prudentiſſimus quiſque Epiſcopus eligeretur. At Gratianus rei hiſtoricæ parum gnarus ita canonem interpretatus eſt, quaſi *pro ſua ſimplicitate* eſſet quis ab Epiſcopatu adipiſcendo repellendus, ne ejus occaſione res Eccleſiæ dilapidarentur. Pergit Gregorius inquiens: *Nam de eo inſuper ad nos perveniſſe cognoſcite, quod ſolidos dederit ad uſuras &c.*, quæ habentur in can. 4. diſt. 47., ubi tamen leviuſcula quædam obſervari poſſunt; etenim pro illis verbis: *alium eligere, & ab hujus vos perſona . . . eſſe patuerit . . . ut vitam, moreſque illius &c.* vulgares Codices exhibent: *alium eligite, & ab hujuſmodi vos perſona . . . eſſe potuerit . . . ut de vita, moribuſque ipſius &c.* Demum epiſtola concluditur verbis illis, quæ Gratianus deſcripſit in can. 15. diſt. 61. Eadem verba cum Gratianus

Can. 17. cau. 8. qu. 1. *Can. 4. diſt. 28.* *Can. 1. diſt. 39.* *Can. 4. diſt. 49.* *Can. 15. diſt. 61.*

tianus aliquantiſper corruperit, ut fragmentum magis perſpicuum redderet, ita reſtituam. *Studii præterea veſtri ſit, etiam alium, qui aptus ſit, providere, ut ſi forte huic ordini hic non videatur idoneus, ſit, in quem ſe veſtra declinare poſſit electio. Nam grave Cleri illius erit opprobrium, ut, ſi hic fortaſſe adprobatus non fuerit, alium ſe dicant, qui eligi debeat, non habere.*

De epiſtola ad Milites Neapolitanos.

Can. 7. cau. 23. qu. 1. Pluries jam tradidi, Gregorium Pontificem promovendæ Imperatorum, ac Civium Imperatoribus ſubditorum utilitati ſtudioſiſſime pro officio proſpexiſſe. Hujus rei inter cetera argumentum præbet epiſtola 31. lib. 2. in Maurina, & 24. lib. 12. in vulgari editione. Ibi monentur Neapolitani Milites, ut Conſtantio Tribuno Civitatis obtemperent, cauſſa publicæ utilitatis. Integra epiſtola refertur in can. 7. cau. 23. qu. 1., dummodo ea adjiciantur, vel emendentur, quæ minus appoſite in principio Gratianus deſcripſit, his verbis: *Summa militiæ laus inter alia bona merita hæc eſt, obedientiam Sanctæ Reipublicæ utilitatibus exhibere, quodque ſibi utiliter imperatum fuerit, obtemperare, ſicut & nunc devotionem veſtram feciſſe didicimus &c.* Animadvertunt Maurini Monachi, epiſtolam eandem in pleriſque MSS. Codicibus deſiderari; proindeque non omnino certa eſt illius auctoritas, aut omnino indubium, quodcumque ex illa deduceres argumentum.

De epiſtola ad Paſchaſium Epiſcopum Neapolitanum.

Can. 3. diſt. 45. Quanta eſſe debeat Epiſcopi ſolertia, ut populi a Fide Chriſtiana aberrantes ad eandem revocentur, aut trahantur, innuit Gregorius in epiſtola ad Paſchaſium Epiſcopum Neapolitanum in Maurina editione 12. lib. 13., in vulgari 15. lib. 12. Eam integram retulit Gratianus in can. 3. diſt. 45., in quo tamen ubi legitur, *Judæi ſiquidem Neapoli conſiſtentes . . . licuit obſervare. Quod ſi . . . operam dare . . . . ad fidem illi . . . . ut eos ex eorum codicibus &c.* Monachi Maurini legendum voluerunt: *Judæi ſiquidem Neapolim habitantes . . . . licuit obſervare, vel colere. Quod ſi . . . . operam adhibere . . . . ad fidem illis . . . . ut eis ex eorum codicibus &c.*

SECTIO VI.

De epiſtolis directis per Illyricum.

De epiſtolis ad Antoninum Subdiaconum in Dalmatia.

Quod munus obibat Anthemius, ut ſupra traditum eſt, in Campania Subdiaconus, illud ipſum obibat Antoninus Subdiaconus in Dalmatia. Horum opera utebatur Pontifex Maximus non tam ad tuendas Eccleſiæ facultates in Provinciis ſitas, quam veluti Delegatorum extra ordinem, qui aut mandata Pontificum exequerentur,

Digitized by Google

tur, aut, prout res incideret, Pontifices eoſdem redderent certiores. Tres ad eundem Antoninum Gratianus retulit Gregorianas epiſtolas, quæ Salonitanam potiſſimum Eccleſiam, & Natalem ipſius Eccleſiæ Epiſcopum reſpiciunt. Prior epiſtola eſt numero 16. lib. 2. indict. 10. in vulgari, & 20. lib. 2. in Maurina editione, cujus argumentum hoc eſt. Natalis Salonitanus cognatis ſuis ſacra Eccleſiæ vaſa conceſſerat, contradicente Honorato Archidiacono, ad cujus curam illa potiſſimum pertinebant. Quod ægre ferens Natalis Honoratum ab Archidiaconatu dejecit ſub ſpecie promotionis ad Ordinem Presbyterii. Conqueſtus Honoratus ſtatim fuit apud Gregorium, qui propterea de ea re ad Antoninum ſcripſit. Verba epiſtolæ ſunt in can. 8. diſt. 74., quæ ſane cum integra fere epiſtola plurimum congruunt cum epiſtola altera a Gregorio ſcripta ad eundem Natalem, ex qua legitur apud Gratianum canon 40. cau. 7. qu. 1.

Can. 8. diſt. 74.

Altera epiſtola, in vulgari editione 9. lib. 2. indict. 11., ſcripta eſt occaſione iniquæ ſententiæ ab eodem Natali Salonitano prolatæ in cauſſa Florentini Epitauritanæ Civitatis Epiſcopi. Eum damnaverat Natalis, non ſervatis ſolemnitatibus ex ſacrorum canonum diſciplina præſtitutis, nimirum nullo celebrato Sacerdotum Concilio, imo, quod gravius erat, nulla præhabita criminum objectorum probatione. Voluit Gregorius eam ſententiam revocari, cauſſamque in Concilio retractari. Epiſtolæ fragmentum legitur in can. 64. cau. 11. qu. 3. Epitauritana autem Civitas, cujus Epiſcopum inſequebatur Natalis, eadem eſt, quam hodie adpellant Raguſam Urbem maritimam in Dalmatia.

Can. 64. cau. 11. qu. 3.

Vita functo eodem Natali Epiſcopo Salonitano, Gregorius Antonino mandavit, ut curaret in Eccleſia vacante quantocius ſucceſſorem Epiſcopum eligi per Cleri, Populique ſuffragia. Epiſtola Gregorii eſt in vulgari editione 22. lib. 2. indict. 11., in Maurina 22. lib. 3., atque ex ea depromtus eſt canon 1. cau. 8. qu. 2., ubi pro illis verbis *te admonente* animadvertunt Maurini Monachi ex MSS. Codicibus legendum potius eſſe *te imminente*, una etiam obſervantes apud Gregorium verbum *imminere* promiſcue uſurpari, ac verbum *inſtare*, *urgere*, & ſimilia.

Can. 1. cau. 8. qu. 2.

De epiſtola ad Epiſcopos Epiri.

In vulgari editione lib. 5. epiſtola 7., in Maurina lib. 6. epiſtola 8. hanc exhibet inſcriptionem: *Gregorius Theodoro* (legunt aliqui, *Theodorico*, vel *Theoderico*), *Demetrio*, *Philippo*, *Zenoni*, *& Alciſſono Epiſcopis Epiri*. Hi certiorem Gregorium fecerant de electione, ac conſecratione Andreæ Epiſcopi Neapolitani, ſiquidem Nicopolis erat Urbs Epiri Metropolitana. Qua in re obſervandum eſt, duas in Illyrico tunc Provincias fuiſſe Epiri nomine deſignatas, novam, & veterem. Epirus nova, quæ hodie Albania ſuperior eſt, Metropolim habebat Dyrrachium. Epirus vetus, quæ a nonnullis Albania inferior dicitur, recentioribus vero Chimera, & Larta Metropolim habebat Nicopolim ad ſinum Ambracium. De hac Epiro vetere intelligenda eſt Gregorii epiſtola, quamobrem jure Monachi Maurini emendarunt vulgatos codices in ea parte, in qua exhibent Andream Nicomedianæ Civitatis Epiſcopum; voluerunt enim legendum non *Nicomedianæ*, ſed *Nicopolitanæ*; quæ emendatio validis argumentis confirmatur apud Petrum de Marca in lib. 5. de concord. Sacerd. & Imper. cap. 25. num. 10. Exinde etiam liquet, emen-

Can. 11. diſt. 100.

Digitized by Google

emendandum ſimiliter eſſe canonem 11. diſt. 100. ex ea epiſtola depromtum. Quæ vero in eo canone memorantur privilegia Epiſcopi Nicopolitani, quæ ſe confirmaſſe inſtar ſuorum Prædeceſſorum Gregorius profitetur, eo pertinent, ut Nicopolitanus Epiſcopus Vicarius eſſet in Epiro Sedis Apoſtolicæ, quemadmodum & in ſua Provincia erat Epiſcopus Theſſalonicenſis, aliique numero plurimi in diverſis Eccleſiis. Inſigne vero privilegii illius, & Vicariatus Apoſtolici erat pallium, quod, ut liquet ex eodem canone, ad eundem Epiſcopum directum fuit.

De epiſtola ad Epiſcopos per Elladiam.

Can. 117. cau. 1. qu. 1. Non omnes codices omnino conſonant in inſcriptione epiſtolæ 56. lib. 4. vulgaris, & 58. lib. 5. Maurinæ editionis. Maurini Monachi maluerunt legendum eſſe: *Gregorius univerſis Epiſcopis per Helladiam Provinciam conſtitutis*. In codicibus Gratiani legitur *per Helladem*, in aliquibus *per Heledam*. Exhibent alii codices *per Archelaidam*: alii: *Epiſcopis Adrellada*, vel *Arellada conſtitutis*. Sane nemo non videt ibi Helladis Epiſcopos erudiri, ſive Achajæ; Hellas enim proprie Achaja eſt Corintho proxima, quam memoravit S. Paullus initio epiſtolæ 2. ad Corinth. Qualis fuerit hujus epiſtolæ cauſſa, palam facit canon 117. cau. 1. qu. 1., ubi duo leviuſcula menda corrigenda erunt; ubi enim legit Gratianus, *ex quo, ut prædixi, innuitur &c.*, *& cum primo contra Sanctam &c.* legendum eſt juxta optimos codices: *ex quo, ut prædixi, malo innuitur &c.*; *& cum prima contra Sanctam &c.* Eadem propemodum verba ſcripſerat Gregorius in memorata ſuperius epiſtola ad Epiſcopos Epiri, eadem etiam in epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, ex qua depromtus eſt canon 2. diſt. 48., ex quibus liquet, pluribus in Provinciis ſimoniæ vitio Epiſcopos Gregoriani temporis infectos fuiſſe.

De epiſtolis ad Johannem Epiſcopum Primæ Juſtinianeæ.

Quæ Urbs in Albania vocatur Locrida, alias Achridus, nuncupata fuit aliquando Juſtinianea prima; Juſtinianea, quod in ea natus fuerit Juſtinianus; prima, ut diſtingueretur tum ab Ulpiano Mæſiæ ſuperioris, quæ dicta eſt Juſtinianea ſecunda, tum ab aliis Urbibus ideo eodem nomine donatis, quod ab ipſo Juſtiniano fuerint reſtauratæ. Illa igitur paullatim pluribus ornari, augerique privilegiis cœpit, ut liquet ex Novella 11. Conſtitutione, donec Metropolis facta Prævalitanæ Provinciæ, illud præterea obtinuit, ut ejus Urbis Antiſtes Primas, & Vicarius Sedis Apoſtolicæ exiſteret. Ad eam Epiſcopalem Sedem evectus fuerat Johannes, ad quem Gregorius gratulatus epiſtolam ſcripſit 8. lib. 4. in vulgari editione, & in Maurina
Can. 9. diſt. 63. & 23. lib. 2., cujus priora verba hæc ſunt: *Manifeſtum bonitatis eſſe liquet indicium, in unius electione convenire conſenſum. Quia igitur ſuſcepta &c.* Hic ea ſequuntur, quæ
Can. 10. diſt. 100. legimus apud Gratianum in can. 9. diſt. 63. eiſdem omnino verbis; poſt ea autem ſtatim legi debent verba canonis 10. diſt. 100. Ex his ſane obſervare merito poſſumus, Pontifices Maximos ſæculo ſexto pallium conſueviſſe concedere iis, qui Romanæ Sedis Vicarii in diverſis ſinguli Provinciis conſtituerentur, quemadmodum etiam conſtat ex epiſtola Gregorii ſuperius memorata ad Epiſcopos Epiri.

Alia

Digitized by Google

Alia eſt ad eundem Johannem epiſtola, ad quam referendus eſt canon 44. cau. Can. 44.
2. qu. 7. a Gratiano, aut quovis alio Scriptore, qui Gratiano auctor fuerit, om- cau. 2.
nino depravatus. Ea eſt epiſtola 31. lib. 12. in Maurina, & 34. lib. 10. in vul- qu. 7.
gari editione. Ibi Gregorius expoſitis Paulli Docleatini Epiſcopi criminibus, de quibus nimirum accuſatus fuerat Paullus, imo etiam depoſitus, ſubrogato in ejus locum Nemeſione, propoſuit, quid Johanni Primæ Juſtinianeæ Epiſcopo agendum ſupereſſet. Erat Doclea Urbs Epiſcopalis Illyrici ad Lacum Scodritanum, atque olim ſuberat Scodritano Epiſcopo, donec Juſtinianus, ut nuper tradebam, patriam ſuam ad dignitatem Metropolis evehi voluit; ex eo enim tempore Docleatinus Epiſcopus Epiſcopo Primæ Juſtinianeæ ſubjectus eſt. Cauſſam igitur Paulli Docleatini dirimendam voluit Gregorius abs Johanne, vel jure ordinario, tanquam Metropolita; vel etiam extra ordinem tanquam Sedis Apoſtolicæ Vicario. Eodem tempore Gregorius etiam ad Conſtantium Epiſcopum Scodritanum ſcripſit, ut operam ſuam jungeret cum Johanne ad rei ejuſdem, & cauſſæ executionem commodius obtinendam. Hæc ad Conſtantium epiſtola eſt 35. lib. 10. in vulgari, & 30. in lib. 11. in Maurina editione. Jamvero Gratiani fragmentum ad integram Gregorii epiſtolam exigamus. Ita ſcribit Gregorius: *Dilectiſſimus itaque lator præſentium Neemeſion ad nos veniens indicavit, ſicut & geſtorum exemplaria, quæ huc detulit, continebant, Paullum Docleatinæ Civitatis Epiſcopum inter alia mala in corporale crimen lapſum, a ſuis fuiſſe Clericis accuſatum, atque habita cognitione, ita, quod ſine dolore dicere non poſſumus, claruiſſe, atque inſuper, poſtquam convictus eſt, etiam eum libellum, in quo ea, de quibus accuſatus fuerat, vera eſſe confeſſus eſt, obtuliſſe. Qua de re ſententia illo epiſcopali depoſito, ejus loco ſe cum Fraternitatis veſtræ conſenſu eſſe Epiſcopum ordinatum. Sed nunc eundem Paullum cum auxilio ſæcularium Judicum venientem Epiſcopium more prædonis ingreſſum, ablatiſque violenter rebus Eccleſiæ ab eo ſe projectum, & ad ſummam injuriam, ac necem pene perductum. Et quoniam tantæ nequitiæ pravitas nec diſſimulanda, nec leviter attendenda eſt, Fraternitas veſtra hæc omnia diligenter curet addiſcere, & ſi ita ſe, ut edocti ſumus, veritas habet, prædictum Paullum diſtricta faciat executione compelli, ut quæcumque abſtulerit, omni mora, vel excuſatione ceſſante reſtituat; ſi vero nihil Eccleſiæ, ſed ſuum proprium dixerit abſtuliſſe, quamvis grave, & iniquum fuerit, ut non à vobis, vel Metropolitano ejus hoc peteret, ſed temerario auſu manu præſumeret agere; veruntamen ſiquid proprium tulit, ſub Fraternitatis veſtræ debet examinatione conſtare, ſi verum eſt. Sed & illud diligenter quærendum eſt, ſi quid male de rebus dilapidavit Eccleſiæ, ut ex eo, quod nunc abſtulit, hoc reformare, ac ſatisfacere modis omnibus compellatur.*

De epiſtolis ad Johannem Epiſcopum Corinthi.

Poſt dejectionem Anaſtaſii Corinthii Epiſcopi, quem *malum, & execrandæ pravitatis* paſtorem Gregorius vocat, ſucceſſit in Epiſcopali Sede Johannes, quem pro- Can. 3.
pterea idem Pontifex monet, ut non ſolum veſtigia Deceſſoris ſui non ſequatur, diſt. 106.
ſed lapſam in ea Eccleſia diſciplinam pro viribus reſtituat, præſertim vero ſimo- &
niam, ac ſimoniacos omnes deteſtetur. Gregorii epiſtola eſt 55. lib. 2. in vulgari, Can. 116.
& 57. lib. 5. in Maurina editione. Ex ea depromtus eſt canon 3. diſt. 106., ad cau. 7. qu. 1.
quem

quem ſane referendus eſt canon 116. cau. 1. qu. 1. Refert Sanctus Pontifex, olim in ſacris ordinibus conferendis ſimoniæ vitium admiſſum fuiſſe, a quo propterea in poſterum recedendum monet. Hac de re addit, ſe jam nonnulla conſtituiſſe in Concilio Romano *facto ante corpus B. Petri Apoſtolorum Principis*, quod forte quiſpiam referet ad acta Concilii Romani in collectionibus Conciliorum adjecta epiſtolis Gregorianis, in quibus cap. 5. hæc leguntur. *Antiquam Patrum regulam ſequens nihil unquam de ordinationibus accipiendum eſſe conſtituo, neque ex datione pallii, neque ex traditione chartarum, neque ex ea, quam nova per ambitionem ſimulatio invenit appellatione paſtelli.* De hujuſmodi paſtello fit etiam mentio in can. 7. cau. 1. qu. 3., & nomine Gregorii in cap. 1. de ſimonia; item in can. 15. cau. 1. qu. 3. verum an ea acta Concilii Romani, ex quibus is canon eruitur, vere tribuenda ſint Gregorio, admodum dubitant eruditi, quorum plurimi illa tamquam apochrypha rejiciunt, adfirmantque longe recentiore ætate inductam fuiſſe conſuetudinem illam deteſtabilem, ac propterea ſacris canonibus improbatam, ut in ſacris ordinationibus nihil quidpiam daretur pro ipſa ordinatione, ſed prætextu prandioli, quod paſtum, vel paſtellum vocabant. Igitur verba Gregorii ad alios canones erunt exigenda, & ad aliud Concilium Romanum, cujus acta deperierint. Verba Gratiani in dicto canone 3. ita erunt emendanda: *Novit autem Fraternitas veſtra, quia prius pallium, niſi dato commodo non dabatur. Quod quoniam incongruum erat, facto Concilio ante corpus B. Petri Apoſtolorum Principis tam de hoc, quam de ordinationibus aliquid accipere ſub diſtricta interdictione vetuimus. Oportet ergo, ut neque per commodum, neque per gratiam, aut quorundum ſupplicationem aliquos ad ſacros Ordines conſentiatis, vel permittatis adduci*. Monachi Maurini omittunt has duas voces *vel permittatis*. Mens autem Gregorii in his verbis hæc erat. Nimirum demonſtrabat, eccleſiaſticam diſciplinam valde corrumpi per ſimoniacas ordinationes Epiſcopis ſane, & Clericis omnibus indignas. Hujus rei argumentum depromſit ex recenti conſtitutione Concilii Romani, qua cautum fuerat, ut ne pro pallio quidem quidpiam dandum eſſet, aut recipiendum, licet olim aliquid ejus cauſſa donari conſueviſſet. Sane pallium non inter ſacra omnino ornamenta tunc recenſebatur, ſed Clariſſimorum Principum erat inſigne, ab Imperatoribus primum Romanis Pontificibus datum, deinde a Romanis Pontificibus Epiſcopis quibuſdam majoribus, qui ſpeciali privilegio dignitatis ſuæ illuſtria quædam inſignia merebantur. Erat illud, non quale eſt in præſentia ex lana contextum, & brevibus faſciolis compoſitum, ſed ampla chlamys aureis tæniis ornata undique, & ad pompæ ſolemnitatem elaborata. Hinc minime abſurdum eſſe potuit, in conceſſione pallii quidpiam ab accipiente quaſi in compenſationem pretii dari conſueviſſe aliquando; at vero cum pallium occaſione ordinationis Epiſcopalis dari cœpit, ne quod pro pallio dabatur, dari videretur pro ſacra ordinatione, opportunum fuit definire, pallium etiam gratis concedendum fore. Atque hinc forte contingere potuit, ut pallia in aliam formam redigerentur, quemadmodum recentiore ætate cernuntur. Sed de hac re alibi commodius.

Can. 6. Alia ad eundem Johannem Corinthium eſt epiſtola 51. lib. 4. in veteri, 52.
& 7. lib. 5. in Maurina editione; in qua eadem propemodum cauſſa tractatur, nimirum
cau. 2. de Anaſtaſio Johannis Deceſſore. Cum enim illi graviſſima crimina, præſertim ſi-
qu. 3. moniæ, objicerentur, Gregorius ipſe cauſſam dirimendam mandaverat Secundino Epiſcopo, ac deinde hujus geſta in hac parte laudavit in hac ipſa epiſtola Gregorius

Digitized by Google

gorius idem, una ſuggerens quid abs Johanne Corinthio agendum eſſet cum Paullo Diacono, qui ad Epiſcopi ſui Anaſtaſii accuſationem rite quidem proceſſerat, ſed prævaricatus fuerat ſpe præmii, quod accuſatus Epiſcopus ipſi ſpoponderat; item quid agendum cum Euphemio, & Thoma etiam accuſatoribus, qui ab Anaſtaſio ipſo ſacris Ordinibus initiati fuerant, pactione inita, ut ab accuſatione recederent. Referuntur hæc in can. 6. & 7. cau. 2. qu. 3., qui quoniam paullo aliter, quam in integris epiſtolæ exemplaribus leguntur, ita ſunt rectius deſcribendi. Ait Gregorius: *Paullum itaque Diaconum latorem præſentium, quamvis culpa ſua vehementer confundat, atque redarguat, quod deceptus promiſſione ab accuſatione nuper depoſiti quondam Epiſcopi ſui deſtiterit, & cupiditatis ſtudio ſilere contra animam ſuam potius, quam prodere vera conſenſerit, tamen quia pios plus nos eſſe convenit, quam diſtrictos, hanc ei culpam ignoſcimus*. Et paullo poſtea: *Euphemium vero, atque Thomam in ordine, locoque tantummodo, unde ad ordines ſacros promoti fuerunt, volumus revocari, & cunctis diebus vitæ ſuæ eorundem locorum continentiam*, (ideſt annua vitæ ſubſidia) *ſicut conſueverunt ante, percipiant*. Sunt hac ratione ad optimos codices reſtituti canon 6. & 7. ſuperius memorati. Attamen animadvertendum adhuc ſupereſt, in can. 6. §. *Omnis igitur* Gratianum ea retuliſſe, quæ apud Gregorium non habentur, quæque alibi idem Gratianus refert nomine Fabiani, aut Sixti, in can. 4. cau. 2. qu. 8., & can. 1. cau. 3. qu. 6., de quibus jam actum eſt ſuo loco.

De epiſtola ad Johannem Lariſſæum.

Urbs mediterranea Theſſaliæ eſt Lariſſa, olim Metropolis ad Penæum fluvium in Pelaſgiotide regiuncula inter Pierium montem ad Boream, & Pelaſgicum ſinum ad Auſtrum, quæ hodie eſt ſub dominatione Turcarum. Huic Civitati tempore Magni Gregorii præerat Johannes Epiſcopus, ad quem epiſtolam Sanctus Pontifex ſcripſit, quæ in Maurina editione eſt 7. lib. 3., in vulgari 7. lib. 2. Epiſtolæ argumentum ut percipiatur, operæ pretium erit primum expendere diſciplinam, quæ in Epiſcoporum, judiciis, & accuſationibus ſæculo ſexto vigebat ex Novellis Conſtitutionibus Juſtiniani, præſertim vero ex Nov. 83. Ibi conſtitutum fuit, ut ſi in civilibus negotiis conveniretur Epiſcopus, cauſſa coram Archiepiſcopo dirimeretur, ne ſi ad alia judicia pertraheretur, a ſacro cogeretur miniſterio vacare; at ſi difficultates quædam ſuborirentur, aut propter cauſſæ naturam, aut alia quædam adjuncta, quibus coram Archiepiſcopo cauſſa finiri non poſſet, ad civiles judices pergeretur juxta Romani juris regulas pronunciaturos: ſi vero criminalis eſſet controverſia, ut illa coram competentibus judicibus, quales erant in Provinciis Præſides, agitaretur, exceptis delictis eccleſiaſticis, ut vocant, quæ Synodorum cognitioni reſervata ſemper fuerunt. His igitur legibus diſciplina judiciorum clericalium conſiſtebat, dum memoratus Lariſſæ Epiſcopus Johannes adverſus Hadrianum Thebanæ Civitatis Epiſcopum ſententiam damnationis pronunciavit. Porro Thebana Eccleſia fertur olim Lariſſæo Epiſcopo, tanquam Metropolitæ ſubjecta, licet tamen auctoritate Pelagii II., qui Gregorium præceſſit, ab ejuſdem juriſdictione ſubducta fuerit, forte autem ſubjecta Primæ Juſtinianeæ Epiſcopo, qui nuper metropolitica jura, curante Juſtiniano Imperatore, obtinuerat. Nihilo tamen minus Johannes Lariſſæus eam exemtionem parvi pendens Thebani Epiſcopi cauſ-

Can. 52. cau. 16. qu. 1. & Can. 13. cau. 25. qu. 1.

ſam ipſe diſcuſſerat, reumque agnitum damnaverat, eamque juriſdictionem eo audentius explicavit, quo gravior erat auctoritas, qua innitebatur, nimirum Mauricii Imperatoris. Hadrianus Thebanus Epiſcopus a duobus primum improbis Thebanæ Eccleſiæ Diaconis apud Imperatorem Mauritium fuerat de criminibus accuſatus. Imperator, ut arbitror, ignarus Thebanum Epiſcopum nuper a Lariſſæi Epiſcopi juriſdictione exemtum fuiſſe auctoritate Pelagii II., ratus antiqua Metropoleos jura Lariſſæo Epiſcopo ineſſe, cauſſam Hadriani in eo, quod erat civilis negotii admixtum, Lariſſæo Epiſcopo dirimendam mandavit, in eo vero, quod ad crimina objecta pertinebat, ſibi reſervavit, juxta memoratam Juſtiniani Conſtitutionem. Hac Imperiali delegatione fretus Johannes Lariſſæus præcipitato judicio Hadrianum damnavit, quin ſolertius in cauſſæ ipſius adjuncta incubuiſſet, quod ſane ſi perfeciſſet, animadvertiſſet Hadrianum nonniſi ex privato memoratorum Diaconorum odio fuiſſe accuſatum, & callida quadam ſuggeſtione ad aulam Imperatoris, & cauſſam, & Epiſcopum fuiſſe delatum. Poſt eam Epiſcopi Lariſſæi ſententiam provocavit Hadrianus ad Imperatorem, qui novam cauſſæ cognitionem demandavit Honorato Sedis Apoſtolicæ Diacono, & Sebaſtiano viro laico, quem *Glorioſum Antigraphum* Gregorius vocat; qui judices, cauſſa cognita, eundem Hadrianum abſolverunt. Nondum abſoluta res fuit, ſed calliditate hominum invidorum rurſus factum eſt, ut cauſſa coram Johanne Primæ Juſtinianeæ Archiepiſcopo Principali interveniente juſſione retractaretur, quemadmodum ipſemet Gregorius ait; quod ego arbitror ex eo profectum, quia nonnulli objecerint judicialia geſta eo uſque fuiſſe prorſus invalida, quod ex errore primum Thebani Epiſcopi cauſſa a Lariſſæo Epiſcopo diſcuſſa fuerat, quæ erat ab Epiſcopo Primæ Juſtinianeæ diſcutienda. Itaque deducta cauſſa ad Epiſcopum Primæ Juſtinianeæ damnatus eſt Hadrianus, atque ab Epiſcopali Sede depoſitus, qui propterea aliam ſibi ineundam ſupereſſe viam non agnovit, quam ut ad Gregorium Pontificem confugeret, quemadmodum revera confugit. Eum Gregorius benigniſſime excipiens in propriæ dignitatis ordinem revocandum eſſe decrevit. Hic ſubſiſto; jam enim exinde facilis redditur interpretatio canonis 52. cau. 16. qu. 1., cujus priora verba uſque ad illa *neque canonice condemnatum*, recte conſonant cum initio Gregorianæ epiſtolæ. Quæ vero in epiſtola Gregorii ſubjiciuntur, atque a Gratiano omittuntur, ſpectant integram facti ſeriem, de qua conqueritur Sanctus Pontifex, omnia fraudibus, & calliditatibus invidorum, ac perfidorum hominum fuiſſe peracta. Poſt quæ ita proſequitur: *Sed de Johanne Primæ Juſtinianeæ Urbis Antiſtite, ac de nequiſſimo ejus, damnandoque judicio alias ſumus, juvante Domino, tractaturi. Hadrianum &c.*, quemadmodum apud Gratianum in dicto canone 52. uſque ad verba illa: *Decernimus juſſione percipere*. Poſt quæ ſtatim ſubſequuntur, quæ habentur in can. 13. cau. 25. qu. 1. hoc modo: *Hac enim conſona Sanctis Patribus &c.*, poſt quæ rurſus adſuenda ſunt, quæ habentur in verſ. *Res autem* ultimo in memorato canone 52. uſque in finem.

De epiſtolis ad Maximum Salonitanum.

Dalmatiam univerſam turbaverat cauſſa Maximi Salonitani (erat olim Salona Dalmatiæ Urbs Princeps, ex cujus ruderibus deinde crevit Spalatum); nimirum cum

cum vacaſſet Salonitana Eccleſia nihil non molitus eſt Maximus, ut eandem quocumque modo occuparet. In primis data, promiſſave pecunia, nonnullorum Epiſcoporum ſuffragia mercatus eſt, deinde quos ſibi refragantes accepit, vi facta, & irruens armis dejecit. Spreta hinc canonica electio, neglecta Pontificis Maximi auctoritas, omnia ſuſdeque everſa. Eo tandem devenit Maximus, quo promotioni ſuæ quandam conciliaret auctoritatem, ut fingeret Imperatoris Diploma, quo ſibi conceſſum jure fuiſſe Epiſcopatum apertiſſime declararetur. Bonis omnibus diſplicuit tantus ambitus, præſertim Gregorio Papæ, qui perditum hominem, impium ſicarium, & impudentem falſarium ab Altaris communione pronunciata ſententia removit. Factus hinc fuit audentior Maximus, nam Gregorii ſententia ſpreta ſacra officia publice obiit de more, imo & ipſam epiſtolam Papæ, in qua ſententia damnationis continebatur, publice ſcindendam voluit. Tandem vero pœnitentia motus vetera crimina expiavit, quem propterea Gregorius ex indulgentia ſingulari ad communionem eccleſiaſticam reſtituit, imo etiam conceſſa Epiſcopi dignitate, ſacro pallio decoravit juxta ſuorum Prædeceſſorum morem. Re ita explicata facile percipitur canon 9. diſt. 12., qui ſane parum congruere videtur propoſito Gratiani. Excerptus ille eſt ex epiſtola 81. lib. 9. in Maurina, & 82. lib. 7. in vulgari editione, in qua benigne Gregorius Maximum pœnitentem alloquitur his verbis: *Poſtquam ergo Fraternitas tua Apoſtolicæ Sedis communionem ſe reparaſſe cognovit, perſonam ad Nos tranſmittat, quæ pallium tibi deferendum ex more percipiat. Nam quemadmodum illicita perpetrari non patimur, ſic quæ ſunt conſuetudinis, non negamus*. In hac porro epiſtola Gregorius Maximum utpote converſum ad catholicam unitatem jam *Salonitanum Epiſcopum* ſalutavit. *Can. 9. diſt. 12.*

Non ita ſe Gregorius geſſit in alia epiſtola, quam antea ad Maximum ſcripſerat, quo tempore ex ambitu omnia turbabat. Ea eſt epiſtola 25. lib. 5. in vulgari, & lib. 6. in Maurina editione. Illius inſcriptio hæc eſt, *Gregorius Maximo arreptori Eccleſiæ Salonitanæ*; vel ut alii codices exhibent: *Gregorius Maximo in Salona, qui Epiſcopatum arripuit*. Ibidem Gregorius Maximum commonefacit, ut ab ambitu ſuo recedat, debitam Prælatis obedientiam exhibeat, necnon Romam, ſiquod ſuffragium, vel jus habeat, pergat oſtenſurus. Hinc depromtus eſt canon 1. cau. 6. qu. 5., cujus priora verba ita legenda ſunt: *Nam quod poſtulas, ut illuc perſonam dirigere debeamus, qua præſente de his quæ dicuntur, poſſit eſſe probatio &c.* *Can. 1. cau. 6. qu. 5.*

Eundem Maximum *Salonitanæ Eccleſiæ Præſumtorem* appellat Gregorius in epiſtola 20. lib. 3. in vulgari, & lib. 4. in Maurina editione, ubi Gregorius eundem Maximum ab officio Sacerdotis amovet, quouſque conſtitiſſet de Imperiali Diplomate, quod ſe obtinuiſſe Maximus ajebat, quemadmodum ſuperius animadverti. Ex hac epiſtola excerptus eſt canon 1. cau. 9. qu. 1., cujus ſententia ex præcedentibus epiſtolæ verbis clarior adparebit, ibi: *Additur inauditum nefas, quod per interdictionem quoque noſtram, quæ ſub excommunicatione tua, ordinantiumque te facta eſt, cæſis Presbyteris, Diaconibus, ceteroque Clero, manu militari ad medium diceris deductus. Quam rem Nos conſecrationem dicere nullo modo poſſumus, quia ab excommunicatis eſt hominibus celebrata*. *Can. 1. cau. 9. qu. 1.*

Digitized by Google

De epiſtolis ad Natalem Salonitanum Epiſcopum.

De Natali Salonitano Epiſcopo nonnulla jam diſſerui ſuperius, ubi actum eſt de Antonino in Dalmatia Subdiacono, præſertim quod ſpectat Honoratum Archidiaconum, quem Natalis injuſte, & prætextu promotionis ad majorem gradum honore, & officio exuerat. Erat Natalis in rebus eccleſiaſticis adminiſtrandis maxime negligens, cognatis ſuis, & amicis indulgens. Ad eum ſcripta eſt epiſtola Gregorii 14. lib. 2. in vulgari, & 18. lib. 2. in Maurina editione, in cujus initio
Can. 5. dist. 44. legitur canon 5. diſt. 44., ubi pro verbis illis *ſi hæc actionum tuarum*, legendum eſt ex integris codicibus: *niſi hæc actionum tuarum*. Exhibent hæc perſpicue indolem Epiſcopo indignam Natalis. Quæ ſequuntur in epiſtola, reſpiciunt cauſſam Honorati Archidiaconi; hunc enim, ut præfatus ſum, cum obſiſteret pravæ rerum eccleſiaſticarum adminiſtrationi, Natalis ab Archidiaconatu tranſtulit ad Presbyteratus ordinem reluctantem, & invitum; atque in locum ipſius alium ſibi indulgentem ordinavit. Eamobrem irritam declaravit Gregorius utriuſque ordinationem,
Can. 40. cau. 7. qu. 1. voluitque ſubſtitutum Archidiaconum a miniſterio perperam ſuſcepto ceſſare, Honoratum vero in ſuum gradum reſtitui. Sententia Gregorii integra habetur in canone 40. cau. 7. qu. 1.

Alia eſt epiſtola Gregorii ad Natalem 37. in vulgari, 52. in Maurina editione
Can. 6. diſt. 44. lib. 2. In ea ferme eadem repetit Gregorius, quæ in præcedente, Natalem Epiſcopum paterne corrigens, & ad meliorem frugem excitans. Quoniam vero Natalis laudaverat apud Gregorium frequentia, quibus delectabatur, convivia, quaſi ad benevolentiam conciliandam inſtructa, reſpondet Gregorius: *Convivia autem communia, quæ ex intentione impendendæ charitatis fiunt, recte Sanctitas veſtra in ſuis epiſtolis laudat. Sed tamen ſciendum eſt &c.* Hæc retulit Gratianus in can. 6. diſt. 44.

Præterea reſponderat Natalis ſe ordinem eccleſiaſticum non ignorare, quod a
Can. 10. cau. 25. qu. 2. Gregorio in præcedente epiſtola ſibi objectum fuerat. Reſcripſit autem hoc in loco Gregorius: *Quod autem vos fatemini eccleſiaſticos ordines ignorare non poſſe, ego quoque hoc de vobis per omnia ſcio, atque idcirco valde contriſtor; quia cum rerum ordinem ſcitis, in me, quod pejus eſt, ſciendo dereliquiſtis. Poſtquam enim ad Beatitudinem veſtram, & Deceſſoris mei, & mea in cauſſa Honorati Archidiaconi ſcripta directa ſunt, tunc contemta utriuſque ſententia præfatus Honoratus proprio gradu privatus eſt. Quod ſi quilibet ex quatuor Patriarchis feciſſet, ſine graviſſimo ſcandalo tanta contumacia tranſire nullo modo potuiſſet. Tamen poſtquam Fraternitas veſtra ad ſuum ordinem rediit, nec ego meæ, nec Deceſſoris mei injuriæ memor ſum. Quod vero dicitis noſtris temporibus debere ſervari*, (hæc retulit Gratianus in can. 10. cau. 25. qu. 2.) *quæ a meis quoque Prædeceſſoribus tradita, atque cuſtodita ſunt, abſit hoc a me, ut ſtatuta Majorum Conſacerdotibus meis in qualibet Eccleſia infringam, quia mihi injuriam facio, ſi Fratrum meorum jura perturbo. Sed cum reſponſales veſtri advenerint, quæ inter vos, & præfatum Honoratum Archidiaconum ſint geſta, cognoſcam, & ex ipſo meo examine perpendetis, quia ſi pars veſtra per juſtitiam fulta eſt, nihil adverſi a me perferetis, ſicut nec ante pertuliſtis. Sin vero ſæpefato Honorato Archidiacono in aſſertione ſua juſtitia ſuffragatur, ex ejus abſolutione monſtrabo, quia perſonas, etiam quas novi, in judicio non cognoſco. De excommunicationis vero articulo* (hic eſt canon

15.

Digitized by Google

15. cau. 24. qu. 3.) *quæ tamen interpoſita conditione gradus, ſecundo, vel tertio, jam ut ita dicam, ex neceſſitate ſubjuncta eſt, Beatitudo veſtra immerito queritur, cum Paullus Apoſtolus dicat: In promtu habentes ulciſci omnem inobedientiam. Sed iſta jam tranſeunt, ad noſtra redeamus. Si enim recte agit, ego Domno Natali non poſſum conjunctus non eſſe, cujus me affectui valde eſſe debitorem novi.* Sic recte conjuncti ſunt canones, quos ex eodem contextu diverſas in partes diſciderat Gratianus. Ex his autem, quæ deſcripta ſunt, liquet integram hanc Gregorii epiſtolam objectam fuiſſe reſponſionibus Natalis Salonitani, qui conqueſtus fuerat ſe a Gregorio redargui, quod Ordinum eccleſiaſticorum rationem ignoraret, ſive Prælatis ſuis minime obtemperaret, item quod non æquo judicio communione eccleſiaſtica privatus eſſet. Quibus reſcripſit Gregorius, primo Ordinem eccleſiaſticum non viſum fuiſſe notum Natali, ubi non paruit Romanis Antiſtitibus, a quibus præceptum erat, ut Honoratus in priſtinum ſtatum reſtitueretur; quod ſi Natalis ſe Ordinem eccleſiaſticum non ignorare aſſeruit, eo vehementius conqueſtus eſt Gregorius, cum videret negligi a Natali Ordinem eccleſiaſticum non ex ignorantia, ſed ſponte, & animo deliberato. Ex quibus magis magiſque intelligitur Gregorii ſententia in memorato canone 5. diſt. 44. ibi: *Ipſum quoque uſum eccleſiaſtici Ordinis ignores.* Deinde ait Gregorius, ſe quidem minitatum fuiſſe Natali pœnam excommunicationis, ſed poſt ſecundam, vel tertiam monitionem, imo & adjecta conditione, niſi reſipuerit. Notant in iis verbis Maurini, vocem illam *gradus,* quæ legitur in dicto canone 15., in pleriſque MSS. Codicibus deſiderari; quidquid ibidem obſervaverint Romani Correctores. Can. 15. cau. 24. qu. 3.

Ad eandem Honorati Archidiaconi Salonitani cauſſam pertinet canon 2. diſt. 74. depromtus ex epiſtola Gregorii 19. lib. 1. eiſdem omnino verbis. Quod ibidem dicitur de *Secretario,* in quo confecta fuerant geſta Concilii habiti in cauſſa Honorati, referenda ſunt ad veterem Epiſcoporum morem, qui in Secretario Eccleſiæ ſuæ Concilia Diœceſana celebrare ſolebant. Porro Secretarium idem erat, ac Diaconicum, ſive pars templi ſecreta, in quam Epiſcopus ſeſe recipere ſolebat ante, & poſt Sacra celebrata, quemadmodum commode deducitur ex Concilio Laodiceno can. 21., & Sidonio Apollinari lib. 5. epiſtola 17. Cum hac cauſſa Honorati ſimilis fuit cauſſa Ætii Archidiaconi Conſtantinopolitani; quemadmodum enim Honoratus ſub promotionis ſpecie dejectus eſt a Natali Salonitano, ita Ætius ſub eodem prætextu dejectus eſt ab Anatolio Conſtantinopolitano. Hinc quemadmodum Gregorius dejectionem Honorati improbavit in locis nuper laudatis, ita Leo Magnus jamdudum improbaverat dejectionem Ætii, ita ſcribens ad Marcianum epiſt. 84. *Qui* (nimirum Anatolius) *non inveniens quod argueret in fide, quod improbaret in moribus, dejectionem innocentis per ſpeciem honoris implevit.* Can. 2. diſt. 74.

De epiſtola ad omnes Salonæ Conſiſtentes.

Recolenda ſunt iterum hoc in loco, quæ ſuperius tradidi ad epiſtolas Gregorii ad Maximum Salonitanum, (qui nimirum impetu facto Eccleſiam Salonitanam invaſerat) ut facilius percipiatur argumentum Gregorianæ epiſtolæ 26. in vulgari editione lib. 5., in Maurina lib. 6., cui hæc ineſt inſcriptio: *Gregorius dilectiſſimis Filiis Clero, & Nobilibus Salonæ conſiſtentibus.* Cum enim Gregorius adverſus Maximum Can. 2. diſt. 93. & ca. 1. cau. 1. qu. 6.

mum

mum vehementiſſime fuerit indignatus, hac epiſtola certiores fecit Salonitanos Cives, ſe non privato odio ea in cauſſa duci, ſed ex zelo eccleſiaſticæ diſciplinæ, mirari tamen interea, quod ex tot Salonitanis Civibus, ac Clericis perpauci admo-
Can. 2. dum fuerunt, qui a Maximi communione abſtinuerint. Gregorii verba, ad quæ
cau. 1. exigendus erit canon 2. cau. 1. qu. 6., hæc ſunt: *Pervenit ad me quoſdam perverſæ*
qu. 6. & *mentis homines, ut dilectionis veſtræ animos vulnerarent, vobis inſinuare conatos, quia*
can. 2. *ego contra Maximum quodam odio movear, & non magis quæ canonica, ſed ea, quæ*
diſt. 93. *furoris ſunt, exequi concupiſcam. Sed abſit hoc, abſit a ſacerdotali animo, ut in qualibet cauſſa privato zelo moveatur. Ego autem & veſtræ dilectioni providens &c.*, quæ leguntur in memorato canone 2. Poſt nonnulla ſequuntur in epiſtola verba canonis 2. diſt. 93., in quibus nihil eſt ſingulare, & dignum animadverſione.

De epiſtola ad Sabinianum Epiſcopum Jadertinum.

Urbs Archiepiſcopalis Illyrici eſt Jadera, vulgo *Zara* adpellata, cujus Antiſtes
Can. 3. Gregorii Magni tempore erat Sabinianus. Ad ipſum ſcripta eſt epiſtola 25. lib. 7.
diſt. 50. in vulgari, & 24. lib. 8. in Maurina editione. Ei gratulatur Sanctus Pontifex, quod abſtinuiſſet a communione Maximi Salonitani, cui ipſe Gregorius, ut ſuperius dictum eſt, ſua communione interdixerat, eaque occaſione nonnulla ſubjecit in cauſſa cujuſdam lapſi Presbyteri, quem non eſſe in gradu priſtino recipiendum docet, quemadmodum refert Gratianus in can. 3. diſt. 50., cujus priora verba ita legenda ſunt ex optimis epiſtolæ exemplaribus: *Presbyterum vero, de quo nos Fraternitas tua latoris præſentium relatione conſuluit &c.* Ex his ſane deducitur, Gregorium fuiſſe vigilantiſſimum veteris eccleſiaſticæ diſciplinæ cuſtodem, atque adſertorem, juxta quam Clericis ſemel lapſis nulla reſtitutionis ſpes ſupererat, quemadmodum & idem Gregorius alibi docet, nimirum in epiſtola ad Januarium Calaritanum, ex qua deſumtus eſt canon 9. diſt. 50., & in epiſtola ad Petrum Subdiaconum, quæ eſt 18. lib. 1. in fine. Hinc poſtrema canonis verba, quibus dicitur cum reo *mitius agendum eſſe*, quia facili profeſſione facinus ſuum confeſſus fuerat, non ita intelligenda ſunt, ut reus idem in ſuum ordinem reſtituatur, ſed ut mitiori pœnitentiæ ſubjiciatur.

SECTIO VII.

De epiſtolis per Apuliam, & Calabriam directis.

De epiſtola ad Andream Tarentinum.

Tarentum olim magnæ Græciæ, nunc Regni Neapolitani pars eſt in Provincia
Can. 7. Hydruntina, hodie Civitas Archiepiſcopalis. Tempore Gregorii erat ejus Urbis
diſt. 33. Antiſtes Andreas, quem de concubinatu reprehendit Sanctus Pontifex in epiſtola 44. lib. 2. in vulgari, & 45. lib. 3. in Maurina editione his verbis: *Tribunal Judicis Æterni ſecurus adſpiciet, quiſquis reatus ſui conſcius digna eum modo pœnitentia pla-*

placare contendit. Habuiſſe te ſiquidem concubinam manifeſta veritate comperimus, & te illius criminis participationem habere. De qua etiam contraria eſt quibuſdam nata ſuſpicio &c. Ex his ſupplendus erit, atque emendandus canon 7. diſt. 33. De eadem cauſſa ſcripſit Gregorius ad Johannem Epiſcopum Callipolitanum his verbis: *Ex geſtis, quæ ad Nos Fraternitas tua direxit, inventum eſt Andream fratrem, & Coepiſcopum noſtrum habuiſſe ſine dubio concubinam. Sed quia incertum eſt, ſi eam in ſacro ordine conſtitutus contigerit, neceſſe eſt, ut eum ſollicita adhortatione commoneas, ut ſi poſitus in ſacro ordine cum ea ſe novit immixtum, ab eo, in quo eſt, officio quieſcat, & nullatenus adminiſtrare præſumat.*

De epiſtolis ad Sergium Defenſorem, & Vitalianum Epiſcopum Sipontinum.

Urbs Apuliæ Epiſcopalis olim erat Sipontum, cujus dirutæ loco ſita deinde eſt Manfredonia in ora maritima ad radices montis Gargani. In hac Urbe munere Defenſoris fungebatur Sergius. Porro Defenſoris officium duplex erat; alii enim civiles Defenſores, & publici Urbibus Imperiali auctoritate præſidebant; alii eccleſiaſtici, qui ſingularem viduarum, pauperum, Monachorum, & Clericorum curam gerebant utraque freti auctoritate, civili nimirum, atque eccleſiaſtica, de quibus mentio fit in Novella Juſtiniani 56. Ex hoc poſteriori genere erat Sergius, ad quem habemus epiſtolam 10. lib 7. in vulgari, & 9. lib. 8. in Maurina editione relatam integre apud Gratianum in can. 19. cau. 27. qu. 1. Ibi Gregorius Sergium monet, ut una cum Vitaliano Sipontino Epiſcopo curet, virginem quandam e monaſterio poſt elicitam profeſſionem regreſſam in monaſterium reverti. Verba epiſtolæ paullo diſcrepant a verbis Gratiani; nam ubi Gratianus legit: *Nuncius pervenerit . . . ubi diſtricte . . . pœna poſſis reſerante . . . quæ modo facere præceperis, a te debueramus etiam cum ultione ante facta cognoſcere*, legitur in epiſtola: *Nuncius perveniret . . . ubi ſtricte . . . pœna poſſis reſecante . . . quæ modo facere præciperis, a te debueramus etiam cum ultione facta cognoſcere.* *Can. 19. cau. 27. qu. 1.*

Eandem ob cauſſam ſcripſit Gregorius ad Vitalianum Sipontinum Epiſcopum, epiſt. 9. lib. 7. in vulgari, & 8. lib. 8. in Maurina editione; quæ integra refertur in can. 18. cau. 27. qu. 1. Levia nonnulla emendare oportebit, ut canon Gratianeus omnino cum integris epiſtolæ exemplaribus conveniat. Nimirum ubi legit Gratianus: *Nam ſi ut præfati ſumus . . . quia ergo tantum habes . . . in Monaſterio &c.* Legendum eſt: *Nam ſicut præfati ſumus . . . quia ergo tantum hebes . . . in Monaſterium &c.* Monent etiam Maurini Monachi in illis verbis: *Non credimus laicorum &c.* in nonnullis MSS. Codicibus legi: *Non credimus Clericorum, vel Laicorum &c.* Ex toto autem contextu liquet, ideo Gregorium de ea re ad Vitalianum ſcripſiſſe, quia Vitalianus parum de eo crimine puniendo, emendandove ſollicitus videbatur, quando potius, ac prius de pœna inflicta certiorem Pontificem Maximum reddere debuiſſet, quam Pontifici Maximo quid actum eſſet, renunciaret. Hæc ſententia plurimum convenit cum lege 3. cod. de officio Præfecti Prætoriorum Orientis, & Illyrici, qua cavetur, ab judicibus inferioribus ad Supremos Magiſtratus, *non crimina, ſed vindictam ipſam referri*; ſive Romanorum minores Magiſtratus paratos eſſe debuiſſe ad animadvertendum in facinoroſos homines, non ſupremi Magiſtratus juſſionem expectare. *Can. 18. cau. 27. qu. 1.*

SECTIO

Digitized by Google

Sectio VIII.

De epiſtolis directis per Lucaniam, & Brutios.

De epiſtolis ad Bonifacium Epiſcopum Regienſem.

Gratianus relaturus in can. 9. diſt. 32. Gregorii monumentum, quo oſtenderet Subdiaconis ſervandæ caſtitatis obligationem imminere, refert quidem integrum, accommodatumque fragmentum epiſt. 5. lib. 3. in vulgari, & lib. 4. in Maurina editione ad Bonifacium Epiſcopum Regienſem; ex eo tamen non ſatis aperte liquet Gregorii propoſitum, nil aliud adſerentis, quam a Subdiaconis Regienſibus illud ipſum ſervandum eſſe, quod jam pridem cuſtodiendum mandatum fuerat Subdiaconis Siciliæ. Quamobrem huc revocanda erit epiſtola Gregorii ad Petrum Subdiaconum in Sicilia, ex qua depromti ſunt canon 1. diſt. 28., & can. 1. diſt. 31.; ex illis enim aperte liquet, Siciliæ Subdiaconos continentiæ ſervandæ lege obſtrictos fuiſſe.

Can. 9. diſt. 32.

Ad eundem Bonifacium Regienſem ſcripta eſt epiſtola 43. lib. 2. indict. 11. in vulgari editione, 44. lib. 3. in Maurina, ubi Gregorius Bonifacium monet, ut fœminæ cuidam reſtituat ea bona, quæ Lucius Bonifacii deceſſor, cum ad illam pertinerent, per vim occupaverat, & Eccleſiæ addixerat. Initium hujus epiſtolæ eiſdem omnino verbis legitur in can. 49. cau. 12. qu. 2.

Can. 49. cau. 12. qu. 2.

Non idem ſane Bonifacius Regienſis eſt, ad quem ſcripta eſt Gregorii epiſtola, ex qua legimus canonem 2. cau. 27. qu. 1., quemadmodum nec idem eſt Gregorius Magnus illius auctor. Ivo in cap. 63. partis 7. eadem verba referens laudavit fragmentum his verbis: *Ex epiſtola S. Gregorii Papæ miſſa ad Bonifacium.* Eodem fere modo Burchardus in cap. 45. lib. 8. *Ex epiſtola Gregerii Papæ miſſa ad Bonifacium.* Regino Prumienſis eadem retulit tum in cap. 56. prioris appendicis, tum in cap. 45., & 46. poſterioris cum hac inſcriptione: *Ex epiſtola B. Gregorii Papæ Bonifacio Archiepiſcopo miſſa, in qua inter cetera ita legitur.* Idem titulus habetur in additione 4. Capitularium cap. 88. Ex quo facile liquet, hanc epiſtolam tribuendam eſſe potius aut Gregorio II., aut Gregorio III. in epiſtola ad Bonifacium Epiſcopum in Germaniam miſſum, niſi forte quiſpiam malit epiſtolam hanc ipſam adſcribere Zachariæ Gregorii III. ſucceſſori, cujus epiſtolæ etiam plures extant ad Bonifacium eundem ſcriptæ, atque ad eandem propemodum cauſſam pertinentes; quæ propterea a collectoribus confundi facile potuerunt, ut aliæ pro aliis ſumerentur. Quicumque autem ex iis Pontificibus auctor fuerit Gratianei monumenti, parum referre videtur, dummodo animadvertamus, diſciplinam ibidem traditam recte congruere initio octavi ſæculi, quo iidem Pontifices floruerunt; dummodo præterea epiſtola non referatur ad ipſa initia miſſionis Bonifacii Epiſcopi in Germaniam; etenim quod in memorato canone 2. traditur, ſupponit Germanorum Eccleſiam jam ſuſcepiſſe tunc non tantum Chriſti Fidem, quæ præcipua erat, ſed Eccleſiaſticam etiam diſciplinam. Interea nonnihil intererit eadem verba canonis referre, prout in Capitularibus leguntur, tamquam in eo exem-

Can. 2. cau. 27. qu. 1.

exemplari, quod ceteri Collectores ſequuti fuiſſe videntur. Ita exhibet Capitularium Collector in addit. 4. cap. 88. *Viduas a propoſito diſcedentes viduitatis, ſuper quibus nos conſulere voluit dilectio tua, Frater chariſſime, credo te noſſe a Sancto Apoſtolo Paullo, & a multis Sanctis Patribus, niſi convertantur, olim eſſe damnatas, quas & nos Apoſtolica auctoritate damnandas, & a communione fidelium atque a liminibus Eccleſiæ arcendas fore cenſemus, uſquequo obediant Epiſcopis ſuis, & ad bonum, quod cœperunt invitæ, & voluntariæ revertantur. De virginibus autem non velatis, ſi deviaverint, a ſanctæ memoriæ Prædeceſſore noſtro Papa Innocentio taliter decretum habemus. Hæ vero, quæ nec dum ſacro velamine tectæ, tamen in propoſito virginali ſemper ſe ſimulaverunt permanere, licet velatæ non fuerint, ſi nupſerint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia eſt; quia ſponſio earum a Domino tenebatur. Si enim inter homines ſolet bonæ fidei contractus nulla ratione diſſolvi, quanto magis iſta pollicitatio, quam cum Deo pepigit, ſolvi ſine vindicta non poterit? & cetera. Nam ſi virgines nondum velatæ taliter pœnitentia publica puniuntur, & a cœtu fidelium uſque ad ſatisfactionem excluduntur, quanto potius viduæ, quæ perfectioris ætatis, & maturioris ſapientiæ, atque conſilii exiſtunt, virorumque conſortio multoties uſæ ſunt, & velari ſe permiſerunt, habitumque religionis aſſumſerunt, & demum apoſtataverunt, atque ad priorem vomitum ſunt reverſæ, a Nobis, & ab omnibus fidelibus a liminibus Eccleſiæ, & a cœtu fidelium uſque ad ſatisfactionem ſunt eliminandæ, & carceribus tradendæ, qualiter juxta B. Apoſtolum Paullum, tradentes hujuſmodi hominem ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini. De talibus enim & Dominus per Moyſen loquitur, dicens: Auferte malum de medio veſtri. De quibus & per Prophetam ait: Lætabitur juſtus, cum viderit vindictam: Manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris. De talibus namque, eorumque ſimilibus, atque eiſdem conſentientibus, (quia non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui facientibus conſentiunt, rei ſunt) Dominus per eundem Prophetam David loquitur, dicens: Videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Et multa talia, eorumque ſimilia. Tales vero perſonæ indubitanter adulteræ eſſe manifeſtantur, quoniam, relicto immortali ſponſo, ad anteriorem ut canes, ad proprium reverſæ ſunt vomitum, & apoſtatæ factæ inlicita, ac ſacrilega ſe contagione polluentes, viris mortalibus ſe conglutinaverunt; quæ etiam juxta eundem Apoſtolum Paullum, eo quod viduitatis propoſitum dimiſerunt, & fidem, quam cum Deo pepigerunt, frangere præſumſerunt, atque primam fidem prævaricaverunt, ſunt damnandæ a nobisque, & a vobis, atque a reliquis noſtri ordinis viris, a ſingulis videlicet ſua in Diœceſi, a liminibus Eccleſiæ, & a cœtu fidelium, uſque ad ſatisfactionem, ut prædictum eſt, ſunt eliminandæ. A talium autem conſortio, & ſocietate omnes fideles in omnibus abſtinere mandamus. Super quibus etiam placuit, quouſque in ipſo deteſtando, & inlicito, atque ſacrilego carnis contubernio perſeverant, ut nullus Chriſtianorum, niſi quibus proprius ſtudio corrigendi juſſerit Epiſcopus, cum eis in quoquam communicet, aut ad domum, in qua ſunt, accedat; cum quibus etiam, ut jam dictus Sanctus præcipit Apoſtolus, nulli fidelium cibum ſumere licet. Quod ſiquis ex his quidquam tentare, aut temerare præſumſerit, pari cum eis excommunicationis ſententia feriatur &c.* Integrum exſcripſi monumentum, quod ſub Gregorii ad Bonifacium Archiepiſcopum ſcribentis nomine in Capitularibus adjectis refertur, non tantum ut ex eo ſuppleretur quidquid Gratianeo canoni deeſt, ſed etiam ut exinde dignoſceretur, an ea omnia, quæ ibidem traduntur, jure optimo aut Gregorio II., aut Gregorio III., aut Zachariæ Pontificibus tribuantur; plurimum enim vereor, ne multa ſub Gregorii

nomine congeſta ſint, quorum quidem pars eundem Pontificem deceat, pars vero ab eodem, vel ejuſdem temporis Pontificibus facile abjudicetur. Sane in eo nulla dubitatio eſſe poteſt, quod dici ſolet, viduas a propoſito recedentes Epiſcoporum poteſtati fuiſſe obnoxias, quemadmodum inter cetera perſpicue deducitur ex Capitulari anni 779. cap. 5. ibi: *Ut Epiſcopi . . . de viduis infra ſuam parochiam poteſtatem habeant ad corrigendum*. Verum hæc Epiſcoporum poteſtas in ſola admonitione conſiſtebat, non in pœnis gravioribus infligendis, quod exprimit luculenter Zacharias Papa in epiſtola ad Pippinum Majorem-domus, itemque ad Epiſcopos, Abbates, & Proceres Francorum, quæ incipit *Gaudio magno* cap. 6. ibi: *De viduis, ſi poſſint in propriis habitaculis ſuis ſalvare animas, item ex eodem libro cap. 21. ita continetur. Ut viduæ non velentur a Pontificibus, & ſi profeſſam continentiam, propoſito mutato, calcaverint, ipſæ pro ſe rationem Deo pro ſuis ſint actibus redditura. Nam de viduis ſub nulla benedictione velandis ſuperius latius duximus differendum, quæ ſi propria voluntate profeſſam conjugii caſtitatem mutabili mente calcaverint, periculi earum intererit, quali Deum debeant ſatisfactione placare. Sicut enim, ſi ſe forſitan continere non poterant, ſecundum Apoſtolum nullatenus nubere vetabantur, ſed habita ſecum deliberatione promiſſam Deo pudicitiæ fidem debuerunt cuſtodire. Nos autem nullum talibus laqueum debemus injicere, ſed ſolam adhortationem præmii ſempiterni, pœnaſque proponere divini judicii, ut noſtra ſit abſoluta conſcientia, & illarum pro ſe rationem Deo reddat intentio*. Igitur Zacharias aut velari viduas pati noluit, quod & vetuſtiores Pontifices tradiderant, aut nullis pœnis affligendas eſſe juſſit viduas a ſancto propoſito recedentes, ſed prudentibus tantummodo monitis adjuvandas. At ſi hæc ſervari debuerunt apud Epiſcopos Francorum, apud quos ſacræ diſciplinæ vigor jamdiu fuerat inſtitutus, quomodo aut Gregorius ſive II., ſive III., aut idem Zacharias arctiorem proponere voluit diſciplinam Germanis nuper ad Fidem converſis, quorum ratione nonnulla ab eiſdem Pontificibus fuiſſe ſcimus maxima cum indulgentia remiſſa? De virginibus ſane ſimilis conſtitutio ibidem a Zacharia lata demonſtratur cap. 21. ibi: *Item de non velatis virginibus, ſi deviaverint, in eodem libro 20. capite continetur: Hæ vero qui necdum ſacro velamine tectæ, tamen in propoſito virginali ſemper ſe ſimulaverunt permanere, licet velatæ non fuerint, ſi forte nupſerint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia eſt, quia ſponſio earum a Domino tenebatur. Si enim inter homines ſolet bonæ fidei contractus nulla ratione diſſolvi, quanto magis iſta pollicitatio, quam cum Deo pepigit, ſolvi ſine vindicta non poterit? Nam ſi Apoſtolus Paullus, quæ a propoſito viduitatis diſceſſerant, dixit eas habere damnationem, quæ primam fidem irritam fecerunt, quanto potius virgines, quæ prioris promiſſionis fidem frangere ſunt conatæ?* His, arbitror, Zachariæ fragmentis uſus eſt, qui memoratum Gratiani canonem conſarcinavit, & viduis accommodavit, quod de virginibus traditum fuerat, præſertim vero viduis hæc accommodare ſe poſſe ratus eſt ex eo, quod ſimilia quædam legerat in Concilio Germanico habito a Bonifacio Archiepiſcopo ſub eodem Zacharia Pontifice anno 742., ubi cap. 6. ita decretum fuit: *Statuimus ſimiliter, ut poſt hanc Synodum, quæ fuit XI. Kal. Maji quiſquis ſervorum Dei, vel Ancillarum Chriſti, in crimen fornicationis lapſus fuerit, in carcere pœnitentiam faciat in pane, & aqua. Et ſi ordinatus Presbyter ſit, duos annos in carcere permaneat, & antea flagellatus, & ſcorticatus videatur, & poſt Epiſcopus adaugeat. Si autem Clericus, vel Monachus in hoc peccatum inciderit, poſt tertiam verberationem in carcerem miſſus, vertente anno ibi pœnitentiam agat. Similiter & Nonnæ*

velatæ

Digitized by Google

velatæ eadem pænitentia contineantur, & radantur omnes capilli capitis ejus. Quod ibi dicitur de Nonnis, quiſpiam forte de viduis intellexit juxta illud Hieronymi ad Euſtochium: *Et quia maritorum expertæ dominatum viduitatis præferunt libertatem, caſtæ vocantur, & Nonnæ*. Sed aliter in Regula S. Benedicti, & in Concilio Aquiſgranenſi anni 816. can. 18. Nonni, & Nonnæ vocantur, ii nimirum, eæque, qui in Monaſteriis præfecti ceteris erant, præfectæve, qua nimirum ſignificatione Itali etiamnum deſignant avos, aviaſque in ſignum paternæ reverentiæ. Itaque Bonifacius Archiepiſcopus voluit *Nonnas* pœnitentiam gerere debere *in carcere* ad inſtar Clericorum, & Monachorum, ſcilicet ut illæ remotæ a ceterarum conſortio remanerent, non tam pœnitentiæ cauſſa, quam ne quotidianum inter Sanctimoniales pravæ anteactæ vitæ veſtigium ſupereſſet. Hujuſmodi carceres apud veteres Pontifices *ergaſtula* nuncupata fuerunt, ut in epiſtola Siricii ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem cap. 6. Ex his facile colligi poteſt, memoratum Gratiani canonem, prout in Gratiani codicibus jacet, non facile tribui poſſe Gregorio II. aut III., aut etiam Zachariæ, in ea parte, in qua de viduis agitur, quamquam in altera parte, in qua agitur de virginibus, apprime conveniat.

De epiſtola ad Felicem Epiſcopum de Acropoli.

Cum plures Eccleſiæ in Lucania conſtitutæ vacaſſent, ſcilicet Velia Urbs olim Epiſcopalis in ora littorali maris Tyrreni Pextum inter, & Bruxentum conſtituta; item Bruxentum Urbs Italiæ, quæ nunc dicitur *Policaſtro* ſub Archiepiſcopo Salernitano, ubi nunc eſt Principatus citerior in Regno Neapolitano; item Blanda; quam olim fuiſſe Lucaniæ Urbem tradit Cluverius Italiæ antiquæ lib. 4. pag. 1263., quæque hodie appellatur *Porto di Sapri*; harum omnium viſitationem juxta morem ſui temporis mandavit Gregorius Felici de Acropoli Epiſcopo in earundem Urbium vicinia conſtituto. Erat olim Acropolis Urbs Epiſcopalis, licet modo ſit Oppidum obſcuri nominis in ſinu Salernitano ſitum. Hanc ad rem pertinet epiſtola Gregorii in Maurina editione 43., in vulgari 29. lib. 2., ex qua legitur canon 14. cau. 12. qu. 1., ubi pro verbo *injunximus* legendum eſt, *injungimus*; item poſtrema verba ita ſupplere oportebit ex integris exemplaribus: *Diſtricte, canoniceque ut vivant modis omnibus ſtudebis*.

Can. 14. cau. 12. qu. 1.

De epiſtolis ad Johannem Epiſcopum Squillatinum.

Scillacium (utor verbis Caſſiodori libro 12. variar. cap. 15.) prima Urbium Brutiorum, quam Trojæ deſtructor Ulyſſes creditur condidiſſe, Civitas ſupra ſinum Arabicum conſtituta, nunc adhuc Epiſcopalis eſt ſub Archiepiſcopo Regienſi, ſita in ora maris Jonii in Calabria ulteriore, & Regno Neapolitano inter Locros, & Coſentiam. De ea mentio fit in can. 25. cau. 25. qu. 2., qui Gelaſium præfefert auctorem. Eadem in epiſtolis Gregorii appellatur Squillatium, & Johannes ejuſdem Epiſcopus Squillatinus in epiſtola 25. in vulgari, & 37. in Maurina editione lib. 2. Ibidem Sanctus Pontifex eidem Johanni jam Epiſcopo Liſſitano, ſed a ſede ſua impetu hoſtili depulſo Eccleſiam Squillatinam regendam commiſit. Initium

H 2 epi-

Digitized by Google

Can. 42. cau. 7. qu. 1. & Can. 10. diſt. 34. & Can. 3. diſt. 98. epiſtolæ legitur in can. 42. cau. 7. qu. 1., poſt quæ ſtatim ſequuntur uno contextu, quæ habentur in can. 10. diſt. 34., ibi: *Præcipimus autem, ne unquam &c.*, deinde his adnectenda ſunt verba canonis 3. diſt. 98. juncti Romanorum Correctorum animadverſione. Ex quibus una compoſitis liquet, Gregorium normam epiſcopalis vitæ, ac ſollicitudinis tradere. Eccleſia Liſſitana, ſeu Lyſſitana, quæ in aliquibus etiam codicibus Luſitana perperam dicitur, a qua ad Squillatinam translatus eſt Johannes, erat in Urbe Liſſo; quæ hodie dicitur *Aleſſio* in ora Provinciæ Prævalitanæ in Illyrico ad mare Adriaticum.

Eſt ad eundem Johannem epiſtola in Maurina editione 34. lib. 8., in vulgari 33. lib. 7., ad quam pertinet canon 41. cau. 17. qu. 4., ubi Gregorius Monachorum indemnitati vigilantiſſime proſpicit; jam enim ſuperius animadvertimus non uno in loco, ab Epiſcopis nonnullis ea ætate monaſteria turbata fuiſſe, alias autem Sanctum eundem Pontificem ita conſuluiſſe, ut Monachorum quies incolumis haberetur. In eo canone mendum irrepſit in codices Gratianeos, ubi enim legitur, *Scillacenum caſtrum, quæ in CD. pedes extenditur*, ex optimis epiſtolæ codicibus legendum eſt: *Scillacenum caſtrum, quæ in DC. pedes extenditur*. Dicendum hoc in loco videretur de canone 42. cau. 17. qu. 4., utpote qui adſutus eſt canoni præcedenti. Verum ad hanc epiſtolam minime pertinet, ac perperam ab auctore Palearum huc loci relatus. Quamobrem cum alias a Gratiano deſcribatur in §. ult. canonis 5. cau. 18. qu. 2., ideo inferius commodius expendetur. (Margin: Can. 41. & 42. cau. 17. qu. 4.)

De epiſtola ad Sabinum Subdiaconum in Lucania.

Can. 4. cau. 17. qu. 4. Ex Subdiaconis Regionariis, qui per Suburbicarias Provincias eccleſiaſtici Romanæ Eccleſiæ Patrimonii conſervandi cauſſa mittebantur, erat Sabinus in Lucania, ad quem ſcripſit Gregorius epiſtola 6. lib. 8. in vulgari editione, 5. lib. 10. in Maurina, ut ſcilicet curaret, ne ea, quæ certæ Eccleſiæ ultima pii teſtatoris voluntate relicta fuerant, a privatis detinerentur, ſed ipſi Eccleſiæ concederentur, ratione adjecta, quod qui res Eccleſiæ relictas retinet, ſacrilegii crimen admittat. Verba Gregorii ad hanc ſententiam pertinentia integra retulit Gratianus in can. 4. cau. 17. qu. 4.

S e c t i o IX.

De epiſtolis directis per Siciliam.

Gregorii Magni temporibus ſingulari etiam jure, ſive metropolitico ſuberant Romanæ univerſæ Siculorum Eccleſiæ; etenim nulli in Sicilia erant Archiepiſcopi; hinc ubi Epiſcopatus in Sicilia vacabat, confirmatio, & conſecratio a Romano Antiſtite omnino pendebat, in Conciliis provincialibus celebrandis Romam confluebant Siciliæ Epiſcopi; & ſiquæ etiam leviores cauſſæ ibidem emergebant, nihil propemodum irrequiſito Romano Antiſtite dirimebatur. Hæc facile deducuntur ex epiſtola Gregorii ad Petrum Subdiaconum 18. lib. 1., ad Maximianum Siracuſanum 4. lib. 2., & aliis. Hæc initio prænotanda duxi, ut exinde adpareret, quare peculiaris fuerit in Siculorum rebus Gregorii cura, ac paſtoralis ſollicitudo.

De

De epiſtolis ad Cyprianum Diaconum.

Duæ memorantur a Gratiano Gregorii epiſtolæ ad Cyprianum , quem idem
Pontifex appellavit *Diaconum noſtrum , & Siciliæ Rectorem* . Erat itaque Cyprianus
Rector eccleſiaſtici Patrimonii in Sicilia a Romano Antiſtite ita præfectus Eccle-
ſiæ bonis, ut curaret, nequid ex illis aut Epiſcoporum , aut Clericorum incuria
deperiret . Prior epiſtola eſt in vetere editione 22. lib. 4., in Maurina 27. lib. 5.,
& fere integra refertur in can. 2. cau. 12. qu. 5. Commendabat Cypriano Grego- *Can. 2.*
gorius res Eccleſiæ, ne ex teſtamento a Theodoro Epiſcopo facto res eccleſiaſti- *cau. 12.*
cæ diminuerentur . Is erat Theodorus Epiſcopus Lilibetanus pluries in operibus *qu. 5.*
Gregorii Magni memoratus ; Lilibæum enim erat Urbs Siciliæ, hodie *Marſalla* ,
in valle Mazaræ , cujus Epiſcopus aliquando legatione Sedis Apoſtolicæ functus
eſt, quemadmodum Paſchaſinus Lilibetanus in Concilio Chalcedonenſi vices geſſit
Magni Leonis .

Altera Gregorii epiſtola eſt 6. lib. 3. in vulgari, & 6. lib. 4. in Maurina edi-
tione . Ex ea depromtus eſt canon 8. cau. 19. qu. 3., ubi tamen nil niſi facti *Can. 8.*
cujuſpiam enarratio continetur , quæ ſane nihil probare poteſt , quod conveniat *cau. 19.*
Gratiani propoſito . Hæc canoni præfigitur rubrica: *Poſt Monaſterii ingreſſum eidem* *qu. 3.*
Monaſterio omnia ſunt conferenda . At non hæc eſt fragmenti Gregoriani ſententia,
ubi tantum exponitur, Petronillam quandam virginem religioſam veſtem ſumſiſſe,
unaque res ſuas in Monaſterium ſpeciali donationis titulo contuliſſe . Quæ in epi-
ſtola ſequuntur ad rem Gratiani ne facere quidem poſſunt , etenim Gregorii re-
ſcriptum ad Gratiani quæſtionem minime pertinet .

De epiſtola ad Donum Meſſanenſem Epiſcopum.

Eximiam Sancti Pontificis pietatem præſefert epiſtola in vulgari editione 25. *Can.14.*
lib. 6., in Maurina 38. lib. 7. ad Donum Meſſanenſem Epiſcopum , quem ali- *& 16.*
qui codices Bonum adpellant , alii Dominum , alii Domninum . Ibi Gregorius *cau. 12.*
ſuadet, etiam ſacra miniſteria in captivorum redemtionem eſſe vendenda. Priora, *qu. 2.*
& poſtrema epiſtolæ verba leguntur in can. 14. , & can. 16. cau. 12. qu. 2. ,
quæ ut uno contextu jungantur , integram hic epiſtolam exhibeo : *Et ſacrorum ca-
nonum* (hic eſt canon 14.) , *& legalia ſtatuta permittunt , miniſteria Eccleſiæ pro
captivorum eſſe redemtione vendenda . Et ideo quoniam Fauſtinus lator præſentium , ut
filias ſuas de jugo potuiſſet captivitatis exuere , trecentorum triginta ſolidorum probatur
debitum contraxiſſe , ex quibus triginta redditis , ad reliquæ quantitatis reſtitutionem
eum certum eſt non poſſe ſufficere , Fraternitatem tuam bis hortamur affatibus , ut de ar-
gento Merientis* (legunt alii *Milenſis*) *Eccleſiæ , cujus miles eſſe dignoſcitur , quod
apud vos eſt , quindecim ei libras, accepto ab eo deſuſcepto , dare modis omnibus debea-
tis ; ut eo venumdato , & reſtituto debito , neceſſitate valeat obligationis abſolvi . Sed &
illud Fraternitas veſtra debet eſſe ſollicita , ut ſi quidem de prædicta Eccleſia uſuale
argentum eſt , ſupraſcriptam quantitatem accipiat ; alioquin de ſacratis vos vaſis hac in
re eam , quam prædiximus , quantitatem præbere neceſſe eſt . Nam ſicut omnino* (hic
eſt

Digitized by Google

eſt canon 16.) *grave eſt fruſtra eccleſiaſtica miniſteria venumdare, ſic iterum culpa eſt imminenti hujuſmodi neceſſitate res maxime deſolatæ Eccleſiæ captivis ſuis præponere, & in eorum redemtione ceſſare.*

De epiſtolis ad Fantinum Defenſorem.

Can. 2. cau. 14. qu. 6. Victor Panormitanus Epiſcopus Judæis apprime infenſus illorum ſynagogas occupaverat, quotcumque ſitæ erant in Urbe Panormitana una cum ceteris Judæorum hoſpitiis. Id factum improbat Gregorius in epiſtola ad Fantinum Siciliæ Defenſorem 59. lib. 7. indictione 2. in vulgari, & 55. lib. 9. in Maurina editione, jubens, ut curet Judæis omnia loca reſtitui, quæ nondum Epiſcopali auctoritate in Chriſtianorum templa conſecrata fuiſſent, pro iis vero, quæ jam conſecrata proponerentur, pretium reddi. Sane Gregorio illud ſemper antiquiſſimum fuit, ut quoſcumque etiam a Chriſtiana Fide alienos ita benigne exciperet, ut blanditiis potius in rectam ſemitam traheret, quam affligendo a Chriſtiano nomine magis in dies, ac magis averteret. Id quoque alias luculentius expreſſit, præſertim in can. 3. diſt. 45. Ex memorata epiſtola depromtus eſt canon 2. cau. 14. qu. 6., cujus verba a Gratiano in epitomen propemodum redacta, ita potius erunt deſcribenda: *Ante aliquantum tempus Victori Fratri, & Coepiſcopo noſtro ſcripſimus, ut quoniam quidam Judæorum data nobis petitione queſti fuerunt, ſynagogas in Civitate Panormitana poſitas cum hoſpitiis ſuis fuiſſe ab eo irrationabiliter occupatas, quouſque cauſſa, utrum juſte factum eſſet, potuiſſet agnoſci, ab eorum ſuſpenderet ſe congregatione; ne forte in eorum ſola voluntate verſari præjudicium videretur. Et quidem nos prædictum Fratrem noſtrum incongrue aliquid egiſſe Sacerdotii ejus reſpectus facile credere non permiſit. Sed quia Salerio Notario noſtro, qui illic præſens poſtea inventus eſt, renunciante comperimus, nullam extitiſſe cauſſam, pro qua potuiſſent rationabiliter occupari, atque eas eſſe inconſulte, ac temere conſecratas; idcirco experientiæ tuæ præcipimus, ut quia, quod ſemel conſecratum eſt, Judæis ultra non valet reſtitui, quantum a Filiis glorioſo Venantio Patricio, & Urbico Abbate ſynagogæ ipſæ cum his hoſpitiis, quæ ſub ipſis ſunt, vel earum parietibus cohærent, atque hortis ibi conjunctis æſtimatæ fuerint, ſtudii tui ſit, ut præfatus Frater, & Coepiſcopus noſter dare pretium debeat, quatenus hoc, quod occupari fecit, in jus Eccleſiæ ipſius valeat permanere, ut illi opprimi, aut aliquam pati injuſtitiam nullo modo videantur.* Aurea ſane ſententia, quæ & cum recta ratione conſonat, & cum civili Romanorum jure, quod res ſemel religioſas, aut ſacras, aut publicas rurſus in prophanas, aut privatas abire non ſinit, ſervato tamen antiqui Domini jure, ut ſaltem pretium conſequatur.

Can. 98. de conſ. diſt. 4. Et quidem ſupradictam cauſſam Fantino Defenſori Gregorius mandaverat, cujus ſolertiam jam expertus fuerat in procuranda Judæorum ad Chriſtianam Fidem converſione. Nimirum Fantinus jam delegatus pridem a Gregorio fuerat, ut Judæos quoſdam in Agrigentino territorio conſiſtentes, & ſe baptizari poſtulantes benigne exciperet, imo & baptizari curaret; quemadmodum liquet ex epiſt. 23. lib. 8. in Maurina, & 24. lib. 7. in vulgari editione, ex qua depromtus eſt canon 98. de conſ. diſt. 4., ubi Maurini Monachi adnotant legendum eſſe *baptizet*, non vero *baptizes*, ut nimirum referatur ad Epiſcopum loci illius, non ad eundem Fantinum, erat enim tum Epiſcopis reſervatum ſolemne baptiſma conferre, nec eidem

Digitized by Google

eidem Fantino, utpote Defenſori, congruere poterat, cum ut plurimum Defenſores eccleſiaſtici nonniſi Subdiaconi conſtituerentur.

De epiſtola ad Felicem Meſſanenſem Epiſcopum.

Quæ Gregorii epiſtola 32. in lib. 12. vulgaris, & 17. lib. 14. Maurinæ editionis ad Felicem Meſſanenſem Epiſcopum ſcripta fertur, paucis velut germanum Gregorii monumentum habetur. Data illa fingitur anno 604., ut reſcriberet Gregorius Felici de tribus eccleſiaſticæ diſciplinæ capitibus interroganti. Prima interrogatio ad eos ſpectabat, qui quarta progenie, ſeu gradu conjuncti ſunt, num ſi matrimonium inierint, ſint ſeparandi, quemadmodum idem Gregorius ſeparandos ſcripſerat ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum. Altera erat de accuſationibus Epiſcoporum. Poſtrema de Eccleſiis, de quarum conſecratione dubitaretur. Quicumque hanc epiſtolam a Gregorio abjudicant, pluribus ad id demonſtrandum, & quidem perſpicuis argumentis utuntur. Et primo conferendo vulgatam interrogatoriam Felicis ad Gregorium epiſtolam cum reſcripto ipſo Gregorii, multa ſtatim emergunt ab hiſtorica veritate aliena. Dicitur ibi, Auguſtinum Anglorum Epiſcopum ordinatum fuiſſe a Gregorio Papa, & in Angliam ab eo miſſum, quum tamen teſtetur Beda in lib. 1. hiſtoriæ Anglorum cap. 27. a Virgilio Arelatenſi Epiſcopo fuiſſe ordinatum. In eadem etiam epiſtola mentio fit Benedicti Syracuſanæ Eccleſiæ Epiſcopi; at hic Benedictus putum figmentum eſt deceptoris; etenim initio Pontificatus Gregorii Syracuſanam Eccleſiam regebat Maximianus Epiſcopus, & poſt ipſum Johannes, quem adhuc viventem anno 603. memorat Gregorius in lib. 11. epiſt. 34. in vulgari editione. Præterea Felix in Meſſanenſi Eccleſia Epiſcopus vixit quidem anno 591., ſive anno primo Gregoriani Pontificatus, quemadmodum demonſtrat epiſtola 38. lib. 1. a Gregorio ad illum directa; at idem jam vita functus fuerat anno 595., antequam Auguſtinus in Angliam proficiſceretur, quemadmodum perſpicue liquet ex epiſtolis Gregorii ad Donum Epiſcopum Meſſanenſem, qui Felici ſucceſſiſſe dicitur anno 595. ex epiſt. 39. lib. 5. Sunt ſane hæc invicta propemodum argumenta, quibus vulgo iſtud monumentum tamquam apocryphum Eruditorum fere omnium ſuffragio rejicitur. Ego & nonnulla adjiciam ad hanc rem magis, magiſque firmandam. Video in epiſtola ipſa eam inſcriptionem, quæ Gregorio fuit inſueta, ibi: *Reverendiſſimo Fratri Felici Epiſcopo Gregorius ſervus ſervorum Dei*. Neque enim Gregorius ad Epiſcopos ſcribens, eos *Reverendiſſimos* vocare ſolebat; neque alias ſe *ſervum ſervorum Dei* inſcripſit; & quamquam non deſint, qui hanc formulam a Gregorio primum invectam voluerint, a recentioribus deinde Pontificibus Maximis perpetuo uſu receptam, tamen in aliis Gregorii epiſtolis deſideratur, dummodo illas excipias, quæ ſuſpectæ fidei habentur, uti eſt privilegium S. Medardi Monaſterii Sueſſionenſis. Stilus etiam epiſtolæ Gregorianus non eſt, prolixa præfatio, variæ res inordinate congeſtæ, & propoſito non congruentes quæſtiones, de quibus interrogatus Gregorius dicitur, intermixtæ, ipſamet epiſtola valde prolixa, quum tamen auctor ab initio profiteatur ſe paucis ſingula velle complecti, a more Gregorii ſunt aliena; etenim Sanctus Pontifex in ſuis epiſtolis breviſſima præfatione uti conſuevit, nunquam non ad rem, paucis plurima expediens, quemadmodum liquet ex collatione alia-

aliarum epiſtolarum. Quod vero clarius idipſum demonſtrat, eſt apertiſſimus character Iſidori Mercatoris, cujus ſententiis hæc eadem epiſtola undequaque referta eſt, præſertim quod attinet ad accuſationum Epiſcopalium diſciplinam. At vero de hac accuſationum Epiſcopalium materie nulla ſubeſſe poterat Meſſanenſi Epiſcopo ratio, cur Gregorium interrogaret; etenim dubitatio emergere forte de ea re potuiſſet in ea Provincia, in qua eſſet Metropolitanus Epiſcopus, ad quem cauſſæ Epiſcoporum olim deferri ſolebant; ſed in Sicilia Romano Antiſtiti, ut diximus, etiam tamquam Metropolitæ ſubjecta, ea interrogatio ſupervacanea videbatur, niſi dicere velimus, Gregorium de iis fuiſſe interrogatum, quæ ad Gregorii ejuſdem officia pertinebant. Quid demum eſt, quod Gregorius dicatur improbare Epiſcoporum accuſationes? quando ipſe eos alias laudavit, qui jure ſuos Epiſcopos accuſaverant; e converſo damnavit illos, qui ab accuſatione Epiſcoporum jure ſuſcepta prævaricando deſtiterunt. Luculentiſſimum hujus rei argumentum deducitur ex can. 6. & 7. cau. 2. qu. 3., ubi Gregorius ad Johannem Corinthium ſcribens improbat acta Paulli Diaconi, item Euphemii, & Thomæ, quod ab accuſatione jam pridem inſtituta Epiſcopi ſui receſſerant.

Ex his luculentiſſimis rationum momentis nemo non videt, eam epiſtolam perperam Gregorio adſcribi, ac propterea a Gregorio abjudicandos eos canones, qui ex eadem epiſtola laudantur. Ex his in primis eſt canon 4. cau. 25. qu. 2. Pertinet is ad primam inquiſitionem de non jungendis matrimoniis intra ſeptimam generationem. Ait auctor epiſtolæ, ſe in hac re contra canonum diſciplinam aliquid indulſiſſe Anglorum gentibus recens ad Fidem converſis, concludit tamen, hæc generalia non eſſe, nec ſtatuta veterum Patrum facili negotio eſſe immutanda. Ceterum etiamſi apocryphus habendus ſit memoratus canon 4., illius tamen ſententia recte conſonat cum aliis germanis Gregorii monumentis, præſertim vero cum canone 10. cau. 25. qu. 2. ex epiſtola ad Natalem. In eadem epiſtolæ parte legitur canon 10. cau. 35. qu. 2., qui tum demum cum integris epiſtolæ codicibus conſonabit, cum pro illis verbis *& cunctis hominibus* legetur, *& cunctis bonis hominibus*. Refertur præterea ex eadem epiſtola canon 2. cau. 35. qu. 8., cujus tamen verba in epiſtola ipſa non leguntur, ſed ibidem ſimilia quædam his verbis: *Progeniem vero ſuam unumquemque de his, qui fideliter edocti ſunt, & jam firma radice plantati ſunt inconvulſi, uſque ad ſeptimam obſervare decernimus generationem; & quamdiu ſe affinitate agnoſcunt propinquos, ad hujus copulæ non accedere ſocietatem præſumant. Nec eam, quam aliquis &c.* Heic ſubſequuntur verba canonis 10. cau. 35. qu. 2., quæque ſimiliter propemodum recitantur in can. 16. cau. 35. qu. 2. Plane quibus ex locis hæ, ſimileſque ſententiæ depromtæ fuerint, jamdudum animadverterunt Romani Correctores, obſervantes, fragmentum iſtud eſſe conſarcinatum ex variis Conciliorum, Legumque capitibus in unum congeſtis, quæ unicuique ex Interpretibus hucuſque talem peperere confuſionem, ut in graduum cognationis computatione matrimonii cauſſa ignorare ſe profiteantur, quod ſingulis peculiariter ætatibus tribuendum ſit. Ajunt enim vetuſtiſſimis temporibus intra ſecundum, vel tertium gradum contracta cognationis jura matrimonii ineundi cauſſa; deinde media ætate protracta uſque ad ſeptimum gradum, tandem vero diſciplinam ejuſmodi ſeveriorem ad gradum quintum attemperatam. Quo vero tempore hæc diſciplinæ varietas inducta fuerit, non præfigunt, nec Leges indicant aut civiles, aut eccleſiaſticas, ex quibus eadem repetatur, niſi forte quæ pertinent ad receptam poſtre-

Can. 4. cau. 25. qu. 2.

Can. 10. cau. 35. qu. 2.

Can. 2. cau. 35. qu. 8.

poſtremam diſciplinam. Dabo ego in præſentia operam, ut hæc res, quoad fieri poſſit, illuſtretur.

Cognatorum nuptias, qui nobis propinquiores ſunt, vel ipſam naturam abhorrere omnibus fere gentibus viſum eſt. Verum quoto in gradu ſint deteſtabiles, aut improbandæ natura definitum non eſt, ſed ſapientiæ, prudentiæque Legumlatorum mandatum. Quid in univerſo Orbe varii Legumlatores edixerint, parum ſolliciti eſſe debemus, contenti obſervare Romanas Leges, quas Majores noſtri etiam ab initio naſcentis Eccleſiæ coluerunt, vel quod jura Romanorum facile ceteris antecellerent dignitate, atque præſtantia, vel quod ſumma eſſet Romani populi auctoritas, Roma olim innumeris propemodum Provinciis dominante. Itaque Romana Lex inter fratres quidem, ac ſorores conjugia vetuit, item inter patruum, & neptem; amitam, ac nepotem; ubi vero deveniretur ad fratrum filios, inter ipſos conjugia licuit celebrari. Hæc diſciplina juris Romani perduravit uſque ad Theodoſium Imperatorem, qui primus ſtatuit, ne inter conſobrinos, & patrueles matrimonia fierent. Id refert S. Ambroſius in epiſt. 66. ibi: *Nam Theodoſius Imperator etiam patrueles fratres, & conſobrinos vetuit inter ſe conjugii convenire nomine, & ſeveriſſimam pœnam ſtatuit, ſiquis temerare auſus fuerit fratrum pia pignora*. Hujus Conſtitutionis fit mentio in l. un. Cod. Theodoſ. Si nuptiæ ex reſcripto petantur, & apud Auguſtinum in lib. 15. de Civitate Dei cap. 16. Non tamen diutius conſtitit hæc diſciplina, quam paullo poſt abrogavit Arcadius Imperator Theodoſii filius, antiquam revocans conſuetudinem, qua matrimonia conſobrinorum, & patruelium legitima habebantur l. 19. Cod. de nuptiis, eamque juriſprudentiam Juſtiniani adhuc temporibus viguiſſe liquido conſtat ex §. 4. Inſtitut. de nuptiis. Imo cum Imperatorum juriſdictio fuerit in Occidente imminuta Regibus Longobardorum Italiam occupantibus, eandem diſciplinam viguiſſe ſcimus etiam tempore Regis Rotharis circa annum 650.; etenim ejus legem habemus in lib. 2. Legum Longobardarum tit. 8. num. 4. ita conceptam: *De his, qui de illicito matrimonio nati ſunt, vel naſcuntur, ideſt de matrina, aut filiaſtra, vel cognata, quæ fuit uxor fratris, aut ſoror uxoris, quia canones ſic habent, de duabus ſororibus, ſicut de duobus fratribus, & qui de tali matrimonio natus fuerit, hæres legitimus patri ſuo non ſit*. Ex quibus ſane verbis deducitur, cognationem medio ſeptimo ſæculo nondum fuiſſe ultra fratres, & ſorores in conjugiis conſideratam. Atque hinc manifeſto etiam liquet, quam falſo Gregorio Magno tributa fuerint illa fragmenta a Collectoribus canonum, in quibus ad ſeptimam uſque generationem ea ætate interdicta videntur matrimonia, cum & quinquaginta annis ante Gregorium, ſive temporibus Juſtiniani, & quinquaginta annis poſt Gregorium, ſive temporibus Rotharis eandem non interruptam diſciplinam extitiſſe probaverim de licitis nuptiis patruelium fratrum, vel conſobrinorum. Cœpit paullatim ab ea diſciplina recedi non ſane lege Eccleſiaſtica, ſed Regia, ejuſdem nimirum Rotharis, qui paullo poſt in tit. 8. Legum Longobardorum §. 4. conſtituit: *Ut nullus præſumeret relictam de conſobrino ſuo uxorem amodo ducere*, ſubdens: *Hoc autem ideo affiximus, quia, Deo teſte, Papa Urbis Romæ, qui in omni mundo toto Caput Eccleſiarum Dei, & Sacerdotum eſt, per ſuam epiſtolam nos adhortatus eſt, ut tale conjugium fieri nullatenus permitteremus*. Poſt hæc nulla alia juris immutatio adparet, niſi temporibus Caroli Magni, qui primus poſt firmatum in Occidente imperium novam quandam tum civilibus, tum eccleſiaſticis cauſſis formam indi ſtuduit, videbatur enim novum imperium,

Digitized by Google

perium, præſertim poſtquam vetus deformatum a barbaris turpiter fuerat, novas leges, ac diſciplinas exigere. Hinc antiquatis, contemtiſque Imperatorum veterum conſtitutionibus novum jus emerſit, quod Carolinum vulgo appellatur. Itaque Carolus Imperator pientiſſimus, ac religioſiſſimus Princeps cum Epiſcopis pluribus, novas, quas in animo habebat, leges condendas contulit, quæ Capitularia vocantur, collataſque executioni demandandas decrevit. His primum ſtatutum eſt, ut matrimonia conſanguineorum uſque ad ſeptimum gradum prohiberentur, quemadmodum liquet ex lib. 7. Capitularium cap. 432., quam diſciplinam & imperiali, & eccleſiaſtica auctoritate definitam ſequens ætas moribus confirmavit, repetitiſque canonibus Viri preſertim eccleſiaſtici cuſtodiendam mandarunt. Cur vero protracta eſſet uſque ad ſeptimum gradum matrimonii prohibitio, id cenſeo ex veterum Jureconſultorum penu decerptum, qui cognatorum nomen uſque ad ſeptimum gradum protrahebant, ubi de hereditaria ſucceſſione ageretur. Ait enim Paullus in §. ult. tit. 11. lib. 4. ſententiarum: *Succeſſionis idcirco gradus ſeptem conſtituti ſunt, quia ulterius per rerum naturam nec nomina inveniri, nec vita ſuccedentibus prorogari poteſt*; quibus conſonat Modeſtinus in l. 4. princ. ff. de gradibus, & adfinibus. Sane huc reſpexiſſe Capitularium auctores probant Patres Concilii Meldenſis, ſi Concilii Meldenſis eſt canon 1. cau. 35. qu. 2. Nolo curioſius inquirere, num hæc ratio ab hereditatibus ad matrimonia rite extenſa fuerit. Tantum dixero, hanc conſanguinitatis extenſionem viſam poſtea fuiſſe minus utilem, ut proinde neceſſe fuerit, eadem conſanguinitatis jura intra quartum gradum contrahere in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. celebrato, cujus conſtitutionis fragmentum refertur in cap. 8. de conſanguinit. & adfinit., quamque confirmavit tandem Concilium Tridentinum.

De epiſtolis ad Hadrianum Notarium.

Multos Gregorii tempore fuiſſe maleficos, quos vulgo adpellant ſortilegos, atque incantatores, patet ex Conciliis illius ætatis, Veneto, Agathenſi, Aurelianenſi
Can. 8. I., & aliis, ac præſertim ex epiſtola Gregorii ad Hadrianum Panormitanum No-
cau. 26. tarium in Maurina editione 53. lib. 11., & 47. lib. 9. in vulgari, cujus integra
qu. 5. verba hic referam, ut ex illis ſuppleatur canon 8. cau. 26. qu. 5. Ait Gregorius: *Pervenit ad nos, quod quoſdam incantatores, atque ſortilegos fueris inſecutus. Et omnino nobis ſollicitudinem, zelumque tuum gratum fuiſſe cognoſcas, ſed moleſte tulimus, quod te dubitare, ne ab eis nobis contra experientiam tuam ſurripi potuiſſet, didicimus, cum certus eſſe, ac ſcire debueras, hoc tibi apud nos ad commendationem magis proficere, non ad culpam adſcribi. Et ideo ſtudii tui ſit ſollicite quærere, & quoſcumque hujuſmodi inimicos Chriſti inveneris, ita diſtricta ultione corrigere, ut & nos de experientia tua melius debeamus habere judicium, & Deo noſtro te, quod maxime ſtudendum eſt, valeas commendare.*

Can. 21. Ad eundem Hadrianum ſcripta eſt epiſtola 44. lib. 9. in vulgari, & 50. lib. 11.
cau. 27. in Maurina editione, quam integram retulit Gratianus in can. 21. cau. 27. qu. 2.,
qu. 2. ubi tamen pro illis verbis *in Monaſterio remanere . . . nec quondam fornicationis crimen . . . licet dimittere uxorem . . . illi etiamſi jam tonſuratus . . . . converſationis gratia &c.*, legunt Maurini Monachi: *in Monaſterio permanere . . . nec quoddam fornicationis crimen . . . licet relinquere uxorem . . . . illi vel ſi jam tonſuratus . . .* con-

Digitized by Google

converſionis gratia &c. Ex hac Gregorii epiſtola ſane conſtat, olim licuiſſe ex juris civilis diſciplina alterutri ex conjugibus ab alio diſcedere profeſſionis monaſticæ cauſſa, quemadmodum probant illa verba: *Etſi mundana lex præcipit converſionis cauſſa utrolibet invito poſſe ſolvi conjugium*; ut enim divortia paſſim admittebantur vel, ut ajebant, bona gratia, vel ex cauſſa, ita admitti facile potuerunt cauſſa religioſæ vitæ ineundæ. Quod quidem Sanctis Eccleſiæ Patribus non ſatis placuit, quemadmodum idem Gregorius indicat in hoc ipſo canone, necnon in epiſtola ad Theotiſtam, cujus fragmentum eſt in can. 19. cau. 27. qu. 2. Hinc Sanctus Auguſtinus in epiſt. 227. ait: *Una ſola cauſſa eſſe poſſet, qua te id, quod voviſti, non ſolum non hortaremur, verum etiam prohiberemus implere, ſi forte tua conjux hoc tecum ſuſcipere animi, ſeu carnis infirmitate recuſaret; nam & vovenda talia non ſunt a conjugatis, niſi ex conſenſu, & voluntate communi, & ſi præpropere factum fuit, magis eſt corrigenda temeritas, quam perſolvenda promiſſio.* Referuntur hæc in can. 6. cau. 33. qu. 5. Lex autem humana, quam Gregorius memorat hujuſmodi matrimonia diſſolventem, eſt Novella Juſtiniani vel 117. cap. 12., vel 123. cap. 40.

De epiſtolis ad Johannem Panormitanum Epiſcopum.

Ea olim in ſacris ordinibus conferendis diſciplina vigebat, ut quotieſcumque de maritis initiandis ageretur, neceſſarius eſſet conſenſus uxoris, imo id præterea requireretur, ut eadem uxor voto ſe continentiæ obſtringeret, quo fiebat, ut ipſa ne poſt viri quidem mortem alteri jungi conjugio poſſet. Hinc in Antiſſiodorenſi Concilio anni 578. non longe a temporibus Gregorii Magni celebrato can. 22. ita conſtitutum legimus: *Non licet relictæ Presbyteri, nec relictæ Diaconi, vel Subdiaconi poſt ejus mortem maritum accipere.* His præhabitis facilis eſt interpretatio canonis 10. diſt. 28., in quo integra fere legitur epiſtola Gregorii ad Johannem Panormitanum Epiſcopum 5. lib. 14. in Maurina, & 62. lib. 11. in vulgari editione. Emendandus tamen erit Gratianus in illis verbis: *Quo conductor fuit .... dicens nec eam virginem ad eum veniſſe, denique nec religioſam mutaſſe veſtem, poſtquam ... ut ſi in conjugio Diaconi mulierem, de qua agitur, fuiſſe conſtiterit &c.*, pro quibus legendum eſt: *quo conductor fuerat ... dicens, nec virginem illam ad eum veniſſe, denique ut nec religioſam mutare veſtem præſumeret, poſtquam ... & ſi ita in conjugio Diaconi mulier fuiſſe conſtiterit &c.* Præterea jam adnotaverunt Correctores Romani in integris epiſtolæ exemplaribus deſiderari vocem illam *falſa*, licet habeatur penes Ivonem. Conductoris autem nomine, quod ibidem memoratur, eum intelligi arbitror, qui generaliter omnia mulieris bona adminiſtrabat, imo & perſonæ ipſius mulieris veluti tutor, ac defenſor publica conſtituebatur auctoritate, quem Longobardorum leges Mundualdum appellabant, quemadmodum liquet ex lib. 2. tit. 2. Legum Longobardarum. Porro conductoris nomine ſignificatum fuiſſe generalem bonorum omnium adminiſtratorem liquet ex eiſdem Legibus Longobardicis lib. 3. tit. 1. §. 10. Can. 10. diſt. 28.

Alia eſt ad Johannem Panormitanum epiſtola 51. lib. 11. in vulgari, & 44. lib. 13. in Maurina editione, quæ tamen in aliquibus MSS. Codicibus inſcribitur ad Marinianum Ravennatenſem Epiſcopum, quemadmodum animadverterunt Maurini Monachi. In ea totus eſt Gregorius, ut moneat Epiſcopum, qua ratione ſeſe cum Clericis ſuis gerere debeat. Inter cetera ſaluberrimum monitum eſt, quod ex hac ipſa epiſtola retulit Gratianus in can. 23. diſt. 86., necnon in can. 2. cau. 15. qu. 7. eiſdem verbis. Can. 23. diſt. 86. & Can. 2. cau. 15. qu. 7.

Digitized by Google

De epiſtolis ad Johannem Epiſcopum Syracuſanum.

Quum plures in Sicilia apud Johannem Epiſcopum Syracuſanum obmurmuraſſent de Gregorio, quod ipſe Conſtantinopolitanam Eccleſiam deprimere meditaretur, alias vero Græcorum diſciplinam adamaret, ac ſequeretur, Sanctus idem Pontifex id accipiens ad Johannem epiſtolam ſcripſit 64. lib. 7. in vulgari, & 12. lib. 9. in Maurina editione, in qua duo potiſſimum tradidit: primum ſe non Eccleſiam Conſtantinopolitanam comprimere, ſed potius decere eam eſſe Romanæ ſubjectam, quod nihil dignitatis illius derogare videtur: Alterum, ſe non ſequi omnino græcam diſciplinam, imo quæ ab ipſo inſtituta nuper fuerant, a Græcorum ritibus plurimum diſtare. Huc pertinet canon 4. diſt. 22. uſque ad verſ. *Nam quod Primas*. Ante Romanam correctionem deſiderabantur apud Gratianum illa verba: *Quod & Dominus piiſſimus Imperator, & Frater noſter Euſebius ejuſdem Civitatis Epiſcopus aſſidue profitentur*. Mendum vero in eiſdem verbis ineſſe nemo non videt, cum certum ſit, tempore Gregorii nullum Euſebium, ſed Cyriacum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præfuiſſe. In vulgatis codicibus epiſtolarum Gregorii hoc ipſum mendum habetur: verum legendum eſſe, *& Frater noſter ejuſdem Civitatis Epiſcopus &c.*, omiſſo nomine Euſebii, vetuſti MSS. Codices indicant; ſic Euſebii nomen deeſſe in libris antiquis Gregorii, quos præ manibus ipſe habuerat, Thomas Jameſius ait in vindiciis Gregorianis; deeſſe teſtatur in antiquiſſimo codice Regiæ Bibliothecæ Baluzius in notis ad Gratianum; idem demum nomen Euſebii omiſerunt Amalarius in lib. 4. cap. 26. de officiis eccleſiaſticis, & Anſelmus Lucenſis lib. 2. cap. 68. Quæ ſequuntur apud Gratianum in verſ. *Nam quod Primas* ad aliam epiſtolam Gregorii pertinent, ad eundem quidem ſcriptam, ſed in alia cauſſa, eſtque numero 65. in vulgari editione lib. 7., & 59. lib. 9. in Maurina. Apud veteres perſuaſum fuit, ibidem agi de Epiſcopo Conſtantinopolitano, quum tamen agatur de Epiſcopo Primate Bizacenæ Provinciæ in Africa, quemadmodum & integer epiſtolæ contextus, & optimi codices demonſtrant. Mendo illi occaſionem dare potuit nominis ſimilitudo inter *Byzaciam* Africanam Provinciam, & inter *Byzantium* nomen vetuſtum Urbis Conſtantinopolitanæ. Et quidem hoc erratum adeo potuit apud Scriptores, ut exinde argumentum ſumerent, quo oſtenderent Conſtantinopolitanam Eccleſiam fuiſſe Romanæ ſubjectam, quemadmodum ſumſit Gratianus in memorato canone, & Hincmarus Rhemenſis in epiſtola 47. ad Johannem VIII., necnon alii recentiores. Hinc in vetuſtis aliquibus Gregorianarum epiſtolarum editis codicibus hoc lemma præfixum eſt eidem epiſtolæ: *De Epiſcopo Conſtantinopolitano de crimine accuſato*; quamobrem jure in recentioribus editionibus hæc verba ſubſtituta fuerunt: *De Epiſcopo Byzaceno provinciæ Africæ de crimine accuſato*. Illius epiſtolæ argumentum, prout ex Gregorii verbis deducitur, paucis trado. Accuſatus fuerat Primas Byzacenæ Provinciæ in Africa apud Epiſcopos ſuos de certis criminibus, quorum judicium Africani Epiſcopi in ipſamet Provincia terminari volebant, juxta veterum Africanorum traditionem, ac diſciplinam. Accuſatus Epiſcopus Romam potius ad Pontificem Maximum cauſſam deferri, & ab eodem dirimi poſtulabat. Et quidem Imperialis auctoritas ejus poſtulationi acceſſerat, qua jubebatur, accuſatum Epiſcopum Romæ defendendum fore, totamque cauſſam a

Can. 4. diſt. 22.

Pon-

Digitized by Google

Pontificis Romani ſententia pendere. Obſtiterunt Africani Epiſcopi, & apud Theodorum Magiſtrum militum in Africa curarunt, ne Imperatoris voluntas executioni demandaretur. Interea Syracuſas venerat Martinus quidam, quem Virum eloquentiſſimum Gregorius adpellat, atque de ea re cum Johanne Syracuſano Epiſcopo verba fecerat. Johannes pro ea, qua erga Apoſtolicam Sedem ferebatur, adfectione ſuadebat Martino, nihil eſſe convenientius, quam ut ea cauſa ad Pontificem Maximum deferretur, eodemque tempore ad Gregorium ſcripſit, ſive quid ipſe de ea re ab Africano viro intellexerit, ſive quid ipſe de eadem re Africano Viro reſponderit. Gregorius autem inter cetera ita reſcripſit loquens de Primate Byzacenæ Provinciæ a Coepiſcopis ſuis accuſato, & Apoſtolicæ Sedis judicium poſtulante: *Nam quod ſe dicit Sedi Apoſtolicæ ſubjici, ſiqua culpa in Epiſcopis invenitur, neſcio quis ei Epiſcopus ſubjectus non ſit. Cum vero culpa non exigit, omnes ſecundum rationem humilitatis æquales ſumus.* Integra hæc epiſtola ſummam Gregorii prudentiam exhibet, ut ille minus dixiſſe, plus dicere voluiſſe intelligatur. Etenim, ut ipſe fatetur, ignorabat quo animo Primas ille Byzacenus ad Sedem Apoſtolicam eſſet acceſſurus, & quis forte futurus eſſet exitus, ſi verbis vividioribus ſententiam ſuam apud Johannem expreſſiſſet; interea vero nihil omiſit, quin commendaret cauſſam illam Johanni, profitens ſe de illius benevolentia certum eſſe.

Ad eundem Johannem Syracuſanum aliam ſcripſit epiſtolam Gregorius 36. lib.
11. in vulgari, & 28. lib. 13. in Maurina editione in cauſſa Coſmæ cujuſdam *Can. 6. diſt. 74.*
Monachi primum, deinde Subdiaconi, ac tandem Presbyteri. Integra illa refertur
in can. 6. diſt. 74., ubi leviuſcula quædam emendanda ſunt; etenim pro illis Gratiani verbis; *Quæ Juliana dicitur, Presbyter eſt ordinatus, ... fugam quærat auxilium . . . in Eccleſiam, ubi &c.*, legitur in aliis epiſtolæ exemplaribus: *Quæ Juliana vocatur, Presbyter dicitur ordinatus . . . fuga quærat auxilium . . . . in Eccleſia, ubi &c.*

Alia iterum epiſtola eſt Gregorii ad Johannem Syracuſanum in vulgari editione *Can. 21.*
28. lib. 7., in Maurina vero 27. lib. 8., quæ omiſſa brevi Gregorii præfatione, *diſt. 93.*
integra in ceteris refertur apud Gratianum in can. 21. diſt. 93., & quidem eiſdem verbis poſt Romanam Correctionem. Monachi tamen Maurini pro voce *Catinenſis* rectius legendum volunt *Catanenſis*, animadvertentes in aliquot vetuſtiſſimis Codicibus MSS. deſiderari illas duas voces *verum eſſe*. Compagus, de quo ibi fit mentio, communi eruditorum conſenſione calceamenti ſacri ſpecies erat, quamquam in ejus figura explicanda non omnes conveniant; alii enim putant fuiſſe maxime cavum, atque profundum ad medias uſque tibias aſcendentem; alii fuiſſe genus calceamenti inciſi, quo pes partim tegeretur, partim nudus extaret.

De epiſtola ad Juſtinum Prætorem.

Jamdudum Romani Correctores recte emendaverunt inſcriptionem canonis 6. *Can. 6.*
cau. 2. qu. 5., depromti ex epiſtola Gregorii 23. libro 2. in vulgari editione, *cau. 2.*
quæ ad Juſtinum, non Imperatorem, quemadmodum exhibebant Gratiani codices, *qu. 5.*
nec Presbyterum, quemadmodum vulgares epiſtolarum Gregorianarum codices tradunt, ſed Prætorem, quemadmodum vetuſtiſſimi & optimi MSS. codices habent. Porro Juſtinum Prætorem in Sicilia fuiſſe demonſtrat epiſtola 2. Gregorii

Digitized by Google

in lib. 1. ad eundem directa; eam autem epiſtolam, quæ refertur in memorato canone 6., ad Prætorem Siciliæ ſcriptam eſſe conſtat, quia ibidem agitur de Leone Catanenſi Epiſcopo, quem poſt cauſſæ diſcuſſionem, innoxium agnitum, & juxta morem illius ætatis ad corpus Sancti Petri præſtito jurejurando purgatum Juſtino commendat. Integra epiſtola relata eſt in dicto can. 6., in quo tamen pro illis verbis, *dejicere non valet . . . rumor adſperſit . . . omiſſum, quod noſtro . . . diſtricta eorum . . . nequa in cordibus remaneat &c.*, Maurini Monachi ex optimis codicibus legendum potius voluerunt: *Decipere non valet . . . rumor adſperſerat . . . omiſſum, aut noſtro . . . diſtricta eum . . . . nec quædam cordibus remaneat &c.* De Leone Catanenſi inferius agendum erit ad canonem 2. diſt. 32., can. 63. cau. 16. qu. 1., & can. 20. cau. 27. qu. 2.

De epiſtola ad Libertinum Præfectum.

Can. 13. diſt. 54. Plurimum prodeſt ad rectam interpretationem canonis 13. diſt. 54. integram hoc loco deſcribere Gregorii epiſtolam 37. lib. 2. indict. 11. in vulgari, & 38. lib. 3. in Maurina editione, ſcriptam ad Libertinum Siciliæ Præfectum. Ait Gregorius: *Ab ipſo adminiſtrationis exordio Deus vos in cauſſæ ſuæ voluit vindicta procedere, & hanc vobis mercedem propitium cum laude ſervavit. Fertur ſiquidem, quod Naſas quidam ſceleratiſſimus Judeorum, ſub nomine B. Heliæ altare punienda temeritate conſtruxerit, multoſque illic Chriſtianorum ad adorandum ſacrilega ſeductione deceperit. Sed & Chriſtiana, ut dicitur, mancipia comparavit, & ſuis ea obſequiis, ac utilitatibus deputavit. Dum igitur ſeveriſſime in eum pro tantis facinoribus debuiſſet ulciſci, glorioſus Juſtinus* (is eſt Juſtinus Prætor, de quo ſuperius actum eſt) *medicamento avaritiæ, ut nobis ſcriptum eſt, delinitus, Dei diſtulit injuriam vindicare. Gloria autem veſtra hæc omnia diſtricta examinatione perquirat, & ſi hujuſmodi manifeſtum eſſe repererit, ita diſtrictiſſime, ac corporaliter in eundem ſceleratum feſtinet vindicare Judæum, quatenus hac ex cauſſa & gratiam ſibi Dei noſtri conciliet, & his ſe poſteris pro ſua mercede imitandum monſtret exemplis. Mancipia autem Chriſtiana, quæcumque eum comparaſſe patuerit, ad libertatem juxta legum præcepta ſine omni ambiguitate perducite, ne, quod abſit, Chriſtiana religio Judæis ſubdita polluatur. Ita ergo omnia diſtrictiſſime ſub omni feſtinatione corrigite, ut non ſolum pro hac vobis diſciplina gratias referamus, ſed & teſtimonium de bonitate veſtra, ubi neceſſe fuerit, præbeamus.* Graviſſima ſane erat cauſſa, qua rogabat Gregorius Libertinum, ut in impium Naſatem animadverteret, Chriſtianoſque impietatis cauſſa in ſervitutem ſuam redactos ad libertatem vocaret; cum præſertim id Romanæ leges exigerent. Jampridem enim id conſtituerat Imperator Conſtantinus, quemadmodum teſtatur Euſebius in lib. 4. de vita Conſtantini cap. 27., idque etiam confirmaverant ſubſequentes Imperatores in l. 1. & 2. cod. ne Chriſtianum mancipium.

De epiſtolis ad Leonem Epiſcopum Catanenſem.

Quædam jam de Leone Catanenſi Epiſcopo attigi in epiſtola Gregorii ad Juſtinum Prætorem Siciliæ, ex qua depromtus eſt canon 6. cau. 2. qu. 5. Ad eundem duæ

Digitized by Google

duæ epiſtolæ Gregorii ſunt, quas memorat Gratianus. Prior eſt in Maurina editione 36. lib. 4., & in vulgari 34. lib. 3., ubi totus eſt Gregorius, ut præcipiat, continentiam a Subdiaconis eſſe ſervandam. Ex ea legimus canonem 2. diſt. 34., cum quo jungendus canon 20. cau. 27. qu. 2.; eadem enim ferme omnia utrobique leguntur. Quoniam vero nonnulla ſunt ibidem ex integris exemplaribus emendanda, integram Gregorii epiſtolam hic deſcribam. Ait Gregorius: *Multorum relatione comperimus, hanc apud vos olim conſuetudinem tenuiſſe, ut Subdiaconi ſuis licite miſcerentur conjugibus. Quod ne denuo quiſquam præſumeret, a Servo-dei Sedis noſtræ Diacone ex auctoritate noſtri Deceſſoris eſt iſto modo prohibitum; ut eodem tempore hi, qui jam uxoribus fuerant copulati, unum ex duobus eligerent, ideſt aut a ſuis uxoribus ſe abſtinerent, aut certe nulla ratione miniſtrare præſumerent. Et quantum dicitur, Speciosus tunc Subdiaconus pro hac re ab adminiſtrationis ſe ſuſpendit officio, & uſque in obitus ſui tempus Notarii quidem geſſit officium, & a miniſterio, quod Diaconum oportuerat exhibere, ceſſavit. Poſt cujus obitum, quia relicta ejus Honorato marito eſt ſociata, a tua eam Fraternitate in Monaſterio cognovimus eſſe deputatam. Ideoque ſi, ut fertur, ejus ſe maritus ab adminiſtratione ſuſpendit, antedictæ mulieri non debet officere, quod ad ſecundam conjugii copulationem migravit; præſertim ſi non tali mente Subdiacono juncta eſt, ut a carnis voluptatibus abſtineret. Si ergo ita ſe veritatem, quemadmodum edocti ſumus, habere agnoſcis, prædictam te mulierem de Monaſterio per omnia convenit relaxare, ut ad ſuum maritum ſine aliqua poſſit formidine remeare. De cetero vero Fraternitas tua ſit omnino ſollicita, ut quos ad hoc jam officium contigerit promoveri, hoc quammaxime diligenter inſpiciat; ne ſi uxores habent, miſcendi ſe cum eis licentia potiantur, ſed ad ſimilitudinem Sedis Apoſtolicæ eos cuncta obſervare ſua nihilominus diſtrictione conſtituat.* Hæc ſententia etiam clarius intelligetur, quoties cum eadem conferantur, quæ ſuperius tradidi ad canonem 10. diſt. 28., nimirum eam fuiſſe diſciplinam Gregorii temporibus in ordinationibus Clericorum, ut quoties maritus ſacris ordinibus initiaretur, relicta conjux perpetuo continentiæ vinculo obligaretur.

Can. 2. diſt. 34. & Can. 20. cau. 27. qu. 2.

Ex alia epiſtola ad eundem Leonem 8. lib. 7. in vulgari, & 7. lib. 8. in Maurina editione depromtus eſt canon 63. cau. 16. qu. 1., in quo licet nonnulla epiſtolæ verba omiſſa fuerint, nihil tamen deſideratur, quo explicari poſſit integra Gregorii ſententia. Nihil ibidem aliud Sanctus Pontifex decernit, quam Leonem Catanenſem Epiſcopum quartam tantummodo portionem bonorum eccleſiaſticorum, quocumque titulo acceſſerint, poſſe vindicare, ut aliæ portiones in Clericos, aliaſque cauſſas diſtribuerentur juxta vetera Romanæ Eccleſia decreta, quæ præſertim inter Gelaſii decretales reperiuntur.

Can. 63. cau. 16. qu. 1.

De epiſtolis ad Maximianum Epiſcopum Syracuſanum.

Quod de quartarum diſtributione ſervanda in reditibus eccleſiaſticis tradidit Gregorius in nuper memorato canone 63. cau. 16. qu. 1., idipſum etiam docuit in epiſtolis ad Maximianum Epiſcopum Syracuſanum, ad quem in vulgari editione directæ feruntur quatuor epiſtolæ, nimirum 11., 12., 13., & 14. lib. 3., & lib. 4. in Maurina, quamquam tamen Monachi Maurini aſſerant, decimamtertiam falſo dici ſcriptam ad Maximianum eundem, ſed potius ſcriptam fuiſſe ad Clementium Epiſcopum Primatem Byzacenum, freti auctoritate veterum Codicum MSS.

Digitized by Google

MSS. Sane facile fuit Typographis inſcriptionem ita immutare, cum eadem epi-
ſtola media eſſet inter epiſtolas ad Maximianum. In epiſtola numero 11. quatuor
Can.29. ſunt Gratiani fragmenta. Ita exorditur Gregorius: *Olim quidem Fraternitati tuæ*
cau. 12. *noſtra fuerat auctoritate commiſſum, ut ſiquæ in Sicilia exciderent Eccleſiæ, ceteriſque*
qu. 2. *venerabilibus locis, vel incongrue gererentur, noſtra vice corrigeres. Sed quia poſt hæc*
de quibuſdam neglectis hactenus capitulis ad nos querela pervenit, rurſus ad eorum cor-
reptionem tuam Fraternitatem ſpecialiter prævidimus excitandam. Cognovimus namque
de reditibus Eccleſiarum noviter adquiſitis &c. Hic ſubſequuntur verba canonis 29.
cau. 12. qu. 2., ubi tamen pro illis: *Quam rem pravam . . . ſive de his, quæ*
obvenient, vel obvenerint, quartæ &c. Maurini Monachi legendum monent: *Quamob-*
rem pravam ... ſive de iis, quæ nunc obvenerunt, vel obvenerint, quartæ &c. Poſt ver-
Can.38. ba hujus canonis, ſtatim in epiſtola habentur verba canonis 38. cau. 16. qu. 1.,
cau. 16. quem animadvertendum eſt conſonare quidem Codicibus editis Gregorianis, paullo
qu. 1. tamen aliter legi in Codicibus MSS. juxta adnotationes Maurinorum, etenim in iſtis
deſideratur particula *quodammodo*, & pro illis verbis, *aut admiſſa clericatus militia*
monaſticis non promoveantur ordinibus legitur: *aut omiſſa clericatus militia, mona-*
chicis promoveantur ordinibus, item pro illis verbis *præ ſui magnitudine* legitur *pro*
ſui magnitudine. Proſequitur Gregorius, inquiens: *Sicque invicem & eccleſiaſticus*
ordo vitæ monachicæ, & eccleſiaſticis utilitatibus regula monachatus impediat, (legunt
Can.45. aliqui, *impediatur*). *Illud quoque charitatem tuam commonere curavimus &c.* Jungenda
cau. 12. hic ſunt, quæ legimus in can. 45. cau. 12. qu. 2., in quo tamen nonnulla occur-
qu. 2. runt obſervanda; etenim pro illis verbis: *Convenientibus Occonomis, cunctiſque Cle-*
ricis prioribus legunt Maurini: *Convenientibus Hierarchicis* (aliqui MSS. Codices
habent *Jerathicis*, alii ad marginem, *ideſt Oeconomis*), *cunctiſque Cleri prioribus*.
Ex ea ſane marginali adnotatione in textum irrepere potuit vox illa *Oeconomis*,
quæ legitur apud Gratianum pro alia voce *Hierarchicis*. Ceterum ego reor, no-
mine Hierarchicorum venire Viſitatores Epiſcopos, qui vacantibus Eccleſiis præfi-
ciebantur, quorumque ſolertia potiſſimum fieri conſueviſſe ſucceſſoris Epiſcopi ele-
ctionem paſſim ex epiſtolis Gregorianis adgnoſcimus. Item pro illis verbis ejuſ-
dem canonis 45. *Ut illi conſequantur ſtipendium, qui pro tempore &c.* legitur in
exemplaribus epiſtolæ integris: *Ut illic conſequantur ſtipendium, quo pro tempore &c.*
At ſi quiſpiam quærat, quid nomine *ſpecierum* in eodem canone deſignetur, dixero
illo intelligi res Eccleſiæ pretioſiores, quemadmodum intelliguntur apud Gregorium
Turonenſem lib. 6. hiſtoriæ Francorum cap. 38. ibi: *Magni ibidem theſauri ex*
auro, argentoque, & multarum ſpecierum reperti ſunt. Inſuper in eodem canone 45.
aliqua omiſit Gratianus poſt illa verba *labore tollatur*, quæ ita deſcribi debent. *Sic*
namque ea, quæ ad munitionem pauperum facultatis pertinent, deſideramus expleri, ut
Can.12. *nulla penitus in rebus eorum ambitioſis hominibus venalitatis relinquatur occaſio. Viſi-*
cau. 20. *tatores Eccleſiarum &c.* Demum poſt verba ejus canonis poſtrema, ita clauditur
qu. 1. Gregorii epiſtola: *Juvenculas abbatiſſas fieri vehementiſſime prohibemus. Nullam igi-*
tur Fraternitas tua, niſi ſexagenariam virginem, cujus ætas hoc, atque mores exege-
rint, velari permittat, quatenus tam prioribus, quam præſenti capitulo tuæ diſtrictionis
inſtantia, Domino adjuvante, correctis, & diu diſſolutum rerum venerabilium ſtatum ca-
nonicis nexibus religare feſtines, ut divina negotia non per incongruas voluntates homi-
num, ſed competenti poſſint diſtrictione diſponi. Ita emendare oportebit, ac ſupplere
verba canonis 12. cau. 20. qu. 1.

Hæc

Hæc omnia, quæ deſcripta ſunt, integram exhibent epiſtolam 11. Ex 12. autem, *Can. 3.*
aut 14. nihil eſt in Gratianeo codice. Tantum adparet fragmentum ex 13., quæ *cau. 7.*
non ad Maximianum Syracuſanum ſcripta eſt, ut nuper animadvertebam, ſed ad *qu. 1.*
Clementium Epiſcopum Byzacenum. Atque hoc in loco emendanda eſt editio Gratiani, ſive, ut verius dicam, veteres Gratiani codices reſtituendi ſunt, in quibus legebatur in inſcriptione ejuſdem canonis: *Gregorius Clementino Epiſcopo Primati Byzaceno*. Præterea pro illis Gratiani verbis, *tamen paullo latius judicavimus, apertiuſque retexendam . . . pro ſuis ornandis negotiis . . . ſubtiliter, diſtricteque debeas eſſe ſollicitus. Quod ſi &c.* legendum volunt Maurini Monachi: *tamen paullo judicavimus apertius retexendam . . . pro ſuis ordinandis negotiis . . . ſollicite, diſtricteque diſcutias. Quod ſi &c.*

De epiſtola ad Præjectem Illuſtrem Panormitanum.

Quidam Præjectes, ſeu, ut aliis placet, Projecta, ſeu Prærectes vir illuſtris *Can. 12.*
Panormitanus convenerat cum Fantino Defenſore Eccleſiaſtici Patrimonii de qui- *cau. 25.*
buſdam bonis Eccleſiæ adcenſendis: Poſtulatum autem fuerat a Pontifice Maximo, *qu. 2.*
ut geſta utriuſque ipſius auctoritate confirmarentur. Annuit Gregorius per epiſtolam 61. lib. 7. in vulgari, & 57. lib. 9. in Maurina editione, ex qua depromtus eſt canon 12. cau. 25. qu. 2., poſtquam enim Gregorius profeſſus eſt, ſe illorum geſta auctoritate ſua per ipſam epiſtolam confirmare, ita ut ſpoponderit nec ſe, nec ſuos ſucceſſores irrita aliquando declaraturos, addidit: *Quia valde eccleſiaſticæ eſt moderationi conveniens, ut quæ ordinata fuerint, vel deciſa, nulla in poſterum debeant refragatione turbari*. Similia propemodum leguntur in can. 1. cau. 35. qu. 9.

De epiſtolis ad Petrum Subdiaconum.

Duæ laudantur apud Gratianum Gregorii epiſtolæ ad Petrum Siciliæ Subdiaconum. Prior eſt in vulgari editione 42., in Maurina 44. lib. 1., in qua agitur de diverſis eccleſiaſticæ diſciplinæ capitibus, præſertim vero de Clericis conjugatis, & eorundem uxoribus. Hujus epiſtolæ initium ad cauſſas pertinet ruſticorum, qui eccleſiaſticis prædiis colendis addicti erant; hos enim lædi in facultatibus ſuis aliquando a Subdiaconis rei ruſticæ eccleſiaſticæ præfectis Gregorius agnoverat; inter cetera, ſi quiſpiam villicus obierat, ſtatim Subdiaconos a ſucceſſione propinquos repellere, & Eccleſiam ſubſtituere, item, ſi quiſpiam villicus delictum aliquod grave admiſiſſet, non in reorum ipſorum perſonam Subdiaconos animadvertendum curare, ſed rebus & bonis quæſitis reos ſpoliare. Hæc omnia, ne fierent, Gregorius *Can. 4.*
vetuit, ad quæ pertinet canon 4. cau. 16. qu. 6. his verbis deſcribendus: *Cogno-* *cau. 16. qu. 6.*
vimus etiam, quod ſi quis ex familia (intellige familiam ruſticorum) *culpam fecerit Eccleſiæ, non in ipſo, ſed in ejus ſubſtantia vindicatur, de qua re præcipimus, ut quiſquis culpam fecerit, in ipſo quidem, ut dignum eſt, vindicetur; a commodo autem ejus omnino abſtineatur, niſi forte parum aliquid, quod in uſum executoris, qui ad eum tranſmiſſus fuerit, proficere poſſit*. Ex iis ſane liquet, quam depravata ſit Gratiani ſcriptura, qui pro iis verbis: *commodo . . . abſtineatur* legit: *Communione abſtineatur*.

Can. 5. cau. 16. qu. 6. Poſt multa ad varias privatorum cauſſas dirimendas pertinentia ita proſequitur Gregorius: *De lapſis Sacerdotibus, vel Levitis &c.*, quemadmodum legitur in can. 5. cau. 16. qu. 6., ubi quædam ſalubria traduntur de clericis graviorum criminum reis pœnitentiæ addicendis. Maurini Monachi verba illa *vel Levitis* omiſerunt, quemadmodum & pro illis verbis Gratiani: *Vivere ſciuntur . . . ut res lapſorum . . . qui de correctione . . . in pœnitentiam voluimus &c.* potius ſcribendum voluerunt: *Vivere ſciunt, . . . & res lapſorum . . . qui de correptione . . . . in pœnitentiam volumus &c.* Nonnulla adhuc ex integra epiſtola aſſuenda ſunt poſtremis Gratiani verbis, ut tota exhibeatur Gregorii ſententia ibi: *Ne, ſi nudentur, locis, in quibus dati fuerint, oneroſi ſint. Si qui parentes in poſſeſſione habent, ipſis res eorum tradendæ ſunt, ut in ipſis jura Eccleſiæ conſerventur.*

Can. 1. diſt. 31. & Can. 1. diſt. 28. Statim poſt hæc ſequuntur in epiſtola Gregorii, quæ eiſdem omnino verbis legimus in can. 1. diſt. 31., ex quo liquet, tunc temporis non generaliter Subdiaconis omnibus, ſed Subdiaconis tantum Romanæ Eccleſiæ, eorumque deinde exemplo Subdiaconis Siciliæ impoſitam fuiſſe continentiæ legem; imo & Gregorium ſumma moderatione uſum fuiſſe in ejuſdem recentis legis executione; cujus diſciplinæ inducendæ cauſſa fuit, quod inciperent tunc Subdiaconi ad miniſteria altaris propius accedere, unde paullatim factum eſt, ut Subdiaconatus inter ſacros Ordines recenſeretur; quod oſtendunt poſtrema illa canonis verba: *Quia nullus debet ad miniſterium altaris accedere, niſi cujus caſtitas ante ſuſceptum miniſterium fuerit adprobata.* Eadem verba in can. 1. diſt. 31. relata jampridem deſcripſerat Gratianus in can. 1. diſt. 28., mutatis tamen nonnullis ex eodem propterea emendandis.

Can. 2. cau. 16. qu. 4. Altera Gregorii epiſtola ad Petrum eſt 9. lib. 1., ex qua depromtus eſt canon 2. cau. 16. qu. 4., ubi pro illis verbis, *inconcuſſos quadraginta annis* legendum eſt: *inconcuſſis quadraginta annis.* Ibi totus eſt Gregorius in ſopienda lite, quæ mota fuerat de finibus quorundam agrorum ad Monaſterium S. Theodori Panormitanum, & Romanam Eccleſiam pertinentium. Atque in ea ſpecie primum animadvertendum voluit Sanctus Pontifex, ejus favore dirimendam eſſe controverſiam, qui jure quadragenariæ præſcriptionis potiebatur. Ex hoc non deſunt viri eruditi, inter quos Guſſanvillæus, qui adſerant, Gregorium primum fuiſſe quadragenariæ præſcriptionis auctorem, quando tamen ante Gregorium tricennalis præſcriptio ſufficiebat. Verum quicumque ita ſentiunt, Imperatorias ſane Conſtitutiones ante Gregorium editas ſe prorſus ignoraſſe fatebuntur. Porro uſque ad tempora Juſtiniani viguit lex Theodoſii junioris, qua cautum erat, ut actiones omnes ultra triginta annorum ſpatium protendi non poſſent. Juſtinianus in leg. 23. cod. de Sacroſ. Eccleſ. primum aſſeruit ſe voluiſſe æternam firmitatem dare actionibus, quæ competerent Eccleſiis, Monaſteriis, aliiſque piis, religioſisve locis, ut nullo unquam tempore circumſcriberentur; eo tamen rem reduxit, ut ſive in mobilibus, ſive in immobilibus rebus Eccleſiarum, piorumque locorum ſola centum annorum præſcriptio obeſſet. Hanc vero Juſtinianeam Conſtitutionem vel nunquam, vel breviſſimo tempore fuiſſe moribus obſervatam, aperte colligitur ex Novella ejuſdem Juſtiniani 131. cap. 6., qua ſtatutum cernimus, omnibus generaliter Eccleſiis, ac piis locis quadraginta annorum præſcriptionem objici poſſe. Itaque Gregorius non quadragenariæ ipſe præſcriptionis auctor exſtitit, ſed juxta leges Juſtinianeas, quæ nuper ſuis temporibus invaluerant, in propoſita ſpecie reſcripſit.

De

Digitized by Google

Defenſoris Eccleſiaſtici patrimonii munere in Sicilia fungebatur Romanus, ad quem plures numerantur Gregorii epiſtolæ. Ex ipſis illa eſt, ex qua Gratianus deſcripſit canonem 25. diſt. 81., numero 39. lib. 7. in vulgari, & 60. lib. 9. in Maurina editione, cui hæc ineſt inſcriptio: *Gregorius Romano Defenſori, Fantino Defenſori, Sabino Subdiacono, Hadriano Notario, Eugenio Notario, Felici Subdiacono, Sergio Defenſori, a paribus, & ſex patronis*. Spectat hæc epiſtola, ut patet, non Siciliæ tantum, ſed nonnullas alias Provincias, quarum ad Defenſores, Rectoreſque Eccleſiaſticos *a paribus*, ideſt ſingulis exemplaribus ad ſingulos miſſis directa eſt. Ejuſdem cauſſa melius percipitur, deſcribendo potiſſimam Gregorii ſententiam, ex qua memoratus Gratiani canon ſuppleri poſſit, ibi: *Pervenit autem ad nos quoſdam Epiſcoporum ſub prætextu quaſi ſolatii in una domo cum mulieribus converſari. Et ideo ne per hoc aut ſubſannatoribus juſta obtrectationis detur occaſio, aut facilem antiquus humani generis inimicus materiam deceptionis aſſumat, hujus tibi ſerie præceptionis injungimus, ut ſtrenuum te ſtudeas, & ſollicitum exhibere. Et ſi qui Epiſcoporum, quos commiſſi tibi patrimonii finis includit, cum mulieribus degunt, hoc omnino compeſcas, & de cetero eas illic habitare nullo modo patiaris, exceptis eis, quas ſacrorum canonum cenſura permittit, ideſt matre, amita, germana, & aliis hujuſmodi, de quibus prava non poſſit eſſe ſuſpicio. Melius tamen faciunt, ſi etiam a talium ſe cohabitatione contineant. Nam legitur, quod B. Auguſtinus nec cum ſorore ſua habitare conſenſerit, dicens: Quæ cum ſorore mea ſunt, ſorores meæ non ſunt. Docti ergo viri cautela, magna nobis eſſe debet inſtructio*. Quod de Auguſtino heic dicitur, conſonat cum iis, quæ ſcripſit Poſſidius in vita ejuſdem Auguſtini cap. 26. *Can. 25. diſt. 81.*

Alia ad Romanum epiſtola 11. lib. 8. in vulgari, & 10. lib. 10. in Maurina editione integra refertur in can. 4. diſt. 88., quam etiam epiſtolam memorat Johannes Diaconus in lib. 3. cap. 36., aliis 47.. Ubi Gratianus legit: *velut unum de laicis in cauſſis ſæcularibus occupari, & prætoriis inutiliter deſervire . . . . ad reverendum &c.* legendum malunt Maurini Monachi: *velut unum de ultimis in cauſſis occupari, & prætoriis inutiliter obſervare . . . ad reverentum &c.* Scriptura ita reſtituta aliam plane a Gratianea Gregorianam ſententiam reddit. Etenim ibidem reprehendit Sanctus Pontifex Baſilium, quod velut unus de ultimis, ſcilicet ex iis, qui in Clero conſtituti ſunt, Miniſtris inferioribus, & temporalibus cauſſis occuparetur, quæ minime decebant Epiſcopum ſpiritualibus tantum negotiis Præfectum. Porro tunc temporis res Eccleſiæ ruſticas, liteſque cauſſa rerum eccleſiaſticarum ſubortas ſolebant tractare Subdiaconi, aliquando etiam Diaconi, frequentius Defenſores, quorum gradus inter minora miniſteria recenſebatur. Prætorii nomen ſignificabat locum, in quo jus reddebatur, quemadmodum eo in ſenſu uſurpavit Latinus Interpres Johannis in cap. 19. Evangelii. Verbum autem *obſervare* tempore Gregorii ſumebatur pro munere fungi. Sic Concilium Andegavenſe anni 453. can. 10. ita habet: *De Laicis, vel Clericis, qui Miniſtri ordinati obſervare noluerint*. Eodem ſenſu accipitur in can. 4. & 26. Concilii Aurelianenſis IV. anni 541., imo & apud eundem Gregorium in epiſtola ad Amos Epiſcopum Jeroſolymitanum, & in epiſtola ad Victorem Epiſcopum Panormitanum. Reprehendit itaque Gregorius *Can. 4. diſt. 88.*

 Epi-

Digitized by Google

Epiſcopos illos, qui neglecta animarum cura, ſpiritualibuſque negotiis, tribunalibus potius inſidere curabant. Qua in re non erit inopportunum animadvertere, quod narrat Nicephorus lib. 10. cap. 13., nimirum Julianum Imperatorem, qui & Apoſtata vulgo dicitur, dolo malo Clericos dignitatibus ſenatoriis auxiſſe, ut religioſo quodam prætextu eccleſiaſticorum Virorum animos a divino cultu, ſacriſque miniſteriis alienaret, futurum ſperans, ut ea ratione facilius Chriſtiana religio interiret. Qui plura ad hanc rem deſiderat, adeat S. Bernardum in lib. 1. de conſideratione ad Eugenium cap. 6.

Can. 39. cau. 11. qu. 1. Quæ in nuper memorata epiſtola Gregorius ſcripſerat, tantam vim apud Romanum habuerunt, ut ipſe (contra mentem tamen Gregorii ipſius) cauſſas Clericorum, ne ab Epiſcopo quidem cognoſcendas voluerit, imo & Epiſcopo inconſulto ipſe cognoverit. Id Sancto Pontifici diſplicuit, quemadmodum enim eo mentem intenderat, ut Epiſcopos a ſæcularibus negotiis, ac cauſſis alienandos curaret, ita voluit, ut Clericorum cura ad Epiſcopos potiſſimum pertineret, ſuaque illis juriſdictio publicis etiam legibus firmata ſervaretur. Exhibetur Gregorii ſententia in can. 39. cau. 11. qu. 1. decerpto ex epiſtola ad Romanum 32. lib. 9. in vulgari, & 37. lib. 11. in Maurina editione. In codicibus editis epiſtolæ Gregorianæ pro verbis Gratianeis *ad eligendos judices* legitur *ad eligendum judicem*. Item in poſtremis verbis animadvertunt Monachi Maurini, ita legi in aliquot exemplaribus: *Niſi ut præterquam eccleſiaſticus cuſtodiri illic ordo debuit, confundatur*.

Can. 3. cau. 14. qu. 6. In epiſtola ad Romanum in vulgari editione 24. lib. 7. indict. 2., in Maurina 27. lib. 9. legitur canon 3. cau. 14. qu. 6., cujus priora verba ita ſupplenda ſunt ex editis, integriſque epiſtolæ exemplaribus: *Pervenit ad nos, quia quidam homines, minorem omnino diſcretionem tenentes, in ſuis nos periculis implicari deſiderant, atque ita volunt ab eccleſiaſticis Perſonis defendi, ut ipſæ quoque Perſonæ eccleſiaſticæ ex eorum culpa teneantur. Idcirco præſenti te præceptione admoneo, & per te Fratrem, & Coepiſcopum noſtrum Domnum Johannem* (forte is eſt Johannes Syracuſanus Epiſcopus) *vel ceteros, qui intereſſe poſſunt, ut patrocinia eccleſiaſtica, ſive mea ſuſcipiatis ſcripta, ſive etiam minime fuerint directa, ſub tanto moderamine debeatis impendere, quatenus hi, qui in furtis publicis implicati ſunt &c.* Quod hic dicitur de interceſſionibus Epiſcoporum, ac Clericorum apud publicos Magiſtratus favore reorum, diſciplinam exhibet vetuſtam; conſtat enim apud Sanctum Auguſtinum, illius temporis Epiſcopos libentiſſime eo officio functos, quemadmodum deducitur ex ejus epiſtola 152., & 153., aliiſque etiam monumentis facile demonſtrari poteſt, præ ceteris ex can. 4. cau. 23. qu. 5.

De epiſtolis ad Secundinum.

Can. 34. cau. 16. qu. 7. Ad Secundinum Taurominitanum in Sicilia Epiſcopum eſt Gregorii epiſtola 31. lib. 7. in vulgari, & lib. 8. in Maurina editione. Huc pertinet canon 34. cau. 16. qu. 7., cujus verba ita ſupplenda erunt ex integra epiſtola. Ait Gregorius: *Querimoniam Monachorum Monaſterii Caſtellienſis oblata ab eis petitio, quæ tenetur in ſubditis, patefecit. Proinde Fraternitas veſtra hæc, quæ adſerunt, ſollicita perſcrutari cura ſtudeat. Et ſi ea invenerit veritate ſubſiſtere, rationem tuitionis illis impendat, & Monaſterium, quod Monaſterio eorum unitum eſt, ſecundum conſuetudinem deputatis de-*

con-

ut Monaſterium ipſum & maxime contra voluntatem Fundatorum, ab eorum diſpoſitione ad arbitrium ſuum præſertim Laica Perſona ſubducat, aut aliquis ſibi in id jus debeat vendicare. Monaſterium Caſtellionenſe, ſive Vivarienſe, de quo heic agitur, erectum olim fuerat a Caſſiodoro, quemadmodum ipſe teſtatur in lib. Divinarum lectionum cap. 29., ejuſdemque illuſtris Viri ſeceſſu nobilitatum. Illius jura laici quidam deturbare volebant, in eo præſertim, quod aliud Monaſterium illi a Fundatoribus ipſis ſubjectum, ſejungere meditarentur. Urget Gregorius Monachorum Patronus Secundinum, ut cauſſa cognita Monachorum Caſtellienſium jura tueretur.

Alia ad eundem Secundinum epiſtola eſt in Maurina editione 59. lib. 3., in vulgari 57. lib. 2. indict. 11., quæ integra refertur in can. 7. cau. 18. qu. 2., ubi pro verbis illis *propter Monachorum moleſtias* ex veteribus Codicibus MSS. legendum eſt: *propter Monachorum inſolentias*. Ad illa autem verba canonis: *Repleto loco ipſorum fontium*, animadvertendum eſt, non olim, prout hodie uſuvenit, baptiſteria fuiſſe in altum erecta ad manum baptizantis accommodata, ſed potius in imo ſolo concavata, ut aptius baptizandi immergerentur. Hujuſmodi baptiſteriorum figuram tradunt Johannes Chriſoſtomus homil. 40. in cap. 15. epiſtola 1. ad Corinthios, Ambroſius homil. 16. in pſalmum 118., Gregorius in libro Sacramentali de Sabbato Pentecoſtes, quibus addi poteſt Iſidorus in lib. 2. de Divinis Officiis cap. 24.

Can. 7. cau. 18. qu. 2.

Duæ iſtæ, quas nuper memoravi, ad Secundinum epiſtolæ jure optimo Gregorio tribuuntur. Num vero alia epiſtola ad Secundinum apud Maurinos 52. lib. 2., apud alios 54. lib. 7. Gregorii ſit, Viri eruditi plurimum dubitant. Hæc exhibetur epiſtolæ inſcriptio: *Gregorius Secundino ſervo Dei incluſo*. Aliqui codices habent: *Gregorius ſervus ſervorum Dei dilectiſſimo Filio Secundino ſervo Dei incluſo*. Ex his jam liquet, Secundinum ibidem memoratum non eſſe Taurominitanum Epiſcopum, ſed potius profeſſione Monachum. Sunt qui hunc Secundinum eundem eſſe velint cum Secundo Ravennate, de quo ſuperius egi. Verum hujus opinionis non ſolum valida deſunt argumenta, ſed & deſunt conjecturæ. Ceterum hujuſmodi epiſtolam apocrypham eſſe multa demonſtrant. De ea ita ſcribit Guſſanvillæus. *Hæc epiſtola facilius expungeretur, quam ſanaretur. Eam variis adſumentis auctam fuiſſe probant MSS. Codices; conſentiunt Eruditi, quibus palatum ſapit. Textus ipſe infinitis vitiis ſcatet, & manuſcriptorum perpetua fere eſt inconvenientia*. Non eſt cur ſingula perſequar in eadem epiſtola contenta. Tantum me referam ad canonem 16. diſt. 50., qui ex illa depromtus eſt, ubi fingitur Gregorius a Secundino Monacho interrogatus, utrum Sacerdotes lapſi a ſua dignitate, iterum poſt pœnitentiam reciperentur in priſtinum gradum, reſpondet autem recipiendos eſſe. De hoc fragmento ita proſequitur laudatus Guſſanvillæus: *Ex triginta manuſcriptis vix unus, aut alter codex continet enorme fragmentum de lapſis, quod incipit, & quia Tua Sanctitas &c.* Paucis Monachi Maurini Operum Gregorianorum editores: *illud rejiciendum putamus*. Sane ſententiæ ibidem traditæ univerſa propemodum adverſatur antiquitas. Ut enim omittam canonem 61. ex iis, qui Apoſtolici vocantur, epiſtolam Cornelii ad Fabium Antiochenum apud Euſebium lib. 6. cap. 35., Cyprianum epiſt. 64. & 68., Baſilium epiſt. 1. ad Amphilochium cap. 3., idem ipſe Gregorius alibi ſæpiſſime ſcribit, Sacerdotem ſemel lapſum, ne poſt pœnitentiam quidem, in pri-

Can. 16. diſt. 50.

priſtinum gradum reſtituendum eſſe. Conferatur canon 1., 9., 10., & 11. diſt. 50. Quomodo veroſimile erit, Gregorium ita facile ſuam revocaſſe ſententiam, & quidem in ea epiſtola, quæ ſcriberetur ad Monachum, ſive *ad incluſum*, ad quem res illa pertinere nullatenus poterat? Imo quis ſuſpicetur, Gregorium adeo fuſe eam materiam fuiſſe perſecutum præter morem ſuarum epiſtolarum, quum tamen diſciplinæ hujus nec leve ex ſacris canonibus veſtigium exhiberi potuiſſet? Sunt qui putaverunt, varias iſtas Gregorii ſententias facile componi poſſe, quemadmodum compoſuit Gratianus; eam ob rem diſtinguunt inter privata, ac publica crimina, atque ajunt, Gregorium perpetuo, & ſine ſpe reſtitutionis rejeciſſe a gradu ſuo Clericos omnes publicis criminibus obnoxios, eos autem, quos privata tantummodo criminis conſcientia premit, facile reſtitui. Verum hanc conciliandi rationem, duo evincunt eſſe a veritate alienam. Primum eſt perpetua Eccleſiæ traditio uſque ad ipſam Gratiani ætatem conſtantiſſime producta. Ejus teſtem optimum laudo Urbanum II. in epiſtola ad Conſtantienſem Epiſcopum ita ſcribentem: *De Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, qui poſt acceptum ordinem in aliquo crimine lapſi fuerint, ſive palam, ſive clam, conſtat quidem canonum cenſura ab eccleſiaſticis eos officiis inhiberi*. Alterum eſt ipſamet canonis ejuſdem inconcinna compoſitio, ex qua illa privatorum, publicorumque criminum diſtinctio aut non probatur, aut etiam excluditur. Quæcumque enim rationes ibidem adferuntur, ut demonſtretur, Sacerdotes lapſos poſt pœnitentiam reſtitui, æque privatim, ac publice peccantibus accommodantur. Ipſummet Sancti Petri exemplum ibidem propoſitum rem perſpicuam facit, cum enim Petrum publice peccaſſe ſciamus, alias autem reſtitutum in gradum, atque honorem ſuum, concludendum eſſet, aut exemplum Petri memoratam diſtinctionem rejicere, aut rei propoſitæ non ſatis convenire; quodcumque autem dicatur, conjecturam graviſſimam præbet, qua canonem ipſum a Gregorii ſententiis abjudicemus. Vidit ſane Gratianus ipſe, quam infirmum præſidium eſſet memorata criminum publicorum, privatorumque diſtinctio, eamque ob rem in tota diſt. 50. modo in unam, modo in alteram partem declinavit; quamquam commodius ſeſe expediviſſet, ſi apocrypha, quæ ibidem adfert, monumenta a germanis ſecernere ſciviſſet. Quod profecto auſum magis detegit auctoris epiſtolæ ad Secundinum, illud eſt, quod illius opinionis fundamentum eſſe adfirmet in quinque generalibus Synodis ante Gregorium celebratis, quando tamen in illis nihil tale adparere unquam poteſt.

Can. 24. diſt. 50. Idem omnino dicendum erit de canone 24. diſt. 50., cujus ſententia in hac eadem epiſtola legitur his verbis, quæ ſane referenda erunt ad memoratum canonem 16. ejuſdem diſtinctionis 50. Nimirum poſt illa verba canonis 16. *poſt dignam igitur ſatisfactionem credimus poſſe rediri ad honorem*, ita proſequitur epiſtolæ auctor: *Dicente Propheta: numquid qui cadit, non adjiciet, ut reſurgat?* Et poſt pauca: *Unde & Pſalmiſta ait: Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum tuum rectum innova in viſceribus meis. Ne projicias me a facie tua, & Spiritum Sanctum ne auferas a me. Dum enim petiit, ne a Domino projiceretur, pro lapſus culpa alienam Rex, & Propheta ſimul rapuiſſe uxorem tremefactus expavit, & Propheta indicante flagitium ſuum pœnitentiam agens, addebat: Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me. Si enim condignam Deo pœnitentiam non feciſſet, nequaquam aliis prædicaret: Ait enim, docebo iniquos vias ſuas, & impii ad te convertentur. Dum enim peccata proſpexit Propheta mundatus per pœnitentiam, non dubitavit prædicando curare aliena,*

ritus contribulatus. Hæc ſi cum memorato canone 24. conferantur, ſtatim liquebit, Palearum auctorem paucis perſtrinxiſſe prolixi hujus monumenti ſententiam, & quadam veluti epitome expreſſiſſe ſub nomine Gregorii.

De epiſtola ad Venantium Syracuſanum.

In epiſtola 33. lib. 1. objurgat Gregorius Venantium Syracuſanum Patritium, cum monaſticam vitam olim profeſſus fuiſſet, deinde monaſticæ ejuſdem vitæ pertæſus ad ſæcularem reverſus fuerit, imo & conjugem duxerit, ex qua duas filias ſuſceperat. Epiſtolæ ipſius initio aſſerit Sanctus Pontifex, ſe ratione Epiſcopatus ſui teneri, ut Venantium ipſum admoneat, corrigatque, quo pertinet canon 4. diſt. 43. his verbis legendus: *Hinc etiam Epheſiis Paullus dicit: Mundæ ſunt hodie manus meæ a ſanguine omnium veſtrum. Non enim ſubterfugi, quominus annunciarem vobis omne Dei concilium. Mundus ergo a ſanguine omnium non eſſet, ſi eis Dei conſilium annunciare noluiſſet; quia cum increpare delinquentes noluerit, eos procul dubio tacendo Paſtor occidit*. In hac quoque epiſtola legitur canon 3. cau. 17. qu. 1., cujus verba omnino conſonant cum vulgatis Gregorianæ epiſtolæ exemplaribus. Quod factum Venantii ſpectat, certum eſt, Venantium olim Monachum diutiſſime in conjugio poſtea inito conſtitiſſe, & uſque ad finem vitæ ſuæ deſidem ſeſe exhibuiſſe, ne ad Monaſterium reverteretur. Nimirum conſtat ex epiſtola Gregorii 31. lib. 9. in vulgatis editionibus ſcripta ad Johannem Epiſcopum Syracuſanum, Gregorium ipſum monitis Johannem excitaſſe, ut Venantium exmonachum in extremis laborantem corriperet, atque hortaretur, ut ſaltem moriturus in monachali habitu conſtitutus ab hac vita decederet. Sunt porro hæc omnia referenda ad veterem diſciplinam, juxta quam nondum illud receptum fuiſſe videtur, ut Monachorum conjugia prorſus eſſent invalida, licet illicita haberentur, ac pœnis eccleſiaſticis graviſſimis coercerentur, quemadmodum deduci facile poteſt ex can. 2., & 3. diſt. 27., can. 1. cau. 20. qu. 3., can. 22., & 41. cau. 27. qu. 1.

Can. 4. diſt. 43.

Can. 3. cau. 17. qu. 1.

De epiſtola ad Urbicum Abbatem.

Panormitano Sancti Hermetis Monaſterio præſidebat Abbas Urbicus, ad quem ſcripſit Gregorius epiſtolam in vulgatis editionibus 49. lib. 5., apud Maurinos 48. lib. 6. illum exhortans, ut Agathonem quendam, ut converteretur, poſtulantem in Monaſterium benigne reciperet, dummodo tamen Agathonis ejuſdem uxor converti etiam voluiſſet. Ex hac epiſtola depromtus eſt canon 25. cau. 27. qu. 2., in quo vocum quarundam tranſpoſitio ceteroqui leviſſima conſpicitur: ubi enim Gratianus ſcripſit: *Et ſi uxor illius*, legendum potius eſt: *Si & uxor illius*. Non defuerunt, qui crederent, Agathonem, de quo heic agitur, illum eundem eſſe, qui deinde Maximus Pontifex electus eſt circa annum 679., moti ex eo, quod ſcripſerit Anaſtaſius Bibliothecarius in libro Pontificali his verbis: *Agatho natione Siculus ex Monachis &c.* Verum non ſunt hæc omnino veroſimilia. Siquidem Gregorii epiſtola ſcripta eſt circa annum 596., in qua dicitur, non ſolum Agathonem me-

Can. 25. cau. 27. qu. 2.

Digitized by Google

memoratum conjugio jam adſtrictum fuiſſe, verum etiam *Divina inſpiratione compunctum, relictis ſæculi hujus actionibus ad Deum converti feſtinare*; ex quibus deduci videtur, Agathonem Gregorii Magni tempore adoleſcentiam jam exceſſiſſe. Sed licet fingere juvet, vix illum attigiſſe annum ætatis ſuæ vigeſimum tempore, quo Gregorius epiſtolam ſcripſit, jam oporteret, Agathonem fingere electum Pontificem poſt annum ætatis ſuæ centeſimum; quod ſane non facile dixeris.

De epiſtolis ad plures Siciliæ Epiſcopos.

Can. 1. *diſt.* 53. Difficilis vulgo, ac ſalebroſa viſa eſt interpretatio canonis 1. diſt. 53., quem ut recte expendamus, operæ pretium erit, quædam ex fide hiſtorica prænotare. Nemo ignorat, quænam fuerit ætate Gregorii Magni Imperii Romani conditio, quod Longobardis hinc illinc irruentibus pene ad interitum deducebatur. Quamobrem Mauritius Imperator ſibi maxime opportunum eſſe cognoverat, ſi modo milites ſtrenuos colligeret, quorum copia hoſtium arma retunderentur, modo rerum publicarum miniſtros optimos inſtitueret, quorum conſilio ſive belli, ſive pacis adminicula exacte, ſolliciteque inſtaurarentur. Neminem præterea latet, temporibus Gregorii numero plurima erecta Monaſteria fuiſſe, in quibus viri æque, ac mulieres quietam vitam traducerent procul a ſæculi curis de æterna ſolummodo vita ſolliciti, eademque large, aut donis aucta fuiſſe, qua viventium eleemoſynis, qua ultimis morientium voluntatibus, aut privilegiis non contemnendis diſtincta, quemadmodum legentibus Gregorii epiſtolas facile conſtat. Clericorum item conditio optima erat, præſertim quod referente Johanne Diacono lib. 2. cap. 15. Gregorius ipſe Laicos omnes a ſua familiaritate abjeciſſet, ſoloſque Clericos domeſticæ vitæ ſocios adſciviſſet, imo & ceteris Epiſcopis auctor fuiſſet, ut idipſum peragerent, argumento canonis 58. cau. 2. qu. 7.

Itaque diverſa prorſus erat laicorum, nec non Clericorum, Monachorumque vita, atque conditio. Laici graviſſimis negotiis occupati in facultatum modo, modo etiam in vitæ periculo conſtituti, curis undique graviſſimis angebantur; Clerici e contrario, aut Monachi tranquillo ſacræ pacis otio fruebantur. Quis inde non videat, optatiſſimam tunc extitiſſe laicis hominibus aut clericalis, aut monaſticæ vitæ rationem, non religionis, aut pietatis initam ſtudio, ſed quietis? Res eo devenit, ut Civilis Reſpublica neceſſariis ſubſidiis deſtituta in interitum vergeret, civibus huc illuc abſcedentibus ad Eccleſias, vel ad clauſtra, nonnullis etiam publico jam munere, atque adminiſtratione functis in detrimentum publici ærarii religioſam vitam in fraudem ratiocinii ingredientibus. In his rerum adjunctis Imperator Mauritius legem tulit ſaluberrimam duo capita continentem. Primum *ut quiſquis publicis adminiſtrationibus fuiſſet implicatus, ei ad officium eccleſiaſticum venire non liceret*. Quæ quidem conſtitutio veteribus jam legibus conſonabat; jam enim Imperator Conſtantinus id primum decreverat in l. 4. cod. de Epiſcop., & Cleric., dein confirmaverat Arcadius, & Honorius in l. 12. eod. tit. ita, ut quicumque curialibus adhuc negotiis obnoxius eſſet, atque ad Clerum deinde promotus, rurſus ad curiam revocaretur, quemadmodum tradit Innocentius Papa in can. 3. diſt. 51., firmatque Gelaſius in can. 9. diſt. 54. Hoc legis caput Gregorius idem in epiſt. ad Mauritium valde laudavit, *evidentiſſime ſciens*, ut ipſe inquit epiſt. 62.

lib.

lib. 2. in vulgari editione; [illegible] *venire feſtinat, mutare vult ſæculum, non relinquere*. Alterum legis caput erat, ut ei, qui fuerit eiſdem publicis rationibus obnoxius, aut etiam militiæ adſcriptus, non liceret in Monaſterio converti, quam conſtitutionis partem ſe *expaviſſe* Gregorius fatetur in eadem epiſtola ad Mauritium, *quia per eam cælorum via multis clauditur*, rogans propterea Imperatorem, ut *aut temperando, aut immutando vigorem ejuſdem legis inflectat*. Interea vero Gregorius illam Mauritii legem, prout ſibi ab Imperatore mandatum erat, promulgari curavit, quemadmodum ipſe ibidem fatetur his verbis: *Ego quidem juſſioni ſubjectus, eandem legem per diverſas terrarum partes tranſmitti feci; & quia lex ipſa omnipotenti Deo minime concordat, ecce per ſuggeſtionis meæ paginam Sereniſſimis Dominis nunciavi. Utrobique ergo quæ debui, exolvi, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quod ſenſi, minime tacui*. Duo igitur peragenda hac in re ſibi Gregorius propoſuerat, primum ut legem, qualiſcumque ea eſſet, promulgaret, quo mandato Imperatoris indulgeret, alterum, ut eundem Imperatorem officio fere paterno moneret, quo ſecundam ejuſdem legis partem immutaret, aut ſaltem inflecteret. Jungi his poſſet Gregorii alia epiſtola ad Theodorum Medicum, quæ eſt 65. lib. 2. in vulgari editione.

Iſta præfatus facilem habeo interpretationem dicti canonis 1. diſt. 53. depromti ex epiſtola 11. lib. 7. in vulgari, & 5. lib. 8. in Maurina editione, cujus hæc inſcriptio eſt: *Gregorius*| *Euſebio Theſſalonicenſi* (olim Macedoniæ Metropolitano) *Urbitio Diracitano*, (vulgo *Durazzo* urbi Macedoniæ in Provincia Albaniæ) *Conſtantio Mediolanenſi, Andreæ Nicopolitano, Johanni Corinthi, Johanni Primæ Juſtinianeæ, Johanni Cretenſi Scoritano*, (ita dicto ab Urbe *Scodra* olim in Dalmatia, quæ nunc dicitur *Scutari*), *Johanni Lariſſæ, Mariniano Ravennæ, Januario Caralis, & omnibus Epiſcopus Siciliæ*. His omnibus Epiſcopis Metropolitis (excipe Siciliæ Epiſcopos, qui, ut diximus, Romano Pontifici, etiam ut Metropolitano ſubdebantur) promulgaverat Imperatoriam laudatam legem Gregorius ex Mauritii mandato. Secutus fuit Mauritius morem Juſtiniani ſui Deceſſoris, qui Conſtitutiones Religionem quoque modo ſpectantes a ſe editas ad Patriarchas dirigebat, a quibus ad Metropolitas, & a Metropolitis ad Epiſcopos devenirent, uti colligitur ex Novella 5. in fine, ibi: *Hæc itaque omnia Sanctiſſimi Patriarchæ ſub ſe conſtitutis Deo amabilibus Metropolitis manifeſta faciant; at illi ſubjectis ſibi Deo amabilibus Epiſcopis declarent, & illi Monaſteriis Dei ſub una ordinatione conſtitutis cognita faciant &c.* Hinc Gregorius memoratis Metropolitis velut eorum Patriarcha, Epiſcopis Siciliæ velut eorum Metropolita legem Imperatoriam exhibuit, quemadmodum verba ipſa ejuſdem canonis 1. aperte demonſtrant, in quibus Maurini pro illis verbis: *Ex militaribus viris*, legendum voluerunt: *Ex militaribus numeris*. Porro numerorum nomine veniunt cohortes, juxta illud, quod tradit Optatus Milevitanus in lib. 5. de ſchiſmate Donatiſtarum cap. 4. ibi: *Revertuntur vexati milites ad numeros ſuos*. Ex hujus canonis verbis liquido conſtat, Gregorium ad memoratos Epiſcopos tranſmiſiſſe exemplar Imperatoriæ legis, quamquam tamen in ipſa legis executione rem non adeo expeditam voluerit ſingulari ſane prudentia. Quod enim ſpectabat priorem legis partem, eam voluit adamuſſim eſſe ſervandam; ſcilicet præpropere non eſſe ordinibus ſacris initiandos, aut ad Monaſteria admittendos, quicumque rationibus publicis obſtricti dicerentur; ſed primum inquirendum fore, num revera obnoxii tenerentur, quo caſu non primum ordinari præcepit, quam rationibus eiſdem

dem publicis ſatisfeciſſent. At in altera legis parte monuit, venientes a militaribus numeris ad Monaſteria non eſſe temere ſuſcipiendos, *niſi eorum vita fuerit ſubtiliter inquiſita*; & niſi venientes ad Monaſteria per triennium regularem vitam ibi traducerent. Moderatus heic fuit Gregorius Principis Conſtitutionem; cum Mauritius milites nuſquam recipiendos in Monaſteria voluerit; Gregorius demum poſt triennium recipi poſſe declaraverit, non quod Imperatoris legibus adverſaretur, ſed quod propoſuerat Imperatorem monere, quemadmodum per epiſtolas monuit, ut ab illa lege deflecteret, ſperabatque futurum, ut intra triennii ſpatium Mauritium ab eadem lege diſtraheret. Porro hac ſpe concepta prudentiſſimus Pontifex duriuſculam quidem legem promulgavit, ſed plenam legis executionem in triennium ſuſpendit. Atque ejuſdem Papæ moderatio eo vel magis laudanda erit, quod ſciamus Imperatores ſexti ſæculi conſueviſſe commendare eadem ratione decreta ſua quoquo modo ad res eccleſiaſticas pertinentia Patriarchis, aut Pontificibus Maximis promulganda, quomodo decreta res Imperii ſpectantia fidei committebant Præfectorum Prætorio etiam promulganda. At vero Præfectis Prætorio ita committebantur hæc, ut ſi ipſi acceptam Conſtitutionem ad detrimentum Reipublicæ vergere putaviſſent, eidem Imperanti ſignificarent legis aſperitatem correcturo, atque interea a legis executione abſtinerent, uti conſtat ex Novella Juſtiniani 152. Quidni etiam idipſum ſibi licere in promulganda lege Mauritii Gregorius arbitraretur, ut ſuſpenſa interea legis executione, moneret Imperatorem epiſtolis, eidemque nimiam latæ legis aſperitatem exhiberet?

Can. 1. diſt. 94. Hæc, quam huc uſque expendi, epiſtola ad plures Epiſcopos directa eſt, quamvis in Gratianeo codice ad ſolos Siciliæ Epiſcopos directa feratur. Solis autem Siciliæ Epiſcopis ſcripta eſt epiſtola 1. libri 1., ubi Gregorius eoſdem monet, ut ſemel in anno ad Concilium conveniant, vel in Catanenſi, vel in Syracuſana Civitate ob eorundem Epiſcoporum commodum celebrandum, mittens propterea Petrum Romanæ Eccleſiæ Subdiaconum, cui vices ſuas commiſit, ſive in indicendo Concilio, ſive in rebus Eccleſiæ Romanæ tuendis, atque adminiſtrandis. Ex hac epiſtola eſt canon 1. diſt. 94., ubi pro illis verbis *patrocinium commiſiſſe* legendum eſt ex veteribus Codicibus MSS. *patrimonium commiſiſſe*, quam emendationem etiam probat epiſtola Gregorii 2. & 3. lib. 1., in quibus Sanctus Pontifex ſcribit, ſe in Siciliam miſiſſe Petrum Subdiaconum *ad regendum Siciliæ patrimonium*, & *pro regendo Eccleſiæ patrimonio*. Imo & mitti conſueviſſe a Romano Pontifice in Siciliam Miniſtros ad curam gerendam *eccleſiaſtici patrimonii* idem Gratianus demon-
Can. 9. cau. 10. qu. 3. ſtrat in can. 9. cau. 10. qu. 3., qui legitur in alia ad Siciliæ Epiſcopos epiſtola in vulgari editione 22. lib. 11., apud Maurinos 18. lib. 13. Hæc epiſtola ſcripta præfertur ad Leonem, Secundinum, Johannem, Donum, Lucidum, & Trajanum Siciliæ Epiſcopos. Cum enim hi Epiſcopi, dum per diœceſim Sacramentum Confirmationis adminiſtrarent, Sacerdotibus, aliiſque Clericis gravamen inferrent, certior factus Gregorius illos admonuit paterno plane officio, quemadmodum in eodem canone 9. legimus, ubi pro illis verbis *per univerſas veſtras diœceſes* legendum erit: *per diverſas veſtras diœceſes*; item pro illis; *quod tunc placuit, ſicut nunc dicitur, minime cuſtoditur*, legendum erit: *quod tunc placuit, nunc, ſicut dicitur, minime cuſtoditur*. Demum illa verba poſtrema, *non graves ſtudeatis exiſtere*, ita erunt corrigenda, *graves non ſtudeatis exiſtere*.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO X.

De epiſtolis directis per Tuſciam, & Umbriam.

De epiſtola ad Candidum Epiſcopum Urbevetanum.

Ægrotantes Clericos eccleſiaſticis debere ſubſidiis adjuvari æquitas ipſa naturalis poſtulat; quemadmodum enim *ſervire nobis intelliguntur etiam hi, quos curamus ægros, qui cupientes ſervire, propter adverſam valetudinem impediuntur*, uti recte ediſſerit Paullus in l. 4. §. 5. ff. de ſtatu liberis, ita etiam ſervire adhuc Eccleſiæ dicuntur Clerici, quos ab officio deturbat adverſa corporis valetudo. Hanc ob rem cum Calumnioſus quidam Clericus Urbevetanæ Eccleſiæ ſola ægritudinis cauſſa a Candido Epiſcopo ſuo eccleſiaſtici peculii ſibi debita portione privatus fuiſſet, Gregorius ad Candidum eundem ſcribens epiſt. in vulgari editione 5., in Maurina 8.lib. 2., conſueta illi ſubſidia miniſtrari juſſit; quemadmodum perſpicue liquet ex can. 2. cau. 7. qu. 1., ex eadem epiſtola depromto. Animadvertitur, apud Maurinos verba illa *&* *ideo* deſiderari, quamquam & apud Gratianum, & apud alios collectores habeantur.

Can. 2. cau. 7. qu. 1.

De epiſtola ad Johannem Epiſcopum Urbevetanum.

Superius jam ſæpe animadvertendum fuit, tempore Gregorii Magni Monaſteriorum cultum, & incrementa quandam, ita dixerim, aliquot Clericorum, imo & Epiſcoporum invidiam concitaſſe, hinc Epiſcopos eo adductos fuiſſe, ut Monachorum quietem aliquando turbarent. Turbaverat inter ceteros Johannes Urbevetanus Epiſcopus, qui interdixerat Abbati Monaſterii Sancti Georgii, vel, ut alii volunt, Sancti Gregorii, ne in Monaſterio eodem Miſſæ celebrarentur, aut mortuorum cadavera tumularentur. Opportunum duxit ad hanc rem Gregorius epiſtolam ad Johannem ſcribere, quæ eſt 12. lib. 1., quæque integra propemodum exhibetur in can. 13. cau. 16. qu. 1. Ejus verba hæc ſunt juxta Maurinos codices: *Agapitus Abbas Monaſterii S. Gregorii* (legunt alii: *Agapius . . . . S. Georgii*) *inſinuavit nobis, plurima ſe a veſtra ſanctitate gravamina ſuſtinere, & non ſolum in his, quæ neceſſitatis tempore aliquod Monaſterio poſſint ferre ſubſidium; verum etiam quod eodem Monaſterio Miſſas prohibeatis celebrari, ſepeliri etiam ibidem mortuos interdicatis. Quod ſi ita eſt, a tali vos hortamur inhumanitate ſuſpendi, & ſepeliri ibidem mortuos, vel celebrari Miſſas, nulla ulterius habita contradictione permittatis, ne denuo querelam de iis, quæ dicta ſunt, prædictus Vir venerabilis Agapitus deponere compellatur*. Ad hujus canonis interpretationem obſervandum eſt, Gratianum perperam ex illo inferre poſt canonem 16., *quod ſiquis apud Monaſterium ſepulturam ſibi eligere voluerit, libere a Monachis poteſt ſepeliri*. Etenim nullibi conſtat, Gregorium locutum fuiſſe de illis, qui ſepulturam in Monaſterio ſibi elegerunt, ſed forte reſpicere voluit ad ſepulturam Monachorum ab hac vita decedentium ab ipſis Mona-

Can. 13. cau. 16. qu. 1.

Digitized by Google

chis libere in Monaſterio faciendam, cum nondum invaluiſſet uſus, ut defunctorum cadavera ad Eccleſias deferrentur. Revera cum prohiberetur tunc temporis, ne intra Eccleſias tumularentur cadavera, ſuboriri quæſtio poterat, utrum quod de Eccleſiis cautum erat, in Monaſteriis etiam recipiendum eſſet. Ita nonnulli ex Epiſcopis arbitrabantur, Monaſteria habentes non tam pro religioſis, quam pro ſacratis locis. Quod cum grave Monachis videretur adamantibus in eodem, quo vixerunt, loco inhumari, Gregorius Magnus ut Monachis gratam rem faceret, aut ſingulari conceſſo privilegio, aut etiam juxta commune jus, quod quidem interdicebat ſepulturas fieri in ſacris, non autem in religioſis locis, qualia erant Monaſteria, reſcripſit. Canon ita explicatus longe abeſt a Gratiani propoſito; hinc enim Collector ad ſui temporis mores veterum Patrum fragmenta inflectebat, non juxta auctorum diſciplinam interpretabatur.

De epiſtola ad Valentinum Abbatem.

Can. 20. *cau.* 18. *qu.* 2. Valentinum Abbatem redarguit Gregorius in epiſt. 40. lib. 3. in vulgari, & 42. lib. 4. in Maurina editione, quod parum ſollicitus de regulari diſciplina, Monachos ſibi ſubjectos non in officio contineret. Integra hæc epiſtola eiſdem omnino verbis legitur in can. 20. cau. 18. qu. 2., quodque ibidem traditur aliis Conciliorum eccleſiaſticorum capitibus conſonare videtur, quemadmodum illis facile liquebit, qui cum hoc canone conferet canones 103. & 104. de conſecr. diſt. 4. Hunc Valentinum Abbatem ſuſpicor Monaſterium habuiſſe in Diœceſi Spoletana, etenim in epiſt. 37. lib. 2. in Maurina editione ad Chriſantum Spoletanum ſcripta mentio fit Valentini Abbatis, nec non Monaſterii ejuſdem juriſdictioni ſubjecti.

De epiſtola ad Venantium Epiſcopum Lunenſem.

Duplex epiſtola eſt Gregorii ad Venantium Lunenſem Epiſcopum ſcribentis, *Can.* 10. *diſt.* 50. prior eſt 5., poſterior eſt 16. lib. 4. in vulgari editione; ſunt autem apud Maurinos 3. & 7. lib. 5. Ex iis, velut ex uno monumento, compoſitus eſt apud Gratianum canon 10. diſt. 50. Priora canonis verba, uſque ad illa, *hoc in tuæ Fraternitatis ponimus poteſtate*, continent integram epiſtolam priorem, ubi pro illis Gratiani verbis *de Saturnino Presbytero, & miniſterium Sacerdotii*; legunt Maurini Monachi: *De Saturnino Expresbytero, & miniſterium presbyterii*. Nomine *viatici*, quod ad exitus tempus auctoritate Gregorii reſervatur, arbitror intelligi ſacramentalem reconciliationem, ſeu abſolutionem, quemadmodum apud veteres uſurpari ſolebat. Quæ ſequuntur in §. *Præterea* pertinent ad epiſtolam poſteriorem, in qua non tantum agitur de Saturnino e gradu Presbyterii dejecto, ſed de aliis etiam Clericis eidem ferme ſententiæ obnoxiis. Hic quoque apud Gratianum legitur: *Saturninum vero Presbyterum*; at Gregorii integra epiſtola apud Collectores exhibita habet: *Saturninum vero Expresbyterum*. Duæ, quæ ibidem memorantur, inſulæ, Capraria in mari Tyrreno inter Corſicam, & oras Tuſciæ, & Gorgona fere media inter Corſicam, & eaſdem Tuſciæ oras, erant tunc Monachorum frequentia illuſtres. Quod vero dignius eſt obſervatione, ſitum eſt in vetuſtiſſima diſciplina, quæ ex

Digitized by Google

ex duabus iſtis Gregorii epiſtolis eruitur. Nimirum receptiſſimum erat, ut Clerici ſemel lapſi, ne poſt pœnitentiam quidem in priſtinum gradum reſtituerentur, quod alias demonſtravi, atque ex hoc potiſſimum cum Viris eruditis rejiciendam non dubitavi epiſtolam ad Secundinum Gregorio tributam, ex qua depromtum ſcimus canonem 16. diſt. 50.

SECTIO XI.

De epiſtolis per Picenum directis.

De epiſtola ad Caſtorium Epiſcopum Ariminenſem.

In cauſa 18. qu. 2. tres canones exhibuit Gratianus depromtos ex epiſtola Gregorii ad Caſtorium Ariminenſem, nimirum canonem 2., 3., & 6.; nullius tamen ex illis lectio probanda, quia non ſolum hujuſmodi fragmenta a Gregoriana ipſa epiſtola diſcrepant, verum etiam ipſa Gregorianæ epiſtolæ exemplaria non invicem conveniunt: Hinc Monachi Maurini in ſua editione duplicem epiſtolæ textum ob MSS. Codicum varietatem exhibere debuerunt, ne ipſi ſuo judicio optimum Gregorianæ epiſtolæ exemplar elegiſſe, unumque alteri prætuliſſe in dubio viderentur. Agitur ſane in hac epiſtola de aliquibus privilegiis in diſpendium juris Epiſcopalis Monaſterio Sanctorum Andreæ, & Thomæ Ariminenſi conceſſis; ſed in ipſorum privilegiorum explicatione non una eſt codicum omnium formula, quorum alii magis, minus alii Epiſcopalibus juribus detrahunt. Quid concludendum foret in tanta codicum varietate? Obvenit animo haud temere præconcepta ſuſpicio, qua credam Monachorum manibus in hiſce Gregorianis epiſtolis plura aut adjecta fuiſſe, aut immutata. Nemo enim dubitare poteſt, quin hæc monumenta a Monachis potiſſimum cuſtodita fuerint, ac de manu in manum in Monaſteriis ipſis traducta variis exemplaribus. Cum vero nondum inventa fuiſſet ars typographica, ecquis non videt, facile Monachos potuiſſe quædam per paraphraſes, latioreſve ſententias explicare, aut etiam poſterioribus gliſcentibus Monaſteriorum conſuetudinibus accomodare? Non eſt hæc nuda ſuſpicio, aut dubitatio, ubi codicum ipſorum varietas adparet, quorum alterutrum ab archetypo diſſidere neceſſe eſt, facileque ab iis corrumpi potuit, qui codices ipſos ſolertius cuſtodiebant, quorumque intererat nonnulla immutari. Itaque vel quod corrupta hodie ſit hujuſmodi epiſtola, vel quod in dubio ſemper non privilegiis, ſed juri ordinario favere debeamus, ea hodie probanda lectio erit a viro ſacrarum rerum ſtudioſo, quæ Epiſcoporum auctoritati minus officiet, ſi tamen generaliter Epiſcoporum auctoritati officeret, quod favore unius Monaſterii Ariminenſis a Gregorio conceſſum videri poteſt, cum non facile privilegia in exemplum trahantur. Can. 2. 3. & 6. cau. 18. qu. 2.

Jamvero ut ad rem veniam, verba canonis 2. cau. 18. qu. 2. in Gregorii epiſtola non leguntur, & in nullis exemplaribus exhibentur. Jure propterea adnotarunt Romani Correctores, eundem canonem 2. habendum eſſe pro quadam ſumma canonis poſterioris, quæ forte a Monacho quodam præfigi potuit aut initio, aut ad marginem Gregorianæ epiſtolæ ad Caſtorium, ut ſic integra Gregorii ſententia

tentia paucis perſtringeretur. Ceterum plurimum adhuc diſtant utriuſque canonis formulæ. Deducenda res eſt ad canonem 3. cau. 18. qu. 2. In vulgari editione lib. 4. epiſt. 43. ita legitur: *Abbatem vero eidem Monaſterio non alium, ſed quem dignum moribus, atque actibus monaſticæ diſciplinæ communi conſenſu Congregatio tota popoſcerit, te volumus ordinare. Miſſas autem illic publicas per Epiſcopum fieri omni modo prohibemus, ne in ſervorum Dei receſſibus popularibus occaſio præbeatur ulla conventibus, & ſimpliciores ex hoc animas plerumque, quod abſit, in ſcandalum trahat, frequentior quoque introitus muliebris arceatur.* Sic etiam habet epiſt. 41. lib. 2. Maurinæ editionis priore loco deſcripta. Multo aliter legitur in epiſtola eadem poſteriore loco edita, ibi: *Defuncto vero Abbate cujuſquam congregationis, non extraneus, niſi de eadem congregatione, quem ſibi propria voluntate concors fratrum ſocietas elegerit, & qui electus fuerit, &c.* quæ habentur in can. 5. §. *Defuncto* cau. 18. qu. 2., de quo inferius ſermo inſtituendus erit. Cum poſteriore hujuſmodi editione conſonare videtur Gratianeus canon 3. memoratus, licet non omnino; verum prior editio videtur ceteris anteferenda, quia magis perſpicua, ſtylo Gregorii conſentanea, & ſpeciei Gregorio propoſitæ accommodata. Etenim cum in Gregoriana epiſtola ageretur de uno Monaſterio Ariminenſi, convenientius erat ita ſcribi: *Abbatem vero eidem Monaſterio &c.*, quam generalibus uti verbis: *Defuncto Abbate cujuſquam Congregationis*. Sane Gratianus in Monaſteriis & degens, & ſcribens illam potius editionem ſecutus eſt, quæ ad extendenda Monaſterii privilegia valeret, ita ſcribens *Abbatem cuilibet Monaſterio, &c. Cuilibet*, inquam, quæ vox amplior etiam erat, quam in quocumque Gregorianorum operum exemplari.

Verum enim vero demus adhuc utriuſque editionis parem eſſe debere auctoritatem, illud ſaltem admittere oportebit, unam poſſe per alteram explicari, ubi minime adverſantur, & dubietas ineſt. Poſterior editio habet, debere Abbatem non extraneum, ſed de eodem Monaſterio a ſociis electum ordinari. A quonam vero hæc ordinatio electi fiat, minime definitur. In priore vero editione perſpicue adferitur, electi ordinationem ad Epiſcopum pertinere, ibi: *Te* (nimirum Caſtorium Ariminenſem Epiſcopum) *volumus ordinare*. Eccur itaque Gratianus in can. 2. cau. 18. qu. 2. erit excipiendus, ubi exprimit: *Abbas in Monaſterio non per Epiſcopum, aut per aliquem ordinetur*? De electione Abbatis ajebat Gregorius, a qua extraneum quemcumque excluſit, non de ordinatione, quam ſoli Epiſcopo reſervavit. Nullibi autem leguntur ea Gratiani verba *vel Clericos*, uti notant Romani Correctores, apud Gregorium, quæ ſane Collector Gratianus non aliunde derivare potuit, quam ex depravatis alicujus Monaſterii codicibus.

Quod ſpectat Miſſarum celebrationem, qua Epiſcopis in Monaſteriis interdicitur, univerſi Codices Gregoriani ad Miſſarum publicarum ſolemnitatem referunt, quemadmodum & refert Gratianus ipſe in dicto canone 3., quamquam in canone 2. generaliter fragmentum Gratianus expreſſerit. Longe præterea abeſt a Gregorii propoſito, quod in fine ejuſdem canonis 2. adjicitur: *ut nulli Eccleſiæ ſubjiciatur*; quaſi Gregorii ratio, quare Epiſcopum a Miſſis celebrandis in Monaſterio excluderet, ea eſſet, quod Monachi a quacumque Eccleſia exemti proponerentur. Non ita, arbitror, locutus fuiſſet Sanctus Pontifex, quoties eximendos ab ordinario Monachos voluiſſet, aliud enim non ſubjici Epiſcopo, aliud eſt *nulli Eccleſiæ ſubjici*, quaſi acephalos. Imo multo aliter ſeſe Gregorius explicat in priore editione ſuperius memorata. Siquidem non ideo Epiſcopus a Divinis Myſteriis publice celebrandis

Digitized by Google

brandis in Cœnobio abſtinere debeat, quod ipſe Cœnobio non præſideret, ſed ne ad Monaſteria ſacrorum Myſteriorum prætextu populus univerſus, feminæ præſertim, conflueret: *ne in ſervorum Dei ſeceſſibus* (ſunt ipſa Gregorii verba) *popularibus occaſio præbeatur ulla conventibus, & . . . in ſcandalum trahat frequentior quoque introitus muliebris*. Vereor, ne hodierna ætate verſæ ſint in hac re vices; ubi enim Monachi olim ex Gregorii conſtitutione voluerunt, Epiſcopum quidem ad Monaſteria accedere, dummodo tamen populi frequentia non adeſſet, ne Monachorum eorundem religioſa quies turbaretur, ac ſolitudo, modo nonnulli adverſus Gregorii ſententiam frequentiam populi adamaverint, dummodo a Monaſteriis Epiſcopos ipſos excluderent.

Dicendum adhuc ſupereſt de dicto canone 6. cau. 18. qu. 2., cujus ſane verba non conſonant cum priore Maurinæ editionis exemplari, in quo nil aliud dicitur, quam Abbatem eſſe eligendum a ſuis Monachis, & ab Epiſcopo ordinandum; item Epiſcopum Miſſas publicas in Monaſteriis celebrare non debere, ne monaſtica quies ulla ratione turbetur, ac demum hæc adeo firma eſſe ſervanda, ut Monachi ab omni gravamine liberi divinum opus ſumma cum animi devotione perficiant. At quid non addidit Gratianus in dicto canone 6.? Videtur ille deceptus ex poſteriore Maurinæ editionis exemplari, aliove ſimili, ab otioſo quodam Monacho elucubrato, qui voluerit Gregorianam epiſtolam interpretatione ſuis temporibus, & voluntati accommodata ſupplere. In hoc poſteriore exemplari ita legitur: *Luminoſus Abbas Monaſterii Sanctorum Andreæ, & Thomæ in Ariminenſi Civitate conſtituti, quas nobis lacrymabiliter preces effuderit, inditæ textus petitionis informat. Namque eodem referente pluribus in Monaſteriis multa a Præſulibus præjudicia, atque gravamina Monachos pertuliſſe comperimus. Oportet ergo, ut tuæ Fraternitatis proviſio de futura quiete eorum ſalubri diſponat ordinatione; quatenus converſantes in illis, in Dei ſervitio, gratia ipſius ſuffragante, mente libera perſeverent. Miſſas quoque publicas ab eo in Cœnobio fieri omnimodo prohibemus, ne in ſervorum Dei receſſibus, & in eorum receptaculis ulla popularis conventus præbeatur occaſio, vel mulierum fiat novus introitus, quod omnino non expedit animabus eorum*. Quæ apud Gratianum ſubſequuntur in verſ. *nec audeat, &c.* uſque in finem in omnibus Gregorianarum epiſtolarum exemplaribus deſiderantur, aſſutaque videntur epiſtolæ Gregorii ab eximio deceptore, cui deteſtabilis viſa fuit in Monachos Epiſcoporum juriſdictio.

De epiſtola ad Valerianum, & Demetrium Clericos Firmanos.

Firmanæ Eccleſiæ in Piceno Suburbicario præſederat Fabius Epiſcopus circa tempora Gregorii Magni. Is certam eccleſiaſticæ pecuniæ quantitatem expenderat in redemtionem captivorum Demetrii, Valeriani, & Paſſivi, quorum priores Clerici, poſtremus Epiſcopus Firmanæ ejuſdem Eccleſiæ deinde fuerunt. Quæſitum fuit, num iſti ære eccleſiaſtico redemti refundere tenerentur in eccleſiaſticum ærarium nummos ſuæ redemtionis cauſſa ab Eccleſia impenſos? Reſpondit Gregorius non teneri in epiſt. 14. lib. 7. indict. 2. in vulgari, & 17. lib. 9. in Maurina editione, cujus verba integra ferme referuntur a Gratiano in can. 15. cau. 12. qu. 2., etenim poſt verba illa Gratiani poſtrema, *objici quæſtionem* nihil aliud in epiſtola ipſa

Can. 15. cau. 12. qu. 2.

ipſa legitur, quam quæ hic ſubjiciuntur: nimirum: *quia ratio pietatis expoſuit, ut quod ſtudio pietatis impenſum eſt, ad redemtorum onus, vel afflictionem debeat pertinere*. Sane res eccleſiaſticas impendi recte potuiſſe in captivorum redemtionem perpetua traditio fuit, cujus argumento vel una ſatis eſſe poſſet lex 21. cum authentica ſequente Cod. de Sacroſanctis Eccleſiis.

De epiſtola ad Johannem in vicinia Anconitana Epiſcopum.

Can. 1. diſt. 85. Vacante Anconitana Eccleſia cum plures eſſent ad Epiſcopatum electi, res ad Gregorium Pontificem deducta eſt, cujus judicio omnis controverſia dirimeretur. Ut de hac cauſſa inquireret, mandavit Sanctus Pontifex tum Armenio illius Eccleſiæ Viſitatori Epiſcopo, tum Johanni, quem proinde in Anconitana vicinia conſtitutum fuiſſe ſuſpicor. Huc autem pertinet epiſtola ad Johannem eundem ſcripta 6. lib. 12. in vulgaribus codicibus, & 11. lib. 14. apud Maurinos, cujus integra fere verba exhibentur in can. 1. diſt. 85., atque in hujus canonis prioribus verbis ita legendum eſt: *Indicatum nobis eſt, Florentinum Archidiaconum Eccleſiæ Anconitanæ, qui, &c.* Item pro illis Gratiani verbis, *adjicientes etiam ad illum tenacem exiſtere, ut in domo ejus amicus, &c.* legendum erit: *addentes etiam, ita illum tenacem exiſtere, ut domum ejus amicus, &c.* Plane ſingulare eſt, quod in hoc eodem canone obſervandum eſt: ſcilicet ubi proponebatur Florentinus electus, qui jurejurando ſeſe obſtrinxerat, ne unquam ad Epiſcopatum ſe promoveri pateretur, Gregorius in id ſolertius inquirendum voluit, non quod Sanctus Pontifex dubitaret, num hoc jusjurandum probandum eſſet, ſed potius ut ex eo, quale fuiſſet electi ingenium, ſtudium, qualis indoles, atque animus tutius indicaret. Revera probari nullo modo poterat hujuſmodi jusjurandum, ubi id promittitur, quod non ex jurantis voluntate pendet, ſed potius ad munera publica pertinet, quorum exercitium, ut in publicam tendit utilitatem, ita ab iis, qui res publicas adminiſtrant, etiam in invitos, ac refragantes defertur.

De epiſtola ad Paſſivum Epiſcopum Firmanum.

Can. 18. diſt. 61. Paſſivus Firmanus Epiſcopus is fuit, quem nuper ex epiſtola Gregorii ad Demetrium, & Valerianum Clericos Firmanos, captivum fuiſſe ajebam, & eccleſiaſtica pecunia redemtum. Ad hunc ſcripta proponitur epiſtola 13. lib. 10. in vulgari, & 12. lib. 12. in Maurina editione, cujus ſententia perſpicua eſt in can. 18. diſt. 61., ubi tamen in aliquibus Gratiani exemplaribus legitur: *vel a nobis Subdiaconus fiat*, quum potius legendum ſit: *vel a vobis Subdiaconus fiat*.

SECTIO

Digitized by Google

Sectio XII.

De epiſtolis ad Mediolanenſes ſcriptis.

De epiſtola ad Deodatum Epiſcopum.

Non ſatis apte, appoſiteque explicari poſſet ſententia canonis 1. cau. 12. qu. 5., niſi integram heic deſcribendo Gregorii epiſtolam ad Deodatum Epiſcopum Mediolanenſem in vulgari editione 42. lib. 10., & 38. lib. 12. apud Maurinos. *Nulli dubium eſt*, ſcribit Sanctus Pontifex, *quia ſicut Sacerdotibus res in Epiſcopatu adquiſitas nulla eſt alienandi licentia, ita de eis, quas ante habuerint, quidquid judicare voluerint non vetantur. Itaque Fraternitatem veſtram tempore, quo ad nos fuit, queſtam eſſe recolimus, quod quædam immobilia, quæ Conſtantius Deceſſor veſter Luminoſæ ancillæ Dei filiæ fratris ſui* (legunt Maurini: *filiæ ſuæ, fratribuſque ſuis*) *teſtamenti ſerie legati titulo dereliquit, jam Epiſcopus adquiſiſſet, decreviſſeque nos, ut ſi hoc conſtaret, nullum ex his Eccleſia veſtra præjudicium pateretur. Quod & vos oportet recolere, & moleſtiam aliquam prædictæ ancillæ Dei non facere, nec ei ſine cognitione de his, quæ poſſidet, quidquam auferre. Sed ſi hoc Eccleſiæ veſtræ actores probari poſſe confidunt, veſtris nobis epiſtolis indicate, ut qualiter hoc ipſum conſtare debeat, diſponamus; dummodo cognita veritate nec Eccleſia veſtra pati præjudicium, nec illa injuſte videatur affligi: quia, quantum aliqui perhibent, hoc ſupradictus Deceſſor veſter non in Epiſcopatu, ſed dum adhuc eſſet Diaconus adquiſivit. Unde neceſſe eſt, ut, ſicut diximus, facta probatione debeat conſtare, quod verum eſt. Eandem vero ancillam Dei Fraternitati veſtræ commendamus, ut a nullo eam patiatur gravari, vel opprimi, ne, ſi inquietata fuerit, ex hujus cauſſæ occaſione hoc pati, quod non decet, exiſtimetur. Et ideo ſiquid forte fuerit, quod debeat emendari, aut a plano adhortationis veſtræ moderamine corrigatur, aut certe nobis ſubtiliter nuntietur; quatenus & vos ab invidia ſitis extranei, & nos, quod convenit facere, nullatenus omittamus*. De canone 12. cau. 12. qu. 2. nihil adjicio, cum nihil aliud in illo contineatur, quam priora integræ hujus deſcriptæ epiſtolæ verba.

Can. 1. cau. 12. qu. 5. & Can. 12. cau. 12. qu. 2.

De epiſtolis ad Conſtantium Epiſcopum.

Ex epiſtola ad Deodatum Mediolanenſem Epiſcopum nuper exhibita liquido conſtat ante Deodatum Eccleſiam Mediolanenſem rexiſſe Conſtantium Epiſcopum, ad quem Gregorii epiſtolæ ſcriptæ tres præſeferuntur apud Gratianum. Prior eſt numero 17. lib. 4. in vulgari, & 4. lib. 5. apud Maurinos, ex qua depromtus eſt canon 1. diſt. 50., ubi ſane confirmatur vetus illa de lapſis clericis ad priſtinum gradum etiam poſt pœnitentiam reſtituendis diſciplina. Monachi Maurini pro illis verbis *pro reverſionis ſpe* legendum potius voluerunt: *per reverſionis ſpem*.

Can. 1. diſt. 50.

Altera epiſtola eſt in vulgatis codicibus 14. lib. 6. & in Maurinis 14. lib. 7., cujus argumentum eſt *de non curandis malorum obtrectationibus*. Rumor enim qui-

Can. 52. cau. 11. qu. 3.

Digitized by Google

dam audiebatur adverſus eundem Conſtantium, quem pravi homines ex invidia carpebant. Aſſerit Gregorius, ſe non facile credere malignis hujuſmodi hominibus, interea tamen Conſtantium monet, ut ita ſe gerat, quo ab eiſdem ſibi detrahentibus ſe ſejungat. Huc pertinet canon 52. cau. 11. qu. 3., ubi pro illis verbis, *ex ſacri eloquii teſtimonio tenemus*, legendum voluerunt Maurini: *& ſacri eloquii teſtimonium tenemus*; item in illis verbis, quæ prope finem canonis habentur, *quæ æternæ vitæ ſunt*, obſervaverunt, in quibuſdam MSS. codicibus legi: *quæ internæ vitæ ſunt*, atque poſtrema hæc lectio magis Gregorii propoſito accommodata videtur.

Can. 74. cau. 11. qu. 3. Poſtrema Gregorii epiſtola eſt in vulgari editione 30. lib. 8., & 29. lib. 10. in Maurina. Ibi docet Gregorius, Pompejum quendam Epiſcopum accuſatum damnari nullo modo poſſe, quia nondum probata ab accuſatoribus fuerant crimina eidem objecta; atque huc pertinet illa Gregorii ſententia, quæ legitur in can. 74. cau. 11. qu. 3. *Nam grave eſt ſatis, & indecens, ut in re dubia certa dicatur ſententia.*

De epiſtola ad Magnum Presbyterum.

Can. 2. cau. 24. qu. 3. Vacaverat Mediolanenſis Eccleſia ex obitu Laurentii Epiſcopi, qui Magnum Eccleſiæ ejuſdem Presbyterum a communione ſuſpenderat. Occaſione arrepta ad Gregorii benignitatem totum ſe contulit Magnus, futurum ſperans, ut extra gradum ſuum non diutius conſiſtere videretur. Annuit Gregorius per epiſtolam 26. lib. 2. in vulgari, & lib. 3. in Maurina editione, eundem Magnum interea monens, ut curaret a Populo, & Clero ſucceſſorem Epiſcopum Virum laudabilem eligi. Ex hac epiſtola depromtus eſt canon 2. cau. 24. qu. 3., ubi animadvertunt Maurini, pro illis verbis *culpis exigentibus*, legendum potius eſſe, *culpis extantibus*, quemadmodum exhibent vetera MSS. exemplaria. Illud ego adnotandum arbitror, licet in verbis Gratianeis ſermo inſtitutus videatur de privatione communionis, ex integro tamen epiſtolæ contextu adparere de ſimplici ſuſpenſione locutum fuiſſe Gregorium: ita enim habent prima ejuſdem epiſtolæ verba. *Sicut exigente culpa quis a Sacramento communionis digne ſuſpenditur, ita inſontibus nullo modo talis debet irrogari vindicta. Comperimus, &c.* Itaque ſpecies canonis ita erit effingenda. Accuſatus coram Laurentio Mediolanenſi Epiſcopo Magnus, in dubio fuerat ipſi ſacra communione interdictum. Cauſſa poſt mortem Laurentii ad Gregorium deducta proſpere ceſſit Magno, qui inſons agnitus eſt, atque ad jura communionis priſtinæ reſtitutus. Quæ cum ita ſint, neſcio cur Gratianus ex hoc ipſo canone demonſtrare velit, excommunicationem iniquam nocere potius excommunicatori, quam excommunicato; non enim quidquam hujuſmodi in epiſtola pertractatur; hinc dicere jure poterimus Gratianum procul a Gregorii propoſito aberraſſe. Illud demum in vulgatis Gratiani editionibus obſervandum eſt, falſo in inſcriptionibus canonis Magnum appellatum fuiſſe Epiſcopum Mediolanenſem, is enim non Epiſcopali, ſed Presbyterali munere in Mediolanenſi Eccleſia fungebatur, quemadmodum ex ipſa Gregorii epiſtola perſpicue liquet.

De

Digitized by Google

De epiſtolis ad Clerum Mediolanenſem.

Auream plane dixeris Gregorii epiſtolam ad Clerum Mediolanenſem, in vulgatis editionibus 29. lib. 2., & lib. 3. apud Maurinos, ſcriptam occaſione Epiſcopi electi Conſtantii. Et quidem de illius electione certior Gregorius factus, eundem commendat in primis, quod dum ſua uteretur familiaritate, virum integerrimum agnoviſſet, deinde tamen aperte profitetur, ſe in ea parte nihil velle præſtare, quod propoſuiſſet, neminem commendare eligendum, ne electio humano favore potius, gratiave fieri videretur. Hinc tradit Epiſcoporum electionem nonniſi maturo animi judicio, ac bene penſato celebrandam eſſe, una propoſita Eccleſiarum utilitate. Prudentiſſima hæc Gregorii ſententia jam ſatis conſpici poteſt in can. 2. cau. 8. qu. 2., quem ex hac epiſtola depromtum fuiſſe ſcimus. Can. 2. cau. 8. qu. 2.

Poſt obitum Conſtantii, ut ſuperius jam tradebam, ſucceſſit in Mediolanenſi Epiſcopatu Deodatus, de cujus electione etiam gratulatus eſt Gregorius in epiſt. 65. lib. 8. in vulgari, & 4. lib. 11. in Maurina editione. Ibi traditur duos fuiſſe electos, primum ſcilicet Deodatum a Mediolanenſi Clero; alterum a Longobardis, quorum armis univerſa fere Italia vaſtabatur. Scripſit Gregorius, ſe ratam habere Cleri Mediolanenſis electionem, rejecta omnino illa, quæ a Longobardis facta fuerat, ea etiam adjecta ratione, quod Longobardi Catholici non eſſent, ſed apud hæreticos conſiſterent. Huc ſpectat canon 6. cau. 9. qu. 1. his verbis legendus. *Nos in hominem, qui non a Catholicis, & maxime a Longobardis eligitur, nulla præbemus ratione conſenſum, nec ſi alicujus præſumtionis uſurpatione factum fuerit* (notant Maurini in aliquot MSS. exemplaribus legi: *factus fuerit*) *in locum, vel ordinem illum Sacerdotis ſuſcipimus.* Can. 6. cau. 9. qu. 1.

SECTIO XIII.

De epiſtolis per Sardiniam directis.

De epiſtolis ad Januarium Calaritanum Epiſcopum.

Plurimæ ſunt ad Januarium Calaritanum Epiſcopum Gregorii Magni epiſtolæ, quas memorat Gratianus. Præ ceteris memorabilis eſt 26. lib. 3. in vulgari, & lib. 4. in Maurina editione; in ea enim nonnulla eccleſiaſticæ diſciplinæ capita traduntur. Initium hujus epiſtolæ legitur in can. 40. cau. 11. qu. 1., ubi ſimplex, & nuda facti expoſitio continetur, ex qua ſane aliquid concludere minime licet. Hæc ſunt priora epiſtolæ verba: *Fratris, & Coepiſcopi noſtri Felicis, & Cyriaci Abbatis relatione cognovimus, quod in inſula Sardinia Sacerdotes a laicis Judicibus opprimantur, & Fraternitatem tuam miniſtri ſui deſpiciant; dumque ſolum ſimplicitati a vobis ſtudetur, quantum videmus, diſciplina negligitur, unde hortor, ut omni excuſatione poſtpoſita Eccleſiam, quam ſuſcepiſti, auctore Deo, regas, diſciplinam Clericos tenere cogas, nullius verba metuere ſtudeas. Archidiaconum vero tuum, ut audio, &c.* Heic ſtatim Can. 40. can. 11. qu. 1.

ſequun-

Digitized by Google

Can. 29. dist. 81. ſequuntur verba canonis 29. diſt. 81., quæ cum vulgatis ejuſdem epiſtolæ exemplaribus conſonant. Poſt hæc ad alia gradum facit Gregorius, ſubdens, ruſticos Calaritanæ Eccleſiæ eſſe cogendos, ut Fidem Catholicam amplectantur his verbis: Can. 4. cau. 23. qu. 6. *Accidit autem aliud valde lugendum, quia ipſos ruſticos, quos habet Eccleſia tua nunc uſque in infidelitate remanere negligentia Fraternitatis veſtræ permiſit. Et quid vos admoneo, ut extraneos ad Deum adducatis, qui veſtros ab infidelitate corrigere negligitis? Unde neceſſe eſt, vos per omnia in eorum converſionem vigilare. Nam ſi cujuslibet Epiſcopi in Sardinia inſula paganum ruſticum invenire potuero, in eundem Epiſcopum fortiter vindicabo. Jamvero ſi ruſticus tantæ fuerit perfidiæ, & obſtinationis inventus, ut ad Dominum Deum venire minime conſentiat, tanto penſionis onere gravandus eſt, ut ipſa exactionis ſuæ pœna compellatur ad rectitudinem feſtinare.* Poſtrema hæc verba leguntur in can. 4. cau. 23. qu. 6., in quo ſane primo obtutu paullo aſperior proponi diſciplina videtur, dum traditur, ruſticos per pecuniarias pœnas ad Fidem Catholicam adducendos eſſe, contra quam tradiderit Gregorius Nazianzenus in oratione 8. his verbis: *Neminem vi duci vult lex noſtra, coacteque, ac non ſponte gubernari. Hoc enim modo ne alia quidem imperia contineri, ac conſervari poſſunt, quod ita natum comparatum ſit, ut quidquid vi tenetur, arrepta occaſione ſtatim ſe in libertatem adſerat, ne dum noſtrum, non dicam imperium, ſed magiſterium, quod nulla re æque, ac voluntatis libertate conſervatur.* Cur vero aliorum inveſtigo teſtimonia Patrum, quum Gregorius ipſe Magnus frequentiſſime ſcripſerit, neminem vi, aut pœna indicta ad Fidem Chriſti ſuſcipiendam fore cogendum? Perſpicuum eſt ejus teſtimonium in epiſtola 34. lib. 1. ad Petrum Terracinenſem Epiſcopum, ibi: *Eos, qui a Religione Chriſtiana diſcordant, manſuetudine, benignitate, admonendo, ſuadendo, ad unitatem Fidei neceſſe eſt congregare, ne quos dulcedo prædicationis, & prætentus futuri Judicis terror ad credendum invitare poterat, minis, & terroribus repellantur.* Item in epiſtola 45. lib. 1. ad Virgilium, & Theodorum Gallicanos Epiſcopos ſcribens improbat illorum factum, qui Judæos vi ad Baptiſmum compulerant, his verbis: *Dum enim quiſpiam ad Baptiſmatis fontem non prædicationis ſuavitate, ſed neceſſitate pervenerit, ad priſtinam ſuperſtitionem remeans, inde deterius moritur, unde renatus eſſe videbatur.* Imo & idem Gregorius in alia ad ipſum Ianuarium Calaritanum epiſtola 6. lib. 9. Maurinæ editionis redarguens quoſdam, qui vi adhibita nonnullos Judæos ad Chriſti Fidem perduxerant, ſubdit: *Hac circa eos temperantia magis utendum eſt, ut trahatur ab eis velle non reniti, non ut adducantur inviti, quia ſcriptum eſt: Voluntarie ſacrificabo tibi, ideſt ex voluntate mea confitebor tibi.* Hinc autem facile quæritur, qua ratione mutato ſtylo Gregorius aſſeruerit in dicto canone 4., ruſticos gentiles indicta pecuniaria pœna eſſe ad Fidem Chriſti trahendos. En germanam, ut arbitror, Gregorii ſententiam. Singularis erat ſpecies in dicto canone 4. de colonis, ſeu ruſticis Eccleſiæ Calaritanæ, illis ſcilicet, qui prædia ruſtica illius Eccleſiæ colebant, quos propterea Januario ſingulari jure obnoxios Sanctus Pontifex noverat. Hos decebat abs Januario primum moneri, qui ſi monitis non indulſiſſent, poſſent, aut deberent ſeveriore pœna gravari, ut ea ratione ad Fidem facilius adducerentur. Hoc porro gravamen proprie vis, aut pœna dici non poterat, ſed modus quidam ſingularis, quo ſtrictius, & ad ſummum jus cum colonis ethnicis ageretur, pollicente Epiſcopo, humanius ſe cum illis acturum, quoties Chriſtum ſequerentur. Plane de colonis prædiorum Eccleſiæ Calaritanæ ibidem agi, apertiſſime liquet ex verbis ejuſdem epiſtolæ, ibi: *Accidit autem aliud*

valde

Digitized by Google

valde lugendum, quia ipſos ruſticos, quos habet Eccleſia tua, nunc uſque in infidelitate remanere, negligentia Fraternitatis veſtræ permiſit. Et quid vos admoneo, ut extraneos ad Deum adducatis, qui veſtros ab infidelitate corrigere negligitis? Hæc ſane penitius, uti decet, conſiderata non aliis accommodari poſſunt, niſi colonis eccleſiaſticis, in quibus vigilantior eſſe debebat, & exactior Epiſcopi cura. Simile argumentum habetur in epiſtola 23. lib. 5., ubi ruſticorum nomine intelliguntur Chriſtianorum coloni, quemadmodum in epiſtola 66. lib. 7., ſive in canone 5. diſt. 89. Quæ omnia ſi apprime perpendantur, nonnihil a Gratiani propoſito aliena videbuntur.

Quæ in Gregorii epiſtola ſtatim ſubſequuntur, habentur in canone 9. diſt. 50., ubi pro illis verbis, *quod omnino probibemus*, legendum eſt, *quod omnino probibuimus*. Sane ibi Gregorius, ubi de Clericis lapſis ad priſtinum gradum minime reſtituendis verba facit, laudat veteres canones, ibi: *Sacratiſſimi quoque canones contradicunt*. Hi ſunt canon 10. Concilii Nicæni, canon 1. Concilii Ancyrani, canon 29. ex Apoſtolicis, canon 7. in decretis Syricii, canon 21., & 23. in decretis Innocentii, aliique ſimiles numero plures. *Can. 9. diſt. 50.*

Tandem in fine ejuſdem epiſtolæ legitur canon 1. diſt. 95., cujus corrupta apud Gratianum editio in cauſſa fuit, cur & ſacrorum canonum Cultores, & Theologi numero plurimi eam opinionem iniverint, quæ alias adverſari videtur eccleſiaſticæ, & quidem vetuſtiſſimæ traditioni. Perpetuo cuſtodita diſciplina in Eccleſia fuit, qua adminiſtratio Sacramenti Confirmationis ſolis Epiſcopis reſervetur, excluſis ab illa iis, qui ſolo Presbyteratus ordine ſunt inſigniti. Huc pertinere etiam poteſt ipſa Apoſtolorum doctrina, juxta quam legimus in illorum Actibus ſolos Apoſtolos Paracletum Spiritum eo Sacramento tradidiſſe. Ad hanc rem egregie ediſſerit Innocentius Papa in epiſtola ad Decentium Eugubinum cap. 3. ita ſcribens: *Hæc autem Pontificibus ſolis deberi, ut vel conſignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non ſolum conſuetudo eccleſiaſtica demonſtrat, verum & illa lectio Actuum Apoſtolorum, quæ aſſerit Petrum, & Johannem eſſe directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum*. Jungi his poſſet Capitulum 4. de conſuetudine apud Gregorium IX. Nihilominus tamen non defuerunt, qui Presbyteris eandem facultatem concedi poſſe dixerunt, ex eccleſiaſtica ſaltem diſpenſatione, ducto argumento ex memorata Magni Gregorii epiſtola, prout legitur apud Gratianum, ubi ſane liquet conceſſum fuiſſe Presbyteris, ut baptizatos Chriſmate conſignarent. Verum agnoſcenda eſt corrupta editio Gratiani; etenim pro illis verbis: *qui baptizati ſunt*, & *Baptizatos*, legendum potius eſt: *qui baptizandi ſunt*, & *Baptizandos*, quemadmodum habetur, tum in editione Veneta Gregorii anni 1505., tum in Pariſienſi anni 1518., 1571., 1586., tum in Baſileenſi anni 1564., tum demum in Maurina ceteris plane accuratiore, ubi etiam Monachi auctores teſtantur, ita in MSS. veteribus numero quatuordecim haberi. Verba porro ita concepta deſignant, aliam fuiſſe conſignationem infantum Presbyteris conceſſam, quam confirmatoria; confirmatoria enim non in baptizatis, ſed in baptizandis exercetur. Erat igitur illa conſignatio quædam ceremonialis, qua Cathecumeni ad Baptiſmum præparabantur, cujus generis veſtigia adhuc ſuperſunt in recentioribus Baptiſmi ritibus. Neque forſitan turbare quempiam debet, quod refertur ex Johanne Diacono, teſtante apud Africanos ſimile quidpiam legi Presbyteris eccleſiaſtica diſpenſatione conceſſum, quemadmodum habetur in ejus epiſtola ad Senarium edita apud Mabillonium in tom. 1. *Can. 1. diſt. 95.*

Muſæi

Muzzi Italici, his verbis: *Sed nec illud tangat animum, quod ſibi aliquando quædam vis neceſſitatis adſumit, veluti quod nunc per Africam fieri dicitur, ut ſanctum Chriſma conficiant, quod merito moveret, ſi iſtam Pontificalis auctoritas licentiam non dediſſet. Unde conſtat, a Pontificibus quodammodo fieri, quod in tanta rerum neceſſitate, ut a Presbyteris effici poſſit, ſuperior ordo conſtituit.* Hæc ſane etiamſi indubiam fidem facere credantur, diverſa tamen potius ſunt, quam contraria, quum in ipſis non de adminiſtrando Sacramento Confirmationis agatur, ſed potius de Chriſmate conficiendo. Et quamquam ex diſpenſatione eccleſiaſtica indulgeri aliquando potuerit, ut Presbyteri Epiſcopis inferiores ſacrum Chriſma conficerent, non tamen exinde neceſſario infertur, ut iidem Sacramentum Confirmationis adminiſtrarent, cum plurimum adhuc diſcriminis intercedere queat inter utramque poteſtatem.

Alia eſt Gregorii epiſtola ad Januarium 27. lib. 4. apud Maurinos, & 24. lib.
Can. 4. cau. 5. qu. 6. 3. in vulgari editione. Reſcribit ibidem Sanctus Pontifex de variis eccleſiaſticæ diſciplinæ capitibus, atque inter cetera ait: *Præterea noſti, latorem præſentium Epiphanium Presbyterum quorundam Sardorum literis criminaliter accuſatum, &c.* Quæ ſequuntur, integra legimus in can. 4. cau. 5. qu. 6. In fine vero ejuſdem epiſtolæ
Can. 29. cau. 27. qu. 1. leguntur verba canonis 29. cau. 27. qu. 1., ubi agitur de mulieribus, quæ neglectæ religioſæ initæ vitæ profeſſione e Monaſterio egreſſæ fuerant, & nuptias contraxerant, de quibus ita Gregorius: *In mulieribus, quæ de Monaſteriis ad laicam vitam ſunt egreſſæ, viroſque ſortitæ, quid fieri debeat, cum prædicto Fraternitatis tuæ Presbytero ſubtilius ſumus loquuti, cujus relatione Sanctitas veſtra poteſt plenius informari.* Et paullo infra referuntur verba ipſa memorati canonis 29. *Eos autem, &c.*

Can. 28. cau. 27. qu. 1. De variis itidem eccleſiaſticæ diſciplinæ capitibus ſcripſit Gregorius in alia epiſtola ad Januarium 9. lib. 4. in Maurina, & lib. 3. in vulgari editione; ubi in primis ſermo fit de virginibus monaſticam vitam profeſſis, quæ eo redactæ in Sardinia fuerant, ut cogerentur e monaſterio exire, per prædia ſua villaſque diſcurrentes ſuos reditus curaturæ, ut fiſcalibus tributis ſatiſfacerent. Hanc monialium divagationem improbavit Gregorius, ſuaſitque ut meliori, qua fieri poſſet, ratione illis abuſibus conſuleretur, ac præſertim virum frugi præſtituendo prædialibus monaſteriorum curis, ut interea ſacræ Virgines intra monaſterii clauſtra ab omni periculo removerentur. Poſt hæc ita ſubdidit: *Siqua autem earum vel per anteriorem licentiam* (juxta quam ſcilicet vagari conſueverant) *vel per impunitatis pravam conſuetudinem ad lapſum adulterii deducta fuerit, aut in ſtupri fuerit* (monent Maurini in nonnullis MSS. codicibus legi: *ad lapſus adulterini deducta eſt, aut in furti fuerit*) *perducta voraginem &c.* Quæ ſequuntur, habemus in can. 28. cau. 27. qu. 1., ubi tamen pro illis verbis: *& ſic pœnitendo proficiat*, legunt Maurini: *& ſibi pœnitendo proficiat.*

Can. 16. diſt. 54. Poſt pauca ibidem legitur canon 16. diſt. 54. quem non facile poterit quiſpiam interpretari, niſi una animadverterit integra contextus verba, ibi: *Pervenit ad nos, ſervos ancillaſque Judæorum fidei cauſſa ad Eccleſiam refugientes, aut infidelibus reſtitui Dominis, aut eorum, ne reſtituantur, pretium dari. Hortamur igitur, ut nullatenus tam pravam conſuetudinem manere permittas; ſed quilibet ſervus Judæorum ad venerabilia loca confugerit cauſſa fidei &c.* Jure adnotaverunt Correctores Romani ad memoratum canonem Gratianeum, vocem illam *Chriſtianorum* tum in editis, tum in MSS. codicibus deſiderari. Jam conſtitutionibus Imperatorum cautum fuerat, ne Chriſtianus quiſpiam Judæo ſerviret, toto titulo Codicis ne Chriſtianum mancipium,

pium, & Novella 5. cap. 2., eamque ob rem, ſi ſervus Judæorum ad Eccleſiam converſionis cauſſa veniſſet, a ſervitutis vinculo liberabatur. Has Principum conſtitutiones Chriſtianæ Religioni perutiles vix, ac ne vix quidem cuſtodiri Gregorius noverat apud Calaritanos, qui ſervos Judæorum ad Eccleſiam confugientes fidei ſuſcipiendæ cauſſa, aut reſtitui Dominis, aut eiſdem pretium dari voluerunt, quod Sanctus Pontifex improbavit, ægre ferens, aut reſtitui ſervos ejuſmodi in periculum graviſſimum animarum ad veram Dei fidem anhelantium, aut erogari extraneis hominibus peculium eccleſiaſticum in uſus potius fidelium pauperum diſpenſandum, ubi præſertim domini Judæi ſatis Imperatorum legibus omni jure dominii exuti fuerant.

Poſt verba memorati canonis 16. ſtatim in epiſtola ſequitur, quod legimus in can. 120. de conſ. diſt. 4. cujus tamen verba apud Gratianum, alioſque nonnullos editos codices depravata fuerunt. Ita legendum voluerunt Maurini Monachi ex generali MSS. omnium veterum conſonantia: *Epiſcopi baptizatos infantes ſignare bis in frontibus chriſmate non præſumant; ſed Presbyteri baptizandos ungant in pectore, ut Epiſcopi poſtmodum ungere debeant in fronte.* Hinc porro liquet, duplicem ſacris chriſmatis unctionem in uſu fuiſſe temporibus Gregorii Magni, aliam ceremonialem ante baptiſmum, aliam ſacramentalem poſt baptiſmum, qua nimirum Sacramentum Confirmationis adminiſtrabatur. Illa a Presbyteris fiebat, hæc Epiſcopis reſervabatur. Quod ſi adhuc quiſquam aut vulgata Gregorianarum epiſtolarum exemplaria, aut ipſum Gratiani codicem ſequi malit, non erit abs re animadvertere duplicem, etiam poſt baptiſmum, unctionem fuiſſe, aliam ceremonialem, & a Presbyteris faciendam, aliam ſacramentalem in fronte Epiſcopis reſervatam. Huc pertinere poſſet, quod ſcribitur in ſacramentario Gregorii ad ritus Sabbati ſancti, ibi: *ut autem ſurrexerit a fonte*, (qui baptizatus eſt), *ille, qui eum ſuſcipit, offert eum uni Presbytero, qui faciat ſignum crucis de chriſmate cum pollice in vertice ejus, dicens &c.* Et poſt pauca ſubjicitur, ſic inunctum adducendum eſſe ad Epiſcopum, cauſſa ſuſcipiendi Sacramenti confirmationis. His fere conſonat Iſidorus Hiſpalenſis in lib. 2. de eccleſiaſticis officiis cap. 26., ibi: *Presbyteris, ſive extra Epiſcopum, ſive præſente Epiſcopo baptizant, chriſmate baptizatos ungere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum, non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis, cum tradunt ſpiritum Paracletum.* Can. 120. de conſ. diſt. 4.

In eadem Gregorii epiſtola prope finem leguntur verba canonis 14. cau. 16. qu. 1. ibi: *Pro fundandis etiam monaſteriis, quæ a diverſis juſſa ſunt conſtrui, ſi injuſta perſpicis hæc aliqua ab iis, quibus indicta ſunt, excuſatione differre, ſolerter, ſecundum quod leges præcipiunt, imminere te volumus*, (ita legunt Maurini ex fide veterum codicum, neglecta editione illorum, qui legendum putant, *admonere te volumus*), *ne piæ defunctorum voluntates tua, quod abſit, remiſſione caſſentur.* Can. 14. cau. 16. qu. 1.

Prior epiſtola lib. 7. indictione 2. in vulgari, itidem prima lib. 9. in Maurina editione eſt alia epiſtola ad Januarium, quem Gregorius objurgat, quod ad exarandam cujuſdam meſſem ante Miſſarum ſolemnia die dominico conveniſſet, celebratiſque Miſſarum ſolemnibus ſtatim ad prædium remeaſſet terminos poſſeſſionis eradicaturus. Hujus epiſtolæ præfatio legitur apud Gratianum in can. 28. cau. 2. qu. 7. ita emendando. *Prædicator omnipotentis Domini Paullus Apoſtolus dicit: ſeniorem ne increpaveris: ſed hæc ejus regula in ea re ſervanda eſt, cum culpa ſenioris exemplo ſuo non trahit ad interitum corda juniorum. Ubi autem ſenior juvenibus* Can. 28. cau. 2. qu. 7.

exem-

Digitized by Google

exemplum ad interitum præbet, ibi diſtricta increpatione feriendus eſt. Nam ſcriptum eſt: laqueus juvenum omnes vos, & rurſus, Propheta dicit: & peccator centum annorum maledictus eſt. Poſtremum hoc ſacræ ſcripturæ teſtimonium ita expreſſum conſonat cum vulgatis veteris teſtamenti codicibus apud Iſaiam cap. 65., contra quam ſcripſerit Gratianus, ibi: *maledictus puer centum annorum.* Si alias ſacrorum eloquiorum interpretationes deſideres, Hebraica lectio ita redditur: *& peccator filius centum annorum maledicetur*; apud ſeptuaginta hæc ſcripta reperies: *& peccator centenarius etiam maledictus erit*; quibus conveniunt Syriaci, Chaldæi, & Arabes hac ſententia: *quicumque peccaverit centeſimum annum agens, maledicetur.* Qualiſcumque vero hujuſmodi ſumatur interpretatio eo collineat Gregorii ſcopus, ut oſtenderetur, jure Januarium reprehendi de die dominico violato, licet ipſe ſenior eſſet.

Poſt quam ſententiam ita ad rem propius accedens Sanctus Pontifex ait: *Tanta*
Can.24. diſt. 86. *autem nequitia ad aures meas de tua ſenectute pervenit &c.* Quæ ſequuntur, exhibuit
& Gratianus in can. 24. diſt. 86., ubi tamen pro illis verbis; *hortamur ut aliquando*
Can.11. *reſipiſcas, miſer ſenex . . . humanitus advenerit*, legendum eſt: *hortamur aliquando,*
cau. 1. *reſipiſce ſenex . . . humanitus evenerit.* Ejuſdem ſententiæ fragmentum retulit rur-
qu. 7. ſum Gratianus in can. 11. cau. 1. qu. 7., quem propterea juvabit exigere ad memoratum canonem 24.

De pluribus diſciplinæ eccleſiaſticæ capitibus egit Gregorius in alia ad Januarium
Can.10. epiſtola, quæ eſt 66. lib. 7. In vulgari, & 65. lib. 9. in Maurina editione. Ex
cau. 26. hac depromtus eſt canon 10. cau. 26. qu. 5., ubi pro illis verbis, *Divini inten-*
qu. 5. *tione judicii . . . in pœnitentiam redigendi*, legendum potius eſt, *Divini intentatione judicii . . . in pœnitentiam dirigendi.* Voluit Sanctus Pontifex, idolorum Cultores, & Aruſpices variis eccleſiaſticis pœnis eſſe affligendos, ſervos ſcilicet ſalutari virgarum correptioni ſubigendos, liberos autem homines pœnitentiæ agendæ cauſſa in Monaſterio, ſacrove loco includendos. Erant hæ apud veteres conſuetæ a Viris eccleſiaſticis inflictæ pœnæ. Quod enim ſpectat ad virgas, & flagella, hæc memorat tamquam ſuorum temporum uſu recepta Auguſtinus in epiſtola ad Marcellinum apud Gratianum memorata in can. 1. cau. 23. qu. 5., memorat etiam idem Gregorius laudatus in cap. 1. de Calumniatoribus; in quo tamen pœnitentiæ genere ea ſervanda erat ab Epiſcopis moderatio, ut ipſi ſe potius tamquam Patresfamilias gererent quaſi erga liberos, ſeu, ut verbis utar Gregorii in can. 1. diſt. 45. tamquam *Paſtores*, non tamquam *Percuſſores*. Incluſio quoque in Monaſteriis invaleſcere cœpit tempore Gregorii in viris præſertim honeſtioribus, quemadmodum etiam hodie aliquando viget, ut Epiſcoporum judicio rei graviorum criminum ad certum tempus Religioſis quibuſdam locis addicantur. Fuit hæc pœnitentia criminum capitalium reis indicta in Concilio Agathenſi can. 50., ſive can. 7. diſt. 50., item a Gregorio Magno in epiſtola ad Marinianum Abbatem Panormitanum, quæ eſt 26. lib. 2. in vulgari editione, nec non in epiſtola 40. ejuſdem libri. Poſt verba laudati canonis 10. cau. 26. qu. 5. ſtatim ſequitur in eadem
Can. 5. diſt. 89. epiſtola canon 5. diſt. 89., cujus editio, ut optimis Gregorii codicibus reſpondeat,
ita erit emendanda. *Indicatum etiam nobis eſt, quod laicis quibuſdam curam veſtri patrimonii committentes, poſtmodum in ruſticorum veſtrorum deprædationibus, atque per hoc exfugationibus* (ita legunt Maurini, contra quam habeat vulgata editio *ex fatigationibus*) *fuerint deprehenſi, & reddere res, quas indecenter retinent, habitas, quaſi ſuæ ditioni, quippe veſtræ non ſuppoſiti curationi, poſtponant, vobiſque deſpiciant actuum ſuo-*

rum

Digitized by Google

rum reddere rationem. Quod ſi ita eſt, diſtricte a vobis diſcuti convenit, atque inter eos, Eccleſiæque veſtræ ruſticos cauſſam examinari ſubtilius. Et *quidquid in eis fuerit fraudis inventum, cum pœna legibus ſtatuta reddere compellantur. De cetero vero cavendum a Fraternitate veſtra eſt, ne ſæcularibus viris, atque non ſub regula veſtra degentibus res eccleſiaſticæ committantur, ſed probatis de veſtro officio Clericis. In quibus ſiquid reperiri poterit pravitatis, ut in ſubditis, emendare, quod illicite geſtum fuerit, valeatis, quos apud vos habitus ſui magis officium conveniat,* (ita legunt Maurini, vulgares codices habent *commendet*), *quam excuſet.*

Romani Correctores jamdiu indicaverunt Gregorii epiſtolam, ex qua depromtus videtur canon 4. cau. 13. qu. 2. Plurimum in primis conſonat cum verbis epiſtolæ ad Januarium, ex qua exhibetur canon 14. cau. 16. qu. 1. Sed magis etiam conſonat cum alia epiſtola ad eundem Januarium, quæ eſt 20. lib. 9. in vulgari editione; ubi agitur de monaſterio conſtruendo, quoties ea, quæ pridem ædificationi oberant, nullum amplius impedimentum adferrent: Ait Gregorius: *Neceſſe eſt, ut ſi impletum hoc fuerit* (nimirum ſi nihil amplius oberit) *defuncti diſpoſitio modis omnibus conſervetur.* Ex his facile erit Gratiani verba emendare. *Can. 4. cau. 13. qu. 2.*

Nihil pro eccleſiaſtica ſepultura eſſe exigendum decrevit Gregorius in alia ad Januarium epiſtola 55. lib. 7. in vulgari, & 3. lib. 9. in Maurina editione; atque ex ea depromtus eſt canon 12. cau. 13. qu. 2. ita deſcribendus ex Maurinorum editione: *Queſta eſt nobis Nereida clariſſima Femina, quod ab ea centum ſolidos pro filiæ ſuæ ſepultura Fraternitas veſtra non erubeſcat exigere, atque ei ſuper doloris gemitum majorem diſpendii ſtudeat inferre moleſtiam. Quod ſi ita ſe veritas habet, quia grave nimis eſt, & procul nimis eſt a Sacerdotis officio, precium de terra conceſſa putredini quærere, & de alieno velle facere luctu compendium, ab hac ſe petitione Fraternitas veſtra contineat, & moleſta ei de cetero non exiſtat: maxime quia & Hortulanum quondam, de quo ſe ipſa aſſerit filiam ſuſcepiſſe, Eccleſiæ veſtræ non in parva quantitate munificum memorat extitiſſe. Hoc autem vitium & Nos, poſtquam Deo auctore ad Epiſcopatus honorem acceſſimus, de Eccleſia noſtra omnino vetuimus, & pravam denuo conſuetudinem nequaquam uſurpari permiſimus, memores, quia dum Abraham a filiis Emor, hoc eſt Ephor filio Seor ſepulcrum pretio ad humandum corpus conjugis poſtularet, pretium accipere renuit, ne commodum videretur de cadavere conſecutus. Si ergo tantæ conſiderationis paganus vir fuit, quanto magis Nos, qui Sacerdotes dicimur, hoc facere non debemus? Unde ne hoc avaritiæ vitium, ne vel in alienis denuo tentari præſumatur, admoneo. Sed ſiquando aliquem in Eccleſia veſtra ſepeliri conceditis, ſiquidem parentes ipſius, proximi, vel heredes pro luminaribus ſponte quid offerre voluerint, accipere non vetamus. Peti vero, aut aliquid exigi omnino prohibemus, ne, quod valde irreligioſum eſt, aut venalis fortaſſe, quod abſit, dicatur Eccleſia, aut vos de humanis videamini mortibus gratulari, ſi ex eorum cadaveribus ſtudeatis quærere quolibet modo compendium.* Integra fere in his continetur Gregorii epiſtola, quam crediderim intelligendam eſſe de jure ſepulturæ extra ordinem in Eccleſia concedendo. Siquidem olim nondum mos invaluerat, ut fidelium cadavera paſſim in Eccleſia tumularentur; ſed raro, & nonniſi ex ſpeciali privilegio id indulgebatur, quemadmodum indulgeri cœpit principio Viris clariſſimis, & de Eccleſia optime meritis. Hoc beneficium pro filia ſua defuncta obtinuerat clariſſima Femina, intuitu etiam prædefuncti Viri in Eccleſiam munifici, quemadmodum demonſtrant ipſamet Gregorii verba. Ceterum & raro conceſſum id juris fuiſſe, perſpicue vi- *Can. 12. cau. 13. qu. 2.*

dentur innuere illa Gregorii ejuſdem verba, *Sed ſiquando aliquem in Eccleſia veſtra ſepeliri conceditis, &c.*

Can. 7. Licet olim Monachis teſtamenta condendi facultas minime denegaretur, l. unica
cau. 19. Cod. Theodoſ. de bonis Clericorum, & Monachorum, & l. 20. Cod. Juſtinian.
qu. 3. & de Epiſcopis, & Clericis, recentiore tamen ætate eadem facultas ademta ex no-
Can. 13. vis Juſtiniani Conſtitutionibus, Nov. 5. cap. 5. & ſequ., Nov. 123. cap. 38. Po-
cau. 25. ſtremas haſce leges laudaviſſe viſus eſt Gregorius in can. 7. cau. 19. qu. 3. de-
qu. 2. promto ex epiſtola ad Januarium in vulgari editione 7. lib. 7., & lib. 9. in Maurina; ubi aſſeritur, Siricæ monaſticam vitam profeſſæ teſtamentum nullius eſſe momenti, quo etiam pertinet canon 13. cau. 25. qu. 2., jungendus propterea cum memorato canone 7., ut ad ſpeciem ibidem propoſitam referatur.

Can. 27. Demum apud Gratianum in can. 27. cau. 23. qu. 4. refertur epiſtola Gregorii
cau. 23. ad Januarium 34. lib. 2. in vulgari, & 49. ejuſdem libri in Maurina editione.
qu. 4. Gratiani verba penitus conſonant cum optimis epiſtolæ exemplaribus, dummodo in illis: *pro defenſione propriæ injuriæ tuæ*, omiſſa voce *propriæ* legamus: *pro defenſione injuriæ tuæ*.

De epiſtola ad Innocentium, alioſque Epiſcopos.

Can. 45. Jam Metropolitani juribus potiebatur temporibus Magni Gregorii Epiſcopus Ca-
cau. 2. laritanus. Hinc Sanctus Pontifex epiſtolam ſcripſit ad Innocentium, Vincentium,
qu. 7. Marinianum, Libertinum, Agathonem, & Victorem in Sardinia Epiſcopos, quos ita ſuadet Metropolitæ ſuo eſſe ſubjectos, ut ab ipſo Paſchalem denunciationem ſuſcipiant, & nonniſi petita ab eodem venia a ſuis Eccleſiis diſcedant. Hæc epiſtola eſt 8. lib. 7. indict. 2. in vulgari, & 8. lib. 9. in Maurina editione. Ex illa depromtus eſt canon 45. cau. 2. qu. 7., cujus ſententia ita erit ex integris exemplaribus deſcribenda: *Hortamur ergo Fraternitatem veſtram, ut antiquam Eccleſiarum veſtrarum conſuetudinem exequentes tam de ſuſcipienda Paſchali denunciatione, quam etiam ſi quemquam veſtrum pro cauſſis propriis ubicumque compulerit ambulare neceſſitas, ab eodem Metropolita veſtro ſecundum indictam vobis regulam petere debeatis, nec eum poſtponere in aliquo præſumatis, excepto ſi, quod non optamus, contra eundem Metropolitam veſtrum habere vos aliquid cauſſæ contingat, ut ob hoc Sedis Apoſtolicæ judicium ii, qui petere feſtinant, licentiam habeant, quod ſcitis per canones etiam antiquorum Patrum inſtitutione permiſſum.* Hæc ſi cum canone Gratiani conferantur, facile liquebit, verba Gratiani nonnihil depravata fuiſſe. Porro in verbis poſtremis nuper memoratis, ubi *canones antiquorum Patrum* laudantur, perſpicuum eſt, illorum nomine intelligi canones 4., & 5. Concilii Sardicenſis.

De epiſtola ad Venerium Epiſcopum Calaritanum.

Can. 29. Non ſibi conſtans fuit Gratianus in deſcribendis verbis canonis 29. cau. 27. qu.
cau. 27. 2.; heic enim illa recenſet ſub nomine Gregorii ſcribentis ad Venerium Calarita-
qu. 2. num, deinde in can. 1. cau. 33. qu. 1. eadem laudat ex epiſtola Gregorii ad Johannem Ravennatem. Sane in epiſtola Gregorii ad Venerium nihil hujuſmodi con-

continetur; quamobrem ad illius canonis interpretationem videantur ea, quæ jam diſſerui ad dictum canonem 1. cau. 33. qu. 1. Quæ vero vulgo circumfertur epiſtola ad Venerium Epiſcopum Calaritanum, ea fere integra habetur apud Gratianum in can. 1. cau. 35. qu. 10. At de ipſa ita ſentiunt Maurini Monachi: *Epiſtolam ad Venerium Epiſcopum Calaritanum non admittimus: eam inter opera S. Gregorii recenſere vetat ingens ſtyli diſſimilitudo: item Venerius ille eſt Gregorii Magni ævo incognitus: altum etiam, ac perpetuum omnium codicum ſilentium, item manuſcriptis, & omnibus Scriptoribus ante Anſelmum Lucenſem, & quendam Polycarpum, quos Gratianus ſequutus eſt*. Idipſum fere teſtatus eſt Baluzius in notis ad Gratianum, aſſerens, ſe illam epiſtolam non reperiiſſe apud auctorem Anſelmo Lucenſi antiquiorem; apud Anſelmum autem extare in lib. 10. cap. 35. in Codice MS. S. Germani Pariſienſis, ubi tamen manu antiqua ad marginem adjectum legitur: *Apocryphum caput*. Sane quicumque Gratianeum canonem leget, ſtatim Maurinorum ſententiæ adquieſcet, niſi tamen Maurinos Monachos progreſſos nimis fuiſſe crediderit, ubi ajunt Venerium Epiſcopum Gregoriano ævo incognitum fuiſſe. Etenim, dictum velim venia tantorum Virorum, in lib. 11. epiſt. 28. vulgaris editionis epiſtola Gregorii legitur ad Venerium Epiſcopum, in qua Gregorius illi commiſit viſitationem Eccleſiarum Taurianenſis, & Turritanenſis, quæ ſane Eccleſiæ uti erant in Sardinia ſitæ, ita & in Sardinia exiſtenti Epiſcopo commendari debuerunt. *Can. 1. cau. 35. qu. 10.*

De epiſtola ad Vitalem Defenſorem.

Summa ſollicitudo, qua Gregorius afficiebatur erga monaſteria, reſque monaſticas, eum concitavit, ut ad Vitalem Eccleſiaſticum in Sardinia Defenſorem ſcriberet, ejuſdemque curæ illud commendaret, ne monaſteria ab aliquibus turbari ſineret, ſed perpetuo Epiſcopali officio dirigerentur. Eſt hæc epiſtola 65. lib. 7. in vulgari, & 64. lib. 9. in Maurina editione, ex qua legitur canon 19. cau. 18. qu. 2., ubi tamen pro illis verbis: *Executione perturbat. Quod omnino non grate ſuſcipimus . . . . quemquam uſurpare . . . . ſed ut Epiſcopo loci illius, &c.* legendum volunt Maurini Monachi: *Executione perturbent, quod omnino graviter ſuſcepimus . . . . quemquam hoc uſurpare . . . . ſed Epiſcopis loci ipſius, &c.* Si hoc fragmentum penitus perpendatur, facile dignoſcetur, quam longe a Gregorii ſententiis aberraverint, qui ſcripſere, monaſticarum exemtionum auctorem Gregorium Magnum fuiſſe, quum tamen in hac ipſa epiſtola nihil preſſius Gregorius urget, quam monaſteria in Sardinia ſita in Epiſcoporum juriſdictione conſiſtere. *Can. 19. cau. 18. qu. 2.*

Digitized by Google

Sectio XIV.

De epiſtolis per Corſicam directis.

De epiſtola ad Bonifacium Defenſorem.

Can. 7. cau. 25. qu. 2. In inſcriptione canonis 7. cau. 25. qu. 2. ita habetur apud Gratianum. *Gregorius Bonifacio primo Defenſori*. Refertur id ad epiſtolam 17. lib. 7. in vulgari, & 14. lib. 8. in Maurina editione, ubi ſane pro codicum varietate, varietas quoque dignoſcitur inſcriptionum. Veteres editi Codices cum Gratianeo codice conſonant. Maurini ita inſcribendum maluerunt: *Gregorius Bonifacio: De privilegiis Defenſorum*. Alii ex vetuſtis MSS. Codicibus ita legunt: *Bonifacio Defenſori: de privilegiis Primicerii Defenſoris*: vel: *Bonifacio Primicerio Defenſori privilegii Primicerii Defenſoris*. Qualiſcumque probetur inſcriptio, conſtat ex epiſtola 77. lib. 11. apud Maurinos, Bonifacium Defenſorem fuiſſe Patrimonii eccleſiaſtici in Corſica Inſula; immo & primus omnium Defenſorum vocatur in epiſtola Gregorii ad Phocam, quæ eſt 38. lib. 3. apud Maurinos. Quædam in hac ad Bonifacium epiſtola tribuuntur eccleſiaſticis Defenſoribus privilegia, quæ declarat Gregorius eſſe perpetuo cuſtodienda; atque eo pertinet canon 7. cau. 25. qu. 2., cujus priora verba ita legenda ſunt: *Hæc itaque Conſtitutionis noſtræ decreta, &c.*; item pro illis Gratiani verbis: *ſive quæ in noſtra præſentia . . . in totum, vel in partes ea, &c.* ita legendum eſt: *ſive quæ eis in noſtra præſentia . . . in totum, partemve qualibet, &c.*

De epiſtola ad Petrum Epiſcopum.

Can. 121. cau. 1. qu. 1. Diſcrepant etiam Codices in exhibenda inſcriptione epiſtolæ Gregorianæ, ex qua excerptus eſt canon 121. cau. 1. qu. 1.; alii enim eam ſcriptam volunt ad Petrum Alerienſem in Corſica Epiſcopum, quibus Gratiani codex conſentire videtur; alii codices ſcriptam exhibent Chriſanto Epiſcopo Spoletano, alii Anaſtaſio Epiſcopo Antiocheno. Quod ſpectat Gratianei canonis interpretationem, parum, aut nihil proficere poteſt codicum hujuſmodi diverſitas; nihil enim aliud ex eodem canone deducitur, quam Gregorium ordinaſſe in Acolythum eum, cujus opera utebatur in epiſtolis ad Epiſcopos tranſmittendis, idque intercedente Epiſcopo, ad quem hæc epiſtola dirigebatur. Verba canonis ita legenda ſunt ex optimis epiſtolæ exemplaribus: *Latorem præſentium pro interceſſione Sanctitatis veſtræ Acolytum fecimus, quem ad obſequia veſtra retranſmiſimus, ut ſi, &c.*

De epiſtola ad Simmachum Defenſorem.

Can. 24. diſt. 81. Ad Simmachum Defenſorem in Corſica ſcripta eſt epiſtola 52. in Maurina, & 50. lib. 1. in vulgari editione; ubi legitur canon 24. diſt. 81. ita ex integra epi-

ſtola

ſtola ſupplendus: *præterea volumus, ut Sacerdotes, qui in Corſica commorantur, prohiberi debeant, ne cum mulieribus converſentur &c.* Maurini Monachi arbitrantur, hoc fragmentum corruptum eſſe in illis verbis: *vel uxore*, hanc propterea notam adjicientes: *dubito an non vox illa irrepſerit; ſiquidem iſta converſatio res eſt plena periculi, & ſuſpicioſiſſima*. Idque deducunt ex Concilio Agathenſi, in quo ita definitum legitur canone 16. *Sane ſi conjugati juvenes conſenſerint ordinari, etiam uxorum voluntas ita requirenda eſt, ut ſequeſtrato manſionis cubiculo religione præmiſſa, poſtquam pariter converſi fuerint, ordinentur*; item ex Concilio Nicæno can. 3., ubi decretum ſcimus, non licere Epiſcopis, Presbyteris, aut Diaconis extraneas mulieres habere, niſi forte matrem, ſororem, amitam, *vel eas tantum perſonas, quæ omnem ſuſpicionem effugiunt*. Ego ſane difficilius adducor eo, ut ad emendationem codicum progrediendum putem, præſertim ubi omnium codicum fides aliud ſuadet, & quæ in contrarium adferuntur, parum probant. Etenim quod ex Concilio Agathenſi profertur, ſingulare admodum eſt, & juvenes conjuges ſpectat ad ordinationem venientes, quorum cauſſa ipſum ætatis lubricum arctiorem videtur exigere diſciplinam, ut quæcumque gravi periculi ſpecies evadatur. Quod vero in Concilio Nicæno legitur in canone 3., minime interdicit Clericis conſortio, & cohabitatione uxorum, ſed tantum feminarum extranearum, quarum ſane nomine uxor minime venit; imo eodem Nicæno canone arbitror, expreſſe admiſſam fuiſſe cohabitationem uxorum in illis verbis: *vel eas tantum perſonas, quæ omnem ſuſpicionem effugiunt*. Nulla plane ſuſpicio ſubeſſe poteſt in uxoribus, quas ſacerdotes, illarum etiam conſenſione accedente, a ſe thoro ſejungi maluerunt, ut ſacerdotio fungerentur. Atque hac ratione viſi ſunt intellexiſſe Nicænam ſanctionem Patres Concilii Carthaginenſis vulgo III., cujus canonem retulit Gratianus in can. 27. diſt. 81., ubi a clericorum cohabitatione extraneæ quidem mulieres excluduntur, ſed admittuntur eæ omnes, quæ cum eiſdem ſacerdotibus ante ſuſceptum ordinem cohabitabant, quarum ſane nomine venire potiſſimum uxores, facile unuſquiſque animadvertet.

Sectio XV.

De epiſtolis ad Gallicanos.

De epiſtola ad Aregium Vapincenſem.

Ex Gallicanis Epiſcopis, qui ſub Gregorio Magno floruerunt, fuit Aregius Va- *Can.* 10.
pincenſis ſub Archiepiſcopo Aquenſi, quem ſubſcripſiſſe Concilio Valentino anni *diſt.* 23.
584., ejuſdem Concilii acta teſtantur. Ad eum ſcripta eſt epiſtola 112. lib. 7. in & *Can.* 5.
vulgari, & 107. lib. 9. in Maurina editione; ex qua depromtus eſt canon 10. *diſt.* 100.
diſt. 23., ubi pro illis verbis, *decorandos eſſe conceſſimus*, manuſcripta quædam vetera hæc exhibent: *decorandos eſſe cenſemus*. Canonis ſententia ita erit explicanda. Diaconi omnes in Eccleſia Romana Dalmaticis utebantur, tamquam veſte propria, atque inſigni ſingulari, quemadmodum refert Anaſtaſius in vita Sylveſtri. Erant Dalmaticæ, uti ſcribit Johannes Diaconus in vita S. Gregorii lib. 3. cap. 59., veſtes

veſtes ſericæ albæ, uſque ad talos effuſæ, manicis amplis, auro ornatæ, & clavis, ſeu plagulis ex purpura adſutis diſtinctæ. Et licet ſint, qui dicant, clavos fuiſſe purpureas bullas, quaſi clavorum capita, intextas, veroſimilius tamen eſt fuiſſe lineas, ſive virgulas, quales hodie adhuc in veſtibus ſacris Sacerdotum, ac miniſtrorum adſpicimus. Sic Tibullus aureos clavos in femineis veſtibus *vias* vocavit. Olim Dalmaticis utebantur Romani milites, item Senatores lato clavo ipſis adſuto: equites etiam clavo adjecto anguſto, ſed duplici, demum Romana plebs rectas Dalmaticas habebat, & nullis clavis ornatas. Aregius itaque Epiſcopus, dum Romæ conſtitiſſet una cum Archidiacono ſuo, uſum Romanæ Dalmaticæ valde conſpicuum eſſe ratus, ſibi & Archidiacono ſuo concedi poſtulavit, præſertim quod Roma in Patriam redux quodpiam Romanæ Eccleſiæ ornamentum transferre vellet ad uſum ſuum, quemadmodum jam Arelatenſes Epiſcopi Pallii ornamentum a Romano Antiſtite obtinuerant. Nondum obtentis Dalmaticis Roma abſceſſit Aregius, qui diu Romæ conſiſtere non potuerat, ad ſuos revocatus ociſſime urgentibus Eccleſiæ neceſſitatibus. Hinc Gregorius ad ipſum Dalmaticas miſit, ne ejuſdem Epiſcopi petitionem neglexiſſe videretur. Poſt verba memorata canonis 10. diſt. 23. ſtatim in epiſtola ſubſequuntur verba canonis 5. diſt. 100., quæ integra omnino conſonant cum vulgatis epiſtolæ exemplaribus.

De epiſtolis ad Brunichildem Francorum Reginam.

Ad Brunichildem Francorum Reginam plures ſunt Magni Gregorii epiſtolæ. In-
Can. 1. diſt. 61. ter ceteras eſt epiſtola 114. lib. 7. in vulgari, & 109. lib. 9. in Maurina editione, ubi Sanctus Pontifex eandem Reginam, cui eo tempore Regni totius adminiſtratio commiſſa fuerat, ita monet, *ut inter alia bona de ordinandis curam Sacerdotibus gereret, quorum officium* (ait) *in tantam illic, ſicut didicimus, ambitionem perductum eſt, ut Sacerdotes ſubito, quod grave nimis eſt, ex laicis ordinentur*. Hæc ſane ea ſunt, quæ Gratianus retulit in can. 1. diſt. 61.

Can. 2. Quæ referuntur in can. 2. diſt. 100. eruta ſunt ex epiſtola 11. lib. 9. apud Mau-
diſt. 100. rinos, & 5. lib. 7. in vulgari editione; ubi Gregorius profitetur, ſe libentiſſime morem gerere voluntati Brunichildis, quæ pallium Syagrio Epiſcopo Auguſtodunenſi poſtulaverat, præſertim quod Imperatoris conſenſus acceſſiſſet, quemadmodum in memorata epiſtola legitur. Ad ejuſdem canonis interpretationem plura vulgo tradi ſolent, de pallii uſu, ſed adeo involuta, ut vix patere poſſit, qualis fuerit vetus illa pallii diſciplina. Ut plurimum enim hodiernum Archiepiſcopale pallium cum antiquo confunditur; nec in ipſis palliis veterum ſatis diſtinguitur Pontificale pallium a vulgari. Ut hæc in lumine collocentur, animadvertere juvabit, olim Chriſtianos pallio juxta uſum Philoſophorum amictos inceſſiſſe, atque a Romana toga, quaſi a cultiore, & ornatiore habitu humilitatis cauſſa abſtinuiſſe, ut tradit Quintus Septimius Florens in libro de pallio, & B. Rhenanus in librum Tertulliani de pallio. Hoc pallii genus laneum erat, ut plurimum pulli coloris, & quadrangulare: ſcilicet duo anguli ante pectus juncti integrum pallium a tergo pendens ſuſtinebant, ut demonſtrat Johannes Lami in libello de eruditione Apoſtolorum cap. 4. digreſſione 1. Hoc tamen erat pallium vulgare, cujuſmodi fere hodie commune clericis omnibus eſſe videtur, & Monachis numero plurimis.

Fuit

Digitized by Google

Fuit aliud Regale pallium, quo primum Imperatores ad eximium ſuæ dignitatis, ac Majeſtatis decus, & ornamentum aſſumſerunt. Erat quidem figura aliis, & quidem vulgaribus palliis non abſimile, ad talos uſque profluens; at contextus ex byſſo candente, nec non quibuſdam loris, ſive virgulis ſub collo ſuper humeros, & pectus pendentibus ornatum, quod veſtimenti genus Imperatores deinde elargiti ſunt etiam illis, qui in præcelſa Eccleſiæ dignitate conſtituti eſſent. Sic Hieronymus Rubeus in Hiſtoria Ravennatum edidit quoddam reſcriptum nomine Theodoſii Imperatoris (quidquid ſit de hujus reſcripti fide, atque auctoritate), ex quo anno 432. Ravennatenſi Epiſcopo plures ſubjiciuntur civitates, & pallium ſimul ab Imperatore conceditur. Præſertim vero conceſſum ab Imperatoribus fuiſſe pallium Romanis Antiſtitibus tamquam ſingulare dignitatis ornamentum, liquet ex can. 14. diſt. 96., qui licet apochryphus videatur, aliquid tamen ad hanc rem probare poteſt, cum antiquus ille ſit. Porro inter cetera inducitur ibidem Conſtantinus Imperator ita ſcribens favore Romanorum Pontificum. *Contradimus palatium Imperii noſtri Lateranenſe, deinde diadema, videlicet coronam capitis noſtri, ſimulque phrygium, nec non & ſuperhumerale, videlicet lorum, quod Imperiale circumdare adſolet collum, verum etiam & clamydem purpuream &c.* Quis non agnoſcat in poſtremis hiſce verbis imperiale pallium demonſtratum? Clamydis enim nomine pallium dicitur, cui lorum, ſeu ſuperhumerale erat adſutum, ſive faſcia quædam, quæ pallii ipſius partem collo adhærentem ornabat. Itaque interea pallium pontificium ita elaboratum erat, ut ad talos uſque demitteretur, ac flueret, quemadmodum univerſa veterum monumenta probant, in quibus ubi de pallio agitur, de eo tamquam de ſplendido veſtis genere ſermo fit. Fuit etiam variis crucibus in tota ſui latitudine depictus; at quod potiſſimum in pallio conſiderabatur, erat faſcia illa ſuperhumeralis, ſive lorum, in qua ſitum eſſe quoddam inſigne regium credebatur. Hinc factum eſt, ut veteres Pontifices Maximi, cum vellent alios Epiſcopos in excellenti dignitate conſtitutos, præſertim vero quibus vices ſuas gerendas mandarent, pallio decorare, id non auctoritate ſua impertiri conſueverunt, ſed ab ipſis Imperatoribus, ut impertirentur, impetrarunt, ne quod ſibi liberalitate imperatoria conceſſum erat imperiale inſigne, ad alios liberalitate propria extenderent. Imo & Epiſcopi ipſi pallium velut imperantis donum exceperunt. Liberatus Diaconus in cap. 21. ſui Breviarii ſcribit, Anthimum Conſtantinopolitanum Patriarcham a Sede ſua dejectum, *Pallium, quod habuit, Imperatoribus reddidiſſe*. Vigilius Papa in epiſt. 1. ad Auxanium non primum pallium eidem Auxanio Epiſcopo Arelatenſi ſe conceſſurum ſcripſit, quam Juſtiniani Imperatoris conſenſum poſtulaſſet. Item Gregorius Magnus in hac ipſa epiſtola ad Brunichildem miſſurus pallium ad Syagrium Auguſtodunenſem aſſerit, hanc ſe facultatem ab Imperatore obtinuiſſe. Poſtquam vero Romanum Imperium ad Occidentales reverſum eſt, pallii ornamentum mere eccleſiaſticum videri cœpit, datumque fuit a Pontificibus Maximis jure proprio illis, quibus antea concedi ſolebat, Epiſcopis, præſertim qui Vicarii Sedis Apoſtolicæ dicebantur. Tandem ubi Metropolitani fere omnes in Occidente viſi ſunt a Sede Romana immediate pendere, præſertim quod major præ ceteris Epiſcopis Metropolitarum dignitas ex quadam veluti Pontificia delegatione apud plurimos adparuerit, hinc factum eſt, ut Metropolitani omnes pallio donarentur Pontificis Maximi liberalitate. Sed interea obſervare juvabit, pallium illud vetus mutaſſe figuram. Etenim, ut ajebam, pallium illud antiquum conſtabat ex pro-

Digitized by Google

prolixa clamyde variis crucibus depicta, item ex ſuperhumerali, ſive loro, quod erat potiſſimum in pallio ornamentum; at pallium novum in ſolo ſuperhumerali conſiſtere cœpit, ut commodius ad Epiſcopos mitteretur a Romano Pontifice, & cruces in ſuperhumerali adſui cœperunt, quæ olim in tota clamyde pingebantur; quaſi in hac ſola faſcia antiquum adhuc pallium repræſentetur, quæ olim tamquam præcipua in pallio conſiderabatur.

His præjactis, facile erit interpretari memoratum canonem 2. diſt. 100. apud Gratianum. Miſit Gregorius Imperatoris accedente conſenſu ad Syagrium Auguſtodunenſem Epiſcopum pallium, quod aſſeruit, exigentibus cauſſarum meritis, & fortiter poſtulantibus tantummodo debere concedi; erat enim tum Regium inſigne, non adeo facile, ac ſine diſcrimine impertiendum. Hinc probare omnino non poſſum, quod ad hanc Gregorii epiſtolam adnotaverunt Maurini Monachi: nimirum, ideo Gregorium expetiiſſe conſenſum Imperatoris in pallio concedendo Antiſtiti Gallicano, ne Romanus Pontifex, & in eo Romani omnes viderentur ſpontanea pallii oblatione ſibi alienam benevolentiam, favoremque mercari, ut forte Græcum imperium faſtidientes, Orientalium jugum finitimarum gentium ſubſidio excuterent. Hæc enim nuda ſuſpicio eſt Virorum eruditorum. Ego veroſimilius arbitror, non aliam rationem eſſe Gregorio potuiſſe, cur Imperatoris conſenſionem exoptaverit, niſi quam ſuper tradebam, quia videlicet imperiale ornamentum non erat ſine imperiali conſenſu aliis communicandum.

Can. 47 cau. 23. qu. 4. Prope finem ejuſdem epiſtolæ Gregorius eandem Reginam hortatur, ut, quoad poteſt, eccleſiaſticam utilitatem auctoritate ſua foveat, ac curet, quo pertinet canon 47. cau. 23. qu. 4., cujus verba omnino conſonant cum editis epiſtolæ exemplaribus, dummodo tamen ratio habeatur adnotationum a Romanis Correctoribus adjectarum.

Can. 7. cau. 2. qu. 5. Ad eandem Brunichildem extat epiſtola Gregorii apud Maurinos 6. lib. 13., in vulgari editione 8. lib. 11., ubi agitur inter cetera de Menna Epiſcopo, cujus cauſſam aſſerit Gregorius ſe Romæ diſcuſſiſſe, eundemque purgatum de more veterum per ſolemne jusjurandum ante corpora Martyrum remittere in Gallias; atque huc pertinet canon 7. cau. 2. qu. 5., cujus verba a principio uſque ad verſiculum *Purgationem* recte conſonant cum integra epiſtola: verum quæ in eodem verſiculo ſubſequuntur uſque in finem, in Gregorii epiſtola deſiderantur. Adnotaverunt Correctores Romani, poſteriora hæc referenda potius eſſe ad canonem 11. cau. 2. qu. 5., ut potiore jure tribuantur Alexandro II. Pontifici. Revera Ivo Carnotenſis illa Alexandro adſcripſit juncta verbis ejuſdem canonis 11. Et quidem non contemnenda eſt Ivonis auctoritas in monumento ſuæ ætatis, quod in epiſt. 74. ad Hildebertum Cenomanenſem Epiſcopum refert ibi: *ita ſcripſit Alexander II. Papa Ramaldo Cumano Epiſcopo. Super cauſſa Gislandi Presbyteri tui de morte Epiſcopi ſui Prædeceſſoris tui infamati in medium conſuluimus. Itaque circum aſtantium omnium fratrum aſſenſu unanimi tuæ dilectioni reſcribimus, præfatum Gislandum ante te præſentandum: ubi ſi certi accuſatores defuerint tunc dictante juſtitia, ſine omni controverſia Presbyter quæcumque ob hoc injuſte amiſit, ac ſacerdotium & integra accipiat beneficia: purgationem tamen antea* (legunt alii *ante te*) *duobus ſibi ſacerdotibus junctis, ubi accuſator ceſſaverit, eundem ex ſe præbere tuo committimus arbitrio. Vulgarem denique legem ac nulla canonica ſanctione fultam, ferventis ſcilicet, ſive frigidæ aquæ, ignitique ferri contactum, aut cujuſlibet popularis inventionis*

Digitized by Google

nis (quia fabricante hæc ſunt omnino ficta invidia) nec ipſum exhibere , nec aliquomodo te volumus poſtulare, imo Apoſtolica auctoritate prohibemus firmiſſime . Laborant Viri eruditi in inquirendo, quiſnam fuerit Mennas ille , de quo Gregorius egit : alii enim in Gallia , & Toletanum Epiſcopum putant, ad quem eſt epiſtola 58. lib. 11. in Maurina , & 52. lib. 9. in vulgari editione ; ajunt alii , ipſum fuiſſe Epiſcopum in Campania, de quo ſermo eſt in epiſtola ad Syagrium Auguſtodunenſem 117. lib. 7. in vulgari editione . Qui Gallicanum , & Toloſanum fuiſſe Epiſcopum cenſent, ex eo conjiciunt , quod is abſolutus in Galliam remiſſus fuerit , ut in memorato canone 7. legitur ; quod præterea de eo ad Galliarum Reginam Gregorius ſcripſerit . Nihilominus tamen aliorum opinio mihi magis adridet , vel quod in memorata epiſtola ad Syagrium dicatur Mennas in Romana Diœceſi Epiſcopus , & apud Romanum Antiſtitem accuſatus , apud quem ſolemni jurejurando purgari debuerit ; quando Gallicanus Epiſcopus cauſſam dixiſſet apud Primatem Arelatenſem juxta receptos illius temporis mores . Quæ in contrarium adferuntur , exigui admodum momenti eſſe videntur : quod enim dicitur, Mennam in Gallias fuiſſe remiſſum poſt abſolutionem, ex eo profluit , non quod Mennas gereret Epiſcopatum in Gallia , ſed quod, licet eſſet Campaniæ Epiſcopus, in Gallia aliquandiu conſtiterit ob certas cauſſas nobis ignotas . Neque vero mera ſunt hæc indicia , aut divinationes ; etenim id conſtat perſpicue ex laudata Gregorii epiſtola ad Syagrium , in qua mentio fit de Menna Epiſcopo Campaniæ commorante apud Gallos, quem accuſatum Romam accedere defendendum voluit Pontifex Maximus .

De epiſtola ad Conſtantiam Reginam.

Toto cœlo aberrant a veritate , qui canones 8. & 9. cau. 12. qu. 2. Gregorio Magno tribuendos eſſe arbitrantur . Non ſunt illi invicem disjungendi , unum enim , ut infra videbimus , eundemque habent auctorem ; imo , quemadmodum animadverterunt Correctores Romani , tum in veteribus Gratiani codicibus , tum apud vetuſtos Collectores juncti ſunt penitus, unoque contextu deſcripti . Hæc in recentibus Gratianeis exemplaribus præfixa inſcriptio eſt : *Gregorius ad Conſtantiam Reginam Galliæ lib.* 4. *epiſt.* 33. , verum libris Gregorianis non conſonat ; ſiquidem epiſtola 33. lib. 4. , qualis heic laudatur , non ad Conſtantiam Reginam Galliæ, ſed potius ad Conſtantinam Auguſtam ſcripta fuit . Et quamquam initio ejuſdem epiſtolæ hæc legantur : *cum ſereniſſimam Dominam ſciam de cœleſti patria , atque animæ ſuæ vita cogitare , culpam me committere vehementer exiſtimo , ſi ea , quæ pro timore omnipotentis Domini ſunt ſuggerenda , ſiluero* ; quæ ſane eadem ſunt cum Gratianeis verbis initio ejuſdem canonis 8. , verum quæ in ipſo canone 8. , & 9. ſequuntur , ne vocula quidem tenus , apud Gregorium ibidem leguntur , imo nec in alia Gregorii ipſius epiſtola . Neque ſane hæc Gregorio Magno convenire queunt. In primis enim quænam erat Gregorii tempore Conſtantia Galliarum Regina ? Hanc nomine Brunichildem fuiſſe ex ſuperioribus agnovimus. Deinde, quod maxime demonſtrat, Gregorii temporibus hæc fragmenta non convenire , eſt, quod ibidem Longobardorum leges memorentur de invaſionibus rerum eccleſiaſticarum ; imo & Longobardorum leges ibidem dicantur *lex vulgaris* . Hujus nomine refertur lex 1. tit. 18. lib. 1. legum Longobardorum a Rothare Rege conſtitura , qui

Can. 8. & 9. cau. 12. qu. 2.

Digitized by Google

circa annum 638. Rex eſt inauguratus. Quomodo Gregorius, qui jam a triginta & amplius annis objerat ante Rotharis leges, iſtas laudare potuit, iſtas appellare legem vulgarem, ea præſertim ætate, qua Longobardi inviſi erant apud omnes, nec ſine diſcrimine a Romano Pontifice commendandi? Aperienda itaque rei veritas eſt, ac reſtituenda vetus inſcriptio Gratiani, ita, ut deleantur ea verba: *lib.* 4. *epiſt.* 33. *ſeu cap.* 77., ea autem ſola remaneant: *Gregorius ad Conſtantiam Reginam Galliarum*. Inſcriptione capitis hoc modo reſtituta, & canonem 8., & canonem 9. ſimul jungendos, ſuo auctori facile tribuemus. Eſt hæc epiſtola Gregorii V. anno 998. ad Conſtantiam tunc Galliarum Reginam, & Roberti Regis conjugem ſcripta, quam poſteriore ætate hoc nomine edidit Sirmondus ex apographo exſcripto ex codice S. Sergii Andegavenſis. In hac autem epiſtola eadem verba leguntur, quæ habemus in memoratis Gratiani canonibus, ex quibus etiam liquet, quæ eſſe occaſio potuerit, ut fragmentum Gregorio Magno ab aliquibus tribueretur; nimirum quia Gregorius V. imitatus eſt initio verba Gregorii Magni in epiſtola ad Conſtantiam Auguſtam. Nonnulla adhuc animadvertenda ſunt, quæ ſpectant codicum varietatem. Pro illis verbis Gratiani in can. 8. *Decreta pro violata emunitate .... Si vero incendium fecerint, ibi novies tantum componant, ſi prædam vero in quadruplum reſtituant*; legit Sirmondus: *Decreta pro emunitate ... ſi vero incendium fecerint, ſibi nonam componant, prædam vero in quadruplum reſtituant*. Item in canone 9. pro illis Gratiani verbis: *Et quia ſummum in rebus bonum eſt .... Eccleſiæ tranſmittemus .... immunitas violata, & præſumtio*, legit Sirmondus: *Et quia ſummum in Regibus bonum eſt ... Eccleſiæ tranſmittimus ... emunitas, & præſumtio*. Non heic tamen conſtitit Coſſartius, qui hanc a Sirmondo editam epiſtolam in ſuam collectionem traducens, emendare voluit notam numeralem indictionis; ubi enim apud Sirmondum, & Gratianum legitur, *ſecunda indictione*, Coſſartius legendum voluit *indictione undecima*, aſſerens hanc epiſtolam non alio anno ſcribi potuiſſe, quam anno 998., in quem incidit undecima indictio. Ante illum annum ſcribi epiſtola non potuit, cum eodem anno 998. Conſtantia nupſerit Regi Galliarum; poſt eundem annum non facile admittetur, cum anno 999. Gregorius obierit. Non eſt inveroſimilis Coſſartii emendatio, præſertim quod Amanuenſibus errandi occaſionem præbere potuerit nota ipſa numeralis II., quæ aliquando pro undecimo, aliquando pro ſecundo accipitur. Inſuper animadvertendum eſt, plures ex eruditis ſuſpicari, Julianum, de quo ſermo fit in eiſdem canonibus, fuiſſe Epiſcopum Andegavenſem, ex ea conjectura, quod hæc epiſtola primum, ut dixi, in codice S. Sergii Andegavenſis reperta fuerit, quaſi epiſtolæ in illis locis inveniantur facilius, in quibus epiſtolarum materies agitata fuit. Ego id non auſim fidenter adſerere, præſertim quod inter monumenta eccleſiaſtica non adpareat, Andegavenſem Eccleſiam tunc Julianum Antiſtitem habuiſſe; quamquam tamen non ignoro, Gallicanorum illius ætatis Epiſcoporum, ac præſertim Andegavenſium epochas fuiſſe plurimum turbatas, quemadmodum univerſi Eruditi, fatentur, ut propterea quiſnam fuerit ſub Gregorio V. Andegavenſis Epiſcopus, dignoſci non valeat.

De

Google

De epiſtola ad Deſiderium Epiſcopum.

Can. 5. diſt. 86.

Ex pluribus Gregorii epiſtolis, præſertim epiſtola 54. lib. 6., & epiſtola 106. lib. 9. apud Maurinos conſtat, Deſiderium fuiſſe Viennenſem in Gallia Epiſcopum. Ipſe ſpreto Epiſcopali officio, & cura ſacrorum totum ſe Grammaticis inſtitutionibus tradendis intenderat, proinde objurgatus a Gregorio in epiſtola 48. lib. 9. in vulgari, & 54. lib. 11. in Maurina editione, ex qua legitur canon 5. diſt. 86., ubi pro illis Gratiani verbis *popoſcit*, *minime valeremus*, legunt Maurini, *popoſcerat*, *minime paterèmur*. Nemo vero ex eo canone forte conjiciat, Gregorium artem Grammatices, velut Epiſcopis noxiam improbaſſe: non artem ipſam Sanctus Pontifex, ſed Epiſcopi propoſitum redarguebat. Ceterum Grammatices artis utilitatem etiam de Epiſcopis loquens agnovit, ubi tradidit per illam nos plurimum juvari poſſe in interpretatione ſacrarum literarum, quemadmodum ex ejus Commentariis in librum 1. Regum cap. 3. deprehendimus.

De epiſtola ad Etherium Lugdunenſem Epiſcopum.

Can. 14. cau. 7. qu. 1.

Ad Etherium (legunt aliqui Eleutherium) Epiſcopum Lugdunenſem eſt apud Gregorium epiſtola 5. lib. 13. in Maurina, & 7. lib. 11. in vulgari editione, quæ fere integra legitur in canone 14. cau. 7. qu. 1., ubi pro illis verbis: *Compaſſio fiere . . . ut quod mente . . . & ideo quia viventem Epiſcopum ab officio ſuo neceſſitas infirmitatis . . . ordinari: ſed ſi intervalla . . . ad hoc miniſterium intellectum habere, nec ad alia officia . . . ſolemniter ordinetur*, legendum potius eſt ex codicibus optimæ notæ: *Compaſſione fiere . . . ut quid mente . . . & ideo quia vivente Epiſcopo, quem ab officio ſuo neceſſitas infirmitatis . . . ordinari, ſi intervalla . . . ad hoc miniſterium intellectualia nempe officia . . . . conſacretur*.

De epiſtola ad Serenum Maſſilienſem Epiſcopum.

Can. 27. de conſ. diſt. 3.

Serenus Maſſilienſis Epiſcopus, cum quoſdam agnoviſſet in Eccleſia, Dei, & Sanctorum imagines colere ipſos acriter reprehenderat, imo & imagines ipſas deleverat, pravorum ſane arbitror hominum conſilio, quibus ille adhærere ſolebat, quemadmodum colligitur ex canone 59. cau. 2. qu. 7. Factum hoc improbavit Gregorius duabus epiſtolis, ſcilicet 110. lib. 9., & 13. lib. 11. in Maurina, ſeu 109. lib. 7., & 9. lib. 9. in vulgari editione. Ex poſteriore epiſtola depromtus eſt canon 27. de conſ. diſt. 3. Cum ſententia Gregorii omnino conſona eſt Tridentini Concilii conſtitutio initio ſeſſionis 25.

De epiſtolis ad Syagrium Epiſcopum Auguſtodunenſem.

Sunt qui Syagrium Auguſtodunenſem in Gallia Epiſcopum cognatum Reginæ Brunichildis fuiſſe cenſuerunt, atque eam ob rem pallium ex ſingulari privilegio a Romano Pontifice facilius impetraſſe, quemadmodum conjici poteſt ex memorata ſuperius epiſtola Gregorii ad Brunichildem. Ego cum noverim ſingularia fuiſſe ejuſdem Syagrii in Eccleſiam merita, quippe qui Auguſtinum Anglorum Epiſcopum in evangelico munere adjuverat, eaque ratione Gregorii Magni eximiam ſibi conciliaverat benevolentiam, quemadmodum Gregorius idem profitetur in epiſtola ad Syagrium 108. lib. 9. in Maurina, & 112. lib. 7. in vulgari editione, in hanc potiſſimum cauſſam ſingularia privilegia refero ipſi conceſſa, quibus & pallio ornaretur ipſe, & Auguſtodunenſis ejuſdem Eccleſia, ſervato Metropolitæ honore, ſupra ceteras Gallicanas Eccleſias poſt Lugdunenſem eveheretur. Huc pertinet canon 7. diſt. 17., poſtquam enim Gregorius eam prærogativam Syagrio conceſſerat, ita ſubdidit: *ceteros vero Epiſcopos ſecundum ordinationis ſuæ tempus, &c.* quaſi diceret, non ita Syagrio, quemadmodum ceteris Epiſcopis, ſedem, aut locum in conciliis eſſe adſignandum; etenim ceteri juxta tempus ſuæ ordinationis aut ſedebant, aut ſubſcribebant; at vero Syagrio hac in parte prærogativa concedebatur, ut poſt Lugdunenſem Epiſcopum primus ſubſcriberet, ac ſederet. Poſt verba memorati canonis 7. ſequuntur in epiſtola verba canonis 9. diſt. 100., ibi: *Quia omnino rationis ordo nos admonet, &c.* Pro verbo *accreſcere* apud Maurinos legitur *excreſcere*. Porro ſi hæc conſideraverimus, facile eruetur, olim in ſubſcriptionibus ſynodalibus Epiſcoporum quendam ordinem fuiſſe ſervatum, ut excellentiores dignitate primi ſubſcriberent, & ſeniores inter eos qui dignitatem parem haberent. Verum nemo hodie ignorat, ſubſcriptiones veterum Conciliorum adeo eſſe turbatas, ut vix ſingulorum Antiſtitum prærogativa dignoſci aliquando poſſit.

Can. 7. diſt. 17.

Can. 9. diſt. 100.

Alia eſt ad eundem Syagrium epiſtola 106. lib. 9. in Maurina, & 110. lib. 7. in vulgari editione, cui hæc ineſt inſcriptio: *Gregorius Syagrio Auguſtodunenſi, Etherio Lugdunenſi, Virgilio Arelatenſi, & Deſiderio Viennenſi Epiſcopis Galliarum a paribus*. Notanda ſane hoc in loco eſt formula illa *a paribus*, quæ & in aliis Gregorianarum epiſtolarum inſcriptionibus aliquando legitur. Alii enim opinantur *a paribus* ſcripturam dici, quum non eſt authentica, ſed ex authenticis deſumta, ideſt, quod par, & ſimilis authenticæ habeatur. Alii ita nuncupatam volunt, quod Gregorius exemplar epiſtolæ miſerit, aliud exemplar penes ſe retinens, quæ duo exemplaria appellarentur paria, ſive a paribus, eodem fere modo, quo ſententiæ olim dicebantur ex periculo recitari, ideſt per exemplar omnino conſonum, quemadmodum conſtat ex titulo codicis *de ſententiis & periculo recitandis*. Veroſimilior vero mihi videtur opinio aſſerentium, epiſtolam *a paribus* miſſam fuiſſe tunc intelligi, quando ad plures ſcripta profertur ita, ut ad ſingulos ſingula epiſtolæ exemplaria tranſmiſſa fuerint; ſiquidem non alibi inter Gregorianas epiſtolas hæc clauſula reperitur, quam ubi ad plures ſcriptum eſt. Hujuſmodi epiſtolas hodie vocant *circulares*. Dicendum itaque in memorata epiſtola formulam *a paribus* nihil aliud ſignificare, quam Gregorium eandem epiſtolam ad plures Epiſcopos ſimilibus

libus exemplaribus direxiſſe. Quod ſi ad epiſtolæ ipſius ſententias accedendum eſt,
adparebit, in illa diverſa diſciplinæ eccleſiaſticæ capita contineri, tum de abomi-
nanda hæreſi Simoniacorum, tum de Neophitis non ordinandis, tum de commu-
ni clericorum vita. Ubi in primis de Simoniaca hæreſi agitur, legimus verba ca-
nonis 7. diſt. 47., & poſt pauca exhibentur etiam verba canonis 2. cau. 1. qu. 1., *Can. 7.*
qui ita erit emendandus: *vehementi tædio mœroris adficimur, ſi in eccleſiaſticis officiis* *diſt. 47.*
quemquam habeat locum pecunia, & fiat ſæculare, quod ſacrum eſt. Quicumque vero *& Can. 2.*
hoc pretii ſtudet datione mercari, dum non officium, ſed nomen attendit, ſacerdos non *cau. 1.*
eſſe, ſed dici tantummodo inaniter concupiſcit. Paullo poſt ſequuntur in epiſtola ver- *qu. 1.*
ba canonis 3. cau. 1. qu. 6. ibi: *ſicut autem is, qui invitatus renuit, quæſitus fu-*
git, &c. Romani Correctores in hoc canone emendaverunt illa Gratiani ver- *Can. 3.*
ba *ad ſummum Sacerdotii, vel Pontificii*, & legendum voluerunt: *ad ſumma Sacer-* *cau. 1. qu. 6.*
dotii. Monachi Maurini legerunt: *ad ſummam Sacerdotii*. Proſequitur poſt aliqua
Gregorius de hæreſi Simoniacorum ita ſcribens: *cum liqueat hanc hæreſim in Eccle-* *Can. 4.*
ſia ante omnes radice peſtifera, &c. ſive, ut in quibuſdam MSS. veteribus legitur: *& 13. cau. 1.*
ante omnes radices peſtiferas, &c. Habebis hæc integra apud Gratianum in can. 13. *qu. 1.*
cau. 1. qu. 1., cujus canonis verba in parte jam retulerat Gratianus idem in can. 4.
eadem cauſſa, & quæſtione. Subdit Sanctus Pontifex, ne eleemoſynæ quidem in
pauperes erogandæ cauſſa poſſe intercedente pecunia clericis officia ſacra concedi,
quo ſpectat canon 27. cau. 1. qu. 1., his verbis: *Neque enim eleemoſyna reputan-* *Can. 27. cau. 1.*
da eſt, ſi pauperibus, &c., uſque ad illa, *gravatur potius, quam juvatur*, nam poſt *qu. 1.*
iſta ita legitur apud Gregorium: *Eleemoſyna redemtoris*, cum ceteris, quæ exhi- *&*
bentur in integro can. 7. cau. 14. qu. 5., poſt cujus verba ſubjicitur verſiculus *Can. 7.*
unde etiam, qualis habetur in memorato canone 27., dummodo pro illis Gratiani *cau. 14. qu. 5.*
verbis, *aperte ſacra ſcriptura nos prohibet . . . quia offert ſacrificium de ſubſtantia*
pauperum, quaſi victimat filium . . . . quantum apud Deum dolor . . . ut ſi impar eſt,
abſtineat, & ad id cum metu etiam, cui ſe ſufficere exiſtimat, accedat, ita legamus:
aperte ſacræ ſcripturæ ordo nos prohibet . . . qui offert ſacrificium de ſubſtantia paupe-
ris, ac ſi victimet filium . . . quantus apud Deum dolor . . . ut & impar abſtineat,
& ad id cum metu etiam, qui ſe ſufficere exiſtimat, accedat. Poſtrema verba hujus
canonis 27. a §. *quiſquis* uſque in finem pertinent ad ſecundam epiſtolæ partem,
ubi agitur de Neophitis non ordinandis, quemadmodum & ad eandem referendus
eſt canon 2. diſt. 48., cujus verba apud Gregorium leguntur paullo ante memo- *Can. 2.*
ratum §. *quiſquis* hoc modo: *Sicut autem tunc Neophitus dicebatur, qui initio in* *diſt. 48.*
ſanctæ Fidei erat converſatione plantatus, ſic modo Neophitus habendus eſt, qui repente
in religionis habitu plantatus ad ambiendos honores ſacros irrepſerit. Ordinate ergo ad
ordines adſcendendum eſt, nam caſum appetit, qui ad ſumma loci faſtigia poſtpoſitis gra-
dibus per abrupta quærit adſcenſum. Et cum idem Apoſtolus doceat inter alia ſacri or-
dinis inſtituta diſcipulum, manum non eſſe cuiquam citius imponendam, quid hoc cele-
rius, quidve præcipitantius, quam ut exoriatur a ſummitate principium, & ante eſſe
incipiat Epiſcopus, quam miniſter? Quiſquis ergo Sacerdotium non ad elationis pompam,
ſed ad utilitatem adipiſci deſiderat, prius vires ſuas cum hoc, quod eſt ſubiturus, onere
metiatur; ut & impar abſtineat, & ad id cum metu etiam, qui ſe ſufficere exiſtimat,
accedat: Ab re autem non facimus, ſi ad argumentum rationabilium uſum rerum irra-
tionabilium colligamus. Apta namque ædificationibus ligna ſucciduntur, nec tamen adhuc
viridibus ædificii pondus imponitur, niſi eorum viriditatem multorum dierum mora ſic-
caverit,

Digitized by Google

caverit, & apta ad neceſſarium uſum effecerit : quæ obſervantia ſi forte negligitur, citius ſuperimpoſita mole franguntur, & gignit ruinam ad auxilium res proviſa. Similia propemodum habentur in epiſtola ad Virgilium Arelatenſem, de qua inferius ſermo recurret, & cujus occaſione nonnulla adhuc de hoc canone tradentur. Ad hanc ean-
Can. 3 diſt. 59. dem epiſtolæ partem etiam pertinet canon 3. diſt. 59., ubi tamen pro illis Gratiani verbis: *Præſtituti ſunt, qui antequam diſciplinatus, &c.*, legendum eſt: *Præſtituri ſunt, qui antequam diſcipulatus, &c.*

Can. 5. cau. 1. qu. 1. Refertur apud Gratianum tamquam ex hac ipſa epiſtola depromtus canon 5. cau. 1. qu. 1. Sane ſi canonis ſententiam conſideremus, illa non eſt ab eadem Gregorii epiſtola aliena, cum in ea & Simoniacorum, & Neophitorum ordinationes improbatæ fuerint; at ſi verbis Gratiani ſit inhærendum, fruſtra hæc ad Gregorii epiſtolam referemus. Vix aliqua addenda eſſent hodie ad hunc canonem, poſtquam Romani Correctores ſummam in eo exigendo ad Gregoriana monumenta diligentiam impenderunt, quemadmodum ex ſubjectis ipſorum animadverſionibus ſtatim liquet. Tantum dixero epiſtolam illam, quæ ſub nomine Paſchalis II. ibidem memoratur, & cum qua plurimum conſonare Gratianeum canonem Romani Correctores adnotaverunt, non facile Paſchali II., & recte tribui poſſe, quidquid ex Ivonis, ſimiliumque Scriptorum codicibus erui videatur. Etenim ejuſdem epiſtolæ mentionem fecit ante Pontificatum Paſchalis II. Goffridus Abbas Vindocinenſis in epiſtola ad Urbanum II. lib. 1. epiſt. 1. Hinc ibidem monuit Sirmondus: *Nuper canones relegens quandam ſententiam inveni, quæ Paſchali Papæ inſcribitur, ubi Neophitum factum Epiſcopum hæreticum vocat, & ſicut Simoniacum, ita & Neophitum a Sancta Eccleſia debere ſeparari docet, & præcipit*. An potius Paſchali I. hæc ſint tribuenda, non auſim adſerere. Apud Ivonem Carnotenſem parte 2. cap. 84. legitur epiſtola ſub nomine Paſchalis Papæ, eademque eſt, cujus fragmentum adparet in can. 7. cau. 1. qu. 3., atque ibidem hæc ſub initium traduntur: *Audivimus enim (quod valde miramur), quod ſacri apud vos ordines pecuniis diſtrahuntur. Dum quicumque tale aliquid adtentaverint, omnino hæretici probentur, Spiritu Sancto per Gregorium intimante, quia quiſquis per pecunias ordinatur, ad hoc ut fiat hæreticus, promovetur. Et ut hujus noſtræ paginulæ non præſumtionis, ſed timoris cauſſam fuiſſe monſtremus, Beatus idem proſequitur. Quiſquis contra ſimoniacam, & Neophytorum hæreſim pro officii ſui loco vehementer non arſerit, cum eo ſe non dubitet habiturum portionem, qui prius commiſit hoc periculoſum flagitium*. Hinc viſus eſt canonem ſuum exhauſiſſe Gratianus, ubi tamen quicumque epiſtolæ auctor extitit, Gregorii non verba, ſed ſententias deſcribendas oratione compendiaria voluit.

Can. 5. diſt. 83. Dicendum adhuc ſupereſt de canone 5. diſt. 83. Legitur is in epiſtola ad Syagrium 117. lib. 7. in vulgari, & 113. lib. 9. in Maurina editione; ubi agitur de cauſſa Menatis, & Theodori Epiſcoporum improbam vitam agentium. Cum enim Menas Romanæ Diœceſeos Epiſcopus in Gallicanis Provinciis verſaretur, monuit Syagrium Gregorius, ut curaret Romam reduci Menatem, inquiens: *Conſentire videtur erranti, qui corrigenda, ut reſecari debeant, non corrigit*. Maurini legunt: *non concurrit*. Quæ ſane verba eadem ſunt cum Gratianeis, licet in aliquibus editis Gregorii epiſtolis deſiderentur.

Digitized by Google

De epiſtolis ad Reges Theodoricum, & Theodebertum.

Ex iis, quæ ſuperius animadvertimus ad epiſtolas ad Syagrium miſſas, liquet Gregorii Magni temporibus apud Gallicanos Antiſtites ſimoniæ crimen frequens fuiſſe in ordinationibus ſacris admiſſum. Quamobrem prudentiſſimus Pontifex, ut malo graviſſimo occurreret, operæ pretium duxit, de ſimoniaca hæreſi profliganda ad Francorum Reges aliqua ſcribere, quorum auctoritate eandem facile conficiendam fore ſperabat. Erat tunc diviſa Gallia inter duos Fratres Theodoricum, & Theodebertum, quorum prior Burgundiæ, poſterior Aquitaniæ Rex dicebatur. Ad Theodoricum ſcripta eſt epiſtola 53. lib. 9. in vulgari, & 59. lib. 11. in Maurina editione, ibidemque legitur eiſdem verbis canon 20. cau. 1. qu. 1., ad utrumque vero ſcripta legitur per ſimilia exemplaria epiſtola 110. lib. 9. in Maurina, & 114. lib. 7. in vulgari editione, ex qua depromtus eſt canon 28. cau. 1. qu. 1., cujus priora verba ita legenda erunt: *Fertur autem hanc Simoniacam hæreſim, quæ prima, &c.* Item pro illis Gratiani verbis: *Epiſcoporum culpa . . . juvare . . . Sic enim dignus is ſacerdotio creditur, qui non actionis merito, ſed præmiorum cauſſa ſuffragatur, reſtat, ut nihil ſibi in eccleſiaſticis honoribus gravitas . . . . inducantur . . . placere debuerant*, ita potius legendum erit: *Veſtrorum Epiſcoporum culpa . . . juvari . . . Si enim is dignus ſacerdotio creditur, cui non actionis merita, ſed præmiorum copia ſuffragatur, reſtat, ut nihil ſibi in honores eccleſiaſticos gravitas . . . indicantur . . . placare debuerant.*

Can. 20. & 28. cau. 1. qu. 1.

De epiſtolis ad Virgilium Epiſcopum Arelatenſem.

De eadem ſimoniaca hæreſi ſcripſit Gregorius ad Virgilium Arelatenſem Epiſcopum, quem ſacro pallio ob ejuſdem inſignia merita decoraverat; his etiam nonnulla adjecit de Neophitis non ordinandis in epiſtola 53. lib. 5. in Maurina, & 51. lib. 4. in vulgari editione. Ex ea repetendus eſt canon 2. diſt. 48., licet apud Gratianum referatur, tamquam depromtus ex epiſtola Gregorii ad Syagrium Auguſtodunenſem; etenim, quemadmodum ſuperius attigi, potius ſententia, quam verba ejuſdem canonis 2. in illa epiſtola ad Syagrium continetur. Porro in illo canone ita legendum erit: *Sicut Neophitus tunc vocabatur, qui adhuc noviter erat eruditione plantatus in fide, ita nunc inter Neophitos deputamus, qui adhuc novus eſt in ſacra converſatione. Scimus autem, quod ædificati parietes non prius tignorum pondus accipiunt, niſi a nativitatis ſuæ humore ſiccentur, ne ſi ante pondera, quam ſolidantur, accipiunt, cunctam ſimul fabricam ad terram deponant.* In eadem epiſtola ad Virgilium legitur canon 6. diſt. 100., ubi pallii conceſſio Virgilio facta dicitur ob ſingularia ipſius merita, ſimulque ob ſpecialem delegationem Apoſtolicæ Sedis, quo munere Virgilium Gregorius diſtinxerat, quemadmodum liquet ex his Summi Pontificis verbis: *Itaque Fraternitati veſtræ vices noſtras in Eccleſiis, quæ ſub Regno ſunt, Præcellentiſſimi Filii noſtri Childeberti juxta antiquum morem, Deo auctore, committimus. Singulis ſiquidem Metropolitis ſecundum priſcam conſuetudinem proprio honore ſervato pallium quoque tranſmiſimus, quo Fraternitas tua intra Eccleſiam ad ſola Miſſarum ſolemnia utatur.*

Can. 2. diſt. 48.

Can. 6. diſt. 100.

Hinc

Can. 59. Hinc autem facile percipitur, quare Virgilio Arelatenſi mandatum fuerit, ut vice
cau. 2. Apoſtolica, occaſione oblata, in Epiſcoporum Gallicanorum mores inquireret,
qu. 7. quemadmodum liquet ex canone 59. cau. 2. qu. 7., qui depromtus eſt ex epiſtola 55. lib. 11. in Maurina, & 49. lib. 9. in vulgari editione. Nonnihil eſt in Gratianeo canone adnotandum: nimirum pro illis verbis: *in ſocietate ſua . . . non iniquitatem immunditiis maculare*, legendum potius eſt: *in ſocietatem ſuam . . . non iniquitatem immunditiis cumulare*.

Can. 9. In Arelatenſi Urbe conſtructum Regia Childeberti munificentia fuerat monaſte-
cau. 25. rium, cui eodem Rege poſtulante privilegia quædam acceſſerant Pontificis Maxi-
qu. 2. mi auctoritate, quæ tum rerum monaſticarum curam, tum Abbatis electionem ſpectabant. Hæc privilegia Gregorius amantiſſimus Monachorum Pater confirmavit, eandemque ob rem ad Virgilium Arelatenſem ſcripſit, epiſtola 115. lib. 7. in vulgari, & 111. lib. 9. in Maurina editione; cujus priora verba inſtar præfationis obtinentia leguntur in can. 9. cau. 25. qu. 2., ubi pro illis verbis, *quod ratio exigebat utilitatis, oportuit definiri, &c.*, ita legendum erit: *quod ratio exigebat, utiliter oportuit definiri ita, quod definitum eſt, non debet violari*. Verba illa in parentheſi poſita: *niſi forte ubi major auctoritas eſt*, ut jam a Romanis Correctoribus adnotatum eſt, in pluribus editis Codicibus, & MSS. deſiderantur, ac propterea in Maurinorum editione omiſſa fuerunt. Facile eſt, eadem ab aliquo Gloſſographo vel ad codicem Gratiani, vel ad epiſtolam Gregorii adjecta fuiſſe in margine, & e margine demum in textum irrepſiſſe, quod ſane novum eſſe non debet, præſertim quod Romani Correctores teſtati fuerint, ſe vidiſſe unum Gratiani exemplar, in quo ea clauſula *adpoſita eſt tamquam gloſſa*, & fortaſſis traducta ex canone 6. cau. 6. qu. 4.

De epiſtolis ad omnes Galliarum Epiſcopos.

Can. 7. Tradebam nuper, Virgilium Arelatenſem Epiſcopum tamquam Vicarium Apo-
diſt. 89. ſtolicæ ſedis conſtitutum fuiſſe in Provinciis Gallicanis ſub Childeberti regimine conſtitutis. Itaque Gregorius generatim ad Epiſcopos Galliæ, quos Virgilio ſubjecerat, epiſtolam ſcripſit 52. lib. 4. in vulgari, & 54. lib. 5. in Maurina editione; in qua illos hortatur, ut Virgilio tamquam Præſidi ſuo obtemperent. Hujus epiſtolæ exordium refertur in can. 7. diſt. 89., ubi pro illis verbis: *vera concordia . . . quia vero quæque creatura in una, eademque qualitate, &c.* Maurini Monachi legendum ſuadent: *una concordia . . . quia vero creatura in una, eademque æqualitate, &c.*

Can. 2. Sententia canonis 2. cau. 1. qu. 3., non eſt aliena a temporibus Gregorii Ma-
cau. 1. gni, imo conſonat cum monumentis ipſius numero plurimis. Etenim conſtat,
qu. 3. Gregorii ætate Simoniacam hæreſim graſſatam fuiſſe in eccleſiarum perniciem, uti facile deducitur ex ſuperius memoratis epiſtolis ad Syagrium, ad Theodoricum, & Theodebertum, alioſque, quos Sanctus Pontifex monitos pro officio voluit, ne tanta labe ex provinciæ diutius inquinarentur. Verum quoties verba ipſa canonis 2. conſideremus, facile arbitrabimur, ea eſſe a Gregorio aliena. Revera nullibi inter epiſtolas Gregorii eadem reperiuntur, imo quæ ibidem leguntur *beneficiorum eccleſiaſticorum* & *præbendarum* vocabula recentiorem deſignant auctorem. Ego puto, hoc fragmentum fuiſſe conſarcinatum a quodam collectore non valde antiquo, qui

qui voluerit integram epiſtolam Gregorii ad Syagrium, Etherium, Virgilium, & Deſiderium ſcriptam (ex qua ſumti ſunt canon 7. diſt. 47., canon 2. 4. 13. 27. cau. 1. qu. 1., canon 3. cau. 1. qu. 6., & alii jam ſuperius memorati) paucis perſtringere, imo & uſurpatis vocibus ad recentiora tempora formatis Gregorianam ipſam ſententiam exhibere, quæ tota ſita in eo eſt, ut ſimoniæ vitium in eccleſiaſticis officiis nuſquam admittatur.

Canon 16. cau. 35. qu. 2. adſcribitur apud Gratianum Gregorio Papæ in epiſtola ad Epiſcopos Galliæ miſſa. Verum quantum ejus ſententia aliena ſit ab ætate Gregorii Magni, jam diſerte obſervabam ad canonem 2. cau. 35. qu. 8., ubi liquido demonſtravi, prohibitionem nuptiarum inter cognatos uſque ad ſeptimam generationem longe poſt eam ætatem eſſe repetendam. Romanorum Correctorum induſtriam nemo non laudabit, dum ſolliciti quærunt canonis hujus auctorem, ac fere videntur illum adtribuere Gregorio II. Ego vero agnoſco Burchardi conſuetas artes. Legitur hic canon in lib. 6. Capitularium Francorum cap. 80. his verbis: *Progeniem ſuam unumquemque uſque ad ſeptimam obſervare decernimus generationem, & quandiu ſe agnoſcunt adfinitate propinquos, ad hujus copulæ non accedant ſocietatem.* Hoc idem fragmentum deſcripturus Burchardus in lib. 7. cap. 11., cum a Capitularibus Francicis memorandis abſtinendum ſibi propoſuiſſet, fragmentum inſcripſit Gregorio Magno, parum ſollicitus, num diſciplina, quæ ibidem tradebatur, Gregorio conveniret. Forte vero ad Epiſcopos Galliæ directam voluit ſententiam Gregorio tributam, ut quoquo modo ad Gallos referret fragmentum illud, quod ex Gallicanis monumentis ipſe decerpſerat. Burchardi fidem ſecutus eſt Ivo, Ivonem Gratianus.

Can. 16. cau. 35. qu. 2.

SECTIO XVI.

De epiſtolis ad Hiſpanos.

Et primum de epiſtola ad omnes Hiſpaniæ Epiſcopos.

Quoniam temporibus Gregorii ex Clericis quamplurimi in ſacris officiis ſive ſuſcipiendis, ſive adminiſtrandis ſimoniæ vitio inquinati fuerunt, uti ex multis ſuperius memoratis epiſtolis liquet, ita poſteriore ætate, ubi canonum Collectores nonnulla congeſſerunt adverſus ſimoniacam pravitatem, congeſtas ſententias facile Gregorio tribuerunt. Id contigiſſe ſuperius ajebam in canone 2. cau. 1. qu. 3., atque idipſum adfirmandum eſt de canone 1. ejuſdem cauſſæ, & quæſtionis. Nullibi ſane inter epiſtolas Gregorii reperitur epiſtola ad univerſos Hiſpaniæ Epiſcopos miſſa, qua eoſdem monuerit, ut a ſimoniæ vitio recederent, imo nec ſtylus ipſe Gratianei fragmenti Gregorio eidem conſonat. *Beneficii* eccleſiaſtici nomen, quod ibidem occurrit, eo tempore inauditum adhuc fuerat. Quid igitur aliud concludendum erit, quam Gratianum generales Gregorii ſententias, quibus ſimoniaci improbabantur, exhibuiſſe recentioribus Clericorum moribus accommodatas, eaſdemque ſub nomine Gregorii ad Hiſpanos Epiſcopos ſcribentis edidiſſe? Unum adhuc ſuſpicor: nimirum Gratianus forte incidit in Codicem MS. Gregorianum, in quo referebatur, quemadmodum & in hodiernis editis refertur, epiſtola Gre-

Can. 1. cau. 1. qu. 3.

gorii ad Epiſcopos per Helladem Provinciam conſtitutos, de qua ſermo fuit ſu-
perius inſtituendus. Potuit ibidem eſſe hæc inſcriptio: *Gregorius univerſis Epiſcopis
Helladis*. Quid facilius contingere poterat Gratiano, quam pro voce *Helladis* in
codice aut breviato, aut non ſatis accurate formato legere *Hiſpanis*? Porro in
epiſtola Gregorii ad Epiſcopos Helladis plurima his ſimilia traduntur, quemadmo-
dum conſtat ex collatione canonis 117. cau. 1. qu. 1.

De epiſtolis ad Johannem Defenſorem.

In veteribus Gregorii editionibus duæ exhibentur epiſtolæ ad Johannem Defen-
ſorem euntem in Hiſpaniam, nimirum epiſtola 50., & 54. lib. 11. Apud Mau-
rinos vero habentur quaſi unica epiſtola numero 45. lib. 13., diſtributa tamen in
duo Capitularia. Primum Capitulare, ut Maurinos Monachos ſequar, ita inſcri-
bitur: *Gregorius Johanni Defenſori in nomine Domini eunti in Hiſpaniam*. Alia au-
tem vetera manuſcripta ita exhibent: *Capitulare, quod obſervandum eſt a Johanne
Defenſore eunte in Hiſpaniam*. Porro in hoc priore Capitulare agitur de Januario
quodam Epiſcopo Malacitano, & quodam ejuſdem Eccleſiæ Presbytero, item de
cauſſa Stephani cujuſdam Epiſcopi de variis criminibus accuſati. Erat mos tunc
temporis Romanorum Pontificum, ut quotieſcumque eccleſiaſtici Viri Romana
ab Urbe decederent cauſſam quandam eccleſiaſticam vice Pontificis Maximi in
Provinciis cognituri, ut iſti a Pontifice Maximo quoddam Capitulare reciperent,
veluti normam in judicio adamuſſim cuſtodiendum. Hujuſmodi, arbitror, fuit hoc,
Can. 7. de quo agimus, Capitulare, ex quo depromtus eſt canon 7. cau. 2. qu. 1. uſque
cau. 2. ad §. *de perſona*; ubi tamen pro illis verbis Gratiani: *In Eccleſia, atque in loco ſuo*
qu. 1. *. . . . ut ex hoc colligere valeas, utrum adhuc in exilio demorari, an certe in*
& *Eccleſia ſua, & officio ſuo debeat revocari. De Epiſcopi ſupradicti perſona . . . . quia*
Can. 3. *levioris culpæ videtur . . . . officium in illa Eccleſia . . . reſtituere compellatur . . .*
cau. 16. *odio ſui quædam ficta . . . habitum, ideſt ſi alii accuſatores, atque alii teſtes fuerunt*
qu. 6. *. . . ſi eo præſente, qui accuſatus eſt, ſub jurejurando . . . ſi ſcriptis actum eſt, vel
ſi ipſe licentiam . . . teſtati ſunt, ſi ſcriptis . . . imminere periculum viatici benedi-
ctio . . . quod forte aliqua . . . formare debebas*, ita legendum potius erit: *in Ec-
cleſiam, atque in locum ſuum . . . . ut ex hoc recte colligere valeas, utrum adhuc in
exilio demorari, aut certe in Eccleſiam ſuam, & officium ſuum debeat revocari. De
ſupradicti vero Epiſcopi perſona . . . quia levior culpa videtur . . . officium ab illa Ec-
cleſia . . . reſtituere condemnetur . . . in odio ſuo quædam ficta . . . habitum, aut ſi
alii accuſatores, alii teſtes fuerunt . . . aut ſi eo præſente, ſub jurejurando . . . ſeu
ſcriptis actum eſt, vel ipſe licentiam . . . teſtati ſunt, vel ſi ſcriptis . . . imminere
diſcrimen viatici ei benedictio . . . quod ſi forte aliqua . . . formare debeas*. In §. *Si au-
tem Epiſcopum antedictum talem culpam commiſiſſe conſtiterit, quod abſit, &c.* ſeſe
refert Gratianus ad canonem 3. cau. 16. qu. 6., qui ſane huic eidem canoni 7.
erit jungendus. Poſt verba poſtrema memorati canonis 3. finem habet primum Ca-
pitulare, in quo formula traditur judiciaria in cauſſis criminalibus Sacerdotum cu-
ſtodienda.

Can. 38. Capitulare poſterius refertur apud eundem Gratianum in memorato canone 7.
cau. 11. cau. 2. qu. 1. in §. *de perſona Presbyteri*, quem Gratianus idem ſupplendum vult
qu. 1.

ex

Digitized by Google

ex canone 38. cau. 11. qu. 1. In hoc igitur canone 38. exordium habet Capitulare ſecundum, ubi tamen pro illis verbis: *ſicut Novella Conſtitutio*, legendum erit: *ſicut hæc Novellarum Conſtitutio*. Illa etiam verba, quæ ſequuntur, *Imperator Juſtinianus Auguſtus* in Maurinorum editione deſiderantur. Porro Novella ibidem memorata eſt 123. cap. 21., ex qua, & ex editione Maurinorum emendandus erit Gratiani codex paulliſper depravatus: nam ubi Gratianus legit: *Doceat prius . . . ſubjacet . . . judicata ſunt, non adquieverit . . . Sciendum eſt, quia ſuperius libro Cod. 1. legitur*; ita potius legendum erit: *Adeat prius . . . ſubjaceat . . . judicata ſunt; adquieverit . . . Sciendum eſt, quia in eadem Conſtitutione LI. C. legitur*. Poſtrema hæc verba in aliquibus MSS. Codicibus ita potius exhibentur: *Sciendum eſt, quia in eadem Conſtitutione quinquageſimoprimo Capitulo legitur*. Ceterum quæ ex hac ipſa Juſtiniani Conſtitutione referri videntur, habentur in cap. 19. memoratæ Novellæ juxta recentiorem capitum partitionem, quod ſane caput apud veteres forte eſſe potuit quinquageſimum primum, niſi dicere malimus erratum fuiſſe in numeralibus notis. Poſt verba memorati canonis 38. ſequitur in ipſo Capitulari verſiculus *de perſona Januarii*, qualis habetur in memorato canone 7. cau. 2. qu. 1., ubi tamen pro illis verbis: *Dum ſi quamlibet injuriam . . . . & miniſtris ut ipſi cultui*, legendum erit: *Dum quando ſi quamlibet aliam injuriam . . . . & miniſtris, vel ipſi cultui*. Ad hanc rem videri poſſet lex 10. Cod. de Epiſcopis, & Clericis. Item in verſiculo *Contra hæc* vox illa *Judices* apud Maurinos in editione Gregorianarum epiſtolarum deſideratur. In verſiculo *quod autem* ita legendum eſt: *Illud autem, quod dicitur a ſervis ſuis accuſatus, quia audiri minime debuerunt, hæc conſtitutio patefecit, ſic dicens Codicis lib. 9. tit. 1. conſtit. 20.* Hæc ſane eſt lex *ſiquis* 9. Codice de his, qui accuſare. In verſiculo *ſi vero* ita legendum erit: *Si vero dictum fuerit, quia de hoc accuſatus eſt, quod ad majeſtatis crimen attendit, nec ipſum de eo, &c.* Demum in verſiculo *Quod autem* ultimo erit ita legendum: *Nam ibi inter alia præcipitur, ut ſententia, quæ ſine ſcripto data fuerit, nec nomen ſententiæ habere mereatur*.

Plane ex his omnibus perſpicue liquet, in hoc capitulari 2. normam quandam juxta civiles leges traditam fuiſſe Johanni Defenſori, dum iturus erat in Hiſpaniam de pluribus eccleſiaſticorum virorum cauſſis judicaturus. Ego vero non indiſcriminatim ſecundo huic capitulari indubiam fidem habebo, aut tamquam genuinum Gregorii monumentum adferere audebo. Hoc ſecundum capitulare in veteribus MSS., quemadmodum obſervant Maurini Monachi, ita inſcribitur: *Capitulare ſecundum legum imperialium pro immunitate clericorum Johanni Defenſori eunti in Hiſpaniam*. Aliqui MSS. codices ita habent: *Johanni Defenſori eunti in Spaniam exemplum legis*. In aliis codicibus vetuſtis integrum idem capitulare deſideratur. Itaque dubiam rem facit ipſa codicum etiam vetuſtorum varietas, in quorum nonnullis prorſus omittitur capitulare, in aliis legitur quidem, ſed non adjecto Gregorii nomine. His addo ſingularem obſervationem. Scilicet unuſquiſque civilis hiſtoriæ gnarus facile noverit, in Hiſpania nonniſi poſt longam ætatem receptum fuiſſe codicem Juſtinianeum, potius ibidem viguiſſe diutius codicem Theodoſianum, cauſſa diutiſſimorum bellorum, quæ Hiſpaniam ab Orientalium Imperio diviſerunt. Quis autem veroſimile arbitrabitur, Gregorium dediſſe Johanni eunti in Hiſpaniam hujuſmodi capitulare, ut legibus Juſtinianeis eſſet conforme, quod propterea apud Hiſpanos facile fuiſſet improbandum? Itaque crediderim potius, illud

Digitized by Google

Capitulare ſecundum fuiſſe opus ſtudioſi cujuſpiam, qui exercitationis cauſſa voluerit, juxta leges Juſtinianeas normam judiciariam texere, quæ ſpectaret cauſſas eccleſiaſticas, quam completam Johanni Defenſori eunti in Hiſpaniam accommodavit; quamobrem facile contingere potuerit, ut in aliquos Gregorii MSS. codices irreperet, non tamen in omnes, cujus rei argumentum illud eſt, quod, ut ſuperius diximus, in optimis antiquis Gregorii codicibus deſideretur.

De epiſtola ad Leandrum Epiſcopum Hiſpalenſem.

Can. 80. de conſ. diſt. 4. Vetus quæſtio fuit de trina merſione, quæ in Baptiſmo in nonnullis Eccleſiis uſu recepta erat. Et quidem uſque ad Arianorum tempora ſine ulla dubitatione triplex illa immerſio ab omnibus probabatur, qua nimirum clarius Sanctiſſimæ Trinitatis Sacramentum exprimebatur. Exorta vero hæreſi Arianorum, aut Macedonianorum, cum plerique ex trina illa merſione non tam Perſonarum, quam Divinæ ipſius Naturæ diſtinctionem perperam augurarentur, ſervandæ germanæ fidei cauſſa apud aliquos unica merſio tantummodo probata eſt, qua ſignificaretur una Patris, Filii, & Spiritus Sancti natura. Non multo poſtea fuerunt, qui diſciplina eccleſiaſtica unicæ merſionis abuterentur, Eutychiani nimirum, in illa unicam Chriſti naturam falſo credentes, quemadmodum jam tradidi ad canones 30., & 82. de conſ. diſt. 4. Quamobrem duplex illa diſciplina, quæ in ſacrorum Myſteriorum ſignificationem æque recte cuſtodiri a Catholicis poterat, in pravas rerum divinarum imagines detorquebatur ab Hæreticis, unde factum eſt, ut pro locorum, & perſonarum adjunctis modo hæc, modo illa baptizandi formula probaretur. Hinc mirum non eſt, ſi Gregorius utramque non improbaverit in epiſtola ad Leandrum Epiſcopum Hiſpalenſem, quæ eſt 41. in vulgari, & 43. in Maurinorum editione lib. 1., ex qua depromtus eſt canon 80. de conſecr. diſt. 4., ubi pro illis verbis Gratiani: *ut dum retro infans . . . neque iſtud aliquid obſiſtit baptizandos ſemel . . . in tribus perſonis, &c.*, ita legendum erit ex optimis exemplaribus: *ut dum tertio infans . . . . neque ad hoc aliquid obſiſtit baptizandum ſemel . . . in tribus ſubſiſtentiis, &c.*

De epiſtola ad Recaredum Regem.

Can. 11. cau. 14. qu. 5. & Can. 48. cau. 7. qu. 1. Livigildi Regis hæretici filius, & pientiſſimi ac religioſiſſimi martyris Ermenegildi frater fuit Recaredus Rex Viſigothorum in Hiſpania, quem ad Catholicam Fidem converſum, ornatumque optimis moribus amare ſe profeſſus eſt Gregorius in nuper laudata epiſtola ad Leandrum Hiſpalenſem. De eo ita ſcribitur in libro 3. dialogorum Gregorii cap. 31. *Recaredus Rex non patrem perfidum, ſed fratrem Martyrem ſequens, ab Arianæ hæreſeos pravitate converſus totam quoque Viſigothorum gentem ita ad veram perduxit fidem, ut nullum in ſuo Regno militare permitteret, qui Regni Dei hoſtis exiſtere, per hæreticam pravitatem non timeret.* Optimus hic Princeps, poſtquam amplexus eſſet Catholicam Fidem, dona vere Regia Romam miſit in obſequium Apoſtoli Petri, e cujus ſede Gregorius in grati animi monumentum quaſdam ſanctorum Reliquias, ac dominicæ Crucis venerabile fragmentum

mentum ad ipſum tranſmiſit. Hæc ſane perſpicuum faciunt argumentum epiſtolæ Gregorii ad Recaredum, in vulgari editione 126. lib. 7., & 122. lib. 9. in Maurina. Hinc depromtus eſt canon 11. cau. 14. qu. 5. ubi ſanctus Pontifex Regi gratulatur, quod ſibi facile perſuaſiſſet, ea dona Petro Apoſtolo acceptum iri, ſubdens: *Scriptum eſt enim: vota juſtorum placabilia, &c.* ita legenda ſunt priora memorati canonis verba; ſiquidem illa: *victimæ impiorum abominabiles Deo*, licet habeantur in libro Proverbiorum cap. 15., ex quo cetera accepta videntur, ad rem tamen Gregorii minime faciebant, ſed a Gratiano eandem materiam perſequente data occaſione adjecta fuerunt; quemadmodum etiam adjecta fuerunt verba illa: *dona quippe iniquorum, &c.*, uſque in finem canonis, quæ ſane apud Gregorium deſiderantur, quamquam legantur & in cap. 5. Proverbiorum, & in cap. 34. Eccleſiaſtici. Cum eodem canone jungendus erit canon 48. cau. 7. qu. 1., qui apud Gregorium in eadem epiſtola legitur poſt pauca: nimirum ibi fit mentio Abbatum a Recaredo miſſorum, quorum, ita dixerim, manu oblatio fieret donorum, qui tamen maritima navigatione fatigati adeo fuerant, fluctibuſque jactati, ut in Hiſpaniam re infecta redire coacti fuiſſent. Aſſerit autem Gregorius, probationem in illis virtutis extitiſſe, non judicium reprobationis. Vix adnotanda eſt leviſſima codicum varietas in exibendis verbis canonis Gratianei 48., ſcilicet pro illis verbis *in maris fluctibus*, legunt Maurini: *in marinis fluctibus*.

SECTIO XVII.

De epiſtolis in Angliam miſſis,

SIVE

De epiſtola ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum.

Temporibus Gregorii Magni ad Catholicam Fidem converſa fuerat Anglia, opera præſertim Auguſtini, qui proinde generali quodam officio, & nomine *Anglorum Epiſcopus* vulgo appellatur. Ad illum ſcripta extat epiſtola Gregoriana ſingulari ordine digeſta, & præter ejuſdem Pontificis morem. Exhibetur in Gregoriano Regeſto omnium poſtrema, continens undecim interrogationes Auguſtini, totidemque Sancti Papæ reſcripta. Non deſunt ex Viris eruditis numero plurimi, qui de fide hujus epiſtolæ dubitaverunt. Maurini Monachi, qui ceteris accuratius Gregorii opera ediderunt, teſtantur illam in pluribus vetuſtis MSS. deſiderari. Habetur quidem integra apud Bedam in lib. 1. Hiſtoriæ Anglorum cap. 27., ſed id quidem demonſtrat, apud Anglos extitiſſe epiſtolam temporibus Bedæ, non vero a Gregorio fuiſſe conſcriptam. Ad hanc rem plurimum facit epiſtola Bonifacii I. Moguntinorum Archiepiſcopi natione Angli, & Bedæ contemporanei ad Nothelmum Archiepiſcopum Britanniæ, in qua hæc leguntur: *Similiter diligenter obſecro, ut illius epiſtolæ, qua continentur, ut dicunt, interrogationes Auguſtini Pontificis, ac Prædicatoris primi Anglorum, & reſponſiones Sancti Gregorii Papæ, exemplar mihi dirigere curetis, in qua inter cetera capitula continetur, quod in tertia generatione*

neratione propinquitatis fidelibus liceat matrimonia copulare, & ut ſcrupuloſa cautela diligenter inveſtigare ſtudeatis, ſi illa conſcriptio ſupradicta Patris noſtri Sancti Gregorii eſſe comprobetur, an non, quia in ſcrinio Romanæ Eccleſiæ, ut adfirmant Scriniarii, cum ceteris exemplaribus ſupradicti Pontificis quæſita non inveniebatur. Quid ad hæc reſponderit Nothelmus, minime conſtat. Interea liquet, epiſtolam hanc ipſam non ſatis notam fuiſſe Bonifacio Epiſcopo Moguntino, qui tamen genere Anglus erat, & quem potiſſime Anglorum res latere non facile poterant; liquet præterea eundem Bonifacium de veritate ipſius epiſtolæ dubitaſſe, eamque ob rem Nothelmum conſuluiſſe, ut *ſcrupuloſa cautela diligenter inveſtigare ſtuderet*, quæ ſane ſcribendi formula indicat, non ſibi facile Bonifacium perſuadere potuiſſe, ut laudatam epiſtolam Gregorio ſine diſcrimine tribueret; liquet demum epiſtolam ipſam jam tum a Scriniariis Romanæ Eccleſiæ fuiſſe non ſine ſolertia quæſitam, atque inter ceteras Gregorianas epiſtolas non repertam. Suſpicio ſane gravis exinde ſuboritur, qua de epiſtolæ auctoritate dubitemus. Immo & Bedæ ipſius teſtimonium, qui ceteroquin memorato in loco eandem epiſtolam integram refert, non amovet, ſed auget potius dubitationem. Quippe Beda Hiſtoricum agens in Anglia non debuiſſet epiſtolam ſtylo valde effuſam integram deſcribere, ſi vere Gregoriana fuiſſet; cum enim non ſatis eſſet antiqua, & a ſæculo circiter ſcripta, in Anglia tritiſſima fuiſſet, ac pervagata. Quod ſi epiſtolam ipſam ſedulo conſideraveris, agnoſces ſtatim vel ipſam ſcribendi methodum a ceteris Gregorii epiſtolis diſſonare; agnoſces inſuper ejuſmodi interrogationes ab Auguſtino factas, quæ adjunctis temporum non convenirent. Revera Auguſtinus ex veterum Scriptorum teſtimonio Monachus primum, deinde Clericus in Angliam miſſus eſt cauſſa evangelicæ prædicationis. Functus Apoſtolico munere uberrimo cum fructu Anglorum Epiſcopus conſecratus eſt. Quis non videat eas proponi debuiſſe ab Auguſtino interrogationes, quales recens jactæ Fidei cauſſa poſtulabat, ac præſertim de Fidei ejuſdem dogmatibus, de adminiſtratione Sacramentorum, de modis adducendorum Principum Anglorum ad tuendam, promovendamque Religionem, atque his ſimilibus gravioribus novæ illius Eccleſiæ negotiis? At vero alio pertinent, quæ in illa epiſtola interrogationes factæ proponuntur. Prima ſcilicet eſt de diviſione oblationum eccleſiaſticarum, & bonorum omnium inter Epiſcopum, & Clericos facienda, quaſi in hoc potiſſima ſita fuerit Auguſtini Epiſcopi cura, ac ſollicitudo, qua ſuis primum juribus firmandis adverſus Clericos conſuleret, quod turpe ſane fuiſſet Viro Apoſtolico. Immo hæc quæſtio inopportuna videri poterat, utpote quæ jam pridem definita fuerat ex pluribus Pontificum Maximorum decretis, præſertim Papæ Gelaſii, quæ Auguſtinus ignorare non poterat, cum mos eſſet veterum Epiſcoporum, ut ſacros canones, & decreta Pontificum ſtudio aſſiduo proſequerentur. Secunda interrogatio ſpectat continentiæ leges a Clericis cuſtodiendas. Sequentes vero interrogationes editæ ſunt de furibus rerum eccleſiaſticarum, de Epiſcopis ad Synodum convenire non volentibus, de mulieribus menſtrua patientibus, aliiſque ſimilibus cauſſis, quas nemo non videt ab adjunctis & locorum, & temporum alienas; vel enim iſta ad rem parum faciebant, vel adeo trita erant, ut non poſſent ab Auguſtino in Epiſcopatus ordine conſtituto, atque ob eximiam rerum ſacrarum peritiam ad prædicandum Evangelium miſſo ignorari. Præter hæc plura exhibentur a Gregorio ſcripta, quæ vel non conſonant illorum temporum moribus, vel perperam Anglorum gentibus recens converſis accommodarentur.

Digitized by Google

darentur. Hinc in reſponſione ad primam interrogationem dicitur, quartam redituum eccleſiaſticorum portionem in *Eccleſiis reparandis* impendendam eſſe. Decuiſſet prorſus ſcribere impendendam *in Eccleſiis ædificandis*. Ubi enim agitur de gente recens ad Fidem converſa, non opus eſt reparatione, ſed ædificatione Templorum. Item in reſponſione ad decimam interrogationem tradit Gregorius, Romanorum antiquum uſum fuiſſe, ut viri poſt *admixtionem propriæ conjugis* & lavacro ſe purgarent, & paullulum ab ingreſſu Eccleſiæ reverenter abſtinerent, quæ ſane diſciplina in nullo vetere Romanorum monumento demonſtrari poteſt, & eruditis omnibus inaudita. Quis itaque poſt tot animadverſiones poterit Gregorio Magno memoratam epiſtolam ſine ullo errandi periculo adſerere? Ego ſane jure me concludere arbitrabor, quoties eidem epiſtolæ non indubiam auctoritatem ineſſe dicam, ita ut nequeat ex illa ſolidum ad res eccleſiaſticas demonſtrandas, firmandaſve argumentum deduci. His autem generaliter prænotatis recenſenda ſunt Gratiani capita ex illa depromta, ac cum eadem epiſtola, cujuſcumque tandem ſit auctoritatis, conferenda.

Itaque in interrogatione 1. perhibetur Auguſtinus ſciſcitatus, in quot portiones dividenda forent eccleſiaſtica bona? Quæ reſpondiſſe Gregorius fertur, leguntur in can. 30. cau. 12. qu. 2., cujus verba omnino cum ipſa epiſtola conſonant, imo etiam conſonant cum ſententiis Gelaſii in epiſtola ad Epiſcopos Lucaniæ, cujus fragmentum habemus in can. 27. cau. 12. qu. 2. Poſt verba memorati canonis 30. ſtatim in eadem reſponſione ſubſequuntur verba canonis 8. cau. 12. qu. 1., ab initio uſque ad verſiculum *ſi qui vero*; qui verſiculus pertinet ad reſponſionem ſecundæ interrogationi ita conceptæ: *opto etiam doceri, an clerici continere non valentes poſſint contrahere, & ſi contraxerint, an debeant ad ſæculum redire*? Hinc ſequitur Gregorii reſponſio: *Si qui vero ſunt clerici, &c.* Sane, ut adnotant Monachi Maurini, verba interrogationis in quibuſdam veteribus MSS. deſiderantur, ſolaque reſponſio exhibetur, adſuta reſponſioni præcedenti ſub prima interrogatione. Hinc facile arbitrari quiſpiam poterit, Gratianum ſimilia epiſtolæ exemplaria ſequutum fuiſſe in memorato canone 8., in quo utramque reſponſionem uno contextu exhibuit. Obſervandum etiam eſt, in verſiculo *communiter autem viventibus*, ita legendum eſſe ex editione Maurinorum: *communi autem vita viventibus*, & paullo inferius pro illis verbis: *quod ſupereſt in cauſſis piis, &c.*, legendum eſſe: *quod ſupereſt neceſſitatibus in cauſſis piis &c.* Eadem propemodum verba jampridem deſcripſerat Gratianus in can. 3. diſt. 32.

Can. 30. cau. 12. qu. 2.

Can. 8. cau. 12. qu. 1. & Can. 3. diſt. 32.

Tertia interrogatio his verbis exprimitur: *cur cum una ſit fides, ſunt eccleſiarum conſuetudines tam diverſæ? Et altera conſuetudo Miſſarum eſt in Romana Eccleſia, atque altera in Galliarum Eccleſiis tenetur*? Reſponſionem legimus in can. 10 diſt. 12. ubi pro illis verbis *colligere poteris . . . . loca amanda ſunt*, legendum eſt: *colligere potuiſti . . . loca nobis amanda ſunt*. Præterea in poſtremis illis verbis, *in conſuetudinem depone*, non omnes conſonant veteres codices, quorum aliqui potius ita exhibent, *in conſuetudinem diſpone*. Inducitur ibi Gregorius Auguſtinum monens, at in nova Anglicanæ Eccleſiæ inſtauratione diſciplinam in diverſis Eccleſiis variam conſideraret, quodque melius, convenientiuſque inveniret ubicumque, illud colligeret, collectumque in recenti Eccleſia ſtabiliret. Conformis huic ſententiæ fuerat olim ſententia Ambroſii in lib. 3. de Sacramentis cap. 1. ita ſcribentis: *in omnibus cupio ſequi Eccleſiam Romanam: ſed tamen & nos homines ſenſum habemus; ideo quod alibi rectius ſervatur, & nos recte cuſtodimus.* En

Can. 10. diſt. 12.

Digitized by Google

Can. 11. cau. 12. qu. 2. En quartam interrogationem: *Obſecro, quid pati debeat, ſi quis aliquid de Eccleſia furto abſtulerit?* Reſponſio legitur in can. 11 cau. 12. qu. 2., ubi in poſtremo verſiculo ita legendum erit: *addis etiam, quomodo ea, quæ furto de Eccleſiis abſtulerunt, reddere debeant, ſed abſit, quod Eccleſia cum augumento recipiat, quod de terrenis rebus videtur amittere, & lucra de damnis quærat*. Quæ hoc in loco traduntur, perſpicue adverſari videntur illis, quæ legimus in can. 7. 8., & 9. cau. 12. qu. 2., item in can. 21. cau. 17. qu. 4. verum ubi agitur de monumentis hujuſmodi ſpuriis, aut quorum aliqua ad poſteriora tempora pertinent, non eſt mihi elaborandum, ut alia cum aliis concilientur.

Can. 20. cau. 35. qu. 2. Quintam interrogationem, eique accommodatam reſponſionem Gratianus omiſit, ſextam interrogationem attigit ita conceptam: *uſque ad quotam generationem fideles debeant cum propinquis ſibi conjugio copulari, & novercis, & cognatis ſi liceat conjugio copulari*. Attigit autem, ubi retulit reſponſionem Gregorii in can. 20. cau. 35. qu. 2., ubi tamen pro illis verbis, *ut ſive fratris, & ſororis* legendum eſt: *ut fratris, ſive ſororis*. Et in verſiculo *unde neceſſe &c.*, ita legendum erit: *unde neceſſe eſt, ut jam tertia, vel quarta generatio fidelium licenter ſibi jungi debeat*. Quæ vero poſt hæc verba ſubſequuntur, ad eandem epiſtolam minime pertinent, ſed potius ad epiſtolam, quæ ſcripta fertur ad Felicem Meſſanum, quæ ſuo in loco apocrypha demonſtratur. Imo & ibidem quædam ſunt ex codicibus notæ melioris emendanda; etenim ubi Gratianus legit: *De ſanguinis conjunctione . . . ſpecialiter, & generaliter ceteris me certiſſime ſcripſiſſe cognoſcas . . . docere, & verbis . . . ſed aliquantulum firmaretur*, ita legendum erit: *De conſanguinitatis conjunctione . . . ſpecialiter, & non generaliter ceteris me ſcripſiſſe cognoſcas . . . docere, inſtare, & verbis . . . ſed cœptum firmaretur*. Ceterum quæ ibi traduntur de conjugiis ineundis in tertia, aut in quarta generatione Auguſtino, ſive etiam in ulteriori gradu Felici tradita, jam ſuperius demonſtratum eſt ab ætate Gregorii omnino diſtare, quemadmodum unuſquiſque agnoſcere poterit ex iis, quæ diſſerui ad canonem 2. cau. 35. qu. 8. Unum tantum hoc in loco adjiciam, quod nonnihil luminis adferre ad hunc canonem poterit, depromtum ſcilicet ex Concilio Romano ſub Zacharia Pontifice anni 743., in quo inter cetera ita legitur cap. 15. *Sed neque hoc ſilendum eſt, quod in Germaniæ partibus ita diu vulgatum, quod in archivo noſtræ Sanctæ Eccleſiæ ſcriptum minime reperimus, ipſis tamen aſſerentibus hominibus de Germaniæ partibus didicimus, quod beatæ recordationis Sanctus Gregorius Papa, dum eos ad religionem Chriſtianitatis divina gratia illuſtraret, licentiam illis dediſſet in quarta ſe copulare generatione, quod quidem Chriſtianis licitum non eſt, dum uſque ſe cognoverint, ſed dum rudes erant, & invitandi ad fidem quamquam minime ſcriptum, ut dictum eſt, reperimus, credere non ambigimus. Deo autem largiente, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, præteritis annis literas miſerunt Archiepiſcopi, & Reges Provinciæ illius, petentes Apoſtolica præcepta, qualiter liceat eis conjugia copulare, & quomodo debeant obſervare. Quibus quantum Dominus dare dignatus eſt, admonitionis præcepta direximus.*

Can. 6. diſt. 80. Omiſſa cum Gratiano ſeptima interrogatione ad octavam progredior ita conceptam: *peto, ſi longinquitas itineris magna interjacet, ut Epiſcopi facile non poſſint convenire, an debeat ſine aliorum Epiſcoporum præſentia Epiſcopus ordinari?* Reſponſio legitur in canone 6. diſt. 80., cujus verba ita ex integris epiſtolæ exemplaribus ſupplenda erunt, atque emendanda. *Et quidem etiam in Anglorum Eccleſia, in*

qua

qua adhuc ſolus tu Epiſcopus inveniris, ordinare Epiſcopum non aliter, niſi cum Epiſcopis, potes. Nam quando de Galliis Epiſcopi veniunt, illi in ordinationem Epiſcopi teſtes tibi adſiſtant. Sed Fraternitatem tuam ita volumus in Anglia Epiſcopos ordinare, ut ipſi ſibi Epiſcopi longo intervallo minime disjungantur; quatenus nulla ſit neceſitas, ut in ordinatione alterius Epiſcopi convenire non poſſint. Paſtorum quoque aliquorum præſentia valde eſt utilis; ut facillime debeat convenire. Cum igitur Deo auctore ita fuerint Epiſcopi etiam in propinquis ſibi locis ordinati, per omnia Epiſcoporum ordinatio ſine aggregatis tribus, vel quatuor Epiſcopis fieri non debet.

Nona interrogatio hæc eſt: *Poſtulo etiam, qualiter debeamus cum Galliarum, atque Britannorum Epiſcopis agere.* Reſcriptum legimus in can. 3. cau. 25. qu. 2., necnon in can. 1. cau. 6. qu. 3., quorum canonum verba ita exigenda erunt, ut cum integris epiſtolæ codicibus conſonent. *In Galliarum Epiſcopos* (hæc habentur in memorato canone 3.) *nullam tibi auctoritatem tribuimus, quia ab antiquis Prædeceſſorum meorum temporibus pallium Arelatenſis Epiſcopus accepit, quem nos privare auctoritate percepta minime debemus. Si igitur contingat ut Fraternitas tua ad Galliarum Provincias tranſeat, cum eodem Arelatenſi Epiſcopo debet agere, qualiter, ſiqua ſunt in Epiſcopis, vitia corrigantur. Qui forte in diſciplinæ vigore tepidus exiſtat, tuæ Fraternitatis zelo accendendus eſt. Cui etiam epiſtolas fecimus, ut cum tuæ ſanctitatis præſentia in Galliis fuerit, ei ipſe tota mente ſubveniat, ut quæ ſunt Creatoris noſtri juſſioni contraria, ab Epiſcoporum moribus compeſcat. Ipſe autem ex auctoritate propria Epiſcopos Galliarum judicare non poteris, ſed ſuadendo, blandiendo, bona quoque tua opera eorum imitationi monſtrando, pravorum mentes ad ſanctitatis ſtudia reforma, quia ſcriptum eſt in lege*: (habentur hæc in memorato can. 1.) *per alienam meſſem tranſiens falcem mittere non debet, ſed manu ſpicas conterere, & manducare. Falcem ergo judicii mittere non potes in eam ſegetem, quæ alteri videtur eſſe commiſſa; ſed per effectum boni operis frumenta dominica vitiorum ſuorum paleis expolia, & in Eccleſiæ corpus monendo, & perſuadendo, quaſi mandendo converte. Quidquid vero ex auctoritate* (rurſum hæc reperies in memorato canone 3.) *agendum eſt, cum prædicto Arelatenſi Epiſcopo agatur, ne prætermitti poſſit hoc, quod antiqua Patrum inſtitutio invenit. Britanniarum vero omnium Epiſcoporum curam tuæ Fraternitati committimus, ut indocti doceantur, infirmi perſuaſione roborentur, perverſi auctoritate corrigantur.*

Can. 3. cau. 25. qu. 2. & Can. 1. cau. 6. qu. 3.

Decima Auguſtini interrogatio plurima capita comprehendit. Primum num prægnans mulier debeat baptizari; ſecundo, poſtquam genuerit, quamdiu debeat ab ingreſſu Eccleſiæ abſtinere; tertio, poſt quot dies debeat infans recens natus baptizari; quarto, poſt quæ tempora liceat viro uxori recens enixæ conjungi; quinto, an menſtruo tempore poſſit femina Eccleſiam ingredi, & ad Euchariſtiæ Sacramentum accedere; ſexto demum, an vir, qui ſuæ conjugi nuper conjunctus eſt, poſſit ante, quam lavetur aqua, Eccleſiam ingredi, & Sacramentum Divinæ Menſæ ſuſcipere. Sane non erat, uti ſuperius animadvertebam, de hiſce rebus Pontifex Maximus interrogandus, erant enim ex illis plurimæ paſſim obviæ, ac planæ, nonnullæ etiam ex ipſis inconcinnæ, & extra diſciplinam eccleſiaſticam. Fertur autem Gregorius primæ interrogationi reſpondiſſe, mulierem prægnantem baptizari poſſe; ſecundæ quid reſponderit, exhibetur in can. 1. & 2. diſt. 5. his verbis: *Cum vero enixa fuerit mulier, poſt quot dies debeat Eccleſiam intrare, teſtamenti veteris præceptione didiciſti, ut pro maſculo* XXXIII. *diebus, pro femina vero* LXVI. *diebus debeat abſtinere. Quod tamen ſciendum eſt, quia in myſterio accipitur. Nam ſi* Can. 1. & 2. diſt. 5.

Digitized by Google

eadem hora, quæ genuerit, actura gratias intret Eccleſiam, nullo peccati pondere gravatur. Voluptas etenim carnis, non dolor in culpa eſt. In carnis autem commixtione voluptas eſt, in prolis vero partu dolor, & gemitus. Unde & ipſi primæ matri omnium dicitur: in doloribus paries. Si itaque enixam mulierem prohibemus Eccleſiam intrare, ipſam ei pœnam ſuam in culpam deputamus. Legunt nonnulli ex veteribus MSS. *in culpam duplicamus*. Quæ tertiæ interrogationi reſpondent, leguntur in Can. 3. diſt. 5. canone 3. diſt. 5., quem etſi Romani Correctores ad vulgaria epiſtolæ exemplaria exegerint, nonnihil tamen adhuc ſupererit emendandum iis, qui Maurinorum editionem ſequi maluerint; etenim pro illis verbis Gratiani: *Baptizari autem vel enixam mulierem, vel hoc, quod genuerit, ſi periculo mortis urgetur .... interveniente paullulum mora inveniri non valeat, qui redimatur*, legunt Maurini Monachi: *Baptizari autem vel enixam mulierem, vel hoc, quod genuerit ſine mora, ſi mortis periculo urgetur .... interveniente paullulum morte inveniri non valeat, qui redimatur.*

Can. 4. diſt. 5. Can. 7. cau. 33. qu. 4. Quartæ, quintæve quæſtioni quomodo auctor epiſtolæ ſatisfecerit, legimus in can. 4. diſt. 5., cujus verba integra prorſus apud Gratianum referuntur. Quæ demum ad ſextam quæſtionem pertinent, traduntur in canone 7. cau. 33. qu. 4., ubi tamen pro illis Gratiani verbis: *De legitimo matrimonio ſuſceptus fuerat*, ita legitur: *De legitimo conjugio natus fuerat*. Quod ibidem memoratur de Romana conſuetudine, juxta quam viri ſe lavarent ante ingreſſum Eccleſiæ, putam fabellam exhibet, cum nullum ſit veterum monumentum, in quo diſciplinæ hujus ne leviſſimum quidem veſtigium dignoſcatur.

Can. 1. & 2. diſt. 6. Supereſt undecima, ac poſtrema Auguſtini interrogatio ita concepta: *Quære etiam, ſi poſt illuſionem, quæ per ſomnium ſolet accidere, vel Corpus Domini quilibet accipere valeat, vel, ſi Sacerdos ſit, ſacra Myſteria celebrare*. Hanc eiſdem etiam verbis quæſtionem movet Gratianus in diſt. 6., licet longe aberrans a propoſito ſuo, ubi canone 1. & 2. retulit integram fere reſponſionem, quæ in Gregoriana hac epiſtola legitur. Heic autem priora canonis verba ita erunt legenda: *Hunc quidem teſtamentum veteris legis, ſicut in ſuperiori capitulo jam diximus, pollutum dicit, & niſi lotum aqua etiam uſque ad veſperam intrare Eccleſiam non concedit. Quod tamen tunc ſpecialiter ad illum populum, ſpiritaliter autem intelligens ſub eodem intellectu accipiet, quo præfati ſumus, quia quaſi per ſomnium illuditur, qui tentatus immunditia, &c.* In verbis poſterioribus, ubi legitur: *Qua ſubtiliter .... ex naturæ ſuperfluitate & infirmitate ... aut dies exigit ... abſtinere ... ſi tamen dormientem turpi imaginatione illuſio non concuſſerit*, ita potius legendum erit: *Quia valde ſubtiliter ... ex naturæ ſuperfluitate, vel infirmitate ... aut dies feſtus exigit ... abſtineri ... ſi tamen dormientis mentem turpis imaginatio non concuſſerit*. In verſiculo *Qua in re* ita erit legendum: *Qua in re unum ibi oſtenditur, ipſa mens rea non tunc vel ſuo judicio libera, cum ſe & dormiente corpore nihil meminit vidiſſe, tamen in vigiliis corporis meminit in ingluviem cecidiſſe. Si vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur illuſio in mente dormientis, patet animo ſuus reatus. Videt enim a qua radice inclinatio illa proceſſerit, qui, quod cogitavit ſciens, hoc pertulit neſciens*. Quæ deinde ſubſequuntur apud Gratianum: *Et propter talem pollutionem a ſacro myſterio ea die abſtinere oportet*, in epiſtola ipſa non leguntur, ſuntque potius additamentum Collectoris, aliquid ad rem propoſitam ex iis, quæ ſuperius deſcripſerat, inferentis. Poſt illa verba, *hoc pertulit neſciens*, ſtatim ſequitur: *Sed penſandum eſt*, &c., quæ leguntur in canone 2. diſt. 6., ubi tamen pro illis verbis: *Inter ſuggeſtionem*,

Google

ſtionem, *delectationem*, *& conſenſum judex*, *&c.*, ita potius legendum erit: *Inter ſuggeſtionem*, *& delectationem*; *inter delectationem*, *& conſenſum judex*, *&c.* Item in verſiculo *ſi autem captivus*, ita legendum erit: *Si autem captivus erat*, *minime pugnabat*: *ſed & pugnabat*: *quapropter captivus non erat*; *& pugnabat igitur lege mentis*, *cui lex*, *quæ in membris eſt*, *repugnabat*. *Si hoc pugnabat*, *captivus erat*. *Ecce itaque*, *&c.* Quæ in hoc ipſo canone leguntur, videntur congruere cum iis, quæ traduntur in cap. 25. lib. 4. Moralium apud Gregorium Magnum, ibi: *Quatuor quippe modis peccatum perpetratur in corde*, *quatuor conſummatur in opere*. *In corde namque ſuggeſtione*, *delectatione*, *conſenſu*, *& defenſionis audacia perpetratur*. *Fit enim ſuggeſtio per adverſarium*, *delectatio per carnem*, *conſenſus per ſpiritum*, *defenſionis audacia per elationem*, *&c.* Eadem fere traduntur in homil. 16. in Evangelia, ibi: *Sed ſciendum nobis eſt*, *quia tribus modis tentatio agitur*, *ſuggeſtione*, *delectatione*, *& conſenſu*; quæ ideo huc loci Gregorii teſtimonia adduxi, ut indicarem memoratum canonem 2., etſi dubiæ ſit auctoritatis, plurimum tamen cum aliis Gregorii ſententiis convenire.

Dŭo adhuc Gratiani fragmenta ſuperſunt expendenda, quæ licet ex epiſtola Gregorii ad Auguſtinum laudentur, in illa tamen minime reperiuntur, qualia ſunt canon 6. diſt. 4., & canon 2. cau. 20. qu. 1.

Quod in primis attinet ad canonem 6. diſt. 4. Eruditi omnes jure, ac merito Can. 6. diſt. 4.
arbitrantur, illum apocryphum eſſe, quod vel unum Quinquageſimæ celebrandæ argumentum evincit. Etenim in Eccleſia Quinquageſima demum obſervari cœpit poſt editas Iſidori Mercatoris pſeudoepiſtolas decretales, præſertim vero epiſtolam Teleſphori, cujus fragmentum eſt in can. 4. diſt. 4., immo in Concilio Aurelianenſi I., & IV. prope tempora Gregorii Magni celebrato Quinquageſimæ uſus, quem tum nonnulli novitatis amatores adverſus generalem Eccleſiæ diſciplinam inducere ſategerant, interdictus eſt; ac tum demum receptum fuiſſe ſuo tempore agnovit Alcuinus octavi ſæculi Scriptor in libro de eccleſiaſticis officiis. Ceterum nuper memoratum Gregorii nomine fragmentum in nullis veteribus Gregorii Codicibus ſive editis, ſive MSS. reperitur, eo autem minus in epiſtola ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum, quemadmodum tradit Gratianus. Hinc Maurini Monachi hoc ipſum monumentum ad calcem Gregorianorum operum rejecerunt, profeſſi, ſe nullibi illud reperiſſe. Quomodo vero hoc fragmentum Gregorio tribui potuerit, forte ex eo putaverim, quod ſimilia quamplurima legantur de Quinquageſimæ obſervatione, item de quadrageſimali abſtinentia a carnibus, lacte, ovis, & ſumtuoſioribus marinarum belluarum conviviis in Regula S. Benedicti cap. 49. Cum enim Regula S. Benedicti maximo in honore habita, probatiſſimaque fuerit apud Gregorium Magnum, facile evenire potuit recentiore ætate, ut quæ in eadem Regula præſtituerentur, quaſi ex auctore Gregorio laudarentur. Perbelle heic juvat referre, quod lepide ſcribit Johannes Baptiſta Mantuanus in ſuo Poemate de Quadrageſima alludens ad id, quod ex Gregorio Magno in memorato canone 6. refertur de permiſſo minutorum piſcium eſu quadrageſimali tempore, ac ſumtuoſioribus marinarum belluarum conviviis interdictis, ibi:

Non tamen illicitum piſces adhibere minutos:
Gregorius Magnus prohibet, ſed longior uſus
Obſtitit, & ponti pecuaria magna per omnes
Jam volitant procerum menſas, & prandia Regum:
Sordida Gregorii leges obſervat egeſtas.

Can. 10. cau. 2. qu. 2. Ex epiſtola etiam Gregorii Magni ad Auguſtinum Anglorum laudatur canon 2. cau: 20. qu. 1., verum hujus canonis originem jam perſpicue indicaverunt Correctores Romani, aſſerentes illum legi in epiſtola 4. Gregorii III. ad Bonifacium Legatum Germaniæ, & ſimile quidpiam haberi in Concilio Vormacienſi cap. 22. Revera Bonifacius Epiſcopus exhibetur apud Collectores ita quæſiviſſe a Gregorio III. *Si pater, aut mater filium, filiamve intra ſepta monaſterii in infantiæ annis ſub regulari tradiderint diſciplina, utrum liceat eis, poſtquam pubertatis annos impleverint, egredi, & matrimonio copulari.* Reſpondit autem Gregorius: *hoc omnino devitamus, quia nefas eſt, ut oblatis a parentibus Deo filiis voluptatis fræna laxentur.* Itaque partim ex interrogatione Bonifacii, partim ex reſponſione Gregorii III. memoratus canon 2. compoſitus eſt, & ideo forte Gregorio Magno tributus, vel quod idem Pontificis auctoris nomen occaſionem errrandi dederit Collectoribus, vel quod Gregorius idem Magnus de rebus monaſticis ſingularem ſollicitudinem geſſit. Non debeo tamen omittere hoc in loco, Gratianum in quæſtione 1. cauſſa 20. diſputare, num poſſint parentes ita filios ſuos impuberes, imo etiam infantes monaſterio tradere, ut non liceat amplius eiſdem filiis a monaſterio, cui ſemel addicti fuerunt, etiam poſt pubertatem divertere; verum adductis hinc illinc veterum Sanctorum Patrum teſtimoniis hæſitare adhuc, ut nihil omnino concludat. Nolo in præſentia, ne fuſior fiat oratio, inveſtigare, quid ſinguli interpretes canonum, præſertim recentiores, in hac ſpecie tradiderint. Dicam dumtaxat paucis, quod ipſe ſentio. Nimirum ſancti Patres juxta principia juris, quæ illorum erant recepta temporibus, canonum definitiones edidere, præſertim ubi definitiones canonum a civilis juris principiis pendere quodammodo videbantur; eamque obrem ubi ejuſdem juris civilis principia immutari debuerunt, mutationi quoque obnoxiæ fuerunt eccleſiaſticæ ſanctiones. Nemo ignorat, quale quantumque fuerit olim jus patriæ poteſtatis, eo etiam productum, ut parentes impune filios ſuos exhæredare, exponere, abdicare, vendere, imo etiam occidere poſſent, argumento l. 11. ff: de liberis, & poſthumis. Quis in tanta parentum poteſtate non probaſſet, parentes ipſos potuiſſe etiam vi adhibita filios ſuos perpetuo in monaſteria detrudere? Id decuit admitti penes eccleſiaſticos Patres, qui meliorem ea ratione filiis conditionem quæri a parentibus intuebantur, ubi parentes eos divino penitus ſervitio addicerent, quos potuiſſent a familia repellere, alienæ ſervituti ſubjicere, aliquando etiam vita privare. Inflexa deinde fuit, ac tandem coercita parentum poteſtas nimis arcta, & ſevera, ac filii in naturalem propemodum libertatem evadentes ab jugo graviſſimo erepti reſpirarunt. Quid ni & in his temporum, ac cauſſarum adjunctis alia penes viros eccleſiaſticos prudentia reciperetur, qua fieret, ut in liberorum admiſſionibus ad monaſteria proprius eorundem, ac liber conſenſus accederet? Itaque minime ego dubitaverim ita dirimendam quæſtionem hanc eſſe, ut pro variis temporum adjunctis varia quoque in hac parte invecta fuerit diſciplina, alicubi aſperior, mitior alicubi, alibi citius, ſerius alibi immutata, prout aut mitior, aut aſperior patria poteſtas fuerit, prout etiam aſperior illa parentum auctoritas aut ſocius fuit, aut ſerius imminuta.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO XVIII.

De epiſtolis ad Afros.

De epiſtola ad Epiſcopos Concilii Bizaceni.

Can. 46. cau. 2. qu. 7.

Ex ſeptem Provinciis, quibus Africana Eccleſia conſtabat, una erat Bizacena, cui tamquam Primas Clematius Epiſcopus præſidebat. Cum vero Clematius idem de graviſſimis criminibus accuſaretur, juxta veterum conſuetudinem, præſertim Africanæ Eccleſiæ, ad Synodum Provincialem deducta eſt cauſſa. Eam ob rem convenientes totius Provinciæ Epiſcopi epiſtolam receperunt a Gregorio Magno (in vulgari editione 37. lib. 10., apud Maurinos 32. lib. 12.), qua moniti ſunt, ut ſumma diligentia cauſſam diſcuterent, ac ſententiam dicerent. Ex hac epiſtola depromtus eſt canon 46. cau. 2. qu. 7., qui cum ſit apud Gratianum nonnihil corruptus, ita erit ex optimis epiſtolæ Gregorianæ exemplaribus emendandus. *Sicut laudabile, diſcretumque eſt, reverentiam, & honorem debitum exhibere prioribus, ita rectitudinis, & Dei timoris eſt, ſiqua in eis correctione indigent, nulla diſſimulatione poſtponere, ne totum, quod abſit, corpus incipiat morbus invadere, ſi languor non fuerit curatus in capite. Ante multum ſiquidem temporis quædam ad nos de Fratre noſtro Clematio Primate veſtro perlata ſunt, quæ cor noſtrum non modico mœrore tranſfigerent. Sed prementibus diverſis tribulationibus, & maxime circumſævientibus hoſtibus ea nobis non fuit ſpatium requirendi. Et quoniam ita ſunt gravia, ut tranſiri indiſcuſſa nullo modo debeant, Fraternitatem veſtram his hortamur affatibus, ut cum omni ſollicitudine, ac vivacitate veritatis indagare ſubſtantiam multis modis debeatis, ut aut ſi ita ſunt ultione canonica reſecentur, aut ſi falſa, Fratris noſtri innocentia diu ſub nefandæ opinionis dilaceratione non jaceat. Unde ut non quis deſidiæ torpor in requiſitione ſit, admonemus, ut non cujuſquam perſonæ gratia, non favor, non blandimenta, vel quodlibet aliud quemquam veſtrum vel ad diſcutiendum quæ nobis nunciata ſunt, molliat, vel a tramite veritatis excutiat; ſed ſacerdotaliter ad inveſtigandam vos propter Deum veritatem accingite. Nam ſiquis in hoc aut piger eſſe, aut negligentem ſe præſumſerit exhibere, dictis criminibus apud omnipotentem Deum ſe noverit eſſe participem, cujus zelo ad perſcrutandas ſubtiliter nefandi cauſſas facinoris non movetur.*

De epiſtolis ad Columbum Epiſcopum Numidiæ.

Columbum Numidiæ Epiſcopum tamquam prudentiſſimum, æquique conſilii virum laudavit Gregorius in epiſtola ad Adeodatum Numidiæ Primatem, de qua inferius agendum erit. Ad eundem vero Columbum duplex exhibetur Gregorii epiſtola. Prior eſt 48. lib. 3. apud Maurinos, & 47. lib. 2. in vulgari editione, qua Gregorius Africanum Antiſtitem monet, ut in Synodo ſollicitus ſit de cuſtodienda canonum diſciplina, in ea præſertim parte, quæ clericorum ordinationes ſpectat. Eo referendus eſt canon 120. cau. 1. qu. 1., cujus priora verba ita legenda

Can. 120. cau. 1. qu. 1.

Digitized by Go

genda ſunt: *Itaque erga Primatem Synodi tuæ eſto ſollicitus, ut pueri ad ſacros Ordines &c.* Ratio autem, quare pueri arcendi ab eccleſiaſticis ordinibus eſſent, multiplex a Gregorio redditur, videlicet puerorum eorundem inſcitia, imprudentia, ambitus, favor, ac demum avaritia, quæ hujuſmodi ordinationes corrumpere ſolet.

Can. 7. Alia eſt ad eundem Columbum Gregorii epiſtola apud Maurinos 8. lib. 12., &
diſt. 56. in vulgari editione 8. lib. 10. ubi queritur Sanctus Pontifex de cauſſa Donadei Diaconi, qui injuſte a quibuſdam damnatus fuerat, atque a gradu ſuo dejectus; unaque Columbum monet, ut in eandem cauſſam ſolerter inquirat, addens rationem, quæ a Gratiano integra refertur in canone 7. diſt. 56.

De epiſtola ad Dominicum Carthaginenſem.

Can. 8. Ad Dominicum Carthaginenſem Epiſcopum ſcripta eſt Gregorii epiſtola 39.
cau. 25. lib. 2. in vulgari, & 47. ejuſdem libri in Maurina editione; ubi inter cetera
qu. 2. Sanctus Pontifex ſermonem inſtituit de juribus privilegiorum eccleſiaſticorum tuendis, de quibus generaliter fuerat a Dominico interrogatus. Huc pertinet canon 8. cau. 25. qu. 2., ubi pro voce illa *derogabo* animadverterunt Maurini Monachi legendum eſſe *derogo*.

De epiſtolis ad Gennadium Patricium, & Exarchum.

Can. 48. Duplex eſt in Gregorianis codicibus epiſtola ad Gennadium Patricium, & Exar-
cau. 23. chum Africæ. (Exarchus in Africa dicebatur, qui Imperatoria auctoritate toti
qu. 4. Africanæ Provinciæ Præfectus erat, dictus ita, quaſi ex Principis latere miſſus). Prior eſt epiſtola 72. in vulgari, & 74. in Maurina editione lib. 1., ubi Gregorius Gennadium laudat, quod Imperatoria auctoritate hæreticis in Africa obſiſteret oppoſitis armis; eundemque etiam monet, ut dum Concilium totius Africæ erat celebrandum, illud curaret definiendum, ut non in parvis, ut olim, ſed in ſpectabilibus urbibus Primatum dignitates conſtituerentur. Siquidem in Africa vetus obtinuerat diſciplina, qua inter Epiſcopos ille Primas haberetur, qui ordinatione ſua ſenior, & antiquior ceteris eſſet; atque hinc vaga erat Primatum ſedes, quandoque etiam in inferiores Civitates tranſlata. Quum vero exinde nonnulla ſuborirentur incommoda, diſciplinam immutandam ſuaſit Gregorius, quemadmodum etiam conſulendum ſcripſit illi diſciplinæ etiam in Africa receptæ, qua interdicebatur Epiſcopis Africanis, ne ad Apoſtolicam Sedem accederent, expeterentque judicia tranſmarina, quemadmodum veteres Africanæ Eccleſiæ canones poſtulabant. Integra hæc epiſtola legitur in canone 48. cau. 23. qu. 4., ubi tamen pro illis Gratiani verbis: *oportet etiam inimicis . . . . meliori ingenio . . . magis profecto excellentiæ veſtræ . . . . per eum religionis . . . quod brachium . . . velut mucrone &c.* legendum erit juxta optimos Maurinorum codices: *oportet eam inimicis . . . meliori genio . . . magno profectu excellentiæ veſtræ . . . . per ea religionis . . . qui brachium . . . velut mucronem &c.*

In

In canone 49. cau. 23. qu. 4. legitur maxima pars alterius epiſtolæ, quæ eſt 73. in vulgari, & 75. in Maurina editione lib. 1., ubi Sanctus Pontifex eundem Gennadium laudat, quod alacriter pro fide, ac religione tuenda arma ſuſcepiſſet, imo & armorum vi maximum eidem fidei incrementum adtuliſſet. Nonnnulla tamen emendanda ſunt apud Gratianum. Etenim pro illis verbis; *in futuram vitam cæleſtium gaudiorum participatione . . . Principis excellentiam . . . largitis Dacorum habitationibus reſtauraverit . Quæcumque igitur hic illi chriſtianiſſima mente confertis, &c.*, in integra Gregorii epiſtola ita legitur juxta codices vulgatos: *in futura cæleſtium gaudiorum participatione . . . Principis utilitatibus excellentiam . . . largitis datititiorum habitatoribus reſtauraſſet; quæcumque igitur illi Chriſtiana mente confertis, &c.* Mihi non diſplicet illorum opinio, qui corruptam eſſe editionem aſſerunt in voce illa *datititiorum* utpote ſatis obſcura, & potius legendum putant *daratitiorum*, quorum ſane nomine intelligemus populos Africanæ Provinciæ finitimos, ſive ditionis illius, quæ *Dara* adpellatur. Can. 49. cau. 23. qu. 4.

De epiſtola ad Epiſcopos Numidiæ.

Nuper ajebam, receptiſſimum fuiſſe in Africa morem, ut Primates eccleſiaſtici non ex dignitate Civitatis, ſed ex ſenio Epiſcoporum Comprovincialium conſtituerentur. Hinc non ſolum eveniebat, ut Primas quandoque in humili Civitate ſederet, verum etiam Primatis honorem obtinerent Epiſcopi, qui cum olim apud Donatiſtas defeciſſent, deinde ad Catholicam Fidem reverſi in ſuum Epiſcopatum reſtituti fuerunt; hi etenim ſi ætate ceteros antecellerent, Primatus honorem poſtulabant. Perniciosum id evenire poſſe Eccleſiis apprime novit Gregorius, quamobrem ſcribens ad omnes Numidiæ Epiſcopos epiſtola apud Maurinos 77., in vulgari editione 75. lib. 1., non improbavit quidem Africanæ Eccleſiæ uſum, quo fiebat, ut priores tempore in honore Primatus potiores haberentur, ſed probare non potuit, ea occaſione Epiſcopos olim Donatiſtis adhærentes ad Primatum adſpirare, quibus illud ſatis eſſe poterat, ut in priſtino gradu recepti fuerint. Huc pertinet canon 8. diſt. 12., ubi tamen pro verbis illis: *Conſtituendis ſive de ceteris capitulis . . . plebis curam gerere . . . . ad obtinendum culmen Primatus anteire*, legendum potius eſt: *Conſtituendis, ceteriſque capitulis . . . plebis tantummodo curam gerere . . . ad obtinendi culmen Primatus anteire.* Can. 8. diſt. 12.

De epiſtola ad Adeodatum Numidiæ Epiſcopum.

Ex epiſtola ſuperius memorata ad Columbum Numidiæ Epiſcopum intelleximus, quam ſollicitus Gregorius fuerit, ut in Numidia Provincia ſacræ ordinationes ſolius eccleſiaſticæ utilitatis intuitu celebrarentur, non favor, non ambitus, non pecunia intercederet. Idipſum urget Gregorius in epiſtola ad Adeodatum Numidiæ Primatem, in vulgari editione 48. lib. 2., apud Maurinos 49. lib. 3., ex qua depromtus eſt canon 119. cau. 1. qu. 1., hodie a Romanis Correctoribus maxima in parte emendatus. Maurini Monachi voluerunt in illis verbis *ordines, niſi, &c.*, legendum eſſe, *ordines adſpirare, niſi, &c.*, item pro verbo *ſubrepat*, legendum maluerunt *ſubripiat*. Can. 119. cau. 1. qu. 1.

SECTIO

Sectio XIX.

De epiſtolis ad Conſtantinopolitanos directis,

ET PRIMUM

De epiſtola ad Anatolium Conſtantinopolitanum Diaconum.

Cum Anatolio Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diacono forte Gregorius amicitiam
Can. 1. iniit, dum in Urbe Conſtantinopolitana apud Imperatorem Legati munere funge-
cau. 7. retur. Hinc Anatolius ex arctiſſima neceſſitudine Gregorio indicavit mentem Im-
qu. 1. peratoris, qui petebat, ut Johannes Primæ Juſtinianeæ Epiſcopus ab Epiſcopatu ſuo removeretur. Quid reſponderit Sanctus Pontifex, exhibetur in epiſtola 47. lib. 11. in Maurina, ſeu 41. lib. 9. in vulgari editione, cujus ſententia refertur in canone 1. cau. 7. qu. 1., ubi tamen pro illis verbis: *Ex ejus diſpoſitione veniat . . . , ipſo non depoſito, ac in cuſtodia*, legendum eſt: *Ex ejus depoſitione veniat . . . ipſo indepoſito conſervare, ac in cuſtodia, &c.* Jam præter hæc plurima emendaverunt Correctores Romani.

De epiſtola ad Cyriacum Epiſcopum Conſtantinopolitanum.

Mauritio imperante anno circiter 596. Conſtantinopolitanus Epiſcopus electus eſt Cyriacus in locum defuncti Johannis cognomento Jejunatoris. Ad eum ſcripta eſt Gregorii epiſtola apud Maurinos 4. lib. 7., & in vulgari editione 5. lib. 6., in
Can. 9. qua Sanctus Pontifex & recens electo gratulatur, & gratulando varia Epiſcopalis vitæ
cau. 8. præcepta interſerit. Fere in principio ejuſdem epiſtolæ legitur canon 9. cau. 8. qu. 1.
qu. 1. cujus priora verba ita ſcribenda erant apud Gratianum: *In ſcriptis autem veſtris, &c.* Alludit ibi Gregorius ad Cyriaci epiſtolam, qua Cyriacus idem electionem ſuam Pontifici Maximo ſignificaverat. In illis autem verbis: *Mortuus eſt Chriſtus, ut & qui vivunt . . . quoties itaque nobis ex corde . . . quem ſuperna gratia elegit.* Ita potius erat ſcribendum: *Mortuus eſt Chriſtus, ſupereſt, ut & qui vivunt . . . ,*
Can. 10. *quies itaque nobis & ex corde . . . . quem ſuperna gratia eligit.* Poſt hæc tradidit
diſt. 40. Gregorius nihil referre ad vitæ ſanctitatem, num quis ſecretis in locis degat, ſive in monaſteriis, num inter ſæculi actiones; ac propterea, ſi quando contingat vitæ, ut ajunt, contemplativæ addictum ad regendam Eccleſiam vocari, refragari nullo modo debere. Huc pertinent verba canonis 10. diſt. 40., quæ omnino conſonant cum integris epiſtolæ exemplaribus.

Digitized by Google

De epiſtola ad Domitianum Melitinæ in Armenia Epiſcopum.

Erat Domitianus Melitinæ Epiſcopus, & Armeniæ Metropolita Imperatoris Mauritii conſanguineus, de quo plura narrat Evagrius in lib. 6. Hiſtoriæ cap. 16., 17., & 18. Ad eum ſcripta exhibetur epiſtola Gregorii 50. lib. 8. in vulgari, & lib. 10. in Maurina editione, ubi inter cetera agitur de cauſſa Theodori cujuſdam Epiſcopi, ad quam pertinet aurea illa ſententia, quæ legitur in can. 3. cau. 2. qu. 1., ubi tamen legenda non erit vox illa *juſte*, cum in integra Gregorii epiſtola deſideretur. *Can. 3. cau. 2. qu. 1.*

De epiſtola ad Eliam Presbyterum, & Abbatem Iſauriæ.

Ad Eliam in Iſauria Presbyterum, & Abbatem ſcripſit Gregorius epiſtolam, quæ in vulgari editione eſt 30. lib. 4., & 38. lib. 5. in Maurina. Ibi inter cetera profitetur Sanctus Pontifex, ad ſe miſſum fuiſſe Epiphanium quendam olim monaſterio addictum, quem ipſe ordinaret; aſſerit autem ſe quidem ordinem ſacrum ei contuliſſe, ſed eundem ſic ordinatum non poſſe ad Eliam remitti juxta vetuſtum eccleſiaſticum morem, quo fiebat, ut quilibet certa in Eccleſia ordinatus, perpetuo in ea conſiſtere deberet, ex quo & illud perſpicue deducitur, ad unumquemque Epiſcopum ſpectaſſe ſemper ſuæ Eccleſiæ clericos ordinare. Huc ſpectat canon 122. cau. 1. qu. 1., ubi pro illis verbis: *tranſmittere . . . in alio . . . ordinem acceperis . . . ſi ergo vos videre non potuit, &c.*, legendum potius erit: *retranſmittere . . . in altero . . . ordinem ſacrum acceperis . . . ſi ergo vos videre non potui, &c.* Quæ poſteriora verba magis integræ epiſtolæ conveniunt, cum initio epiſtolæ dicatur Elias venturus fuiſſe Romam ad limina Apoſtolorum, fuiſſe tamen gravi infirmitate detentus; hinc jure Gregorius ajebat, ſe in Epiphanio quieviſſe, licet Eliam ipſum videre non potuerit. *Can. 122. cau. 1. qu. 1.*

De epiſtolis ad Johannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum.

Memoratum Cyriacum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Epiſcopum præceſſerat, ut diximus, in dignitate Johannes Cognomento Jejunator, ad quem extat Gregorii epiſtola apud Maurinos 53. lib. 3., & in vulgari editione 52. lib. 2. Hujus occaſio hæc fuit. Quidam ex Iſauriæ Monachis dignitate ſacerdotii etiam inſignis nomine Athanaſius de graviſſimo crimine per calumniam accuſatus publice in Eccleſia Conſtantinopolitana cæſus fuerat Epiſcopi juſſu, quando tamen reus facinoris vulgo eſſe ferebatur adoleſcens quidam Epiſcopo familiaris. Præterea Johannes quidam Presbyter Chalcedonenſis invidia pravorum hominum de hæreſi Marcioniſtarum accuſatus damnatus fuerat ab Judicibus a Conſtantinopolitano eodem Epiſcopo datis fraudis, atque invidiæ conſciis. Uterque, Athanaſius nimirum, & Johannes *Can. 7. diſt. 45.*

Chalcedonenſis ad Gregorium confugerunt patrocinium innocentiæ implorantes; eamque ob rem Gregorius de utraque cauſſa ad Johannem Epiſcopum ſcripſit. Cumque Johannes reſcripſiſſet, excuſando ſe, quod ſe ignorante illa omnia peracta in Conſtantinopolitana Eccleſia fuiſſent, rurſum Gregorius Epiſcopum redarguit, quod talia, ac tanta facinora, ignorante Antiſtite, in Eccleſia fierent, quodque Epiſcopus tam atrocia facta per oſcitantiam ignoraret. Ex hac poſteriore epiſtola depromtus eſt canon 1. diſt. 45., qui legitur prope finem illius, ubi Gregorius urgendo aſperius loquitur, ac præcipue in immerita Athanaſii verberatione dicendo conſiſtit. Monent Maurini Monachi pro illis verbis *non percuſſores*, legendum eſſe, *non perſecutores*, idque veterum MSS. monumentis demonſtrant, licet editi codices Gratianeam lectionem potius exhibeant.

Alia eſt epiſtola Gregorii in vulgari editione 24., apud Maurinos 25. lib. 1. ad omnes Orientalis Eccleſiæ Patriarchas ita directa: *Gregorius Johanni Conſtantinopolitano, Eulogio Alexandrino, Gregorio Antiocheno, Johanni Jeroſolymitano, & Anaſtaſio Expatriarchæ Antiocheno a paribus* (*a paribus*, intellige pari exemplo ad ſingulos miſſo, quemadmodum ſuperius jam memini in ſimili inſcriptione obſervaviſſe). Animadvertere juvat, Gregorium Antiochenum Epiſcopum ſubrogatum fuiſſe in locum Anaſtaſii viventis, qui ſcilicet ab anno 572. pulſus fuerat in exilium ab Juſtino Imperatore. Hac itaque epiſtola Gregorius Magnus initio ſui Pontificatus certiores fecit memoratos Orientales Epiſcopos de ſua electione, eaque occaſione multis expreſſit curam paſtoralem, qua in gregem dominicum ſibi commiſſum Eccleſiarum Antiſtites fungi debent, imo etiam ad eoſdem miſit ſymbolum Fidei; erat enim juxta veterum mores receptum, ut, quoties Patriarchæ eligerentur, electus fidei ſuæ profeſſionem ad Patriarchas ceteros mitteret. Hinc idem Gregorius in lib. 9. epiſtola 52. apud Maurinos, quæ eſt epiſtola ad Secundinum, ait: *Hinc eſt, ut quoties in quatuor præcipuis ſedibus Antiſtites ordinantur, ſynodales ſibi epiſtolas viciſſim mittant, in quibus ſe ſanctam Chalcedonenſem Synodum cum aliis generalibus Synodis cuſtodire fateantur*. Eandem ob rem Gregorianam hujuſmodi epiſtolam ubi memorat Johannes Diaconus lib. 2. cap. 3., quia fidei profeſſionem continet
Can. 93. cau. 1. qu. 1. veterum Synodorum definitionibus accommodatam, *ſynodicam* appellat. In priore ejuſdem epiſtolæ parte legitur canon 93. cau. 1. qu. 1., ubi optimi Paſtoris indolem, ac ſtudia Gregorius recenſet. Ibidem vero pro illis verbis: *Si ſordida ipſa ſtercoris lutum tenet . . . ad interiora perducendas, &c.*, legendum erit ex Maurinis Codicibus: *Si ſordida ipſa inſequens lutum tenet . . . ad interna ſacraria perducendas,*
Can. 6. diſt. 41. *&c.* Poſt multa in eadem epiſtola leguntur verba canonis 6. diſt. 41., ubi pro voce illa *tenuitas* legendum erit *tenacia*; docetque Gregorius, quænam ſint vitia ab optimo animarum Paſtore evitanda, eoque præcavenda diligentius, quo pluries ſub virtutum nomine tegi aliquomodo poſſunt. Demum prope finem epiſtolæ leguntur
Can. 2. diſt. 15. verba canonis 2. diſt. 15., ubi Gregorius aperit fidem ſuam, ceteriſque Patriarchis profitetur juxta ea, quæ nuper animadvertebam. Ita vero priora ejuſdem canonis verba legenda erunt: *Præterea quia corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, ſicut ſancti Evangelii quatuor libros, &c.* Præterea in illis verbis, *& cujuslibet vitæ, &c.*, qua ratione legendum ſit, jam diu Romani Correctores animadverterunt.

De

De epiſtola ad Quiricum, alioſque in Hiberia Epiſcopos.

Gregorii epiſtola 61. lib. 9. in vulgari, & 67. lib. 11. in Maurina editione juxta Con. 44. editos omnes Codices, & MSS. numero plurimos ita inſcribitur: *Gregorius Qui-* & 84. *rico, & ceteris in Hibernia conſiſtentibus Catholicis Epiſcopis*. Emendandam tamen de conſ. diſt. 4. cenſent hujuſmodi inſcriptionem Viri eruditi, ut legatur non *in Hibernia*, ſed *in Hiberia*; atque ad hanc emendationem probandam non ſolum plurimum valet auctoritas Vaticani Codicis MS., ex quo Romani Correctores emendaverunt inſcriptionem canonis 44. de conſ. diſt. 4., ſed etiam judicium prudens Petri DeMarca in appendice ad Concilium Claromontanum ſub Urbano II. celebratum, qui animadvertens in hac ipſa epiſtola potiſſimum de Neſtorianis hæreticis agi, auguratus eſt, eam ad Provinciam Orientalem, qualis erat Hiberia, pertinere. Nec præterea deſunt aliqui MSS. Codices, in quibus ſe legiſſe *Hiberia* Monachi Maurini teſtantur. Porro Hiberia eſt regio Aſiæ inter Colchidem ad occaſum, & Albaniam ad ortum Armeniæ majori contermina. Ex hac Gregorii epiſtola depromtus eſt canon 44. de conſ. diſt. 4., cujus priora verba ita legenda erunt: *Et quidem ab antiqua Patrum inſtitutione didicimus, ut quilibet apud hæreſim, &c.* Obſervandum præterea eſt in voce illa *Monothelitas* egregium erratum, nondum enim de Monotheliiarum opinionibus diſputatio eſſe poterat temporibus Gregorii, eamque ob rem tutius erit legere *Monophyſitas*, ut verba Gregorii intelligantur de illis hæreticis, qui unicam in Chriſto naturam eſſe aſſerebant, quales erant Eutychiani. Item pro illis verbis: *Vires emendationis . . . fuerint uniti*, legendum erit: *Vires emundationis . . . fuerunt uniti*. Poſtremis hiſce verbis ſtatim jungenda erunt, quæ apud Gratianum ſubſequuntur in canone 84. de conſ. diſt. 4., ubi vice illorum *multi ſunt, & alii tales, cum ad ſanctam, &c.*, hæc alia verba ſunt ſubſtituenda: *Multi ſunt alii, cum ad ſanctam, &c.*

De epiſtola ad Sabinianum Diaconum, & Apocriſarium

Apocriſarii munere in Urbe Conſtantinopolitana fungebatur temporibus Grego- Con. 20. rii Sabinianus apud Imperatorem; atque ad eum ſcripta exhibetur epiſtola cau. 23. Gregorii 47. lib. 4. in Maurina, & 1. lib. 7. in vulgari editione; quæ tamen, qu. 8. uti animadverterunt Maurini Monachi, in multis codicibus MSS. reperitur ad calcem epiſtolarum Gregorianarum inter prætermiſſas, unde non levis ſuſpicio naſcitur, ne forte illa a germanis Gregorii monumentis abjudicetur. Nollem ſane in re ſatis obſcura proferre ſententiam. Tantum dixero cauſſas ſuſpicionis augere, quod in eadem epiſtola legitur, referturque in canone 20. cau. 23. qu. 8. Propoſitum dicitur Gregorio ex parte Imperatoris per clericum quendam, ut Sanctus Pontifex in fugandis Longobardis operam quoque ſuam impenderet, exemplo præſertim Malci cujuſdam Epiſcopi, qui eandem ob cauſſam ſponte mortis periculum ſubiit. Contra tamen Gregorius, ita ſcripſit: *Pervenit vero ad me, quia tranſmiſit neſcio quem clericum qui diceret, quia Malcus Epiſcopus in cuſtodia*

 pro

pro ſolidis occiſus ſit. De qua re unum eſt, quod breviter ſuggeras ſereniſſimis Dominis noſtris, quia ſi ego ſervus eorum in morte Longobardorum me miſcere voluiſſem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, &c., quæ leguntur in memorato canone 20., verum non videntur hæc Gregorio convenire; ſunt enim verba ambitus, ne dixerim audaciæ, plena, quæ vix a ſtrenuo milite ſine jactatione pronunciarentur. Præterea pugnant hæc cum aliis Gregorii monumentis, ex quibus conſtat, Sanctum Pontificem operam ſuam frequenter impendiſſe, ut Longobardi ulteriora non molirentur in Italia, quemadmodum demonſtrat inter ceteras epiſtola ad Mauritium Imperatorem, de qua nonnulla hoc in loco etiam ad hanc rem erunt ſubjicienda.

De epiſtola ad Mauritium Imperatorem.

Can. 41. cau. 11. qu. 1. In epiſtola 31. lib. 4. in vulgari, & 40. lib. 5. in Maurina editione, Gregorius certiorem Mauritium Imperatorem reddidit, quod ipſe Longobardis conſilio ſuo reſtiterit, atque in omnibus morem geſſerit Mauritii juſſionibus; unaque conqueſtus eſt, quod ab eodem Mauritio velut inſipiens, ac fatuus haberetur, ac ſineret a Longobardis aliquando ſe decipi. Hinc autem occaſionem ſumſit hortandi Imperatorem, ut ſacerdotes Chriſti, ac præ ceteris Pontifices honorificentius coleret, non conviciis laceſſeret. Huc ſpectat canon 41. cau. 11. qu. 1., ubi tamen pro illis verbis: *accepit, & eoſdem . . . diſcutite . . . in qua tamen ſententia ſibi, &c.* legendum eſt: *accepit, ſed eoſdem . . . diſponite . . . in qua tamen ſententia pie Domine ſibi, &c.* Cetera animadverſionibus Romanorum Correctorum facile poterunt emendari.

Can. 12. cau. 27. qu. 2. Ex epiſtola ad Mauritium Imperatorem refertur etiam apud Gratianum canon 12. cau. 27. qu. 2., qui tamen in nullo Gregorii monumento reperitur. Ille potius videtur ex diverſis ſacrarum legum fragmentis a quodam otioſo contextus, & Gregorii nomine evulgatus, ut major illius auctoritas, ac vis haberetur. Ceterum quæ ibidem adferuntur ex ſacra præſertim Scriptura depromta, vel minus integra relata ſunt, vel parum apta cenſentur ad rem, de qua ibidem agitur, demonſtrandam. Quid enim exempli gratia dicam de eo, quod deducitur ex Evangelio Matthæi: *Accipe Mariam conjugem tuam*? Maria quippe non futura tantum ſponſa Joſeph erat, ſed vera jam conjux, per conſenſum jam de præſenti, ut vulgo ajunt, declarata. Item quod ex Deuteronomio adfertur cap. 22. in verſic. *Siquis cujuslibet* longe aliter deſcriptum eſt in ipſo Moyſis libro, quemadmodum unicuique conferenti facile conſtat. Quæ demum in verſic. *Sicut nulli* ſubjiciuntur, nihil omnino ad rem propoſitam faciunt, imo etiam habentur apud Gratianum ſub nomine Julii Papæ in canone 7. cau. 35. qu. 3. Quis autem interea tam incomtam rerum, ſententiarumque congeriem Gregorio adtribuet, præſertim vero ad Mauritium Imperatorem ſcribenti, ad quem, uti videtur, præ ceteris ſolerter formata ſcribi debuiſſet epiſtola? Non tamen inficias iverim, eam, quæ in hoc canone deſcribitur, ſententiam a germana ſacrorum canonum diſciplina non diſſonare. Etenim perſpicuum eſt, neminem jure poſſe ſponſam alterius ſibi matrimonio jungere, imo apud veteres, qui hujuſmodi conjugium contraxiſſet, velut ſacrilegus habebatur, præſertim quod moris eſſet Sacerdotibus non tantum matrimoniis, ſed etiam ſponſalibus

ſalibus benedicere. Hinc Siricius Papa de iis, qui in matrimonium ducunt alienam ſponſam, ait in canone 50. cau. 27. qu. 2. *Hoc ne fiat, modis omnibus inhibemus, quia illa benedictio, quam nupturæ Sacerdos imponit, apud fideles cujuſdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi ulla tranſgreſſione violetur*. Exinde autem non conſequitur, ea omnia, quæ in memorato canone 12. leguntur, integra, & verbo tenus pro lege accipienda eſſe, ſiquidem cum privati Collectoris ſint congeſta, corruptaque fragmenta, in eo tantum vim ſuam exercent, ubi authographis ſuis recte conſonare demonſtrantur. Itaque falſo tributa fuerunt illa Gregorio Magno, erratumque profectum eſſe videtur ex collectione Anſelmi, juxta ea, quæ animadverterunt Romani Correctores, obſervantes in inſcriptione diverſitatem characteris. Ego potius arbitror, initium hujus canonis fuiſſe compoſitum ex canone 66. Concilii Meldenſis anni 845., ex quo etiam profectum eſt, ut Gregorio tribueretur; ſiquidem ibidem ita legitur: *Quicumque vero deinceps rapere virgines, vel viduas præſumſerit, ſecundum ſynodalem B. Gregorii definitionem ipſi, & complices eorum anathematizentur, & raptores ſine ſpe conjugii perpetuo maneant*. Similia ferme habentur in canone 68. Refertur autem ibi Concilium Romanum anni 721. ſub Gregorio II. celebratum, ubi canone 9. ita legitur: *Siquis de propria cognatione, vel quam cognatus habuerit, duxerit uxorem, anathema ſit*. Et canone 10. *Siquis viduam rapuerit, vel furatus fuerit in uxorem, cum ſibi conſentientibus anathema ſit*. Et canone 11. *Siquis virginem, quam ſibi non deſponſaverit, rapuerit, vel furatus fuerit in uxorem, vel conſentiens ei, anathema ſit*. Quæ ſane fragmenta in aliquot etiam Codicibus, in quibus Gregorii Magni opera collecta fuerunt, ſub ejuſdem Pontificis nomine edita conſpiciuntur. Hinc facile unuſquiſque noverit, hæc eſſe illa ipſa capitula, quæ Anſelmus Lucenſis, ut adnotaverunt Romani Correctores, ſub nomine Gregorii evulgavit, intertextis quibuſdam ſacrarum literarum ſententiis, quæ deinde recentior manus adtribuit Gregorio Magno ad Mauricium ſcribenti, quæque demum Gratianus ejuſdem Pontificis nomine in ſuum codicem retulit; quæ forte melius Gregorio juniori tribuenda fuiſſent.

De epiſtola ad Conſtantinam Auguſtam.

Conſtantina Tiberii Imperatoris filia a Tiberio Patre nuptui tradita Mauritio in Mauritium ipſum quaſi dotem imperium contulerat. Mortuo deinde marito ab Imperante Phoca in monaſterium detruſa primum eſt, & poſt annum cum tribus filiabus interfecta. Ad illam Mauritio adhuc vivente ſcripſit Gregorius epiſtolam, quæ apud Maurinos eſt 21. lib. 5., & 34. lib. 4. in vulgari editione. In hac præcipue agitur de cauſſa Maximi Salonitani in Dalmatia Epiſcopi, cujus electionem a Gregorio penitus improbatam ſcimus ex iis, quæ ſuperius attigimus. Cum enim Maximo patrocinari videretur Mauritius, cujus juſſu ferebatur Maximus idem conſecratus in Epiſcopum, prudentiſſime voluit Gregorius imperantis animum per Conſtantinam conjugem flectere; atque huc ſpectat canon 24. diſt. 63., ubi pro illis verbis, *reſponſalem meum præmittere . . . irrequiſita relinquere non poſſum*, ita legendum erit: *reſponſalem meum prætermittere . . . irrequiſita præterire non poſſum*. Poſt hæc ſtatim in epiſtola ſequitur Gregorius his verbis: *Sed opto, ac Dominum deprecor, quatenus nihil in eo de iis, quæ dicta ſunt, valeat inveniri, & ſine periculo animæ meæ cauſſa ipſius terminetur. Prius tamen, quam hæc cognoſcantur, Sereniſſimus* Can. 24. diſt. 63. & Can. 6. cau. 21. qu. 5.

Domi-

Dominus, diſcurrente juſſione, præcepit, ut eum venientem cum honore ſuſcipiant. Et valde grave eſt, ut vir, de quo tanta nunciantur, cum ante requiri, & diſcuti debeat, honoretur. Et ſi Epiſcoporum cauſſæ, &c. Heic ſequuntur verba Gratiani in canone 6. can. 21. qu. 5., ubi pro illis *Epiſcopi mei deſpiciant . . . . diſtulerint . . . exercere in eos, &c.*, ita legendum erit: *Epiſcopi mei me deſpiciant . . . diſtulerit . . . in eo exercere, &c.* Vix ſupereſt animadvertendum, poſtrema verba hujus canonis 6. eadem eſſe cum §. ultimo memorati canonis 24. diſt. 63.

Can. 8. cau. 12. qu. 2. His addendus eſſet canon 8. cau. 12. qu. 2., quatenus ſpectat ad aliam Gregorii epiſtolam ad Conſtantinam, quæ extat in lib. 4. num. 33. in vulgari, & lib. 5. num. 41. in Maurina editione in illis verbis: *Cum Sereniſſimam Dominam ſciam de cæleſti patria, atque animæ ſuæ vita cogitare, culpam me committere vehementer exiſtimo, ſi ea, quæ pro timore omnipotentis Domini ſunt ſuggerenda, ſiuero.* Poſt quæ diſſerit Gregorius de Ethnicis, qui nuper in Sardinia Inſula ad Chriſtianam Fidem converſi fuerant, atque hæc longe aliena ſunt ab iis, quæ Gratianus in eodem canone ſubjecit. Non eſt cur plura heic tradam, cum ſatis de hoc monumento traditum ſuperius fuerit, ubi actum eſt de epiſtola Gregorii ad Conſtantiam Galliarum Reginam.

De epiſtola ad Theoctiſtam Patriciam.

Epiſtola 39. lib. 9. in vulgari, & 45. lib. 11. in Maurina editione ſcripta exhibetur ad Theoctiſtam Patriciam Mauritii Imperatoris ſororem, quam non modice contriſtatam Gregorius ſolatus eſt, ac variis ſacræ doctrinæ præceptis inſtituit. In primis eam hortatus fuit, ne ſineret ſe dictis hominum deprimi, dummodo apud Deum bene conſcia eſſet, proptereaque malevolorum hominum injurias patienter

Can. 11. cau. 6. qu. 1. toleraret. Ad hanc rem pertinet canon 11. cau. 6. qu. 1. ibi: *Sunt autem plurimi, qui vitam bonorum fortaſſe amplius, quam debent, laudant, & nequa elatio de laude ſurripiat, permittit omnipotens Deus, &c.* Deinde poſt aliqua proſequitur Gregorius monens, ut aliquando eos, qui nos corripiunt, contemnere debeamus, non geſta noſtra penes ipſos purgare; aliquando e converſo noſtrorum negotiorum rationem reddamus, ne forte ſimpliciores trahamus in ſcandalum, exemplo Apoſtoli Petri, qui quandoque cum ad Gentes Evangelii prædicandi cauſſa ſeſe convertiſſet, actorum ſuorum rationem petentibus humiliter reddidit, quo referendus eſt canon 40.

Can. 40. cau. 2. qu. 7. cau. 2. qu. 7., quem ex integris epiſtolæ exemplaribus ita emendare juvabit: *Certe enim Petrus poteſtatem Regni cæleſtis acceperat, ut quæque in terra ligaret, vel ſolveret, eſſent in Cælo ligata, vel ſoluta: ſupra mare ambulavit, ægrotantes umbra curabat, peccantes vero occidebat, mortuos oratione ſuſcitabat. Et quia ex admonitione Spiritus ad Cornelium gentilem fuerat ingreſſus, contra eum quæſtio a fidelibus facta eſt, cur ad Gentiles intraſſet, & comediſſet cum eis, cur eos baptiſmate ſuſcepiſſet. Et tamen idem Apoſtolorum primus tanta donorum gratia repletus, tanta miraculorum poteſtate ſuffultus, querelæ fidelium non ex poteſtate, ſed ex ratione reſpondit, cauſſam per ordinem expoſuit, quomodo vas quoddam, veluti linteum, in quo quadrupedia terræ, & beſtiæ, & reptilia, atque volatilia inerant, de cœlo ſubmitti viderit, vocemque audierit: Surge Petre, occide, & manduca; qualiter tres viri venerint eum ad Cornelium vocantes; qualiter Spiritus Sanctus hunc cum eis ire præceperit; qualiter idem Spiritus Sanctus,*

qui

*qui venire in baptizatos in Judæa poſt baptiſmum conſueverat, in Gentilibus ante bap-
tiſmum venit. Si enim cum a Fidelibus culparetur, auctoritatem, quam in Sancta Ec-
cleſia acceperat, attendiſſet, reſpondere poterat, ut paſtorem ſuum oves, quæ ei com-
miſſæ fuerant, reprehendere non auderent. Sed ſi in querela Fidelium aliquid de ſua
poteſtate diceret, profecto Doctor manſuetudinis non fuiſſet.* Poſt hæc ad eandem rem
ſubdidit Gregorius, quoſdam ſe cognoviſſe, qui a pluribus arguebantur, quod di- *Can.* 19.
cerent religionis obtentu conjugia poſſe diſſolvi, qui tamen ab hoc ſibi objecto er- *cau.* 27.
rore ſeſe purgaverunt; hinc autem Sanctus Pontifex occaſionem arripuit de hac *qu.* 2.
ipſa materie diſſerendi, cujus verba habentur in canone 19. cau. 27. qu. 2., quem
jamdiu Romani Correctores in aliquibus emendaverunt. Priora tamen canonis ver-
ba ita legenda erunt: *Dicebatur namque contra eos, quia ſub obtentu religionis conju-
gia ſolverent, &c.* Et infra. *Et ſi ſunt, qui talia ſentiunt, vel tenent, quia Chri-
ſtiani non ſunt, dubium non eſt. Eoſque & Ego, & omnes Catholici Epiſcopi, atque
univerſa Eccleſia anathematizamus, quia veritati contraria ſentiunt, contraria loquuntur.
Si enim dicunt, Religionis cauſſa conjugia debere diſſolvi, ſciendum eſt, quia, &c.* Quæ
prope finem canonis leguntur, ibi: *Dividi conjugium non poteſt*, monent Monachi
Maurini ita potius eſſe legenda: *Dividi conjugium non licet*. Quum vero in hoc
canone laudetur Lex Imperatoria, ex qua permiſſa videtur conjugii diſſolutio mo-
naſticæ profeſſionis cauſſa, referendum id eſt ad Novellam 123. cap. 40., quam
licet non ſatis Divino juri conformem Gregorius eſſe dicat generaliter, in rerum
tamen, temporum, aut cauſſarum adjunctis, quibus lata ipſa fuerat, non omnino
iniqua dici poterat. Nimirum Iuſtinianeis temporibus apud Conditores Legum Ro-
manarum adhuc repudia permittebantur etiam ob cauſſas lege evangelica minime
comprehenſas. Quid mirum eſſe poterat, ſi repudia pro variis cauſſis conceſſa,
etiam monaſticæ profeſſionis cauſſa potiore permittenda jure viderentur? Immo fa-
vorabilis in hac parte viſa fuit Juſtiniano Religionis cauſſa, qui cum in aliis re-
pudii cauſſis libellum intervenire debere ſanxiſſet, in hac ſane conſcribendi libelli
neceſſitatem remiſit. Rurſum idem Gregorius in hac epiſtola retulit exemplum *Can.* 6.
quorundam inique accuſatorum, quod dicerent: *Si de iniquitatibus ſuis quis in trien-* §. 1.
nium pœnitentiam ageret, poſtmodum ei perverſe vivere liceret. Ab hac accuſatione *de pœn.*
aſſerit eoſdem fuiſſe purgatos, qua occaſione ſcripſit eandem opinionem anathe- *diſt.* 3.
mate damnandam eſſe, veluti adverſantem ſacrarum literarum monumentis, atque
inter cetera ait: *Si autem dicunt pauci temporis pœnitentiam contra peccatum debere
ſufficere, &c.*, quæ leguntur in canone 6. §. *Sunt qui dicunt* de pœnit. diſt. 3., cujus
poſtrema verba ita legenda erunt ex optimis epiſtolæ exemplaribus: ***Pœnitentiam
enim vere agere eſt commiſſa flere, ſed iterum plangenda declinare.***

SECTIO

SECTIO XX.

De epiſtolis directis Alexandriam, Antiochiam, & Jeruſalem.

ET PRIMO

De epiſtola ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum.

Can. 5. diſt. 99. Cum temporibus Gregorii Magni eo ambitus adductus fuiſſet Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ut *univerſalem* ſe Patriarcham nominaret, viris optimis etiam orientalibus auſus hujuſmodi ſtatim improbatus fuit, inter ceteros Eulogio Alexandrino, qui novo nomini reſtitit, ratus nomen illud Romano tantum Pontifici convenire poſſe, quam ob rem ad Gregorium ſcribens, Gregorium eundem nomine *univerſalis Epiſcopi* adpellaverat. Gregorius, qui illud, tamquam ambitioſum vocabulum, in Conſtantinopolitano Antiſtite damnaverat, a ſe quoque rejiciendum prudentiſſime exiſtimavit, proindeque ad Eulogium reſcribens in epiſt. 30. lib. 7. in vulgari, & 30. lib. 8. in Maurina editione, ſignificavit nec ſibi nomen illud poſſe congruere, ne videretur ipſe unus in Eccleſia Epiſcopatum gerere, alioſque Epiſcopos prorſus excludere. Refertur hæc ſancti Pontificis ſententia in canone 5. diſt. 99., ubi poſt illa verba: *perdere cognoſco*, hæc erunt adjicienda, quæ Gratianus omiſerat: *meus namque bonor eſt bonor univerſalis Eccleſiæ: meus bonor eſt fratrum, &c.* Non omittam præterea, quod animadverterunt Maurini Monachi, pro illis verbis *ſuperbæ appellationis verbum* paullo aliter legi in nonnullis codicibus MSS., nimirum *ſuperſtitionis verbis*.

De epiſtola ad Anaſtaſium Epiſcopum Antiochenum.

Can.26. cau. 1. qu. 1. Anaſtaſius Sinaita Junior Anaſtaſio Magno in Antiochena ſede ſucceſſerat anno Domini 599., ſeditque annis novem uſque ad ſeptimum annum Imperii Phocæ, quo tempore exorto Antiochiæ civili bello, Judæi eundem Anaſtaſium a ſede dejectum, funeque pedibus alligatum per urbem, urbiſque vias colliſum fœdiſſima morte affecerunt, quemadmodum refert Nicephorus lib. 18. cap. 43., quem tamen in eo lapſum viri eruditi animadverterunt, quod quæ Anaſtaſio juniori contigerunt, Anaſtaſio Magno jam a novem annis vita functo adtribuerit. Ad Anaſtaſium Juniorem extat Gregorii epiſtola in vulgari editione 47. lib. 7. indict. 2., & 49. lib. 9. in Maurina, ubi Sanctus Pontifex cum eo gratulatur, quod rectam fidei profeſſionem emiſiſſet, quo pertinet canon 26. cau. 1. qu. 1., quem rei omnino diverſæ accommodavit Gratianus, cujuſque verba ita legenda erunt: *Prædicator autem egregius dicit: fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. Quiſquis ergo cum dilectione Dei, & proximi fidei, quæ in Chriſto eſt, firmitatem tenet, eundem Jeſum Chriſtum Dei, & hominis filium apud ſe poſuit fundamentum. Sperandum ergo eſt, quod ubi Chriſtus fundamentum eſt, bonorum quoque operum ſequatur ædificium.*

De

Digitized by Google

De epiſtola ad Anaſtaſium Presbyterum Jeroſolymitanum.

Ad Anaſtaſium Presbyterum Jeroſolymitanum ſcripta eſt Gregorii epiſtola 29. lib. 6. in vulgari, & 32. lib. 7. in Maurina editione. Præſidebat Anaſtaſius monaſterio cuidam, quod dicebatur *Neas*, ejuſdemque occaſione cum Jeroſolymitano Epiſcopo controverſiam paſſus eſt. Hanc cauſſam diſcutiendam Gregorius voluit, unaque Anaſtaſium moralibus præceptis inſtituit, quo pertinet canon 4. diſt. 40., his verbis: *Tua itaque Fraternitas quantum in charitate perfecta ſit, ſcio; & quia omnipotentem Deum multum diligit, oportet, ut de proximo multum præſumat. Non enim loca, vel ordines Creatori noſtro nos proximos faciunt, ſed ei nos, aut merita bona jungunt, aut mala disjungunt.* Can. 4. diſt. 40.

De epiſtola ad Palladium Presbyterum de Monte Syna.

Palladius Presbyter de Monte Syna (mons hic eſt in Arabia Petræa excelſus, de quo frequens in ſacris literis mentio habetur) de malorum hominum convicus, quibus jamdiu laceſſebitur, contriſtatus apud Gregorium conqueſtus eſt, quem propterea Sanctus Pontifex conſolari voluit in epiſtola, quæ in vulgari editione eſt 45. lib. 8., & 2. lib. 11. apud Maurinos. Ex ea apud Gratianum relatus eſt canon 55. cau. 11. quæſt. 3., ubi pro verbis illis: *magnam triſtitiam generare debet*, legendum erit: *magna triſtitia generari debet*. Item in ſequentibus verbis hæc legi debent: *quid enim, ſi homines laudent, & conſcientia accuſet? Aut quæ debet eſſe triſtitia, ſi omnes accuſent, & ſola conſcientia nos liberos demonſtret? .... dimitte ſtultos .... niſi in pulverem ... vocandi ſunt, etiam ipſi tranquille ... conſpicias. Quia cum Domino ... dicturus quippe cum ut cum omnibus pacem habeamus, &c.* Eadem hujus canonis verba leguntur in pſeudo-epiſtola Sixti III. ad Orientales, de qua ſuo loco jam diſſerui. Can. 55. cau. 11. qu. 3.

Sectio XXI.

De aliis canonibus ex Regeſto Gregorii laudatis.

Perperam inter Gregorianas epiſtolas in Regeſto lib. 10. epiſtola 31. vulgaris editionis adpoſita eſt quædam fidei profeſſio, cui hic titulus ex veteribus MSS. codicibus adjectus exhibetur. *Promiſſio cujuſdam Epiſcopi hæreſim ſuam anathematizantis, quam ſolvi fecit in nomine Domini Imperator Conſtantinopoli ſub die 10. menſis Februarii indict. 5.* Profeſſionis hujus tenor refertur apud Gratianum in canone 9. cau. 1. qu. 7., ubi tamen pro verbis illis *ſed ſimulata reverſus exiſtimer, ſpondeo ſub ordinis mei cauſſa ... & ſalutem Dominorum, &c.*, ita legendum erit: *ſed ſimulate reverſus exiſtimer ſub ordinis mei caſu ſpondeo, & anathematis .... & ſalutem, geniumque Illuſtrium Dominorum, &c.* Præterea poſt illa verba *Eccleſiæ Ca-* Can. 9. cau. 1. qu. 7.

Digitized by Google

tholicæ, hæc ſubjicienda ſtatim ſunt: *ad quam Deo propitio ſum reverſus*, *& communione*, *&c.* Demum pro verbis illis *Notario illi* legendum eſt *Notario meo*. Sufficit ſane monumentum hoc legere, ut illico conſtet, non potuiſſe illud inter Gregorianas epiſtolas recenſeri. Quamobrem eruditi Maurini Monachi ad calcem epiſtolarum Gregorianarum illud ipſum rejecerunt. Neque vero omni ſuſpicione falſi vacuum eſſe poteſt ejuſmodi monumentum, quod veroſimile eſt a deceptore quodam fuiſſe confictum, aut imprudenter a quodam Amanuenſi inter opera Gregorii relatum. Scilicet ibi proponitur jusjurandum, cujus formula exprimitur *per genium* Imperatorum, quæ ſane non erat in uſu apud Chriſtianos, eove minus penes Epiſcopos ad Fidem Catholicam revertentes. Teſtis eſt Tertullianus in Apologetico cap. 32., & ad Scapulum cap. 2. ita ſcribens: *juramus non per genios Cæſarum*; *neſcitis genios dæmonas dici*, *&c.* Hæc obſervatio in cauſſa fuit, cur quidam Collectores in hoc deſcribendo fragmento abſtinuerint ab illis verbis *per genium*, quemadmodum inter ceteros abſtinuit Gratianus. Verum cum hæc verba in codicibus MSS. optimæ notæ legi teſtentur Maurini Monachi, non eſt nobis adnitendum, ut illa omittamus; melius enim eſt apocrypha monumenta rejicere, quam purgare. Ceterum non omittam hoc in loco laudare viros eruditos, qui, ut hoc monumentum Gregorianæ ætati conſonum redderent, arbitrati ſunt, Epiſcopum, de quo ibidem agitur, fuiſſe Firminum Epiſcopum Hiſtriæ, qui ſchiſmaticis adhæſerat in cauſſa trium Capitulorum adverſus definitiones quintæ Synodi Generalis. Is deinde a ſchiſmate reverſus in communionem eccleſiaſticam receptus eſt, quemadmodum apertiſſime demonſtrat idem Gregorius in epiſtola ad eundem, quæ eſt 33. lib. 12. in Maurina, & 38. lib. 10. in vulgari editione. Quamobrem ſiquis purgare potius, quam rejicere maluerit memoratum monumentum, non omnino rem inveroſimilem arbitrabitur, quoties illud jusjurandum tribuerit Firmino Epiſcopo a ſchiſmate redeunti.

In canone 3. cau. 5. qu. 6. minime referuntur Gregorii verba, ſed potius verba Johannis Diaconi in lib. 4. cap. 31., quemadmodum recte obſervaverunt Correctores Romani. Ait enim ille de Gregorio Magno: *Sicut convicium de crimine ſine vindicta canonica Gregorius neminem relinquebat*, *ſic nimirum falſarium delatorem regulari tramite puniebat*; *unde Anthemio Subdiacono ſcribens*, *ait*, *&c.* Poſt hæc deſcribit Johannes Diaconus, quæ leguntur in epiſtola Gregorii ad Anthemium Subdiaconum in Campania, quæ eſt epiſtola 71. lib. 11. apud Maurinos, & 66. lib. 9. in vulgari editione, in ea præſertim parte, quæ de Subdiacono agitur calumniatore, qui ſcilicet Diaconum quendam falſo de quibuſdam criminibus accuſaverat, poſt quæ ita proſequitur idem Johannes: *Idcirco Gregorius non probantem*, *quod objecerat*, *Subdiaconum officio jubet privari*, *quia juxta canonicas Patrum ſententias*, *qui calumniam illatam non probat*, *pœnam debet incurrere*, *quam ſi probaſſet*, *reus utique ſuſtineret*, *ac per hoc quia Subdiaconus crimen Diacono probare non potuit*, *quoniam impoſitionem manus*, *qua carere potuiſſet*, *non habuit*, *non ſacerdotio*, *ſed officio caruit*. Cetera, quæ ſequuntur apud Johannem, eadem ſunt, quæ Gratianus retulit in memorato canone 3., ubi ex iis, quæ nuper deſcripſi, nonnulla ſuperſunt emendanda. Itaque hoc in loco ſtatuitur, Subdiaconum calumniatorem non ſolum eſſe privandum Subdiaconatus officio, ſed & effici infamem, immo & verberibus puniendum eſſe, quod ut clarius explicetur, omiſſis iis, quæ veteres leges de calumniatoribus præſcripſerant, animadvertendum eſt, tempore Gregorii invaluiſſe legem

Can. 3. cau. 5. qu. 6.

Impe-

Google

Imperatoris Juſtiniani, quæ habetur in Novella 123. cap. 20., ubi cautum eſt, Presbyteros, & Diaconos falſum teſtimonium perhibentes in cauſſa pecuniaria *pro verberibus tribus annis ſeparari a ſacro miniſterio, & monaſteriis tradi*, quæ verba ſane ſupponunt generatim obtinuiſſe, ut qui falſum teſtimonium tuliſſent, flagris publice vapularent, ac propterea infamia etiam notarentur, ſingulari autem jure in Presbyteris, ac Diaconis, ubi cauſſa pecuniaria verſaretur, ut pœnam ſubirent ſuſpenſionis a miniſterio, ac monaſteriis traderentur; ubi vero cauſſa criminalis eſſet, voluit Juſtinianus Presbyteros æque, ac Diaconos calumniatores pœnis legitimis ſubjacere. Quoad miniſtros inferiores ſtatuit idem Imperator, in omni cauſſa ſive pecuniaria, ſive criminali, *eos non ſolum eccleſiaſtico officio repelli, ſed etiam verberibus ſubdi*. Hanc itaque Juſtiniani Conſtitutionem præ oculis habens Gregorius in epiſtola ad Anthemium, ubi propoſita eſt cauſſa cujuſdam Subdiaconi calumniatoris, ſcripſit, non eſſe illum ab ea legitima pœna eximendum, ac propterea jure ſubjici verberibus, unde infamis redderetur, quæ ſane pœna ibidem dicitur valde conveniens, ex eo præſertim, quod juris eſſet ordinarii, ut calumniatores talionis pœna punirentur. Cum vero Subdiaconus adverſus Diaconum calumniæ reus non poſſet parem pœnam ſubire, quia Diaconus de crimine convictus a ſacra ordinatione, manuſque impoſitione deponendus eſſet, Subdiaconus contra poſt agnitam calumniam non poſſet tali pœna adfici, quia nullam manuum impoſitionem receperat; hinc Gregorius voluit, exaſperandam fuiſſe Subdiaconorum calumniantium pœnam, ut contra ipſos officii depoſitio non ſufficeret, ſed præterea infligeretur pœna flagrorum, unde etiam infamia proficiſceretur.

Quærunt ſollicite Romani Correctores, quis auctor fuerit canonis 3. cau. 1. qu. 1., quem in Gregoriano Regeſto ſe minime reperiſſe profitentur. Similia propemodum adferunt legi in Regeſto Gregorii VII., in pluribus etiam Conciliis, imo & eadem fere verba laudari apud Gratianum nomine Paſchalis II. in canone 14. cau. 1. qu. 3. Verum quæ in memoratis locis ſententia deſcribitur, toti fere antiquitati eccleſiaſticæ communis eſſe videtur; ſcilicet nihil vulgatius eſt in ſacris Conciliis, quam ſimoniacos tum dantes, tum ſuſcipientes ſacra miniſteria gradus ſui dejectione damnari, quemadmodum ſunt antiquiſſima fragmenta in Concilio Chalcedonenſi can. 2., item canone 30. ex iis, qui vulgo Apoſtolici vocantur. Apud ipſum vero Gregorium Magnum ſimilis habetur ſententia tum in canone 3. cau. 1. qu. 6., tum etiam in lib. 1. homilia 17. in Evangelia num. 13. ibi: *Sacri canones ſimoniacam hæreſim damnant, & eos privari ſacerdotio præcipiunt, qui de largiendis ordinibus pretium quærunt. Cathedra ergo vendentium columbas evertitur, quando hi, qui ſpiritalem gratiam venundant, vel ante humanos, vel ante Dei oculos ſacerdotio privantur*. Ceterum facile eſt cauſſam agnoſcere, quare recentior ſacrorum canonum Collector eadem Patrum vetuſtorum verba adferre noluerit, ſed aliis verbis ſententiam eorundem ornaverit: agnoſcebat quippe mutatam in ſacris ordinationibus diſciplinam. Olim obtinebat, ut Clerici in vim ſacræ ordinationis Eccleſiæ adſignarentur, cum nulla ordinatio fieret ſine beneficio, ideſt ſine officio ſingulari in certa Eccleſia demandato; quamobrem ordinatio ſacra a beneficii collatione minime diſtinguebatur; ſufficiebat interea tunc prohibere ſimoniacas ordinationes, ut prohibita quoque cenſeretur ſimoniaca Eccleſiarum, redituumque eccleſiaſticorum conceſſio: ſufficiebat tunc Clericum Eccleſia privari, ut clericatus quoque ſui honore privatus intelligeretur. At poſteriore ætate ubi ordinatio ſacra ab Eccleſiæ collatione diſtin-

Can. 3. cau. 1. qu. 1.

diſtincta eſt, & diſtincta quoque privatio Eccleſiæ, ſeu beneficii a privatione clericalis honoris, recentiores Collectores e re eſſe duxerunt, veterum Patrum ſententiām juxta diſciplinam recentiorem referre, ac receptis ſuorum temporum moribus accommodare. Hinc quod dicitur in memorato canone 3., Presbyterum per pecuniam ordinatum & Eccleſia, & Sacerdotii honore privandum, minime quidem conveniret quoad formulæ expreſſionem Gregorii Magni temporibus, ſed potius congruit Gregorio ſimplicior ſententia, juxta quam Eccleſiæ miniſterium ab exercitione ordinis non ſecernatur. At Collector, qui Gregorianam ſententiam voluit recentiori diſciplinæ accommodare, ejus verba immutavit ad novam diſciplinam exhibendam efformata, in quibus tamen intima adhuc ejuſdem Gregorii ſententia dignoſceretur.

Can. 115. cau. 1. qu. 1. Laudatur etiam quaſi ex Gregoriano Regeſto depromtus canon 115. cau. 1. qu. 1., cujus tamen verba apud Gregorium non leguntur, quamquam ſæpe, ac ſæpius inter Gregorianas ſententias nonnihil ſimile inveniatur, ubi Sanctus Pontifex graviſſimum ſimoniæ crimen deteſtatus eſt; cujus rei argumento eſſe poſſunt nonnulla ejuſdem Papæ monumenta, quæ apud Gratianum leguntur ſparſa in cau. 1. qu. 1. Veroſimile igitur eſt, aut Gratianum, aut quemcumque alium Collectorem, qui Gratiano auctor extitit, aliis verbis voluiſſe exornare Gregorii Magni ſententias, & palam edere ita exornatas, quemadmodum in hoc canone 115. exprimuntur. Niſi fortaſſe quiſpiam maluerit hæc ad Gregorii VII. monumenta referre, cujus ætate ſimoniacorum hæreſis quam latiſſime graſſabatur, & apud quem numero plurima capita ſunt adverſus ſimoniacos ſcripta; immo & quæ in hoc canone deſcribuntur cum depravata ejus temporis diſciplina conſonare videntur; & ejuſdem canonis ſententia integra propemodum continetur inter canones Concilii Romani I. ſub eodem Gregorio VII. celebrati.

Can. 63. cau. 11. qu. 3. Falſo etiam ex Gregoriano Regeſto laudatur canon 63. cau. 11. qu. 3., qui potius laudandus erat ex Simplicio Papa, cujus nomine eadem verba leguntur in canone 7. diſt. 74., ad quem propterea canon 63. erit ab accurato Interprete exigendus. Quare vero Gratianus Simplicii monumentum Regeſto Gregoriano adtribuerit, ego ex eo arbitror profluxiſſe, quod epiſtola Simplicii, ex qua idem fragmentum decerptum eſt, inſcripta fuiſſet ad Johannem Ravennatenſem Epiſcopum. Cum autem ad alium Johannem Epiſcopum Ravennatenſem plures ſcriptæ eſſent epiſtolæ in Regeſto Gregoriano, hinc oriri potuit Collectoris erratum, qui utraſque epiſtolas tum Simplicii, tum Gregorii ſine ullo diſcrimine ex imprudentia confuderit.

Can. 1. cau. 35. qu. 8. Quæ apud Gratianum tamquam ex Gregorii Regeſto referuntur in canone 1. cau. 35. qu. 8. animadverterunt Viri eruditi ex pluribus aliorum auctorum laciniis conſarcinata fuiſſe. Ceterum quæ ibidem de conjugiis poſt ſeptimum tantummodo conſanguinitatis gradum contrahendis dicuntur, non poſſunt ullo modo Gregorii temporibus convenire, quemadmodum demonſtratum eſt ad canonem 2. cau. 35. qu. 8. Ideo vero Gregorio tributa fuerunt, quod perſuaſum nonnullis fuerit, vere germanas epiſtolas Gregorii eſſe, quarum una ad Felicem Meſſanenſem, altera ad Auguſtinum Anglorum ſcripta ferebatur, in quibus ſimilia quædam continentur. Atque non heic conſtitit auctor hujus canonis; nam in verſiculo *de his, qui poſt mortuas* aliqua etiam adjecit de quatuor gradibus adfinitatis ſervandis, de quibus nullibi ſermonem Gregorius habuit, immo nec ſermonem habuit auctor epiſto-

epiſtolarum Gregorio tributarum ſive ad Felicem Meſſanenſem, ſive ad Auguſtinum Anglorum.

Quicumque verba canonis 39. cau. 16. qu. 1. ex Gregorii Regeſto laudati conſideraverit, ſtatim agnoſcet Collectorem, ſive Gratianus ille ſit, ſive alius quiſquam, qui Gratiano auctor extitit, integra Gregorii verba non exhibuiſſe. Quid enim eſt, quod Gratianus initio profitetur, ſe ipſa verba referre Regeſti Gregoriani, deinde quaſi hiſtoricus ſtylo ſuo enarrat, quid in Gregoriana epiſtola contineatur? Itaque e re eſſe cenſeo, ut hæc Gratiani involucra diſſolvantur. Quæ ibi laudantur, excerpta ſunt ex epiſtola Gregorii ad Senatorem Presbyterum, & Abbatem, quæ in vulgari editione eſt 10. lib. 11., ubi ſermo eſt de quodam Xenodochio in Auguſtodunenſi Civitate apud Gallos a Syagrio ejuſdem Urbis Epiſcopo, item a Brunichilde Galliarum Regina conſtructo, in quo Monachi ſub Abbate regularem vitam ducebant. Eidem monaſterio quædam privilegia conceſſit Sanctus Pontifex ita ſcribens: *Conſtituimus, ut obeunte Abbate, Presbyteroque ſupraſcripti Xenodochii, atque Monaſterii non alius ibi quacumque obreptionis aſtutia ordinetur, niſi quem Rex ejuſdem Provinciæ cum conſenſu Monachorum ſecundum amorem Dei elegerit, ac providerit ordinandum.* Et paulo poſt: *Simili quoque definitione juxta deſiderium Conditorum decernimus, ut nullus eorum, qui eidem Xenodochio, atque Monaſterio Abbas in poſterum fuit ordinatus, ad Epiſcopatus officium quacumque obreptione ſit auſus accedere, ne res Xenodochii, vel Monaſterii iniqua erogatione conſumens graviſſimam egeſtatis neceſſitatem pauperibus, ac peregrinis, vel ceteris exinde viventibus generet.* Hæc eſt germana, integraque Sancti Pontificis ſententia: quæ vero in memorato Gratiani fragmento ſubjiciuntur, ut indicetur, contineri in his privilegium ſingulare, quod ad ceteros extendi non poſſit, purum, putumque continent aut Collectoris, aut alterius cujuſpiam Scriptoris additamentum. Can. 39. cau. 16. qu. 1.

Sectio XXII.

De Canonibus ſub nomine Decreti Gregoriani laudatis.

De Decreto, ſeu epiſtola ad Epiſcopos omnes.

Ad omnes Epiſcopos ſcribens exhibetur Gregorius in canone 1. diſt. 89., cujus canonis verba in editis Gregorii operibus minime reperiuntur: attamen ſimilia a Gregorio, dum viveret, pronunciata fuiſſe, hiſtoricus refert, nimirum Iohannes Diaconus in vita Gregorii cap. 54. his verbis: *Singula eccleſiaſtici juris officia ſingulis quibuſque perſonis ſingillatim committi debere jubebat, aſſerens, quia ſicut in uno corpore multa membra habemus, &c.*, quemadmodum leguntur in memorato Gratiani fragmento. Quæ ſane Gregorii dicta cum opportune ad rem ſuam laudari poſſe Collector agnoſceret, ea ſub Gregorii nomine ad omnes Epiſcopos ſcribentis rite laudari potuiſſe arbitratus eſt. Præterea animadverto, ſimilem propemodum ſententiam legi apud S. Auguſtinum in enarratione in pſalmum 32. his verbis: *Qui finxit ſingillatim corda eorum: manu gratiæ ſuæ, manu miſericordiæ ſuæ finxit corda, pſalmavit corda noſtra, finxit ſingillatim, ſingula quæque dans nobis, quæ tamen non diri-* Can. 1. diſt. 89.

dirimant vanitatem. Quomodo ſingillatim membra formata ſunt, omnia ſingillatim habent opera ſua, & tamen in unitate corporis vivunt, manus facit quod oculus non facit, auris id valet, quod nec oculus, nec manus valet, omnia tamen unitatem operantur, & manus, & oculus, & auris diverſa faciunt, nec ſibi adverſantur; ſic & in Chriſti corpore ſinguli homines, tamquam membra ſingula, donis ſuis gaudent, quia ille, qui eligit populum in hæreditatem ſibi, finxit ſingillatim corda eorum. Numquid enim omnes Apoſtoli? Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores? Numquid omnes dona habent ſanitatum? Numquid omnes linguis loquuntur? Numquid omnes interpretantur? Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ, alii fides ſecundum eundem Spiritum, alii dona curationum. Quare? quia finxit ſingillatim corda eorum. Quomodo autem in membris noſtris diverſa ſunt opera, ſed ſanitas una; ſic in omnibus membris diviſa munera, ſed charitas una.

Can. 11. cau. 2. qu. 6. Gregorii etiam nomine ad omnes Epiſcopos ſcribentis refertur canon 11. cau. 2. qu. 6., verum jam liquet Eruditis univerſis, eundem pertinere potius ad Gregorium IV., quamobrem inferius ſuo loco tamquam commodiore de illo ſermo inſtituetur.

Can. 5. cau. 18. qu. 2. Ad calcem Gregorianarum epiſtolarum in editione Maurinorum deſcribuntur acta quædam Concilii Romani tertii nuncupati, atque anno 601. celebrati favore Monachorum, in quo decretum hujuſmodi legitur non ſatis recte deſcriptum apud Gratianum in canone 5. cau. 18. qu. 2. *Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus Epiſcopis. Quam ſit neceſſarium Monachorum quieti proſpicere, & de eorum perpetua ſecuritate tractare, anteactum nos officium, quod in regimine monaſterii exhibuimus, informat. Et quia in plurimis monaſteriis multa a præſulibus præjudicia, atque gravamina Monachos pertuliſſe cognovimus, oportet, ut Fraternitatis veſtræ proviſio eorum de futuro quietem ſalubri ordinatione diſponat, quatenus converſantes illic in Dei ſervitio ipſius quoque gratia ſuffragante mente libera perſeverent. Sed ne ex ea, quæ magis emendanda eſt, conſuetudine quiquam Monachis quidquam moleſtiæ præſumat inferre, neceſſe eſt, ut hæc, quæ inferius enumerare curavimus, ita Fraternitatis ſtudio Epiſcopi debeant cuſtodire, ut ex eis non poſſit ulterius inferendæ inquietudinis occaſio reperiri. Interdicimus igitur in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ex auctoritate B. Petri Apoſtolorum Principis, cujus vice huic Eccleſiæ præſidemus, prohibemus, ut nullus Epiſcopus, aut ſæcularium ultra præſumat de reditibus, vel rebus, vel chartis monaſteriorum, vel de cellis, vel villis, quæ ad ea pertinent, quocumque modo, vel qualibet occaſione minuere, vel dolos, vel immiſſiones aliquas facere. Siqua cauſſa forte inter terram venientem ad partem ſuarum Eccleſiarum, & monaſteriorum evenerit, & pacifice non potuerit ordinari, apud electos Abbates, & alios patres timentes Dominum ſine voluntaria dilatione* (Franciſcus Florens in cap. *auditis* de præſcriptionibus in cap. 2. pro his poſterioribus verbis ita potius monet legendum eſſe: *ſed ſiqua forte cauſſa inter Ravennatenſem Eccleſiam, & præfatum monaſterium evenerit, & pacifice non potuerit ordinari, apud electos a partibus timentes Deum ſine voluntaria dilatione, &c.*) *mediis ſacroſanctis Evangeliis finiatur. Defuncto autem Abbate cujuſque congregationis non extraneus eligatur, niſi de eadem congregatione, quem ſibi propria voluntate concors fratrum ſocietas elegerit, & qui electus fuerit ſine dolo, vel venalitate aliqua ordinetur. Quod ſi aptam inter ſe perſonam invenire nequeant, ſolerter ſibi curent de aliis monaſteriis ſimiliter ordinandum. Neque conſtituto Abbate quæcumque perſona qualibet occaſione præponatur, niſi forte extantibus, quod abſit, criminibus, quæ ſacri canones punire monſtrantur.*

tur. Pariter autem cuſtodiendum eſt, ut invito Abbate ad ordinanda alia monaſteria, aut ad ordines ſacros, vel clericatus officium tolli exinde Monachi non debeant. Deſcriptiones vero rerum, & chartarum monaſterii ab Epiſcopo eccleſiaſticas fieri omnino vetamus, ſed ſiquando res exigit, Abbas loci cum aliis fratribus cauſſas rerum inventarum faciat, & eorum conſilio, & judicio finiantur. Obeunte quoque Abbate Epiſcopus in deſcribendis, providendiſque rebus monaſterii adquiſitis, vel datis perquirendis nullatenus ſe permiſceat. Miſſas quoque publicas ab eo in Cœnobio fieri omnino prohibemus, ne in ſervorum Dei receſſibus, & eorum receptaculis ulla popularis præbeatur occaſio conventus, vel mulierum fiat novus introitus, quod omnino nec expedit animabus eorum. Neque audeat ibi cathedram collocare, vel quantamlibet poteſtatem habere imperandi, nec aliquam ordinationem, quamvis leviſſimam, faciendi, niſi ab Abbate loci fuerit rogatus, quatenus Monachi ſemper maneant in Abbatum ſuorum poteſtate; nullumque Monachum ſine teſtimonio, vel conceſſione Abbatis in aliqua Eccleſia teneat, vel ad aliquem promoveat honorem. Hanc ergo ſcriptorum noſtrorum paginam omni futuro tempore ab omnibus Epiſcopis firmam ſtatuimus, illibatamque ſervari, ut & ſuæ Eccleſiæ juvante Domino tantummodo jure contenti, & monaſteria eccleſiaſticis conditionibus, ſeu angariis, vel quibuslibet obſequiis ſæcularibus nullo modo ſubjaceant, nullis canonicis juribus deſerviant, ſed remotis vexationibus in cunctis gravaminibus diurnum opus cum ſumma animi devotione perficiant. Univerſi Epiſcopi reſpondere: libertati monaſteriorum congaudemus, & quæ nunc de his ſtatuit Beatitudo veſtra, firmamus. Poſt hæc ſequuntur ſubſcriptiones plurium Epiſcoporum Romanæ Provinciæ. Verum jamdiu animadverterunt viri eruditiſſimi, hæc, ac ſimilia privilegia vetuſtiſſimis Pontificibus adtributa prodiiſſe demum recentiore ætate a Monachis ipſis conficta, atque evulgata. Fateor quidem ego, apud ſanctum Gregorium legi aliquando Epiſcopis interdictum, ne in monaſteriis eccleſiaſticas functiones publicas exercerent, ne forte ob celebrem populi frequentiam quies Monachorum in oratione, ac fletu conſiſtentium turbaretur. Verum omnimoda Monachorum exemtio ab Epiſcopali jurisdictione temporibus magni Gregorii eſt prorſus incognita. Quis enim neſciat, uſque ad ſæculum undecimum, aut duodecimum Monachos ipſos Epiſcoporum jurisdictioni adhuc fuiſſe obnoxios, quemadmodum omnia propemodum illius temporis eccleſiaſtica monumenta teſtantur? Teſtis ſit inter ceteros Ivo Carnotenſis Epiſcopus, qui ſub finem undecimi ſæculi floruit, & quidem vir eccleſiaſticæ diſciplinæ peritiſſimus: ipſe in epiſtola 65. ad Urbanum II. conqueſtus eſt de quodam Abbate in Diœceſi Pariſienſi conſtituto, qui nova inauditaque præſumtione immunem ſe ab jurisdictione Pariſienſis Epiſcopi prædicabat, ibi: *Præterea ſummopere rogamus excellentiam veſtram, ut eum munitum Apoſtolicis literis remittatis contra Latiniacenſem Abbatem, & Monachos ejus, qui neſcio qua nova libertate ſuos exceſſus tuentur, & ſubjectionem Pariſienſi Eccleſiæ debitam, & hactenus exhibitam contra canonicam inſtitutionem de cervice ſua excutere moliuntur. Hæ autem perſonæ hujuſmodi ſunt, quibus magis neceſſaria eſt ſubjectio, quam libertas, &c.* Teſtis quoque egregius erit ſanctus Bernardus, qui initio 12. ſæculi floruit. Ipſe in ſuis epiſtolis ſæpiſſime, ac præſertim epiſtola 42., 179., & 180. luget plurimos ex Abbatibus, ac Monachis novo quodam invecto jure libertatem abs juriſdictione ſacrorum Antiſtitum appetiiſſe. Quæ ſane apertiſſime demonſtrant, ſæculo demum XI., aut XII. Monachos conatos fuiſſe ad libertatem, quæ tamen adhuc nova, atque inſueta viris ſanctiſſimis, ac prudentiſſimis videbatur. Sane nullum non moverunt

lapidem

lapidem Monachi plures, ut hæc nova exemtionis jura producerent, varia quaſi veterum patrum monumenta edendo, falſa etiam plurima, & ab ipſis elucubrata, quorum propterea aliquot a ſummis Pontificibus ob falſitatis vitium reprobata intelligimus tum apud Gregorium VII. in epiſtola 33., tum apud Innocentium III. in cap. 6. de fide inſtrumentorum. Ad rem hanc ita ſcribit Franciſcus Juretus in notis ad epiſtolam 65. Ivonis Carnotenſis. *Extat inſignis, & memoratu digna hiſtoria ſuper contentione Monachorum B. Walerici, qui commentitia finxerunt privilegia cujuſdam Romani Pontificis, quæ non puduit illos palam exhibere, & jactare in celebri conventu Rhemenſi, ut ſcilicet comprobarent, nulli ſe ſubjectos, niſi Romano Pontifici. Quorum fraudem detexit Godefridus Epiſcopus Ambianenſis, cum veſte abſterſiſſet atramentum ſcripturæ recentis.* Similia fere tradidit Cantuarienſis Archiepiſcopus in epiſtola 68. apud Petrum Blezenſem relata apud Florentem in cap. *auditis* de præſcriptionibus cap. 2. ibi: *falſariorum præſtigioſa malitia ita in Epiſcoporum contumeliam ſe armavit, ut falſitas in omnium fere monaſteriorum exemtione prævaleat, niſi in deciſionibus, & examinationibus faciendis judex veritatis exactor diſtrictiſſimus intercedat.* Quamobrem non temere concludere quiſpiam poterit, laudatum Concilium Gregorio Magno adtributum a falſariis quibuſdam Monachis fuiſſe confictum, vel quod perſpicue liqueat, Monachos ipſos hujuſmodi exemtionum privilegia fingere conſueviſſe, vel quod poſt Gregorii Magni ætatem diu adhuc viguerit in Monachos Epiſcoporum poteſtas, ac juriſdictio, vel demum quod ejuſdem Romani Concilii falſitatis ſit graviſſima conjectura in ſubſcriptionibus Epiſcoporum, qui iidem omnino ſunt cum Epiſcopis, qui germanis aliis Gregorii Conciliis ſubſcripſerant; quas ſubſcriptiones imitari vulgare fuit falſariis ſcriptoribus, quemadmodum animadvertit in nuper memorato loco vir eruditiſſimus Franciſcus Florens.

De Concilio Generali ſub nomine Gregorii.

In editis Gregorii monumentis poſt epiſtolarum libros leguntur Decreta quædam ſub nomine Romani Concilii a Gregorio eodem celebrati, imperante Mauritio Tiberio, necnon Theodoſio, indictione 14., quemadmodum habent editi codices numero plures, aut indictione 13., uti legitur in veteribus MSS. De horum Decretorum fide, atque auctoritate dubitant Viri graviſſimi ex eo, quod in vetuſtiſſimis plurimis MSS. deſiderentur. Verum meo judicio, cum teſtantibus Maurinis Monachis ſolertiſſimis Gregorianorum operum inveſtigatoribus, adpareant in aliis, & quidem non paucis codicibus, non eſt cur ea una de cauſſa rejiciantur, præſertim vero quod eorundem meminerit Beda in lib. 11. Hiſtoriæ cap. 1., ubi hæc ipſa Decreta appellat *Libellum ſynodicum, quem Gregorius cum Epiſcopis de neceſſariis Eccleſiæ cauſſis utiliſſimum compoſuit*; præſertim etiam quod de eodem Concilio, ac Decretis conciliaribus mentionem fecerit ipſe Gregorius in epiſtola 57. lib. 5. apud Maurinos, ſeu 55. lib. 4. in vulgari editione ſcripta ad Johannem Corinthium, his verbis: *Quod quoniam incongruum erat facto Concilio ante corpus B. Petri Apoſtolorum Principis tam de hoc,* (nimirum de pallio) *quam de ordinationibus aliquid accipere ſub diſtricta interdictione vetuimus*. Initio actorum hujus Concilii leguntur verba canonis 2. diſt. 92. ibi: *In ſancta Romana Eccleſia; cui Divina diſpenſatio præeſſe*

Can. 2. diſt. 92.

Digitized by Google

eſſe me voluit, *&c.* Pro illis Gratiani verbis, *vel ſi neceſſitas exigit*, in editis Gregorii codicibus legitur: *vel ſi neceſſitas fuerit*. Animadverterunt Maurini Monachi Gregorianorum operum Editores, hoc primum Decretum in quibuſdam MSS. Codicibus, in quibus etiam cetera Decreta leguntur, deſiderari; atque inter alios retulerunt Codicem Cappuccinorum Rothomagenſium, in quo aſſeruerunt, caput illud non haberi. Ceterum hocce Decretum Sancto Gregorio jure tribuendum eſſe præter pleraque MSS., immo fere omnia illud exhibentia, ſingularis conjectura edocet; quippe ſcimus, S. Gregorium peculiares eccleſiaſtici cantus regulas præſtituiſſe, uti refert Johannes Romanæ Eccleſiæ Diaconus, qui circa annum 875. ejuſdem Gregorii vitam ſcripſit, in lib. 2. cap. 6. ita de eodem Pontifice narrans: *Deinde in domo Domini more ſapientiſſimi Salomonis propter muſicæ compunctionem dulcedinis antiphonarium centonem Cantorum ſtudioſiſſimus nimis utiliter compilavit, ſcholam quoque Cantorum, quæ hactenus eiſdem inſtitutionibus in ſancta Romana Eccleſia modulatur, conſtituit*. Addit idem Johannes, ſuo tempore adhuc in Romana Eccleſia adſervatum fuiſſe authenticum Magni Gregorii Antiphonarium. Itaque inveroſimile non eſt, Gregorium, qui ſcholam Cantorum in Eccleſia conſtituerat, prohibuiſſe Diaconis, ne cantui ipſi incumberent, ſed potius Divinæ prædicationi, & eleemoſynarum miniſteriis, quibus ex officio potiſſimum addicebantur, vacarent, quemadmodum ex eodem canone 2. adparet.

In capite 2. ejuſdem Concilii legitur canon 58. cau. 2. qu. 7. his verbis: *Verecundus mos tempore indiſcretionis inolevit, ut hujus Sedis Pontificibus ad ſecreta cubiculi ſervitia laici pueri, ac ſæculares obſequantur, & cum Paſtoris vita eſſe diſcipulis ſemper debeat in exemplo, plerumque Clerici, qualis in ſecreto ſit vita ſui Pontificis neſciunt, quam tamen, ut dictum eſt, pueri ſciunt ſæculares. De qua re præſenti Decreto conſtituo*, *&c.* Hæc ſane congruunt Gregorii Magni ſententiæ, quam fuiſſe hujuſmodi, ut lateri Pontificum non laici homines, ſed Clerici aſſidue adſtarent, ſuperius obſervatum eſt ad canonem 1. diſt. 53. Hinc Johannes Diaconus lib. 2. cap. 11. ita ſcribit: *Ceterum prudentiſſimus Rector Gregorius remotis a ſuo cubiculo ſæcularibus Clericorum ſibi prudentiſſimos conſiliarios, familiareſque delegit, inter quos Petrum Diaconum coætaneum ſuum, cum quo poſtea diſputans quatuor Dialogorum libros compoſuit*. Et paullo inferius: *Monachorum vero ſanctiſſimos ſibi familiares elegit, inter quos Maximianum Monaſterii ſui Abbatem, quem poſtea Syracuſis Epiſcopum fecit, eique per Siciliam vices ſuas commiſit, Auguſtinum ejuſdem Monaſterii ſui Præpoſitum, & Mellitum, per quos Anglorum gentes ad Chriſtianiſmi gratiam convocavit*. *Can. 58. cau. 2. qu. 7.*

Sequitur poſt hæc in capite 3. ejuſdem Concilii canon 1. cau. 16. qu. 6., ubi tamen pro illis verbis, *Decreto conſtituto*, legendum eſt: *Decreto conſtituo*. Ad cujus canonis interpretationem obſervandum eſt, morem fuiſſe apud veteres in bonis ad Fiſcum devolutis titulos Imperatoris imponendi, ſive illa urbana prædia eſſent, ſive ruſtica, unde fieret, ut cum titulum unuſquiſque legeret, conterritus potentia nominis ab invaſione abſtineret, quemadmodum deducitur ex Caſſiodoro lib. 4. variarum epiſt. 14., lib. 5. epiſt. 6., & lib. 9. epiſt. 18., quibus addi poteſt lex 3. Cod. de bonis vacantibus. Hi porro tituli ſolemniter, & judiciali auctoritate coram teſtibus infigebantur, ac nemo alius ſimile quidpiam in prædiis ſuis facere poterat, non ſolum ſuum, ſed neque alicujus potentioris nomen inſcribendo, ita ut, qui id molitus eſſet, pœnis graviſſimis coerceretur, uti dicitur apud Caſſiodorum in laudata epiſtola 18., & novella Juſtiniani 30. cap. 8., item lege *Can. 1. cau. 16. qu. 6.*

 1., &

1., & 2. Cod. ut nemo privatus titulos prædiis ſuis, &c. Ad illum morem titulorum prædiis fiſcalibus adfigendorum adludens Auguſtinus in expoſitione epiſtolæ Johannis tract. 7. ait: *Recedite prædones, recedite invaſores poſſeſſionis Chriſti. In poſſeſſionibus veſtris, ubi dominari vultis, titulos omnipotentis Dei auſi eſtis infringere: Cognoſcit ille titulos ſuos; vindicat ſibi poſſeſſionem ſuam, non delet titulos, ſed intrat, & poſſidet. Sic ad catholicam venienti non deletur baptiſmus, ne titulus Imperatoris deleatur*. Impoſitis ſemel hujuſmodi titulis, ſiquis res ita munitas invaſiſſet, ſtatim, & ſine ullo judiciario ordine graviſſimis pœnis ſubdebatur. Hinc Viri eccleſiaſtici, ut melius eccleſiaſtica prædia tuerentur quaſi Divino juri mancipata, cœperunt & illis imponere titulos, quibus ea Divini juris eſſe ſignificarent. Et primo quidem id factum in ſacris Templis jam ab antiquiſſima ætate, unde evenit, ut in vetuſtis canonibus Templa ipſa *tituli* appellarentur, & Clerici Templis addicti *titulati*. A ſacris Templis tituli quoque producti ſunt ætate Gregorii Magni ad illa prædia, quæ Eccleſia ob alimenta Clericis, aut pauperibus ſuppeditanda poſſideret. Aliquot ex eccleſiaſticis adminiſtris occaſione arrepta non ſolum titulos adponebant prædiis illis, quæ certo eſſent in jure Eccleſiæ, ſed etiam adpoſuerunt aliquando in iis, quæ pertinere ad Eccleſiam ex quibuſcumque conjecturis ſuſpicabantur, & quidem facto proprio, non jure, ſed manibus ſibi & Eccleſiis poſſeſſiones, & prædia adſerentes. Hinc Gregorius prudentiſſime ſtatuit, ne hujuſmodi titulorum impoſitio in una Rectorum eccleſiaſticorum poteſtate conſiſteret, ſed antequam ad illam deveniretur, cognoſceretur de cauſſa, certoque conſtaret, de prædiis eccleſiaſticis agi.

Simoniacam hæreſim tempore Gregorii Magni plurimorum Clericorum animos
Can. 4. cau. 1. qu. 2. polluiſſe dignoſcimus abunde ex variis jam ſuperius expoſitis ejuſdem Papæ monumentis. Hinc opus Sanctus Pontifex exiſtimavit, ut in eodem Romano Concilio quædam adverſus ſimoniacos conſtitueret. Habentur hæc apud Gratianum in can. 4. cau. 1. qu. 2., cujus poſtrema verba ita legenda erunt juxta codices optimos: *Quæ ex accipientis ambitu non proceſſit*.

Can. 23. diſt. 54. Poſtremus Gregoriani Concilii canon legitur in can. 23. diſt. 54. Nimirum tunc temporis cum vita monaſtica apud homines impenſo ſtudio coleretur multi ex ſervis ſive Eccleſiæ, ſive privatorum dominio mancipatis ad regularis, ſeu clauſtralis vitæ profeſſionem contendebant, hinc vel ab Eccleſia, vel a privatis ipſis dominis pietatis, ac religionis cauſſa facile manumittebantur. Poterant hac dominorum liberalitate abuti plures, quos non ſolitariæ vitæ, ſed potius conſequendæ libertatis amor ad vitam monaſticam concitabat. Prudentiſſime Gregorius decrevit, ut illi primum laico adhuc habitu induti probarentur. Idipſum viſum fuit opportunum in militibus, hinc autem Gregoriani Concilii canon de ſervis æque, ac de militibus conceptum fuit. Verumtamen animadvertere juvabit in veteribus MSS. diverſam omnino eſſe canonis editionem. Nam in prioribus verbis, ubi Gratianus legit: *Multos de eccleſiaſtica familia, ſeu ſæculari militia novimus, &c.*, in veteribus laudatis codicibus ita habetur: *Multos de eccleſiaſtica, ſeu ſæculari familia novimus, &c.*, ex quibus liquet, de militia nullam ibidem fieri mentionem. Forte pro ſcriptura Gratianei codicis anteferenda aliquid probare poterunt verba illa poſteriora etiam de militia concepta, ibi: *Ut quiſquis ex juris eccleſiaſtici, vel ſæcularis militiæ ſervitute, &c.* Pro illis Gratiani verbis: *Qui Divino amore diſtrictiorem ſubire appetit ſervitutem*, legendum potius erit: *Qui in Divino obſequio diſtrictiorem appetit ſervitutem*. Quæ porro ſequuntur in verſiculo *Si autem* uſque in finem in MSS. Codi-

Digitized by Google

Codicibus vetuſtis deſiderantur, quemadmodum Maurini Monachi obſervaverunt, eaque propterea cenſenda erunt velut otioſi cujuſpiam additamentum.

De canone 1. cau. 35. qu. 2. ſub nomine Gregorii in Concilio Meldenſi.

Nemo non videt, inſcriptionem canonis 1. cau. 35. qu. 2. nullo modo conſiſtere poſſe, dum exhibetur: *Gregorius Papa in Concilio Meldenſi*; quum Concilium Meldenſe celebratum fuerit medio octavo ſæculo, & Gregorius vixerit ſub finem ſexti ſæculi. Quænam fuerint cauſſæ, ex quibus hæc apud Gratianum inſcriptio adjiceretur, jam alibi animadverti, videlicet in priore hujus operis parte in appendice ad Concilium Meldenſe, ubi etiam illa monumenta relata ſunt, ad quæ Gratianeus iſte canon exigeretur. Interea hoc in loco ſufficiat obſervare, quæ ibidem traduntur congruere nullo modo poſſe ſententiis Gregorii Magni, quemadmodum demonſtrari commode poteſt ex iis, quæ ſuperius tradita ſunt ad canonem 2. cau. 35. qu. 8.

SECTIO XXIII.

De Capitibus depromtis ex Libris Moralium, ſeu Commentariorum in Job.

Refert Beda in cap. 1. lib. 2. Hiſtoriæ Anglorum, Gregorium Magnum jam ab eo tempore, quo in Conſtantinopolitana Urbe apud Imperatorem Apocryſarii munere fungebatur, adortum fuiſſe librum Commentariorum in Job, quem ob moralis vitæ inſtitutionem ibidem traditam librum Moralium appellavit; quod etiam conſtat ex præfatione ejuſdem Gregorii ad Leandrum Epiſcopum Hiſpalenſem libro ipſi præfixam. Quippe Gregorius, rogante potiſſimum Leandro familiariſſimo ſuo, eundem librum jam Romanus Pontifex factus perfecit, atque ad Leandrum miſit, multorum ſane opus annorum, ut proinde habeatur tamquam præcellens inter Gregoriana opera monumentum. Enimvero ſtatim ac opus iſtud prodiit, in maxima veneratione fuit apud Viros eccleſiaſticos, qui illud ſuo adhuc vivente auctore inter eccleſiaſticas Homilias Divinorum officiorum recitari curarunt, licet ægre id Gregorius tulerit, qui proinde in epiſtola 24. lib. 12. ad Johannem Ravennæ Subdiaconum ita ſcripſit: *Illud autem, quod ad me quorundam relatione perlatum eſt, quia Reverendiſſimus Frater, & Coepiſcopus noſter Marinianus legi commenta B. Job publice ad vigilias faciat, non grate ſuſcepi, quia non eſt illud opus populare, & rudibus auditoribus impedimentum magis, quam provectum generaret. Sed dic ei, ut commenta Pſalmorum legi ad vigilias faciat:* Meminerunt cum laude hujus libri Johannes Diaconus lib. 1. cap. 17., Iſidorus Hiſpalenſis in lib. de Scriptoribus eccleſiaſticis cap. 27., Ado Viennenſis in Chronico ætatis 6., & Johannes Trithemius in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis. De hujus operis diſtributione ita Gregorius ipſe ſcribit in epiſtola ad Leandrum: *Opus hoc per 35. volumina extenſum in ſex codicibus explevi.* Editi codices Gregoriani adhuc in præſentia exhibent partitionem in triginta & quinque volumina, ſed in ipſis nullum ſex codicum veſtigium agnoſcitur, quam tamen ſex codicum partitionem Maurini Monachi in veteribus MSS. agnoverunt, & in ſua editione retinendam voluerunt, una animadvertentes, Gregorium nullam feciſſe capi-

Digitized by Google

tum diviſionem, ſed hanc potius, qualis in editis codicibus hodie adparet, factam fuiſſe poſt annum 1000. tempore Henrici II. Imperatoris a Rainerio Eccle æ Aretinæ Canonico. Hodie juxta varias editiones varia quoque eſt capitum diſ ibutio. Vulgo traditum eſt, hos morales libros deperditos olim fuiſſe ex eo, quc . invidentes Gregorii adverſarii plurimos ejuſdem Pontificis codices ex odio coı :cremaverint, quod teſtatur Johannes Diaconus, deinde vero prodigioſe fuiſſe rep rtos in Templo Romano, ubi cuidam exoranti Gregorius adparuerit, libroſque hu ıſmodi palam fecerit. Verum Eruditi omnes hanc puram eſſe, putamque fabella ı jam ſibi facile perſuaſerunt.

Can. 13. diſt. 38. Huic igitur operi præfigitur veluti prologus epiſtola ad Leandrum Epi copum Hiſpalenſem, & Sancti Iſidori Prædeceſſorem, in qua operis ſui propoſit ım auctor explanat. Nimirum Leander Gregorio *in amicitiis familiariter junctus*, ut dicitur in lib. 3. Dialogorum cap. 31., petierat hoc opus Moralium ad ſe mi ti, cui Gregorius morem geſſit, ut ipſe teſtatur in epiſtola ad eundem Leandrum, quæ eſt 41. in lib. 1. Regeſti, ibi: *Ea autem, quæ in B. Job expoſitione dicta fueri t, & vobis dirigenda ſcribitis, quia hæc verbis, ſenſibuſque petentibus per Homilias direxeram, utcumque ſtudui in librorum ductum permutare, qui nunc a librariis conſcribuntur. Et niſi portitoris præſentium me feſtinatio coanguſtaſſet, cuncta vobis tranſmittere ſine aliqua imminutione voluiſſem, maxime quia & hoc ipſum opus ad veſtram Reverentiam ſcripſi, ut ei, quem præ ceteris diligo, in meo judicer labore deſudaſſe.* Ex hoc ipſo prologo, ſive epiſtola ad Leandrum depromtus eſt canon 13. diſt. 38., in ea nimirum parte, in qua profitetur Gregorius, ſe non fuiſſe valde ſtudioſum in ſtylo ad elegantiam exornando his verbis: *Unde & ipſam loquendi artem, quam magiſteria diſciplinæ exterioris inſinuant, ſervare deſpexi, nam, ſicut hujus quoque epiſtolæ tenor enuntiat, non metaciſmi colliſionem fugio* (ſunt qui pro voce illa *metaciſmi* legunt *jotaciſmi*. Verum id eſt contra MSS. omnium auctoritatem, quemadmodum Maurini Monachi obſervaverunt. Eſt metaciſmus frequens literæ *m* repetitio, quæ præſertim in fine vocum ingratam reddit literarum colliſionem) *non barbariſmi confuſionem devito, ſitus, motuſque, & præpoſitionum caſus ſervare contemno, quia indignum vehementer exiſtimo, ut verba cœleſtis oraculi reſtringam ſub regulis Donati.*

Can. 2. diſt. 13. Canon 2. diſt. 13. legitur in libro 32. cap. 20. ad illa verba capitis 40. verſic. 12. Job: *Nervi teſticulorum ejus* (ſcilicet Behemoth) *perplexi ſunt*. Gratianus pro nomine *Behemoth* appoſuit *Leviathan*; forte quia in ſacris literis in memorato cap. 40. de Leviathan etiam ſermo occurrat; quamquam laudata verba *Nervi teſticulorum ejus perplexi ſunt* & in ſacris literis de Behemoth concepta ſint, & Gregorius ipſe de Behemoth interpretetur. Verba Gregorii hæc ſunt: *Sed horum teſticulorum nervi perplexi ſunt, quia ſuggeſtionum illius argumenta implicatis inventionibus illigantur, ut pleroſque ita peccare faciant, quatenus ſi fortaſſe fugere peccatum appetunt, hoc ſine alio peccati laqueo non evadant, & culpam faciant, dum vitant, ac nequaquam ſe ab una valeant ſolvere, niſi in alia conſentiant ligari. Quod melius oſtendimus, ſiqua ex converſatione hominum illigationis hujus exempla proferamus. Quia vero in tribus ordinibus Sancta Eccleſia conſtat, conjugatorum videlicet, continentium, atque rectorum, unde & Ezechiel tres viros liberatos vidit, videlicet Noe, Daniel, & Job, & in Evangelio Dominus dum alios in agro, alios in tecto, atque eſſe in molendino alios perhibet, tres procul dubio in Eccleſia ordines oſtendit, liquido ſatisfacimus, ſi ſingula ex ſingulis exquiramus. Ecce enim quidam dum mundi hujus amicitias appetit, &c.* Quæ ſequuntur apud Gra-

Digitized by Google

Gratianum cum Gregorianis codicibus conſonant, dummodo pro illis Gratiani verbis, *qui ſine judicio legitur, cum præeſſe jam cœperit, agere quæ Dei ſunt .... eſt tamen, quod ad deſtruendas Behemoth verſutias ſubtiliter fiat, &c.*, iſta potius legantur: *Qui ſine judicio eligitur, cum præeſſe jam cœperit, agi quæ Dei ſunt .... eſt tamen, quod ad deſtruendas ejus verſutias utiliter fiat, &c.* Quæ vero identidem Gratianus omiſit, ideo integra non refero, vel quod jam ſatis ex his conſtet Gregorii ſententia, unde recta ſumatur interpretatio, vel quod alias recenſenda eſſet nimis prolixa ſententia.

Ad interpretationem verborum Jobi cap. 29. verſ. ult. ibi: *Cumque ſederim quaſi Rex, circumſtante exercitu, eram tamen mœrentium conſolator*, multa congeſſit Gregorius in lib. 20. cap. 5., unde ſumtus eſt canon 9. diſt. 45. ibi: *Cumque ſederem quaſi Rex, circumſtante exercitu, ecce auctoritas regiminis: eram tamen mœrentium conſolator: ecce miniſterium pietatis. Diſciplina enim, vel miſericordia multum deſtituitur, &c.* quæ ſequuntur in memorato canone 9., ubi tamen pro illis verbis: *Scripturæ ſacræ ſcientia, in boni ... ſit rigor, ſed non exaſperans ... ſtricte ſævientem ... contra ejus culpa penſemus ... intus arſit ignibus amoris, &c.* ita legamus: *Scripturæ ſacræ ſcientia eſt, in boni ... ſit vigor, ſed non exaſperans ... diſtricte ſævientem ... contra ejus culpas penſemus ... intus arſit igne amoris, &c.* *Can. 9. diſt. 45.*

Canon 14. diſt. 45. omnino conſonat cum integris Gregorii codicibus, depromtuſque eſt ex lib. 19. cap. 20. ad interpretationem illius verſiculi Job cap. 29. *Cor viduæ conſolatus ſum.* *Can. 14. diſt. 45.*

In lib. 23. Moralium cap. 13. in caput 33. verſ. 1., & 2. Libri Job, ibi: *Audi igitur Job eloquia mea, & omnes ſermones meos auſculta: ecce aperui os meum; &c.* habetur canon 1. diſt. 46., cujus initium ita legendum eſt, ut integra exhibeatur Sancti Pontificis ſententia: *Penſemus, de qua elatione deſcendit, quod B. Job audire ſe admonet, quod os aperuiſſe ſe perhibet, quod linguam ſuam in faucibus loqui promittit? Hoc enim habet proprium doctrina arrogantium, &c.*, quæ apud Gratianum ſubſequuntur, ubi tamen pro illis verbis *ſublimitatis culmine* Maurini Monachi legendum volunt: *ſummitatis culmine.* *Can. 1. diſt. 46.*

Canon 2. diſt. 46. legitur in lib. 18. cap. 4. ad cap. 27. libri Job in illa verba verſ. 5. *Abſit a me, ut juſtos vos eſſe judicem.* Conſonat canon ipſe cum integris Gregorii codicibus, quoties pro illis verbis *in eo fultus*, ita legatur *in ea fultus.* *Can. 2. diſt. 46.*

In libro 19. cap. 27. habentur verba canonis 3. diſt. 47. ad interpretationem cap. 29. Job verſ. 18. ibi: *Et ſicut palma multiplicabo dies*, ubi juſti palmis æquiparantur, iniqui vero ceteris arboribus. Pro illis autem verbis *longius, atque deſtinatius* legendum eſt, *longius, atque diſtantius.* Item in illis: *Ne debiliores vos habeat ſancta libertas aeris, quos, &c.*, varia varii codices exhibent, apud Maurinos enim legitur: *Ne debiliores vos habeat ſancta libertas charitatis, quos &c.*, alibi: *Ne debiliores vos habeat ſancta libertas, quos, &c.*, alibi: *Nec debiliores vos habeat ſancta libertas aeris, quos, &c.*, alibi: *Ne debiliores vos habeat ſancti libra operis, quos &c.*, alibi demum: *Ne debiliores vos habeat ſancta libertas hæredes, quos &c.* *Can. 3. diſt. 47.*

In libro 18. cap. 17. leguntur verba canonis 18. diſt. 50. ad interpretationem illorum verborum capitis 28. Job verſ. 2. ibi: *Ferrum de terra tollitur.* Ibidem pro illis verbis: *Quia jam incipit*, legendum erit: *Qui jam incipit.* Illud ſane hoc in loco erit animadvertendum, Gratianum perperam quæſtioni propoſitæ accommodare voluiſſe fragmentum Gregorii; ſiquidem Gratianus de Sacerdotibus poſt lapſum *Can. 18. diſt. 50.*

reſti-

reſtituendis ſermonem inſtituerat; at de ipſis ne verbum quidem apud Gregorium legitur, ſed generatim de illis, qui poſtquam errorum tenebris involuti fuerunt, ad fidem excitantur, & gratiam, quam ad rem ſubjicitur exemplum Matthæi ad Apoſtolatum vocati, ibi: *An non Matthæus in terra inventus eſt, qui terrenis negotiis implicatus telonii uſibus ſerviebat?*

In libro 26. cap. 13. legimus verba canonis 9. cau. 1. qu. 4. ad interpretatio-
Can. 9. nem capitis 35. libri Job verſ. 8., item in libro 14. cap. 29. in caput 19. Job
cau. 1. verſ. 5. legimus verba canonis 3. cau. 3. qu. 7. Verba Jobi, quæ ibidem expen-
qu. 4. & duntur, hæc ſunt: *At vos contra me erigimini, & arguitis me opprobriis meis*; quam
Can. 3. ad rem Gregorius recenſet factum Judæorum adulteram accuſantium juxta caput 8.
cau. 3. Evangelii Johannis, atque ex improbitate eorum, qui mulierem evangelicam ac-
qu. 7. cuſaverant, improbitatem eorum redarguit, qui Jobum conviciis laceſſebant. Porro in memorato canone 3. pro illis verbis: *Conſulto enim Domino, ſi ad ulciſcendum ire debuiſſet ... & ſecundo perdidit ... feriantur, &c.*, legendum potius erit: *Conſulto autem Domino, ſi ad ulciſcendum ire debuiſſent ... & ſecundo cecidit ... feriantur, &c.*

Can. 5. In præfatione Moralium leguntur verba canonis 5. cau. 3. qu. 7. Ibi ſcilicet
cau. 3. docet Gregorius, Jobum virum fuiſſe integerrimæ vitæ, ea potiſſimum ratione du-
qu. 7. ctus, quod Job pro amicis ſuis delinquentibus interceſſiſſet, inquiens: *in gravibus peccatis quis poſitus, dum ſuis premitur, aliena non diluit. Mundus ergo oſtenditur eſſe de ſe, qui emundationem potuit obtinere pro aliis.* Quæ in Gratianeo canone poſt illa verba *aliena non diluit* ſubſequuntur, in ipſa Gregorii præfatione deſiderantur; quamquam ſimilia quædam habeantur in libro 32. Moralium cap. 14. ad caput 31. verſ. 32. Job his verbis: *Cuncta itaque malitiæ macula ab interiori noſtro homine cogitationis immutatione tergenda eſt, quia iram judicis placare neſcit oblatio, niſi ex munditia placeat offerentis, unde ſcriptum eſt: Reſpexit Deus ad Abel, & ad munera ejus; ad Cain autem, & munera ejus non reſpexit. Neque etenim ſacrum eloquium dicit: reſpexit ad munera Abel, & ad Cain munera non reſpexit, ſed prius ait: quia reſpexit ad Abel, ac deinde ſubjunxit, & ad munera ejus, & rurſum dicit, quia non reſpexit ad Cain, ac deinde ſubdidit, nec ad munera ejus. Ex dantis quippe corde id, quod datur, accipitur. Idcirco non Abel ex muneribus, ſed ex Abel munera oblata placuerunt. Prius namque ad eum legitur Dominus reſpexiſſe qui dabat, quam ad illa, quæ dabat.* Similia quædam leguntur in epiſtola Gregorii ad Recharedum Regem Viſigothorum 126. lib. 7. in vulgari editione, & 122. lib. 9. apud Maurinos, ubi Sanctus Pontifex gratulatur Recharedo, quod dona Romam miſiſſet Apoſtolo Petro devota, ita ſubjiciens: *Scriptum quippe eſt: vota juſtorum placabilia, neque enim in omnipotentis Dei judicio quid datur, ſed a quo datur, adſpicitur. Hinc eſt enim, quod ſcriptum eſt: reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus; ad Cain autem, & ad munera ejus non reſpexit: dicturus quippe, quia Dominus reſpexit ad munera, præmiſit ſollicite, quia reſpexit ad Abel. Ex qua re patenter oſtenditur, quia non offerens a muneribus, ſed munera ab offerente placuerunt.* Jungatur his canon 11. cau. 14. qu. 5. Quæ demum Gregorius proſequitur in verſ. *dona*, & in verſ. *longe* depromta ſunt ex libro Eccleſiaſtici cap. 34., & ex libro Proverbiorum cap. 15.

Canon 10. cau. 8. qu. 1. legitur in libro 35. cap. 14. in caput 42. libri Job; ubi tamen pro verbis illis: *de ſuo aliquid non habuerit ... obedientia ſibi meritum,* legen-

Digitized by Google

legendum erit *de ſuo aliquid non habeat . . . obedientiæ ſibi meritum*. Verſiculus Can.10.
obedientia erat ante cetera deſcribendus, utpote qui in monumento Gregoriano cau. 8.
multo ſuperius legitur. Intermedia ſunt apud Gregorium verba illa, quæ retu- qu. 1. &
lit Gratianus in can. 99. cau. 11. qu. 3., propterea cum eodem canone 10. jun- Can.99.
genda, ubi pro verbis illis: *quando hanc mediator Dei, & hominum tenuit, tenen-* cau. 11.
dam præcepit, & cum obedientes remunerat, non relinquit . . . dignum fuerat, ut qu. 3.
hunc etiam a bono prohiberet, ita legendum erit: *quando hanc mediator Dei, & homi-
num, & cum obedientes remunerat non relinquit . . . dignum fuerat, ut etiam a bono
prohiberetur*.

Paucis perſtrinxerat Gratianus in canone 10. cau. 22. qu. 2. ſententiam Grego- Can.10.
rii, qualis legitur in libro 26. cap. 5. in caput 34. Jobi, cujus propterea verba cau. 22.
integra retulerunt poſt eundem canonem Correctores Romani. Monent adhuc qu. 2.
Maurini Monachi pro illis verbis *incaute ſunt homines*, quæ habentur in vulgaribus
editis Gregorii codicibus, ita potius legendum eſſe ex optimis vetuſtiſſimis exem-
plaribus: *incaute ſunt humiles*.

In libro 18. cap. 3. leguntur verba canonis 19. cau. 22. qu. 2., in quo totus Can.19. & 20.
eſt Gregorius adverſus eos, qui mendacio quemquam circumveniunt; atque inter cau. 22.
cetera ſibi objicit quod vulgo dici ſolet, nimirum in Sacra Scriptura videri aliquan- qu. 2.
do laudata mendacia, verius dixerim figuras; quo pertinet memoratus canon 19.
ibidem, ſed paullo ſuperius leguntur verba canonis 20. cau. 22. qu. 2., ubi tamen
pro illis *in qua magis compenſatio agnoſcitur, quid mendacii culpa mereatur: nam be-
nignitatis earum merces, quæ eis in æterna potuit vita retribui, præmiſſa culpa menda-
cii, &c.*, hæc potius erunt legenda: *in qua recompenſatione cognoſcitur, quid menda-
cii culpa mereatur; nam benignitatis earum merces, quæ eis in æterna potuit vita re-
tribui, pro admixta culpa mendacii, &c.* Hoc in loco expendebat Gregorius, quod
objici inter cetera ſacrarum literarum monumenta ſolebat de mendacio obſtetri-
cum ægiptiacarum, quando alienam vitam, aut ſalutem tueri maluerunt; neque
enim ajebat Sanctus Pontifex vitæ ipſius tuendæ cauſſa mendacium proferri poſſe,
quamquam ea in ſpecie dignum venia videretur. Hanc ad rem optime ediſſerit
Auguſtinus enarratione in pſalmum 5. ibi: *multa quidem videntur pro ſalute, aut
commodo alicujus non malitia, ſed benignitate mendacia; quale illarum in Exodo obſte-
tricum, quæ Pharaoni falſum renunciaverunt . . . in iis, qui perfecti ſunt, nec iſta
mendacia inveniuntur*.

Canon 11. cau. 22. qu. 5. legitur in lib. 26. cap. 10. in caput 35. verſ. 2. Can.11.
libri Job; quamquam ea quæ ſubſequuntur in verſ. *certe noverit* non ſint Grego- cau. 22.
rii, ſed potius Collectoris cujuſpiam, aut Interpretis, qui Gregorianam ſententiam qu. 5.
aliis verbis recenſuit. Plurimum vero valere potuit codex Gratiani, ut fragmen-
tum hoc referretur ſub Gregorii nomine in cap. 15. de verb. ſign. apud Grego-
rium IX.

In libro 35. cap. 8. ad caput Job 42. verſ. 8. leguntur verba canonis 22. cau. 24. Can.22.
qu. 1., ubi tamen pro illis *ſola eſt, in quo bonum, &c.*, hæc ſubſtituere juvabit cau. 24.
ex optimis codicibus: *ſola eſt, in qua opus bonum, &c.* qu. 1.

In libro 4. cap. 1. ad interpretationem capitis 3. Job verſ. 1. 2., & 3., ubi Can.12.
proponitur Sanctus Job diei ſuo maledixiſſe, habetur canon 12. cau. 24. qu. 3., cau. 24.
cujus tamen verba alia omnino ſunt, quam quæ a Gratiano deſcripta fuerint. qu. 3.
Quamobrem ita legendum erit: *Cum vero ſancti viri maledictionis ſententiam profe-*

runt,

Digitized by Google

runt, non ad hanc ex voto ultionis, ſed juſtitiæ examine erumpunt. Intus enim ſubtile Dei judicium adſpiciunt, & mala foras exurgentia, quia maledicto debeant ferire cognoſcunt, & eo in maledicto non peccant, quo ab interno judicio non diſcordant. Item ſuperius. *Scriptura ſacra duobus modis maledictum memorat, aliud videlicet, quod adprobat, aliud quod damnat; aliter enim maledictum profertur judicio juſtitiæ, aliter livore vindictæ. Maledictum quippe judicio juſtitiæ ipſi primo homini peccanti prolatum eſt, cum audivit: maledicta terra in opere tuo. Maledictum juſtitiæ judicio profertur, quum ad Abraham dicitur: maledicam maledicentibus tibi: rurſum quia maledictum non judicio juſtitiæ, ſed livore vindictæ promitur, voce Paulli Apoſtoli prædicantis admonemur, qui ait: benedicite, & nolite maledicere.*

Can. 13. cau. 32. qu. 4. & Can. 13. cau. 32. qu. 5.

Canon 13. cau. 32. qu. 4., recte conſonat cum capite 18. libri 12. ad caput 14. Job verſ. 18., & 19., quemadmodum etiam canon 13. cau. 32. qu. 5. recte conſonat cum capite 11. lib. 21. ad interpretationem capitis 31. Job verſic. 9., quamquam tamen moneant Maurini Monachi ad verba verſiculi *quia enim*, hæc ipſa uſque ad verbum *perpetratur* intra parentheſim contineri ita, ut poſt illa ſtatim ſequatur, *tamen plerumque ex loco, &c.*

Can. 82. de pœn. diſt. 1.

Jamdiu Romani Correctores obſervaverunt, verba canonis 82. de pœnit. diſt. 1. integra haberi potius in commentariis nomine Eucherii editis, licet magna etiam in parte apud Gregorium habeantur. Locus Gregorii eſt liber nonus Moralium cap. 34. ad librum Job cap. 9. verſ. 28. *Verebar omnia opera mea, ſciens, quod non parceres delinquenti*; quæ verba expendens Gregorius ita ſcribit: *Sed poſt hæc valde ſcrupuloſum cordi ſe objicit, quod ſubjungit: ſciens, quod non parceres delinquenti. Si enim delinquenti non parcitur, quis ab æterna morte eripitur, cum a delicto mundus nemo reperitur? An pœnitenti parcit, & delinquenti non parcit? Quia cum delicta plangimus, nequaquam jam delinquentes ſumus.* Et paullo inferius: *Delinquenti ergo Dominus nequaquam parcit, quia delictum ſine ultione non deſerit; aut enim ipſe hoc in ſe pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus ſine vindicta laxatur. Sic enim David audire poſt confeſſionem meruit: Dominus tranſtulit peccatum tuum, & tamen poſt multis cruciatibus afflictus, ac fugiens, reatum culpæ, quam perpetraverat, exolvit. Sic nos ſalutis unda a culpa primi parentis abſolvimur. Sed tamen reatum ejuſdem culpæ diluentes abſoluti quoque adhuc carnaliter obimus. Bene ergo dicitur: ſciens, quia non parceres delinquenti, quia delicta noſtra ſive per nos, ſive per ſe met ipſum reſecat etiam, cum relaxat. Ab electis enim ſuis iniquitatum maculas ſtudet temporali afflictione tergere, quas in perpetuum non vult in eis videre.*

Can. 4. de pœn. diſt. 2.

Canon 4. de pœnit. diſt. 2. habetur in libro 10. cap. 21. in caput 11. Jobi verſ. 19., ubi tamen pro verbis illis *a delectatione mundi* legendum eſt ex optimis codicibus *a dilectione mundi*.

Can. 22. de pœn. diſt. 2.

Canon 22. de pœnit. diſt. 2. excerptus eſt ex lib. 25. cap. 11. ad interpretationem illorum verborum Job cap. 34. verſ. 27. *Qui quaſi de induſtria receſſerunt ab eo.*

Can. 23. de pœn. diſt. 2.

Ad interpretationem capitis 31. verſ. 2. libri Job habetur in lib. 21. Moralium cap. 3. canon 23. de pœn. diſt. 2., ubi tamen pro illis verbis *per conſenſum delectationis obligatur* legendum potius erit: *per conſenſum delectationibus obligatur*.

Can. 43. & 44. de pœn. diſt. 2.

Verba canonis 43. de pœnit. diſt. 2. apud Gregorium non leguntur, ſed potius videntur ſumma ſequentis canonis 44., qui habetur in lib. 34. Moralium cap. 13.

alias

Digitized by Google

alias 15. ad interpretationem illorum verborum Job cap. 41. *Sub ipſo erunt radii ſolis, & ſternet ſibi aurum quaſi lutum*. Ibi Gregorius perſequitur eos numero plurimos, qui initio quaſi aurum adparent virtutibus exornati, deinde vero in fine vitæ ita dejiciuntur, ut vitiis obruantur. Paucis ſententiam hanc perſtrinxerat Gratianus in memorato canone 43. ſcribens: *Multi bene incipiunt, qui in malo vitam finiunt*. Ut autem integra ſit ſententia canonis 44., erunt hæc ex Gregorii codicibus ſupplenda: *Et fortaſſe quemquam moveat, cur miſericors Deus fieri iſta permittat, ut Leviathan iſte ſeu nunc per ſuggeſtiones callidas, ſive tunc per damnatum illum quem replet hominem, vel ſolis ſibi radios, ideſt doctos quoſque, ſapienteſque ſubjiciat, vel aurum, hoc eſt viros ſanctitatis claritate fulgentes quaſi lutum ſibi coinquinando ſubſternat. Sed citius reſpondemus, quia aurum, &c.* Hinc exorditur Gratianus, apud quem pro illis verbis: *Quod valde iſto judicio . . . quia diu latuit dolens . . . atque hoc autem quaſi lutum . . . . quorundam mala diu tolerat . . . . qui perſeveraturi ſunt, accedunt . . . qui perventuri viam, qua gradiantur, oſtendant . . . in ſuperni adjutoris protectione . . . de ſuis viribus præſumentes cecidiſſe, &c.*, ita potius erit legendum: *quod valde juſto judicio . . . qui diu latuit dolens . . . atque hoc aurum quaſi lutum . . . quorundam mala tolerat . . . qui perſeveraturi ſunt, accendunt . . . qui perventuri ſunt, qua gradiantur, oſtendant . . . in ſuperni adjutorii protectione . . . . de ſuis viribus cecidiſſe, &c.*

Canon 45. de pœnit. diſt. 2. legitur in libro 32. cap. 23. ad interpretationem capitis 40. Job verſ. 14. *Ipſe eſt principium viarum Dei, qui fecit eum, applicabit gladium ejus*, quæ verba de Lucifero Angelo in Dæmonem transformato Gregorius interpretabatur. Porro in eodem canone 45. plurima ſunt ex optimis Maurinorum codicibus emendanda. Siquidem ubi Gratianus exhibet: *Platani non fuerunt æquales frondibus illius . . . quanta ei ſuppoſita . . . quot ſuppoſitas ſupernorum . . . qui magnus . . . qui ſignaculum Dei . . . ad ornamentum ſuum habuit . . . & foramina tua in die . . . quaſi repleri voluiſſet . . . ſed ſuperbiæ vitio, charitatis auro . . . tu cherub extenſus . . . in medio ignitorum perfectus . . . clarius gloria conditionis . . . fuiſſe reperitur . . . inſinuantur, ut territo . . . homo qui elatus . . . Angelus in Cælo de Cælo in terram proſternitur, &c.*, hæc potius ſubſtituenda erunt: *Platani non fuerunt æquæ frondibus illius . . . . quanta & ſuppoſita . . . quot ſub ſe poſitas ſupernorum . . . quia magnus . . . ſi ſignaculum Dei . . . ad ornatum ſuum habuit . . . & forma tua in die . . . qua ſi repleri voluiſſet . . . ſed per ſuperbiæ vitium, charitatis auro . . . tu cherub extentus . . . in medio ignitorum lapidum perfectus . . . clarus gloria conditionis . . . fuiſſe perhibetur . . . inſinuat, ut territo . . . homo quid elatus . . . Angelus in Cælo proſternitur, &c.* *Can 45. de pœn. diſt. 2.*

In libro 1. cap. 37. Moralium integra habentur, quæ retulit Gratianus in canone 17. de pœn. diſt. 3. Ibi autem Gregorius explicat verba libri Job cap. 1., ubi de patientiſſimo viro ita ſcribitur: *Sic faciebat Job cunctis diebus*. *Can. 17. de pœn. diſt. 3.*

Canon 13. de pœn. diſt. 4. apud Gratianum non conſonat integris Gregorii exemplaribus; etenim collector voluit potius deſcribere verba Gloſſæ ordinariæ, apud quam depravata Gregorii ſententia exhibebatur, quod jam diu Romani Correctores animadverterunt. Referam hoc in loco, quæ ad rem iſtam pertinent, atque habentur in libro 15. cap. 51. Moralium, ubi verba illa capitis 21. Job: *Deus ſervabit filiis illius dolorem patris, & cum reddiderit, tunc ſciet*, ita Sanctus Pontifex interpretatur: *Scriptum novimus: qui reddis peccata Patrum in filios, ac nepo-* *Can. 13. de pœn. diſt. 4.*

Digitized by Google

tes in tertiam, & quartam generationem. Et rurſum ſcriptum eſt: quid eſt, quod inter nos parabolam vertitis in proverbium iſtud in terra Iſrael dicentes: patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt? Vivo ego dicit Dominus Deus: ſi erit vobis ultra parabola hæc in proverbium in Iſrael. Ecce omnes animæ meæ ſunt, ut anima patris, ita & anima filii mea eſt. Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur. In utraque igitur hac ſententia dum diſſimilis ſenſus invenitur, auditoris animus ut diſcretionis viam ſubtiliter requirat, inſtruitur. Peccatum quippe originale a parentibus trahimus, & niſi per gratiam baptiſmatis ſolvamur, etiam parentum peccata portamus, quia unum adhuc videlicet cum illis ſumus. Reddit ergo peccata parentum in filios, dum pro culpa parentis ex originali peccato anima polluitur prolis. Et rurſus non reddit parentum peccata in filios, quia cum ab originali culpa per baptiſmum liberamur, non jam parentum culpas, ſed quas ipſi committimus, habemus.

Can. 5. de conſ. diſt. 4. Quod legitur in canone 5. de conſ. diſt. 4., habetur in libro 4. Moralium cap. 3. ad interpretationem capitis 3. Job verſ. 11. ibi: *Quare non in vulva mortuus ſum, egreſſus ex utero non ſtatim perii?* Hanc ad rem expendebat Gregorius, quid apud veteres Judæos, quid apud gentes valere potuiſſet, ad detergendum peccatum originis, docebatque apud nos baptiſma, apud Judæos veteres circumciſionem, atque apud gentes ſolam fidem hominem Deo reconciliaſſe. Peculiariter autem gentium mentio facta eſt, quia de Jobo agebatur, qui in gentium diſciplina vivebat.

Can. 22. de conſ. diſt. 5. Adverſus helluones natos abdomini ſuo plurima ſcripſit Gregorius in libro 30. Moralium cap. 18. expendens caput 39. verſ. 7. Jobi. Hinc depromtus eſt eiſdem omnino verbis canon 22. de conſ. diſt. 5.

Sectio XXIV.

De Capitulis ex libris Homiliarum depromtis.

De Homiliis in Ezechielem.

Dum graviſſimis curis Gregorius undique premeretur, Ezechielem Prophetam Homiliis, ſive fuſis ad populum ſermonibus illuſtravit. Erat ea ætate, ideſt anno circiter 592., miſerabilis non Romæ ſolum, ſed & univerſæ adſpectus Italiæ, qualem lugens pingit Sanctus idem Pontifex in Homilia 18., ſive 6. libri 2. Ait ille: *Ubique luctus adſpicimus, ubique gemitus audimus. Deſtructæ urbes, everſa ſunt caſtra, depopulati agri, in ſolitudinem terra redacta eſt. Nullus in agris incola, pene nullus in urbibus habitator remanſit, & tamen ipſæ parvæ generis humani reliquiæ adhuc quotidie, & ſine ceſſatione feriuntur . . . : ipſa autem, quæ aliquando mundi domina eſſe videbatur, qualis remanſerit Roma, conſpicimus. Immenſis doloribus multipliciter attrita deſolatione civium, impreſſione hoſtium, frequentia ruinarum, &c.* Hæc ſane in cauſſa fuerunt, cur Gregorius opus integrum, perfectumque abſolvere non potuerit, neque omnia Ezechielis capita expendere, opere ipſo ex rerum, negotiorumque multitudine, ac gravitate interrupto. Sunt autem Homiliæ numero 22., ipſæque in veteribus codicibus MSS., ut Maurini Monachi teſtantur,

Digitized by Google

ſtantur, in duos libros diſtributæ ita, ut priore duodecim, poſteriore libro decem contineantur, quas Homilias omnes Gregorius ad Marinianum Ravennatem Epiſcopum direxit, quemadmodum conſtat ex præfatione illis adjecta. Summa fuit apud veteres harum homiliarum exiſtimatio; hinc Paullus Diaconus in vita Gregorii prope finem, & Johannes Diaconus lib. 4. cap. 69., & 70. referunt, Petrum Diaconum, quo tamquam Amanuenſi Gregorius utebatur, vidiſſe Spiritum Sanctum ſub candidæ columbæ ſpecie Gregorii capiti inſidentem, & roſtrum ori immittentem, dum Gregorius idem poſtremam Ezechielis viſionem interpretaretur.

Ex his Homiliis in primis decerptus eſt canon 17. diſt. 50. homilia 9. ad caput 2. verſ. 2., & 3. Ezechielis. Ibidem pro illis Gratiani verbis: *Adhuc enim nobis in infirmitatis, &c.*, ita potius legendum erit ex optimis codicibus: *adhuc enim in infirmitatis, &c.* Porro Gratianus eo in loco abuſus fuiſſe videtur Gregorii ſententia; ex hac enim demonſtrare voluit, Sacerdotes lapſos poſt pœnitentiam in gradum ſuum poſſe reſtitui, quod tamen non ibidem Gregorius adfirmat, ſed loquitur de Ezechiele, tum primum ad munus prædicationis obeundum divino nutu advocato, atque Ezechielis exemplum profert ad eos, qui ad evangelicum munus hodie adſumuntur, non autem ad eos, qui poſtquam munus ipſum obiiſſent, in crimina graviſſima lapſi, proponantur reſtituendi. Imo aliis in locis de his longe aliam ſediſſe Gregorio ſententiam animadverti, ſpecialiter vero ad canonem 16. diſt. 50. *Can. 17. diſt. 50.*

Ad interpretationem capitis 1. Ezechielis verſ. 9. in illis verbis: *revertebantur cum incederent, ſed unumquodque ante faciem ſuam gradiebatur*, pertinet Homilia 3., ex qua depromtus eſt canon 4. cau. 17. qu. 1. Ait ibi Gregorius: *Quiſquis itaque jam ante faciem ſuam ambulare decreverit, magna ei conſideratione penſandum eſt, quod aliter retro reſpicitur ex opere, aliter ex cogitatione. Sunt etenim quidam, qui magna deliberant, & peccatorum ſuorum conſcii multa ex his, quæ poſſident, egenis diſtribuere pertractant, &c. Alius deſpectis carnis deſideriis cuncta relinquere, & omnipotentis Dei ſe ſubdere ſervitio pertractat, ſeque ipſum reſtringere ſub continentiæ & caſtitatis fræno deliberat; ſed cum cecidiſſe alios etiam poſt caſtitatem conſpicit, hoc ipſum facere, quod deliberat, pertimeſcit; ſitque, ut retro per cogitationem redeat, qui ad anteriora reſpiciens jam mentis greſſibus ad alta ibat.* Et poſt pauca: *ſunt vero nonnulli, qui bona quidem, quæ noverunt, operantur, atque hæc operantes meliora deliberant, ſed retractantes meliora, quæ deliberant, immutant, & quidem bona agunt, quæ cœperant, ſed a melioribus, quæ deliberaverant, ſuccumbunt. Hi nimirum ante humana judicia ſtare videntur in opere, ſed ante omnipotentis Dei oculos ceciderunt in deliberatione.* Ex his omnibus emendandus, ac in primigeniam ſententiam reſtituendus erit canon Gratianeus. *Can. 4. cau. 17. qu. 1.*

In eadem Homilia 3. legitur canon 9. de pœn. diſt. 2., ubi tamen in poſtremis verbis a verſiculo *unde Paullus, &c.*, ita legendum erit: *Unde & magnum illud pennatum animal dicebat, quod uſque ad tertii Cœli ſecreta volaverat: unum vero quæ retro ſunt, oblitus, in ea, quæ ſunt ante, extendens me, ſequor ad palmam ſupernæ vocationis. In anteriora etenim extentus, eorum, quæ retro ſunt, oblitus fuerat, quia temporalia deſpiciens, ſola, quæ ſunt æterna, requirebat.* *Can. 9. de pœn. diſt. 2.*

Eandem propemodum materiem ſpectat canon 10., & 11. de pœn. diſt. 2. qui excerptus eſt ex Homilia 5. ad illa verba capitis 1. Ezechielis verſ. 17. *Non reverte-* *Can. 10. & 11. de pœn. diſt. 2.*

Digitized by Google

vertebantur, cum ambularent, ex quibus proinde verbis, quemadmodum & ex codicibus optimis Gregorianis emendandus erit Gratianus, qui legit, *cum incederent*, cum legendum potius fuerit: *cum ambularent*. In hac ipſa Homilia 5., ubi expenditur Ezechielis caput 1. verſ. 20., & 21. de Spiritu Domini, qui erat in rotis, habetur canon 11. de pœn. diſt. 2. ibi: *Poteſt tamen diſcurſus, atque mobilitas ſpiritus requiſitione alterius conſiderationis intelligi. In ſanctorum quippe, &c.*, quæ conſonant cum Gregorii codicibus apud Gratianum; dummodo animadvertatur cum Romanis Correctoribus, verba illa *unde recte ſtabilis dicitur* a Collectore huc fuiſſe tranſpoſita ex præcedente Gregorii interpretatione.

Can. 15. de pœn. diſt. 2. Canon 15. de pœn. diſt. 2. legitur in Homilia 15. ſive Homilia 3. libri 2. ad caput 40. Ezechielis in illa verba: *& aſcendit per gradus ejus*; quam ad rem huc adferebat Gregorius, quod dicitur in Pſalmo 47. *Deus in gradibus ejus cognoſcetur, cum ſuſcipiet eam*, poſt quæ ſtatim ſubjecit, quæ in memorato canone 15. leguntur, ubi tamen pro verbis illis: *Cum ſanctam Eccleſiam . . . aſcendendo proficit . . . ſi enim, & ipſa fides . . . & cum ex ſe produxerit fructus . . . quia jam in ſpe boni operis . . . quia dum adbuc metiri . . . ad perfectum ducitur . . . mens hominis ſpontanee ad profectum boni . . . ſed cum ex ſe produxerit . . . cumque in ejuſdem operationis perfectione . . . viventem vivebat. Sed ad plenum granum . . . perducit ad ſe . . . exaltatur, quanto alius, & . . . in virtute quippe noſtrarum mentium ipſe . . . quantum noſter animus a rebus infimis ſeparatur*, ita legendum erit: *cum enim ſanctam Eccleſiam . . . aſcendendo profecerit . . . ſi enim ipſa fides . . . & cum ſe produxerit fructus* (ita exhibent vetuſti omnes MSS. codices ex Maurinorum teſtimonio, quidquid in editis exemplaribus exhibeatur) . . . *quia in ſpe boni operis . . . quia, & cum adbuc metiri . . . ad provectum ducitur . . . mens hominis ſpontanee ad fructum boni . . . at cum ſe produxerit . . . cumque in ejuſdem boni operis perfectione . . . viventem videbat. Sed tunc plenum granum . . . perducitur ad ſe . . . exaltatur, quo altus, & . . . in virtutum quippe noſtrarum gradibus ipſe . . . quanto noſter animus a rebus infimis ſeparatur.* Animadvertendum præterea eſt cum Romanis Correctoribus, verba illa *Cum autem profectum boni operis creſcimus, ad ſpicam pervenimus*, in integris Gregorianorum operum codicibus deſiderari.

Can. 29. de pœn. diſt. 3. In Homilia 10. ad interpretationem capitis 3. verſ. 14. *abii amarus in indignatione ſpiritus mei* exhibetur canon 29. de pœn. diſt. 3., ubi tamen pro verbis illis *ſicut Achab . . . mœrore deprebenſus eſt . . . timens Deum ſi ſic ei & reprobi pœnitentia . . . & in eis, qui diſplicebant*? ita legendum erit: *Sic Achab . . . mœrore depreſſus eſt . . . timens Dominum, ſi ſic ei & in reprobo pœnitentia . . . & in illo, qui diſplicebat?*

Can. 40. de pœn. diſt. 3. In eadem Homilia 10. ad interpretationem verſ. 11. capitis 3. Ezechielis legitur canon 40. de pœn. diſt. 3., cujus verba cum non ſatis integra retulerit Gratianus, opportunum erit hoc in loco ita emendata deſcribere. *Plui ſuper Civitatem unam* (ait Gregorius ex Amos cap. 4. verſ. 7.), *& ſuper alteram non plui, pars una compluta eſt, & pars, quæ compluta non eſt, aruit. Cum enim ſanctæ exhortationis verba alia mens ſuſcipit, alia ſuſcipere recuſat, ſuper unam Civitatem Dominus pluit, & ſuper alteram non pluit. Cum vero, & ipſe proximus, qui audit, ab aliis ſe vitiis corrigit, atque ab aliis emendare ſe contemnit una eademque, & ex parte compluitur, & ex parte arida remanet, in qua a ſe prædicationis pluviam repellit. Sunt etenim quidam,*

qui

qui exhortationis verba omnino non audiunt. Hi penitus ſuſcipere pluviam nolunt. Et ſunt quidam, qui audiunt, ſed tamen hanc medullitus non ſequuntur, quia alia in ſe- vitia reſecant, ſed in aliis graviter perdurant.

Perſpicua eſt ſententia Ezechielis in capite 3. verſ. 20., ubi de homine peccatore hæc traduntur: *Non erunt in memoria juſtitiæ ejus, quas fecit*; ad quorum interpretationem pertinent verba canonis 16. de pœn. diſt. 4. excerpta ex Homilia Gregorii 11. *Can.16. de pœn. diſt.4.*

Canon 17. de pœn. diſt. 4. legitur Homil. 4. in caput 1. verſ. 14. Ezechielis, ejuſdemque verba apprime conſonant cum integris Gregorianis codicibus. *Can.17. de pœn. diſt. 4.*

De Homiliis in Evangelia.

Præter Homilias in Ezechielem, Evangeliorum etiam interpretationem adgreſſus eſt Sanctus Pontifex, quum paſtoralis officii divinitus ſibi commiſſi curam obiturus tam morum, quam fidei præcepta publice traderet: quæ interpretatio ab ipſomet Gregorio in quadraginta capita, ſive Homilias diſtributa duobus libris comprehenditur ad Secundinum Epiſcopum Tauromenitanum directa, quemadmodum liquet ex epiſtola Gregorii ad eundem Secundinum Homiliis præfixa. Illud hac in re obſervandum eſt, quaſdam Homilias ex iſtis fuiſſe a Gregorio conſcriptas, & coram populo, legente Notario, recitatas inter divinas preces, quemadmodum & hodie a clericis ſacris ordinibus initiatis recitantur, quaſdam vero prædicando ab ipſo Gregorio prolatas, deinde ab Auditoribus in codicem redactas; atque poſteriorum plures ait Gregorius in memorata epiſtola ad Secundinum, inemendatas eſſe, ſeque paſſurum facile, ut a quoquam emendarentur.

In Homilia 34. habita in Baſilica Beatorum Johannis, & Paulli Dominica 3. poſt Pentecoſtem ad Evangelium Lucæ capite 13. exhibentur verba canonis 15. diſt. 45., ubi Maurini Monachi pro illis *peccatoribus dedignari* iſta ſubſtituunt ex optimis codicibus *peccatoribus indignari*. *Can.15. diſt.45.*

In Homilia 21. habita die ſancto Paſchatis ad caput 16. Marci legitur canon 53. diſt. 50., ubi pro illis verbis *miſereri debuiſſent . . . propoſuit ceteris*, optimi codices Gregoriani hæc exhibent: *miſereri debuiſſet . . . præpoſuit ceteris*. *Can.53. diſt. 50.*

Celeberrima eſt ſententia Gregorii, quæ habetur in canone 114. cau. 1. qu. 1. de ſacris officiis non ſine præmio tantum, ſed & ſine aliqua humani favoris cauſſa diſtribuendis. Legitur ille eiſdem omnino verbis in Homilia 4. de Apoſtolis ad caput 10. Matthæi verſ. 5. & ſequ. *Can.114. cau. 1. qu. 1.*

De crimine Simoniæ plurima etiam ſcripſit Gregorius in Homilia 26. habita in Baſilica Conſtantiniana in cap. 19. Lucæ verſ. 42. & ſequ., unde depromtus eſt canon 10. cau. 1. qu. 3., ubi pro illis verbis *pro præmii acceptione . . . pretio emunt peccatum*, legendum erit, *pro pretii acceptione . . . præmio emunt peccatum*. *Can.10. cau. 1. qu. 3.*

In eadem Homilia 26. habita in Conſtantiniana Baſilica in octava Paſchatis ad caput 20. Johannis in illa verba: *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*, exhibetur canon 1. cau. 11. qu. 3., ibidem enim inter cetera Gregorius ſcribit: *Sed utrum juſte, an injuſte obliget Paſtor, Paſtoris tamen ſententia gregi timenda eſt.* *Can. 1. cau. 11. qu. 3.*

Jun-

Digitized by Google

Can. 60. 61. 62. & 88. cau. 11. qu. 3. Jungendi ſimul ſunt canones 60. 61. 62., & 88. cau. 11. qu. 1., etenim ii omnes habentur in eadem nuper laudata homilia 26. paullo ante verba memorati canonis 1. cau. 11. qu. 3. Scribit Gregorius: *Plerumque contingit, ut hic judicis locum teneat* (hic eſt canon 88.) *cui ad locum vita minime concordat, ac ſæpe agitur, ut vel damnet immeritos, vel alios ipſe ligatus ſolvat, in ſolvendis, ac ligandis ſubditis ſuæ voluntatis motus, non autem cauſarum merita ſequatur. Unde fit, ut ipſa hac ligandi, aut ſolvendi poteſtate ſe privet, qui hanc pro ſuis voluntatibus, & non pro ſubjectorum moribus exercet.* (Poſtrema hæc verba omiſit Gratianus in canon 88. ſed retulerat in can. 60.) *Sæpe fit, ut erga quemlibet proximum odio, vel gratia moveatur Paſtor. Judicare autem de ſubditis digne nequeunt, qui in ſubditorum cauſſis ſua vel odia, vel gratiam ſequuntur.* (aliqua ex his habentur in can. 88., aliqua vero in canone 61.) *Unde recte per Prophetam dicitur: mortificabant animas, quæ non moriuntur, & vivificabant animas, quæ non vivunt. Non morientem quippe mortificat, qui juſtum damnat, & non victurum vivificare nititur, qui reum a ſupplicio abſolvere conatur. Cauſſæ ergo penſandæ ſunt, & tunc ligandi, atque ſolvendi poteſtas exercenda. Videndum eſt, quæ culpa præceſſit, & quæ ſit pœnitentia ſequuta poſt culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos paſtoris ſententia abſolvat. Tunc enim vera eſt abſolutio præſidentis,* (hæc omittuntur in canone 88., ſed deſcripta ſunt in can. 62.) *cum interni ſequitur arbitrium judicis. Quod bene quatriduani mortui reſuſcitatio illa ſignificat, quæ videlicet demonſtrat, quia prius mortuum Dominus vocavit, & vivificavit dicens: Lazare veni foras. Et poſtmodum is, qui vivens fuerat, egreſſus, a diſcipulis eſt ſolutus, ſicut ſcriptum eſt. Cumque egreſſus eſſet,* (hæc omnino omittuntur apud Gratianum), *qui fuerat ligatus inſtitis, tunc dixit diſcipulis: ſolvite eum, & ſinite abire. Ecce illum diſcipuli jam viventem ſolvunt, quem magiſter reſuſcitaverat mortuum. Si enim diſcipuli Lazarum mortuum ſolverent, fœtorem magis oſtenderet, quam virtutem. Ex qua conſideratione* (rurſum hic proſequitur Gratianus in can. 88.) *intuendum eſt, quod illos nos debemus per paſtoralem auctoritatem ſolvere, quos auctorem noſtrum cognoſcimus per ſuſcitantem gratiam vivificare. Quæ nimirum vivificatio* (hæc iterum omiſit Gratianus) *ante operationem rectitudinis in ipſa jam cognoſcitur confeſſione peccati. Unde & huic ipſi mortuo Lazaro nequaquam dicitur, reviviſce, ſed veni foras. Omnis quippe peccator, dum culpam ſuam intra conſcientiam abſcondit, introrſum latet, in ſuis penetralibus occultatur. Sed mortuus venit foras, cum peccator nequitias ſuas ſponte confitetur. Lazaro ergo dicitur, veni foras, ac ſi aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur: cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis? Foras jam per confeſſionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, ideſt culpam confiteatur peccator. Venientem vero foras ſolvant diſcipuli, ut Paſtores Eccleſiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri, quod fecit. Hæc de ſolutionis ordine breviter dixerim, ut ſub magno moderamine Paſtores Eccleſiæ vel ſolvere ſtudeant, vel ligare.* Integrum his deſcripſi canonem 88. una cum ceteris Gratiani capitibus 60. 61., & 62. ad eundem canonem 88. merito redigendis.

Can. 15. & 16. cau. 23. qu. 4. Canon 15. cau. 23. qu. 4. legitur in homilia 38. ad interpretationem capitis 22. Matthæi, ubi tamen pro verbis illis *diſcernet . . . tolerare malos debetis*, Maurini Monachi ita ſcribendum ex optimis codicibus maluerunt: *Diſcernit . . . tolerate malos*. In eadem homilia multo antea habetur canon 16. cau. 23. qu. 4., ubi Gregorius expendit verba illa Matthæi memorato capite 22. *Tauri mei, & altilia*

Digitized by Google

tilia occiſa ſunt, aſſerens ſymbola hæc eſſe, quibus ſignificatur Chriſtum completo & vetere, & novo teſtamento vocaviſſe electos ad gloriam, ibidem cœnæ nomine deſignatam; expendit inſuper, quomodo per tauros veteris teſtamenti Patres, quomodo per altilia novi teſtamenti fideles intelligantur. Porro in laudato canone 16. pro illis verbis: *Ut Dei inimicos, ſuoſque adverſarios . . . eoſque in ore gladii ferirent . . . æternis deſideriis innitentes, &c.*, ita legendum erit: *Ut Dei, ſuoſque adverſarios . . . eoſque jure gladii ferirent . . . a terrenis deſideriis innitentes, &c.*

Quæ retulit Gratianus in can. 28. cau. 23. qu. 4., ſi verbo tenus conſideremus, *Can.28.*
fruſtra apud Gregorium quæremus; eorum tamen ſententiam agnoſcemus in ho- *cau.23.*
milia 26. ad illa verba Johannis 20. *Quorum remiſeritis peccata, &c.*, ubi ſane plura *qu. 4.*
ad eandem rem pertinentia congeruntur, quæ hoc in loco non recenſeo, cum illa ſuperius abunde deſcripſerim ad canones 1. 60. 61. 62., & 88. cau. 11. qu. 3., quos ſi quiſpiam junctos expendet, facile etiam canonem hunc 28. interpretabitur.

In eadem homilia 26. ad interpretationem ejuſdem capitis 20. Johannis, ubi de *Can.45.*
Thoma Apoſtolo dubitante fit ſermo, legitur canon 45. cau. 27. qu. 2. eiſdem *cau. 27. qu. 2.*
penitus verbis.

Canon 10. cau. 32. qu. 1. legitur in homilia 29. habita in die Dominicæ Ad- *Can.10.*
ſcenſionis ad interpretationem capitis ultimi apud Marcum in illa verba: *Qui cre-* *cau. 32.*
diderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur; quæ *qu. 1. &*
expendens Gregorius ait, inſpiciendum eſſe potiſſimum tempus, quo quis ad aliam *Can.67.*
vitam migrat, ut fidei confeſſio, qualis fuerit, a Domino obſervetur; nec enim *diſt. 4.*
ſufficit aliquando credere, ſi poſtea a vera fide recedatur, quemadmodum nec pro- *de conſ.*
inde damnatur, qui poſtquam infidelis fuerit, ad fidem convertatur. Ad id confirmandum pertinent verba memorati canonis 10., ubi pro voce illa *habetur* Maurini Monachi legunt *habebitur*. In eadem etiam homilia ad interpretationem illorum verborum Marci cap. ult. *In nomine meo dæmonia ejicient*, legitur canon 67. diſt. 4. de conſecr., ubi ſane Gregorius ſenſum verborum Chriſti ita explicat, ut tum Sacerdotes ex Dominica poteſtate dæmones ejicere videantur, cum hominem peccatorem, atque infidelem præparant ad baptiſmum.

Canon 6. de pœn. diſt. 3. habetur in homilia 34. in illa verba Lucæ cap. 15. *Can. 6.*
Gaudium erit in Cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Et quidem Gratiani *de pæn.*
verba cum optimis Gregorii codicibus conſonant. De §. *Sunt qui dicunt* nihil heic *diſt. 3.*
adjicio, cum de eodem jam ſatis dictum ſuperius fuerit, ubi actum eſt de epiſtola ad Theoctiſtam.

Canon 47. de pœnit. diſt. 3. referendus eſt ad homiliam 40., ubi Gregorius *Can.47.*
expendit caput 16. Lucæ de divite, & Lazaro. Ibidem vero Gratianus non verba *de pæn.*
ipſa Gregorii recenſuit, ſed potius compilatam ſententiam. Verba Sancti Ponti- *diſt. 3.*
ficis in illud Lucæ: *Recepiſti bona in vita tua*, iſthæc ſunt: *Iſta, fratres mei, ſententia pavore potius indiget, quam expoſitione; nam ſiqui eſtis, qui in hoc mundo exterioris boni aliquid accepiſtis, ipſum, ut ita dicam, donum exterius pertimeſcere debetis, ne vobis pro quorundam veſtrorum actuum recompenſatione ſit datum; ne Judex, qui hic bona exteriora reſtituit, a retributione boni intimi repellat, ne honor hic, vel divitiæ non adjumentum virtutis, ſed remuneratio ſit laboris: ecce enim dum dicitur, recepiſti bona in vita tua, indicatur & dives iſte boni aliquid habuiſſe, ex quo in hac vita bona receperit*. Et paullo inferius: *quicumque ergo bona in hoc ſæculo habetis,*

cum

Digitized by Google

cum vos bona egiſſe recolitis, valde de ipſis pertimeſcite, ne conceſſa vobis proſperitas eorundem remuneratio ſit bonorum.

Can. 7. de pœn. diſt. 5. In Homilia 24. in Evangelium Johannis cap. 21. habetur canon 7. de pœnit. diſt 5., cujus in prioribus verbis ita legendum erit: *Negotium, quod ante converſionem ſine peccato extitit, hoc etiam poſt converſionem repetere culpa non fuit.* Et paullo inferius: *Sunt enim pleraque negotia, &c.*

Can. 7. cau. 36. qu. 2. Ad canonem 7. cau. 36. qu. 2., quem Gratianus ex quadam Homilia Gregorii repetit, jam viri eruditi animadverterunt, illum referendum eſſe ad canonem 10. cau. 32. qu. 1., in quo clarior Gregorii ſententia continetur, junctis illis, quæ ſuperius ad idem fragmentum ipſe tradebam.

Can. 34. de conſ. diſt. 2. Quicumque ſedulo legerit verba canonis 34. de conſ. diſt. 2., facile animadvertet aut Gregoriano ſtylo, aut Gregorianis temporibus minime convenire, quamobrem Romani Correctores jure obſervaverunt, eundem canonem Lanfranco potius tribuendum fore, ubi hic auctor adverſus Berengarium ſcribebat. Imo & Correctores iidem cauſſam explicant Gratianei errati. Scilicet Lanfrancus in ſuo opere recitat ea, quæ in memorato canone 34. leguntur, ſtatim poſt verba quædam Gregorianæ Homiliæ paſchalis: hinc autem canonum Collector imprudens nectens Lanfranchi verba ſequentia cum præcedentibus Gregorii, omnia ita confudit, ut crederet ſequentia etiam Gregorii nomine potuiſſe laudari.

Can. 73. princ. de conſ. diſt. 2. In Homilia 22. Sabbato poſt Paſcha ad caput 20. Johannis habentur priora verba canonis 73. de conſ. diſt. 2. uſque ad illa: *ore cordis auditur.* Cetera quæ ſequuntur, quemadmodum ex libris Dialogorum excerpta ſunt, ita commodius inferius ſuo loco expendentur.

Can 16. de conſ. diſt. 5. Demum canon 16. de conſ. diſt. 5. depromtus videtur ex Homilia 16. in caput 4. Matthæi, ubi de jejunio quadraginta dierum, quod Chriſtus Dominus celebravit, nonnulla traduntur. Habita eſt hæc Homilia die primo dominico Quadrageſimæ. Quoniam autem Gratiani verba paullisper apud Gratianum depravata fuerunt, juvabit eadem ad integros codices exigere, ibi: *Diſcutiendum nobis eſt, cur hæc ipſa abſtinentia per quadraginta dierum numerum cuſtoditur?* Et poſt aliqua: *a præſenti etenim die* (ſcilicet dominico I. Quadrageſimæ, quo Gregorius orabat) *uſque ad Paſchalis ſolemnitatis gaudia ſex hebdomadæ veniunt; quarum videlicet dies quadragintaduo ſunt. Ex quibus dum ſex dies dominici abſtinentiæ ſubtrahuntur, non plus in abſtinentia, quam triginta, & ſex dies remanent. Dum vero per trecentos, & ſexagintaquinque dies annus ducitur, nos autem per triginta, & ſex dies affligimur, quaſi anni noſtri decimas Deo damus, ut qui nobis met ipſis per acceptum annum viximus, Auctori noſtro nos in ejus decimis per abſtinentiam mortificemus. Unde fratres chariſſimi, ſicut offerre in lege jubemini decimas rerum, ita ei offerre contendite decimas dierum.* Sic reſtitutus Gratiani canon perſpicue indicat, quam falſo adſuta ei nonnulla fuerint de quatuor diebus, qui primum dominicum Quadrageſimæ diem præcedunt, quorum ſcilicet diſciplina recentioribus forte inſtitutionibus videbitur tribuenda.

SE-

Digitized by Google

SECTIO XXV.

De Libro Paſtorali.

Ab ipſo ſui Pontificatus exordio opus, cui titulum adjecit *Paſtoralis*, exaravit Gregorius, ubi de Paſtorum eccleſiaſticorum, ſive ſacrorum Antiſtitum officio quatuor libris fuſe, eleganterque diſſeruit; ut non ſolum Latinis, ac præ ceteris Johanni Ravennatenſi, ad quem volumen directum eſt, acceptiſſimum habitum fuerit, verum etiam Græcis, qui illud ad publicam utilitatem ſuo idiomate interpretati ſunt, quemadmodum, humiliter tamen, idem Gregorius teſtatur in epiſtola ad Johannem Subdiaconum Ravennæ, in vulgari editione lib. 10. epiſt. 22. ibi: *Nam quia dilectiſſimæ memoriæ Anatolius Subdiaconus quærenti, ac jubenti Romano Imperatori librum regulæ paſtoralis dedit, ægre ſuſcepi, quem ſanctiſſimus Frater, & Coepiſcopus meus Anaſtaſius Antiochenus in Græcam linguam tranſtulit. Et ſicut mihi ſcriptum eſt, ei valde placuit, ſed mihi valde diſplicuit, ut qui meliora habent, in minimis occupentur.* Hic idem liber tanquam optima Paſtorum regula Epiſcopis omnibus propoſitus ſæpiſſime fuit, ac commendatiſſimus, præſertim in Concilio Moguntino anni 813., Concilio Rhemenſi II. ejuſdem anni can. 10., Concilio Turonenſi III. canone 3., & Concilio Cabilonenſi II. can. 1. Quod ſi accuratam libri hujus partitionem perſpicuam noſſe deſideras, ipſam initio tibi exhibebit Gregorius idem in prologo, ſeu in epiſtola ad Johannem Ravenatenſem Epiſcopum operi præfixa, ibi: *Quadripartita vero diſputatione liber iſte diſtinguitur, ut ad lectoris ſui animum ordinatis allegationibus, quaſi quibuſdam paſſibus, gradiatur. Nam cum rerum neceſſitas expoſcit, penſandum valde eſt, ad culmen quiſque regiminis qualiter veniat; atque ad hoc rite perveniens qualiter vivat, & bene vivens qualiter doceat, & recte docens infirmitatem ſuam quotidie, quanta valet conſideratione, cognoſcat, ne aut humilitas acceſſum fugiat, aut perventioni vita contradicat, aut vitam doctrina deſtituat, aut doctrinam præſumtio extollat.* Aurea ſane paucis verbis perſtricta ſententia, digna quæ perpetuo Virorum eccleſiaſticorum mentibus inhæreat, atque obvolvatur.

In capite 1. partis primæ Paſtoralis habentur verba canonis 10. diſt. 38., ubi de imperitis Paſtoribus ita loquitur Gregorius: *Profecto hi, qui ea, quæ ſunt Domini, neſciunt, a Domino neſciuntur, Paullo atteſtante, qui ait: Si quis ignorat, ignorabitur.* Ex his liquet, Gratiani fragmentum paulliſper corruptum fuiſſe. Quæ vero deinde ſequuntur in verſ. *quicumque*, exigenda erunt ad ſententiam Gregorii, quæ habetur in libro 15. Moralium cap. 53. in caput 21. Jobi verſ. 21. ibi: *Omnis namque peccator prudens erit in pœna, qui ſtultus fuit in culpa.* *Can. 10. diſt. 38.*

Canon 1. diſt. 43. legitur in 2. parte Paſtoralis cap. 4., ubi pro illis verbis: *Paſtorem enim recta timuiſſe . . . qui ab increpationis voce . . . increpatio culpam detegit . . . ipſa quoque bona opera Sacerdotis clament . . . qui ergo fluxum ſeminis patitur . . . admoneret,* dixit, *teſtificor . . . ipſa ſua utilitate ſe deſtruit*, ita legitur in nonnullis codicibus: *Paſtori enim recta timuiſſe ... quia ab increpationis voce ... increpando culpam detegit . . . ipſa quoque Sacerdotis opera clament . . . qui ergo fluxum ſeminis ſuſtinet . . . admoneret, dicens, teſtificor . . . ipſa ſua vilitate* (legunt aliqui *ſubtilitate*) *ſe deſtruit.* *Can. 1. diſt. 43.*

Digitized by Google

Can. 1. diſt. 49. Qui Gratianeos canones aut notis numericis diſtinxerunt, aut ſejunxerunt diverſitate characterum typographicorum a ſententiis intermixtis Gratiani ipſius, perperam recenſuerunt verba Gregorii, quæ habentur initio diſtinctionis 49. Quæ enim leguntur a verſ. *ſollicite formidandum*, & in ſequenti canone 1. pertinent ad caput 10. & 11. libri primi Paſtoralis, ubi tamen pro verbis illis: *Quo per deſiderium innititur . . . infirmantes palpebræ groſſeſcunt, quæ quia infuſione . . . repugnationis obſtaculo delectatur . . . qualiter vincere debeat, demonſtremus*, aliis in codicibus iſta exhibentur: *Quo deſiderium innititur . . . infirmatæ palpebræ* (in aliis *infirmanti palpebra*, in aliis *infirmantia palpebra*) *groſſeſcunt, quorum quia infuſione . . . repugnationis ſtimulo delectatur . . . qualiter vivere debeat, demonſtremus*.

Can. 2. diſt. 83. Verba canonis 2. diſt. 83. habentur in parte prima Paſtoralis cap. 2., ubi tamen pro illis verbis *peccator hortatur* legendum erit *peccator honoratur*. Quæ ſubſequuntur in verſ. *Epiſcopus* apud Gregorium deſiderantur. Cuinam potius auctori tribui illa debeant, attigiſſe jam videntur Correctores Romani. Cum vero ſimilia quædam legantur etiam ſub nomine Auguſtini in can. 32. cau. 2. qu. 7., nonnulla ſuo loco de hac re ipſa tradentur in tertia hujus operis parte.

Can. 57. cau. 2. qu. 7. Adnotant Romani Correctores canonem 57. cau. 2. qu. 7. haberi in parte 3. Paſtoralis cap. 17. Hæc ibidem leguntur verba: *Unde & elati admonendi ſunt, ne pluſquam decet, ſint liberi, & humiles admonendi ſunt, ne pluſquam expedit, ſint ſubjecti, ne aut illi defenſionem juſtitiæ vertant in exercitationem ſuperbiæ, aut iſti cum ſtudent, pluſquam neceſſe eſt, hominibus ſubjici, compellantur eorum etiam vitia venerari*. His ſane emendari facile poteſt adhuc depravatum Gratiani fragmentum.

Can. 13. 14. 15. & 16. de pœn. diſt. 3. In tertia parte Paſtoralis capite 30. habetur canon 13. de pœnit. diſt. 3., cujus tamen verba ita erunt legenda: *Aliter admonendi ſunt, qui admiſſa plangunt, nec tamen deſerunt; atque aliter qui deſerunt, nec tamen plangunt. Admonendi ſunt enim, qui admiſſa plangunt, ut conſiderare ſollicite ſciant, &c.* Paullo inferius leguntur verba canonis 14. de pœn. diſt. 3., quæ non tantum cum editis vulgatis codicibus conſonant, ſed etiam cum pluribus vetuſtis codicibus MSS., quamquam in aliquibus, teſtantibus Maurinis Monachis, ita legatur: *Qui admiſſa plangit, nec tamen deſerit, tanto graviori culpæ ſe ſubjicit, quanto & ipſam, quam flendo impetrare potuit, veniam contemnit*. Iterum poſt pauca leguntur apud Gregorium verba canonum 15. & 16. de pœnit. diſt. 3., & quidem ubique conſona. Obſcura forte aliquibus videri poterit illa canonis 16. ſententia: *Baptizatur quippe a mortuo, qui mundatur fletibus a peccato, ſed poſt baptiſma mortuum tangit, qui culpam poſt lacrymas repetit*. Loquebatur ibi Gregorius de peccatoribus poſt ſuſceptam a Deo veniam reverſis ad culpam, atque ad eam rem adferebat ſententiam Eccleſiaſtici cap. 34. verſ. 30. de iis, qui poſtquam mortuum tetigiſſent, lavabantur, & iterum ad mortuum revertebantur, ibi: *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius?* Quæ verba accommodans rei ſuæ Sanctus Pontifex ajebat: *Baptizatur quippe a mortuo, qui mundatur, &c.*

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO XXVI.

De Libro Dialogorum.

Poſtremo loco inter Gregoriana opera recenſeo Dialogos, qui inter Gregorium ipſum, & Petrum Romanæ Eccleſiæ Diaconum eidem Pontifici familiariſſimum initi fuiſſe perhibentur; exhibent autem fuſam enarrationem miraculorum, quibus Deus plurium virorum, ac virginum monaſticam vitam ducentium in Italia ſanctimoniam illuſtravit, opere ipſo in libros quatuor diſtributo. Verum utrum hæc Gregorio jure, ac merito tribuantur, hærent in ancipiti Viri eruditi. Maurini Monachi hæc Gregorio adſerere non dubitaverunt, quemadmodum nec Mabillonius, neque Petrus Guſſanvillæus, cujus eruditas librorum horum vindicias iidem Maurini Monachi editioni ſuæ inſeruerunt. Rationum momenta, quibus hi Viri eruditionis laude celebres innixi ſunt, ad hæc potiſſimum capita rediguntur. In primis in his Dialogorum libris vita Gregorii affabre delineatur, ſive auctor ſe talem exhibet, qualis revera erat Gregorius. Videlicet ſe fuiſſe olim Monachum profitetur, & quidem in Romano, quod ipſe conſtruxerat, monaſterio, uti legitur in libro 3. cap. 33., in lib. 4. cap. 21. 38. 47. & 55. Deinde auctor idem ait, ſe in Conſtantinopolitana Urbe Apocriſarii munere functum fuiſſe lib. 3. cap. 36., illinc vero ad Romanum Pontificatum evectum lib. 3. cap. 16., ubi etiam Pelagius II. Gregorii Prædeceſſor memoratur, quod legitur quoque in lib. 4. cap. 57. Omitto cetera, quæ habentur in lib. 1. cap. 7., & lib. 4. cap. 14. 15. 16. 19., & 27. Gregorio eidem penitus convenientia. Præterea multi ex veteribus Hiſtoricis de hoc opere mentionem fecerunt, tamquam Gregoriano; hujuſmodi fuerunt Beda in lib. 2. Hiſtoriæ cap. 1., Paullus, & Johannes Diaconi in lib. 2. cap. 11., & lib. 4. cap. 75. Quod vero magis magiſque id demonſtrare videtur, pertinet ad epiſtolam Gregorii ad Maximianum Epiſcopum Syracuſanum, quæ eſt 50. libri 2. indict. 11. in vulgari editione: etenim ibidem Sanctus Pontifex paratum ſe fore profitetur ad conſcribendam enarrationem miraculorum de Patribus, qui in Italia vixerant, his verbis: *Fratres mei, qui mecum familiariter vivunt, omni modo me compellunt aliqua de miraculis Patrum, quæ in Italia facta audivimus, ſub brevitate ſcribere. Ad quam rem ſolatio veſtræ charitatis vehementer indigeo, ut ea, quæ vobis in memoriam redeunt, quæque cognoviſſe vos contigit, mihi breviter indicetis.*

Sunt e contrario quamplurimi rerum veterum eccleſiaſticarum ſtudioſi, ſive ex Catholicis, ſive etiam ex hæreticis, qui iſtud opus a Gregorio abjudicant, aut ſaltem incertum omnino putant, an jure Gregorio tribuatur. Ex Catholicis laudo Cedrenum apud Græcos, & Melchiorem Canum apud Latinos. Ex hæreticis fuerunt Uldricus Coccius, Kemnitius, & Andreas Rivetus, ut omittam ceteros. Sunt autem Catholicis aliæ, aliæ hæreticis cauſſæ, cur de hujus operis fide dubitent, atque auctoritate. Catholicos excitavit veritatis inveſtigandæ ſtudium ad regulas artis criticæ ſolidiſſimas apprime compoſitum. Hæretici contra apocryphum librum judicaverunt, quod in eo confirmari ſinceræ fidei, ac religionis dogmata agnoverint. Apage hanc judicandi rationem, quam fovet veritatis non propugnandæ, ſed evertendæ voluntas. Qui ſolidis adverſus libri hujus fidem, atque auctoritatem

ritatem argumentis uti volet, hanc inibit cum Viris egregiis viam. Primo quidem initio eorundem Dialogorum fertur Gregorius preſſus graviſſimis curis ſeceſſiſſe in locum ſecretum, & mœrori accommodatum, diu etiam ibidem conſtitiſſe, ut ſic ingruentes Paſtoralis curæ ſollicitudines falleret. Id ſane minime conveniebat Gregorio Paſtori vigilantiſſimo, qui non facile paſſus eſt, Gregem ſuum inſtantibus undecunque periculis omnino deſtitui. Præterea Dialogorum hujuſmodi ſtylus talis eſt, qualis in nullo uſquam Gregorii libro adparet, pluribus inter cetera barbariſmis turpiſſime fœdatus, quamquam auctor operis in capite 1. libri 1. profeſſus fuerit, ſe a ruſticano ſcribendi uſu abſtinere velle, ibi: *Si de perſonis omnibus ipſa ſpecialiter verba retinere voluiſſem, hoc ruſticano uſu prolata ſtylus ſcribentis non apte ſuſciperet*. Demum quæ ibidem miracula Divina deſcribuntur, aniles potius fabellas ſapere videntur, nec ſatis majeſtati, rerumque, de quibus agitur, merito convenire. Quamquam enim mentem humanam Divina virtus longe, ac longiſſime excedat, mens tamen humana æquo ſemper judicio agnovit, Divinam virtutem præter naturæ ordinem nonniſi in rebus graviſſimis, & vere Deo dignis exhiberi conſueviſſe. Hæc ſane omnia, ſi forte non aperte indicant, Dialogorum libros Gregorio perperam adſcribi, ſaltem oſtendunt, non omnino temere judicaſſe eos, qui cenſuerunt, iſtud opus ab obſcuro quodam Monacho fuiſſe elaboratum, & ſub eximio Gregorii nomine blandientem auctorem, homuncionum quorundam in monaſteriorum latebris conſiſtentium fabulas ſimplicitate quadam per illorum ora volitantes, in lucem publicam edidiſſe.

Can. 4. Ex canonibus Gratianeis ex hoc Dialogorum libro depromtis primus eſt canon
diſt. 25. 4. diſt. 25., cujus ſi certa fides eſſet, maximum quoque haberetur argumentum ad demonſtrandum, decedentium juſtorum animas nondum completa expiatione purgatorio adhuc igne excruciari, donec Deo penitus ſatisfecerint. Legitur idem canon in lib. 4. cap. 39., ubi pro illis verbis Gratiani *in Spiritum Sanctum blaſphæmiam . . . peccatum curæ familiaris*, Maurini Monachi animadverterunt, legendum potius eſſe, *In Spiritu Sancto blaſphæmia . . . peccatum curæ rei familiaris*.

Can. 18. In lib. 4. cap. 11. ſermo fit de *Nurſino* Presbytero, quem aliquot MSS. Codi-
diſt. 32. ces *Urſinum* vocant, aliquot etiam *ex Nurſia Provincia*. Hinc autem excerptus eſt canon 18. diſt. 32., ubi pro illis verbis *ex tempore accepti ordinis . . . non ſinebat . . . abſcidit*, legendum eſt: *ex tempore ordinationis acceptæ . . . nunquam ſinebat . . . abſciderat*. Quod argumentum ex Nurſini facto Gratianus deducebat, non ſatis grave eſſe videtur; etenim quod Presbyter ille feciſſe proponitur, meliori quidem propoſito factum indicatur, non vero ita, ut præcepto, ac legi pareretur. Siquidem Auctor Dialogorum ibidem ita proſequitur: *Habent quippe ſancti Viri hoc proprium, nam ut ſemper ab illicitis longe ſint, a ſe plerumque etiam licita abſcindunt*.

Can. 72. Rurſum ab exemplo ſingulari Hermenegildi Sanctiſſimi Regis argumentatur Gra-
cau. 1. tianus in canone 42. cau. 24. qu. 1., ut demonſtret potius eſſe mortem arripere,
qu. 1. quam de manu hæretici communionem ſuſcipere. Quamquam enim hæc ſententia
& veriſſima ſit, inane tamen eſt illud argumentandi genus, quo ex facto viri cujuſ-
Can 42. dam integerrimi alii ad ſimilia peragenda lege obligati dicantur. Mihi ſane ſemper
cau. 24. diſplicuit, ut verum fatear, ea, quæ veritati conſentanea ſunt, dubiis aliquando,
qu. 1. aut inanibus argumentis demonſtrari; ipſa enim dubia argumenta ad veritatem demonſtrandam adhibita, infirmis aliquando occaſionem præbebunt, ut de ipſa dubitent

tent

Digitized by Google

tent veritate, pro qua pridem acerrime propugnaviſſent. Memoratus canon 42.
legitur in lib. 3. Dialogorum cap. 31., ubi tamen pro illis verbis Gratiani, *jacens
omnipotenti Deo ad ſe confirmandum preces*, legendum potius eſt: *jacere omnipotenti
Deo ad confortandum ſe preces*. Ad hunc ipſum canonem exigendus erit canon 72.
cau. 1. qu. 1. paulliſper depravatus apud Gratianum.

Canon 49. cau. 7. qu. 1. habetur in libro 2. cap. 3., ubi quæritur de Sancto Pe- *Con.49.*
tro, qui in actibus Apoſtolorum cap. 12. ita loquutus perhibetur: *Nunc ſcio vere, cau. 7.*
quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni ex- qu. 1
pectatione plebis Judæorum; quæritur, inquam, num Sanctus Apoſtolus Judæos pro-
inde deſerere potuerit, quorum curam ſemel ipſe ſuſceperat. Reſpondit Auctor
Dialogorum, ubi nulla fructus ſpes eſſe poterat, ubi omnes pervicaces erant in
malo, licuiſſe Petro diſcedere, ſecus ac, ſi pars Judæorum ſeſe Petro ſubſidium
poſtulans ſubdidiſſet. Huc ſpectant verba memorati canonis 49., ubi poſt illa *va-
leant meliorem*, hæc erunt legenda: *Vir itaque Sanctus, propter quem cuſtodiendum
ſtaret, qui omnes unanimiter ſe perſequentes cerneret? Et ſæpe agitur in animo perfe-
ctorum, &c.* Item pro verbis illis Gratiani: *Ut poſſit evadere . . . ad gravem labo-
rem ſe alibi, &c.*, legendum erit: *Ut poſſet evadere . . . & gravem laborem ad la-
borem ſe alibi, &c.*

Canon 17. cau. 13. qu. 2. legitur in lib. 4. cap. 50. ibique pro verbis illis *cum gra-* *Con.17.*
via . . . veniunt, legendum erit, *quos gravia . . . conveniunt*. Similis fere ſententia legitur *cau. 13.*
apud S. Auguſtinum in toto fere libro de cura pro mortuis, & in Enchiridio cap. *qu. 2.*
109. & 110.

Elegans eſt ſententia canonis 21. cau. 23. qu. 4., ubi pro verbo *fuerunt* legen- *Con.21.*
dum eſſe *fuerint* animadvertitur ex collatione Gregorianorum Codicum cap. 8. lib. 1. *cau. 23.*
Dialogorum. *qu. 4.*

Canon 16. cau. 23. qu. 8. legitur in lib. 1. cap. 8., ubi pro illis verbis *Ananiam, Con.16.*
& Sapphiram . . . exhibentur hæc haberi animadverto: *Ananiam vero, & Sapphi- cau. 23.*
ram . . . exhibent. qu. 8.

In lib. 4. Dialogorum cap. 44. leguntur verba canonis 60. de pœn. diſt. 1., ubi *Con.60.*
de iniquis hominibus ita ſcribitur: *Nam voluiſſent utique, ſi potuiſſent, ſine fine vi- de pœn.*
vere, &c. diſt. 1.

Verba canonis 2. de pœn. diſt. 4. leguntur in lib. 4. cap. 60., ubi poſtquam *Con. 2.*
enarratum fuiſſet, quod apud Matthæum legitur cap. 18. de conſervo, cui a *de pœn.*
domino dimiſſum eſt, quia ille aliis dimiſerat, hæc ſubjiciuntur. *Ex quibus vide- diſt. 4.*
*licet dictis conſtat, quia ſi hoc, quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, &
illud rurſus a nobis exigitur, quod nobis jam per pœnitentiam dimiſſum fuiſſe gaudeba-
mus*. An Gratiani propoſito iſta conveniant, facile noverit unuſquiſque. Diſ-
putabat Gratianus, num ſemel dimiſſa peccata reviviſcere aliquando poſſint, ni-
mirum poſt iteratum lapſum? At de hac re alibi diſſerendum potius erit; ac
præcipue ad canones 3., & 4. eadem diſt. 4. de pœnitentia.

In libro 3. cap. 30. Dialogorum exhibetur canon 22. de conſ. diſt. 1. Jamdiu *Con.22.*
rectiſſime obſervaverunt Correctores Romani, pro illis verbis Gratiani *B. Seba- de conſ.*
ſtiani, & S. Agathæ, &c., legendum potius eſſe *B. Stephani, & S. Marthæ diſt. 1.*
martyrum reliquiis, &c. Non erit abs re ſimilia quædam huc referre ex aliis Gre-
gorii monumentis excerpta. Nimirum Gregorius in epiſtola ad Leonem Acoly-
thum, quæ eſt 19. lib. 3. in regeſto, ait: *Quia ergo Eccleſia Sanctæ Agathæ ſita*

in

in ſuburra, quæ ſpelunca fuit aliquando pravitatis hæreticæ, ad Catholicæ fidei culturam Deo propitiante reducta eſt, ideo hujus auctoritatis tenore commonitus ... quantum in ſacris tectis, vel luminaribus, aliaque reparatione ejuſdem Eccleſiæ neceſſarium fuerit, erogare modis omnibus ſtudebis.

Can. 73. §. hæc ſalutaris de conſ. diſt. 2. Demum in libro 4. Dialogorum cap. 58. leguntur verba canonis 73. §. *hæc ſalutaris* de conſ. diſt. 2., cujus priora verba ita legenda erunt: *Hæc namque ſingulariter victima ab æterno interitu animam ſalvat, quæ illam nobis mortem unigeniti, &c.* Preterea pro illis Gratiani verbis: *In hoc myſterio moritur . . . ; ſalutem patitur . . . ſumma & ima ſociari, &c*, hæc erunt legenda: *In hoc myſterio ſacræ oblationis immolatur . . . ſalutem partitur . . . ſumma imis ſociari, &c.*, Verſiculus autem *uno inquit*, quemadmodum jam rectiſſime animadverterunt Correctores Romani, deſideratur in libris Dialogorum, potius vero pertinet ad Alcuinum, apud quem cum Gregorius Papa laudetur, exinde ſuboriri Collectoribus errandi occaſio potuit; dum iſti Gregorii, & Alcuini verba minime diſtinguentes, ac in ſuos codices verba Alcuini transferentes, Gregorii nomine inſcribere non dubitaverunt. Ceterum, quæ ex Alcuini libris emendanda olim fuerant apud Gratianum, jam Romani iidem Correctores optime expurgarunt.

Sectio Ultima.

De ceteris Capitibus Gregorii nomine relatis.

Can. 4. diſt. 17. Plurima adhuc fragmenta ſuperſunt apud Gratianum, quæ ut plurimum, licet nomine Gregorii referantur, non tamen Gregorii ſunt, ſæpe etiam a germanis ipſius Gregorii ſententiis aliena deprehenduntur. De canone 4. diſt. 17. nullam amplius mentionem facio; etenim ſuperius in cap. 55. pag. 489. jam animadverti, illum Pelagio primo tribuendum potius fuiſſe. Can. 2. diſt. 29. Exordior a canone 2. diſt. 29., qui nomine quidem Gregorii laudatur, attamen quis ille Gregorius fuerit, ac quodnam ad monumentum canon ſit exigendus non facile conſtat. Ego puto, canonis ejuſdem auctorem paucis ibidem perſtrinxiſſe ſententiam Gregorii VII., qualis habetur in libro 9. Regeſti epiſt. 5. ad Hugonem Dienſem Epiſcopum. Ibidem Sanctus Pontifex aſſeruit, Epiſcopos Nortmannos, qui olim erant depoſiti ab officio, reſtituendos eſſe in priſtinum gradum, ne forte aſperior, quam par eſſet, videretur Eccleſiæ Romanæ diſciplina apud Anglos., cum quibus mitius agendum fore ſuadebat, eam rationem adjiciens, quæ in memorato canone traditur, nimirum ſacros canones pro variis temporum, locorum, hominumque adjunctis temperandos eſſe.

Can. 2. diſt. 33. Si auctorem canonis 2. diſt. 33. noſſe deſideras, tibi ſatis erit adire collectionem Ivonis, apud quem idem fragmentum legitur ſub nomine Auguſtini in libro de eccleſiaſticis regulis, ſive dogmatibus. Ibi ſane cap. 70. num. 37. hæc leguntur: *Maritum duarum poſt baptiſmum matronarum clericum non ordinandum, neque eum, qui unam quidem, ſed concubinam, non matronam habuit, nec illum, qui viduam, aut repudiatam, vel meretricem in matrimonio ſumſit. Neque eum, qui ſemetipſum quolibet corporis ſui membro indignatione aliqua, vel juſto, injuſtoque timore* (legunt aliqui: *injuſtove judicio*) *ſuperato truncaverit. Neque illum qui uſuras accepiſſe convincitur,*

Digitized by Google

citur, aut in ſcæna luſiſſe dignoſcitur. Neque eum, qui publica pœnitentia mortalia crimina deflet, neque illum, qui aliquando in furiam verſus inſanivit, vel afflictione diaboli vexatus eſt, neque eum qui per ambitionem ad imitationem Simonis Magi pecuniam offert. Integra hæc verba deſcripſi, quod apud Gratianum etiam poſt Romanam Correctionem paullo aliter deſcripta legantur. Ceterum librum hunc de dogmatibus eccclesiaſticis falſo tributum eſſe Auguſtino ſuo erit loco demonſtrandum.

Canonem 3. diſt. 40. arbitror referendum eſſe ad ſententiam Gregorii, quæ legitur in canone 4. ejuſdem diſtinctionis 40., utrobique enim eadem propemodum deſcribuntur, ut proinde veroſimile ſit, Gratianum ex diverſis collectionibus utrumque fragmentum, ſive diverſam fragmenti ejuſdem verbo tenus editionem exhauſiſſe, & quaſi duo Gregorii capita protuliſſe. Ceterum quod ibidem traditur, videlicet Epiſcopos, ac præſertim Patriarchali honore venerabiles debere bonis operibus potius, quam ceteris animi, aut familiæ, ac ſimilibus dotibus ſe tales exhibere, pluries idem Gregorius tradidit. Sic in epiſtola ad Eulogium Alexandrinum, & Anaſtaſium Antiochenum Epiſcopos, quæ eſt 36. lib. 4. in vulgari editione, inquit: *Omnes Epiſcopos curæ veſtræ ſubjectos ab hujus elationis inquinatione prohibete, ut univerſa vos Eccleſia Patriarchas non ſolum in bonis operibus, ſed in veritatis auctoritate cognoſcat.* Item in epiſtola ad Johannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, quæ in eadem editione eſt 38. lib. 4., ait: *Quid ergo nos Epiſcopi dicimus, qui honoris locum ex Redemptoris noſtri humilitate ſuſcepimus, & tamen ſuperbiam hoſtis ipſius imitamur?* Can. 3. diſt. 40.

Animadverterunt jam Romani Correctores, canonem 11. diſt. 40. plurimum convenire cum iis, quæ referuntur apud Gregorium homilia 9. in Ezechielem, ubi dicitur parum valere loca, ut quis in gratia Dei perpetuo conſiſtat, ibi: *Quia autem loca mentem non muniunt, ipſe humani generis primus teſtatur parens, qui & in Paradiſo cecidit. Sed minus ſunt omnia, quæ loquimur ex terra. Nam ſi locus ſalvare potuiſſet, Satan de Cælo non caderet.* Can. 11. diſt. 40.

Canon 29. diſt. 63. apud Ivonem in parte 5. Decreti cap. 2. refertur ſub nomine Gregorii II., in vetuſtis autem Gratiani codicibus adſcribitur Gregorio IV. utrobique mendum evidens agnoſcitur; etenim cum in eo fragmento mentio fiat Hadriani II. Papæ, qui vixit anno circiter 870., fuitque Gregorio IV. recentior, nemo dubitare poteſt nec Gregorium II., nec Gregorium IV. dici poſſe canonis illius auctorem. Potius monumentum hoc tribuam Anaſtaſio Bibliothecario, qui in ſuo Pontificali in vita Hadriani II. eadem fere ſcripſit, ibi: *Collectis igitur omnibus tam Epiſcopis cum univerſo Clero, quam Primoribus urbis cum obſecundantibus ſibi populis ab Eccleſia Sancta Dei Genitricis Mariæ, quæ appellatur ad præſepe, rapitur,* (Hadrianus), *trahitur, & ad Lateranenſe Patriarchium certatim, ac a procerum, & plebis multitudine deportatur. Quod audientes tum miſſi Principis moleſte tulere, indignati, non quod tantum virum nollent Pontificem, quem nimirum anxie cupiebant, ſed quod ſe, dum præſentes eſſent, Quirites non invitaverint, nec optatæ a ſe futuri Præſulis electioni intereſſe conſenſerint. Qui accepta ratione, quod non Auguſti cauſſa contemtus, ſed futuri temporis hoc omiſſum fuerit omnino proſpectu, ne videlicet Legatos Principis in electione Romanorum Præſulum mos expectandi per hujuſmodi fomitem inoleſceret, omnem ſuæ mentis indignationem medullitus* (legunt alii *inoliter*, alii *mollitus*) *ſedavere, ac ſalutandum* (legunt alii *et ad ſalutandum*) *electum etiam ipſi humiliter* Can. 29. diſt. 63.

acceſ-

Digitized by Google

acceſſere. Hæc ſane brevis hiſtoria ſpectat formulam electionis Romani Pontificis, de qua nonnulla differenda propoſui ad canonem 30., & 32. diſt. 63., ubi etiam quædam attingam de electione Hadriani II. juxta ea, quæ in memorato Anaſtaſii monumento traduntur. Interea hæc adnotaſſe ſufficiat, niſi forte quiſquam ſciſcitaretur, qua ratione evenire potuerit, ut fragmentum Anaſtaſii Gregorio II., vel IV. Pontifici tribueretur. Ego ſane, uti in multis aliis, redarguendam etiam hic in re agnoſco imprudentiam Amanuenſium, ne dicam Collectorum improbitatem, qui ſæpe ac ſæpius canonum inſcriptiones vitiare turpiter non erubuerunt. Illos poſſet hæc, qualiſcumque tandem habeatur, excuſare conjectura; forte enim in MSS. quibuſdam Codicibus, in quibus monumentum illud habebatur, adjici potuit hæc breviatis characteribus inſcriptio ex G. R. P., qua ſignificaretur monumentum depromtum eſſe *ex Geſtis Romanorum Pontificum*; nimirum hoc nomine donabatur Anaſtaſii Bibliothecarii Pontificale, quemadmodum docet inſcriptio canonis 21. diſt. 63. At imprudens, imperituſque Amanuenſis ita legit: *Ex Gregorio Papa*, vel *ex Gregorio Romano Pontifice*. Non erit omnino inveroſimilis hæc conjectura apud eos, qui apprime norunt, quam facile ex vetuſtorum Codicum MSS. breviationibus hujuſmodi ſcripturarum, ac præſertim inſcriptionum varietates emerſerint, utinam etiam non emergerent in præſentia! qua nimirum ætate hujuſcemodi ſtudia Viros eruditiſſimos nec immerito tenent.

Can. 23. diſt. 81. Simile quidpiam mea opinione contigit in canone 23. diſt. 81., qui Gregorii nomine apud Gratianum laudatur; apud Ivonem vero parte 6. cap. 76. hac adjecta inſcriptione: *Gregorius Civibus Romæ*; forte enim apud veteres legebatur *Gregorius* C. *Rom.* ut ſignificaretur, ea quaſi ex Gregorio depromta fuiſſe in *Concilio Romano*, Ivo autem, aut alius quiſpiam legit *Civibus Romæ*. Aſt, inquies, quodnam demonſtrari poteſt Concilium Romanum ſub Gregorio celebratum, ad quod Gratianeus canon referatur? Nemo ex Collectoribus, quoad ipſe noverim, aut ex Gloſſographis huc uſque patefecit. Nomine hujus Concilii Romani ego intelligo Synodum Romæ celebratam anno 743. ſub Zacharia Pontifice; ubi quum conſideraveris verba, quæ habentur in canone 15., non dubitaveris, quin eadem ſint cum Gratiani monumento. Quod ſi adhuc hæreres in eo, quod apud Gratianum, & Ivonem non Zacharias, ſed Gregorius memoretur, dubitationem amovebit omnem animadverſio, qua in eodem canone agnoſces laudatum Gregorium Magnum, cui propterea recentiores Collectores facile tribuere potuerunt, quæ in integro canone tradebantur. His adde apud Gregorium eundem plurima deprehendi ad eandem rem, ſive materiem pertinentia, præſertim, ut alia omittam benemulta, in epiſtola ad Romanum, & alios Defenſores, quæ in vulgari editione eſt 39. lib. 7. Jam vero ſubjiciam hoc in loco verba ipſa memorati canonis 15. editi in Romano Concilio Zachariæ, ibi: *Sed neque hoc ſilendum eſt, perveniſſe ad nos (quod cum grandi triſtitia animi dico) per diverſa loca hujus Italiæ, & Longobardorum partes, Sacerdotes cum ſanctimonialibus fœminis, ideſt Monachis, habitare. Quod nefarium eſt dicere, vel audire contra canones eſſe ſancita. Ubi enim talis fuerit commorantium habitatio, antiqui hoſtis ſtimuli non deſunt: unde omnino cavendum, & vitandum eſt, Fratres mei, ne fallant, & impleatur in eis Prophetæ dictum: Sacerdotes ejus contaminant ſancta, & reprobant legem. Quod & alius Propheta increpat, dicens: vos Sacerdotes, qui fallitis nomen meum, & dixiſtis, in qua re fefellimus nomen tuum? Quibus reſpondendum eſt: offerentes ad Altare meum panem pollutum. Non eſt mihi* vo-

voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & ſacrificium non accipiam de manibus veſtris. Pro quo timeo, dilecti mei, ne nobis in capite poſitis, ſi neglexerimus, illud contingat, quod Dominus per Prophetam dicit: ideo Paſtores audite verbum Domini. Ecce lac devoraſtis, &c. Quæ heic ſequuntur, habentur apud Ezechielem cap. 34.

Canon 12. cau. 1. qu. 1. potius tribuendus erat Paſchali II., quam Gregorio. Hujus rei teſtis eſt Deuſdedit, qui in tractatu contra Simoniacos, quemadmodum animadverterunt Correctores Romani, eadem verba retulit ex epiſtola Paſchalis II. ad Mediolanenſes. Hac autem in re maximi faciendum erit Deuſdedit teſtimonium, utpote qui Romæ ſcribebat tempore ejuſdem Paſchalis II., ac propterea nonniſi impudentiſſime Paſchali II. tribuiſſet, quod nunquam ab eodem Pontifice fuiſſet editum. Non tamen inficias iverim, aliqua ſimilia reperiri, aut apud Gregorium I., quemadmodum exemplo eſſe poteſt canon 2. cau. 1. qu. 1., aut apud Gregorium VII., qui paſſim de irritandis Simoniacorum ordinationibus egit; unde fieri forte potuit, ut Gregorii nomen eidem Gratianeo canoni adſcriberetur. Ceterum non deſunt alia eccleſiaſticorum canonum monumenta, quibus idem canon conſonet. Similia quædam leguntur in canone 2. Concilii Chalcedonenſis; ſimilia etiam habentur, ut cetera omittam, in epiſtola 2. Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem, ubi de Photio ſermo fit, quem Gregorius Syracuſanus ſchiſmaticus in locum Ignatii ordinaverat, ibi: *Nam Gregorius quomodo eum quam ædificare poterat, qui multipliciter jam noſcebatur eliſus, quomodo quemquam in aliquo eccleſiaſtico poterat ordine ſtabilire, qui Eccleſiæ unitatem ſcindens ipſe jam videbatur omnino dejectus? Sicut enim ligatus ligare, & dejectus dejicere non poteſt, ſic deſtructus conſtruere, & eliſus quemquam ordinare nequivit .... Gregorius ergo, qui canonice, ac ſynodice depoſitus, & anathematizatus erat, quemadmodum poſſet quemquam provehere, vel benedicere, ratio nulla docet.* Can. 12. cau. 1. qu. 1.

Ad canonem 84. cau. 1. qu. 1. jamdiu Romani Correctores animadverterunt, illum fuiſſe congeſtum ex variis Iſidori, Gregorii Magni, atque Hieronymi ſententiis. Ubi de Iſidoro Hiſpalenſi agendum erit, illa tradam, quæ ad eundem Sanctum Epiſcopum ex hoc fragmento referenda erunt, nimirum a verſic. *Myſterium itaque* uſque ad illa verba: *Sed qui incrementum dat Deus.* Porro quæ deinde ſequuntur a verſ. *Polluimus* uſque in finem ex Hieronymo depromta eſſe videntur; etenim Sanctus Vir in caput 1. Malachiæ in ea verba *panem pollutum*, item in ea *polluimus eos?* ita ſcribit: *Polluimus panem, ideſt Corpus Chriſti, quando indigni accedimus, & ſordidi mundum ſanguinem bibimus.* Deinde in caput 2. Malachiæ ad illa verba *maledicam benedictionibus veſtris* ait: *Maledicam, inquit, benedictionibus veſtris, hoc eſt iis, quæ nunc meis benedictionibus poſſidetis, ſive quidquid a vobis benedicetur, a me maledictum erit.* Et poſt multa: *Et certe quia ad Sacerdotes proprie mandatum eſt, vertuntur benedictiones eorum in maledictionem, quando non benedicunt Sanctis ex vero cordis affectu, ſicut Iſaac Jacob, & Jacob Patriarchis, & Moyſes duodecim tribubus, ſed per dulces ſermones, & benedictiones decipiunt corda innocentium, & qui inique agunt, benedicuntur ab eis, laudanturque peccatoribus, dummodo divites ſint, atque eorum vitiis blandiuntur.* His itaque aut Iſidori, aut Hieronymi fragmentis exceptis cetera fere omnia ex variis Gregorii Magni ſententiis paullo aliter digeſtis compoſita ſunt. Huc præterea referenda, quæ Gregorius idem habet in 3. parte Paſtoralis admonitione 5 ibi: *Admonendi ſunt ſubditi, ne præpoſitorum ſuorum vitam temere judicent ſi quid eos fortaſſe agere reprehenſi-* Can. 84. cau. 1. qu. 1.

henſibiliter vident, ne unde mala recte redarguunt, inde per elationis impulſum in profundiora mergantur. Admonendi ſunt, ne cum culpas præpoſitorum conſiderant, contra eos audaciores fiant; ſed ſic ſiqua valde ſunt eorum prava, apud ſemetipſos dijudicent, tamen divino timore conſtricti ferre jugum reverentiæ non recuſent. Huc etiam referenda, quæ leguntur in libro 15. Moralium cap. 16. ibi. *Sunt vero nonnulli, qui ſi parum quid de ſpiritali converſatione inchoant, cum Rectores ſuos temporalia agere, & terrena conſiderant, mox ordinem ſupernæ diſpoſitionis accuſant, quod nequaquam bene ad regendum prælati ſint, per quos converſationis infimæ exempla monſtrantur. Sed hi nimirum dum temperare ſe a Rectorum ſuorum reprehenſione negligunt, culpæ ſuæ exigentibus meritis uſque ad reprehenſionem conditoris excedunt, cujus profecto diſpenſatio inde ab humilibus rectior agnoſcitur, unde ab elatis non recte judicatur.* Ex his ſane liquet horum fragmentorum conſarcinatorem nonnulla immutaviſſe, nonnulla de ſuo adjeciſſe, neque enim plurium Patrum ſententiæ aliter jungi poterant; quod eo vel magis unicuique conſtabit, quoties hæc conferantur cum iis, quæ tradidit Magiſter ſententiarum in lib. 4. cap. 13. ubi plura ex iis, quæ apud Gratianum legimus, deſcribuntur, quæque Gratiano ipſi tamquam exemplar eſſe potuerunt, ſi Lombardi opus ſcribente Gratiano jam publicam lucem adſpexerat.

Potiore jure Auguſtino, quam Gregorio tribueretur canon 89. cau. 1. qu. 1., hujus quippe ſententia paſſim apud Sanctum Hipponenſem Antiſtitem probatur,
Can.89. cau. 1. qu. 1. ubi præſertim ille Donatiſtarum hæreſim confecit. Hujus rei argumento eſſe poteſt liber de baptiſmo adverſus Donatiſtas, item liber contra epiſtolam Parmeniani; in his enim nihil clarius diſertiuſque exprimitur, quam quod in memorato canone 89. paucis indicatur; ut propterea dixeris, ibidem agnoſcendum eſſe breviatum quoddam Auguſtini illa opera elucubrantis argumentum. Quod ſi adhuc nonnulla apud Gregorium inveſtigare velis his ſimilia, poterunt in medium proferri ea, quæ habentur in epiſt. 32. lib. 2. in vulgari editione ad Johannem Epiſcopum Ravennæ ibi: *Sicut autem baptizatus ſemel, iterum baptizari non debet, ita qui conſecratus eſt ſemel, in eodem iterum ordine non debet conſecrari. Sed ſi quis forſitan cum levi culpa ad Sacerdotium venit, pro culpa pœnitentia indici debet, & tamen ordo ſervari;* Huc etiam referri poſſunt, quæ habentur in expoſitione in librum primum Regum cap. 3. ibi: *Electi Paſtores Sanctæ Eccleſiæ, quod exterius portant de gloria culminis, hoc intus accipiunt ex gratia divinæ bonitatis, & honorem, quo ſublimes ſunt in oculis hominum, digno ſtudio in interiori ab internæ majeſtatis largitate promerentur.*

Si Anſelmus Lucenſis, qui Alexandro II. Pontifici contemporaneus fuit, cano-
Can.11. cau. 1. qu. 4. nem 11. cau. 1. qu. 4. laudavit tamquam ejuſdem Alexandri II. monumentum, quid aliud remanet inveſtigandum in codicibus Gratiani, quorum alii Gregorio, alii Auguſtino tribuerunt? Plane temporibus Alexandri II. illa ſententia plurimum congruit; ſcimus enim ſimoniæ vitium etiam in conſecrationibus Eccleſiarum admiſſum frequentiſſime fuiſſe, atque frequentiſſime etiam ab eodem Alexandro II. damnatum. Referam ad hanc rem, quod legitur in conſtitutionibus, quas Legati Sedis Apoſtolicæ ſub eodem Alexandro Mediolanenſibus obſervandas præſcripſerunt, ibi: *Ex nulla quoque eccleſiaſtici ordinis benedictione, vel ex eccleſiarum conſecrationibus, vel chriſmatis datione quidquam muneris a quoquam per aliquam conventionem detur, aut accipiatur.* Nomen Gregorii forte in inſcriptionem Gratianei canonis irrepſit, quod creditum fuerit ad Gregorium VII. pertinere plurimas

Ale-

Alexandri II. conſtitutiones; ſiquidem Gregorius Alexandri ſucceſſor Simoniacorum Eccleſias conſecrantium geſta æque improbavit, quemadmodum conſtat ex pluribus ejuſdem Pontificis monumentis. Forte etiam evenire potuit, ut ideo Gregorius laudaretur tamquam auctor ejuſdem canonis, quod plurimum cum hoc canone conveniat ſententia Gregorii Magni in canone 2. cau. 1. qu. 1., ubi legitur, Sacerdotem ſimoniace ordinatum nullatenus Sacerdotem vocari poſſe, qua ſimilitudine potuit collector quiſpiam canonum uti ad inſequendas ſimoniacas eccleſiarum conſecrationes. Unum adhuc animadvertendum eſt, canonem hunc 11. parum, aut nihil prodeſſe propoſito Gratiani, qui inquirebat, utrum crimen paternum ignorantibus filiis obeſſet.

Canonem 42. cau. 11. qu. 7. jam Romani Correctores jure tribuerunt Gre- Can.42.
gorio IV., quamobrem ſuo loco velut commodiore inferius expendendus erit. cau. 2.

Quicumque canonem 43. cau. 2. qu. 7. conſideraverit, atque cum canone 44. qu. 7.
ſequente contulerit, ſtatim agnoſcet, illum nihil aliud continere, quam breve
iſtius, ac compendiarium argumentum, quod Gratianus non paucis in locis fa- Can.43.
cau. 2.
cere conſuevit. Quamobrem meo judicio parum accurate editores recentiores qu. 7.
Gratianei codicis diſtinxerunt capita numericis notis, dum canonum argumenta quaſi ſejuncta capita numeris diſtinxerunt. Quod ipſum etiam contigit in can. 2.
cau. 5. qu. 6., cujus ſententia nihil aliud continet, quam argumentum canonis 3. Can. 2.
ſequentis. cau. 5.

Gregorio Papæ perperam tribuitur canon 20. cau. 11. qu. 1. Verum jam ſu- qu. 6.
perius cap. 55. pag. 489. demonſtravi, illum potius tribuendum fuiſſe Pelagio I., Can.20.
unaque canonis ejuſdem ſententiam expendi. cau. 11.

Canon 66. cau. 11. qu. 3. perperam tributus fuit Gregorio, potius autem qu. 1.
adſcribendus erat Iſidoro Hiſpalenſi in libro 3. ſententiarum, qui alias dicitur li- Can.66.
ber *de ſummo bono* cap. 54. ibi: *Qui recte judicat, & præmium inde remunerationis* cau. 11.
expectat, fraudem in Deum perpetrat, quia juſtitiam, quam gratis impertiri debuit, qu. 3.
acceptione pecuniæ vendit. Bonis male utuntur, qui juſte pro temporali lucro judicant. Tales quippe ad veritatem non juſtitiæ defenſio, ſed amor præmii provocat. Quibus, ſi ſpes nummi ſubtrahitur, confeſtim a juſtitiæ defenſione recedunt. Acceptio munerum prævaricatio veritatis eſt: unde & pro juſto dicitur: qui excutit manus ſuas ab omni munere, iſte in excelſis habitat.

Cum canon 70. cau. 11. qu. 3. *Ex dictis Gregorii* depromtus eſſe dicatur, facile Can.70.
liquet, in eo non exhiberi ipſamet Gregorii verba, ſed potius ſententias ibidem cau. 11.
congeſtas ex pluribus ejuſdem Pontificis monumentis. Iſtuc referunt Correctores qu. 3.
Romani, quæ Gregorius tradidit in caput 19. Moralium cap. 33. ad ea verba Jobi: *Cauſſam, quam neſciebam, diligentiſſime inveſtigabam.* At vero quoties cum his conferantur verba Gratiani, diverſa ſane utrobique ſententia percipietur. Siquidem apud Gratianum legitur, neminem furore percitum, aut levitate quadam adductum debere in judicando præcipitem ſententiam pronunciare; ſed caute procedere Moſis exemplo; & apud Gregorium loco memorato traditur, Dei miniſtros non debere ſæcularium negotiorum cauſſis invigilare; aut, ſi forte rerum neceſſitas quidpiam hujuſmodi poſtulet, debere eas per ſubſtitutos expedire exemplo Moſis, qui in cauſſis populi dirimendis *viros pro ſe ſeptuaginta conſtituit, ut quanto ſe ab exterioribus cauſſis abſconderet, tanto ardentius interna penetraret.* Ad rem potius facere videntur quoquo modo, quæ paullo inferius leguntur, ibi:

Digitized by Google

Qua in re notandum video, ne ad proferendam ſententiam unquam præcipites eſſe debeamus, ne quælibet mala audita nos moveant, ne paſſim dicta ſine probatione credamus. Similia nonnulla leguntur in epiſtola ad Maximianum Epiſcopum in vulgari editione 26. lib. 12. ibi: *Frequenter admonuiſſe vos recolo, ut in proferenda ſententia eſſe præcipites nullatenus deberetis*. Ad eundem canonem referenda etiam videntur, quæ Gregorius habet in 2. parte Paſtoralis cap. 5. ibi: *Hinc Moyſes crebro tabernaculum intrat, & exit, & qui intus in contemplationem rapitur, foris infirmantium negotiis urgetur. Intus Dei arcana conſiderat, foris opera carnalium portat. Qui de rebus quoque dubiis ſemper ad tabernaculum recurrit, coram teſtamenti arca dominum conſulit, exemplum procul dubio Rectoribus præbens, ut cum foris ambigunt, quid diſponant, ad mentem ſemper, quaſi ad tabernaculum redeant, & velut coram teſtamenti arca Dominum conſulant, ſi de his, in quibus dubitant apud ſemetipſos intus ſacri eloquii paginas requirant*.

Can. 78. cau. 11. qu. 3. Non Gregorii, ſed potius Iſidori Hiſpalenſis eſt canon 78. cau. 11. qu. 3., quemadmodum facile liquet conferenti caput 54. lib. 3. Sententiarum ejuſdem Sancti Hiſpalenſis Doctoris. Cum autem apud Gratianum paullisper depravata canonis editio ſit, illam operæ pretium erit emendare. Ait ibi Iſidorus: *Quatuor modis pervertitur humanum judicium: timore, cupiditate, odio, & amore. Timore, dum metu poteſtatis alicujus veritatem loqui paveſcimus. Cupiditate, dum præmio muneris alicujus corrumpimur. Odio, dum contra quemlibet adverſari molimur. Amore, dum amico, vel propinquis præſtare contendimus. His enim quatuor cauſſis ſæpe æquitas violatur, ſæpe innocentia læditur*.

Can. 3. §. ſoror cau. 13. qu. 2. Canon 3. §. *ſoror* cau. 13. qu. 2. referendus eſt ad librum 2. Dialogorum Gregorio tributorum cap. 54., ubi hæc de S. Benedicto leguntur: *Poſt triduum in cella conſiſtens elevatis in aera oculis vidit ejuſdem ſororis ſuæ animam de ejus corpore egreſſam in columbæ ſpecie cœli ſecreta penetrare. Qui tantæ ejus gloriæ congaudens, omnipotenti Deo in hymnis, & laudibus gratias reddidit, ejuſque obitum fratribus denunciavit, quos etiam protinus miſit, ut ejus corpus ad monaſterium deferrent, atque in ſepulcro, quod ipſe ſibi paraverat, ponerent. Quo facto contigit, ut quorum mens una ſemper in Deo fuerat, eorum quoque corpora nec ſepultura ſepararet*. Verum qualis ſit hujuſmodi Dialogorum auctoritas, ac propterea num hæc jure Gregorio adſcripta fuerint, ſuperius jam abunde perſpectum eſſe videtur.

Can. 3. cau. 15. qu. 6. Perſpicue liquet, canonem 3. cau. 15. qu. 6. ad Gregorium Magnum pertinere nullo modo poſſe, cum ibidem mentio fiat recentiorum Principum Pippini, & Caroli Imperatoris, item Zachariæ Pontificis. Commodius atque opportunius de eo agam inferius, ubi de Gregorio VII. ſermo inſtituetur.

Can. 23. & 24. cau. 16. qu. 1. Facile noverit unuſquiſque, Gregorii Magni temporibus non convenire, quod Gratiani ejuſdem nomine refertur in can. 23., & 24. cau. 16. qu. 1., etenim certo conſtat apud eruditos omnes, Monachos niſi recentiore ætate non obtinuiſſe facultatem ſacramenta publice populo adminiſtrandi. Hinc etiam in Concilio Pictavienſi anno 1100. juſſu Paſchalis II. celebrato canone 11. ita legitur: *Ut nullus Monachorum Parochiale miniſterium Presbyterorum, ideſt baptizare, prædicare, pœnitentiam dare præſumat*. Quæ igitur apud Gratianum in memoratis canonibus habentur, ex iis forte ſunt monumentis, quorum plurima Monachi ipſi ſub finem decimi ſæculi elucubrata evulgarunt, quaſi ex antiquiſſimis Pontificibus Maximis, præſertim ex Gregorio Magno accepta, de quibus jam ſuperius quædam

tra-

Digitized by Google

tradidi ad canonem 5. cau. 18. qu. 2., quæque potuit facile proferre in medium Gratianus monaſterio addictus, & in volutandis monaſteriorum codicibus diu verſatus, quemadmodum ſimile quidpiam contigiſſe arbitror in canone 21. cau. 16. qu. 1., qui Ambroſio tribuitur, quaſi jam ab antiquiſſimis Ambroſii temporibus recens Monachorum diſciplina jure repeti poſſit. Videntur potius laudati canones 23., & 24. decerpti ex Concilio Nemauſenſi anni 1096. ſub Urbano II. celebrato, in quo ita legitur canone 2. *Credimus igitur, a Sacerdotibus Monachis ligandi, ſolvendique poteſtatem digne adminiſtrari, ſi tamen digne contigerit eos hoc miniſterio ſublimari*. Et can. 3. *Oportet eos, qui ſæculum reliquerunt, majorem ſollicitudinem habere, pro peccatis hominum orare, & plus valere eorum peccata ſolvere, quam Presbyteros ſæculares, quia hi ſecundum regulam Apoſtolicam vivunt, & eorum ſequentes veſtigia communem vitam ducant juxta quod in actibus eorum ſcriptum eſt: erat illis cor unum, & anima una, & erant illis omnia communia. Ideoque videtur nobis, ut his qui ſua relinquunt pro Deo, dignius liceat baptizare, communionem dare, pænitentiam imponere, nec non peccata ſolvere. Unde conſiderare nos oportet, quantæ virtutis apud Deum ſint, qui ſæculum relinquentes Domini obediunt præcepto dicentis: relinque omnia, quæ habes, & veni, ſequere me. Unde cenſemus eos, qui Apoſtolorum figuram tenent, prædicare, baptizare, communionem dare, ſuſcipere pænitentes, peccata ſolvere*. Porro hæc ſi cum memoratis Gratiani canonibus conferantur, facile indicabunt, auctorem eorundem canonum abuſum fuiſſe verbis, immo etiam ſententiis Concilii Nemauſenſis, inſuper ut propoſito ſuo impenſius indulgeret, Gregorii nomen adjeciſſe gravioris auctoritatis conciliandæ cauſſa. Dixi abuſum fuiſſe ſententia Concilii Nemauſenſis: etenim jam a temporibus Magni Gregorii uſus in Eccleſiis invaluit, ut quemadmodum Monachi vitæ integritate venerabiles habebantur, ita ipſi a monaſteriis ad regendas Eccleſias advocarentur, modo in Epiſcopatu, modo in Clero inferiori. Quod quidem plures in invidiam Monachorum concitavit, ut propterea non deeſſent, qui dicerent, Monachos mortuis æquiparandos, & minus idoneos habendos, qui ad obeunda eccleſiarum officia promoverentur. Conſtat id ex decreto, de quo mentio fit in can. 25. cau. 16. qu. 1. Itaque viri eccleſiaſtici nihil ſollicitius curarunt, quam ut ſuaderent, immo & lata lege definirent, Monachos eſſe ſacris obeundis muneribus aptos, dummodo tamen legitime ad Clerum promoverentur. Hi fuere primi canones, qui generaliter Monachos ad ſacra officia vocare cœperunt, non quidem ut quouſque Monachi degerent in monaſteriis, ibidem ſacra conficerent, ſed ut a monaſteriis ad Eccleſias transferrentur, munus ſibi juxta ordinem demandatum executuri. Huc tantummodo ſpectaverunt Patres Concilii Nemauſenſis, quod in memoratis canonibus 2., & 3. facultatem Monachis fecit vacandi miniſteriis eccleſiaſticis. Plane initio canonis 2. mentio fit nonnullorum, qui tunc temporis Monachorum promotionem ad Clerum prorſus improbabant; at Nemauſenſes Patres probandam e contrario voluerunt, exemplo præſertim Gregorii Magni, Auguſtini Anglorum, & Martini Pannonienſis, quos nemo non dubitat e monaſteriis ad regendas Eccleſias accitos fuiſſe. Alio igitur detorta eſt Nemauſenſium Patrum ſententia ab iis, qui laudatos Gratiani canones ediderunt nomine Gregorii, facultatem tunc facientes Monachis in monaſteriis ipſis publice ſacramenta adminiſtrandi. Neque enim idem eſt, Monachos ad Eccleſias a monaſteriis vocari poſſe cauſſa ſacramentorum miniſtrandorum, & Monachos in ſuis monaſteriis publice Parochiale, ita dixerim, munus obire. Immo ſi ipſa Gre-

Gregorii Magni monumenta inveſtigemus, facile agnoſcemus Gregorium in ea ſententia perpetuo fuiſſe, nimirum ne Monachi in monaſteriis ipſis ſacramenta conficerent, & populo adminiſtrarent. Quid enim aliud in ſuis paſſim epiſtolis optabat, quam ne Epiſcopi ad monaſteria populum adducerent cauſſa ſacrorum, quemadmodum ſuperius pluries obſervatum eſt, ea potiſſimum de cauſſa, quia non erat ex frequentia populi, & concurſu ad monaſteria turbanda quies, & tranquillitas Monachorum, quorum profeſſio erat ſolitaria vita? Nemo autem dixerit, Gregorium voluiſſe a Sacramentis in cœnobiis adminiſtrandis Epiſcopos excludere cauſſa evitandæ popularis frequentiæ, deinde populum hortatum fuiſſe, ut ad monaſteria conflueret, ab ipſis Monachis Sacramenta ſuſcepturus.

In canone 35. cau. 16. qu. 7. agnoſco Burchardi Wormacienſis manum, qui, quemadmodum alias ſæpiſſime animadverti, quæ in Capitularibus Francorum conſtituta erant, noluit Capitularium ipſorum nomine commemorare, ne ingratam rem faceret Germanis, apud quos Francorum nomen odio erat. Eam ob rem Burchardus Gregorio Papæ adſcripſit, quod adſcribendum erat Capitularibus, quo auctore ducti Ivo & Gratianus laudatum canonem 35. Gregorio etiam tribuerunt. Porro in libro 5. Capitularium cap. 99. in editione Baluziana hæc leguntur: *De Eccleſiis, quæ inter cohæredes diviſæ ſunt, conſideratum eſt, quatenus ſi ſecundum providentiam, & admonitionem Epiſcopi ipſi cohæredes eas voluerint tenere, & honorare faciant. Si autem hæc contradixerint, ut in Epiſcopi poteſtate maneat, utrum eas ita conſiſtere permittat, aut reliquias exinde auferet.* Hæc excerpta fuerunt ex Capitulari Ludovici Pii in Wormacienſibus Comitiis edito anno 829., quo tempore Gregorius IV. ſummum Pontificatum gerebat, unde forte Burchardus nomen Gregorii voluit inſcribendum. Rurſum autem hic canon renovatus eſt a Lothario, deſcriptuſque inter leges Longobardicas lib. 3. tit. 1. num. 44., ubi tamen pro verbis illis *conſideratum eſt . . . ſecundum providentiam . . . & honorare faciant . . . conſiſtere permittat, &c.*, legitur: *Conſiderandum eſt . . . ſecundum noſtram providentiam . . . & honores faciant . . . cuſtodire permittat.* Hujuſmodi conſtitutionibus occaſionem dederunt ſubortæ graviſſimæ Patronorum contentiones; ubi enim Fundatoribus Eccleſiarum plures hæredes ſucceſſerant, in ipſa hæreditatis diviſione dividenda etiam fore altaria proponebant. Hinc in Concilio Cabilonenſi II. anni 813. can. 26. relato in additione 3. Capitularium cap. 51. ita legitur: *Perlatum ad nos eſt, quod inter hæredes Eccleſiæ in rebus propriis conſtitutæ dividantur, & tanta per eandem diviſionem ſimultas oriatur; ut unius altaris quatuor partes ſiant, & ſingulæ partes ſingulos habeant Presbyteros. Quod ſine diſcordia, & ſimultate nullo modo fieri poteſt. Unde nobis viſum eſt, quod hujuſcemodi Eccleſiæ inter hæredes dividi non debeant.*

Canon 1. cau. 23. qu. 1. non Gregorii, ſed Origenis eſt in Homilia 15. in librum Joſue, quæ habetur in tomo 2. Maurinorum editionis, ubi pro illis verbis *ſed magis injuriam . . . armaturam Dei, &c.* legitur: *Et: magis injuriam . . . arma Dei, &c.* Porro hujuſmodi Homilias ſe aſſerit Ruffinus de Græco in Latinum idioma tranſtuliſſe, & quidem *ſimpliciter ut invenerat.*

Quod ſub nomine Sancti Auguſtini retulerant Ivo, & Burchardus, id Gratianus retulit ſub nomine Gregorii in can. 7. cau. 23. qu. 5. Romani Correctores recte animadverterunt ad canonem 3. cau. 14. qu. 6., quod in eodem canone 3. fuſius ex Gregorio deſcribitur, paucis hic perſtrictum eſſe, ac veluti compendio quo-

Margin notes: *Can. 35. cau. 16. qu. 7.* — *Can. 1. cau. 23. qu. 1.* — *Can. 7. cau. 23. qu. 5.*

Digitized by Google

quodam editum. Romani etiam Correctores adnotaverunt legendum eſſe ex Burchardo, & Ivone *non defendat*. Ego vero putaverim potius, verba hujus canonis non eſſe ulla ratione attendenda, utpote quæ Gregorii non ſunt, ſed ad memoratum canonem 3. exigenda.

Canon 22. cau. 24. qu. 3. legitur in Pœnitentiali Romano edito ab Antonio Auguſtino tit. 6. cap. 17., quin tamen ulli auctori adſcribatur, his verbis: *Quiſquis per dolum manum ſuam mittit in Chriſtum Domini, Epiſcopum videlicet Patrem, & Paſtorem ſuum, quia ſacrilegium committit, ut qui Eccleſiam Dei devaſtat, & incendit, quia & hoc ſacrilegium eſt, placuit ſanctæ Synodo, ut in uno loco, ideſt in monaſterio, pœniteat omnibus diebus vitæ ſuæ*. Ita quoque ſcripſit Ivo in parte 12. cap. 86., & parte 13. cap. 65., nec non Burchardus lib. 10. cap. 65., apud quos omnes deſiderantur illa Gratiani verba: *ut in primis omnia bona ejus proſcriptione publicentur*: Ex ipſa canonis formula perſpicuum fit, eundem non eſſe Gregorii, ſed potius alicujus Concilii, ut indicant verba illa præ ceteris *placuit ſanctæ Synodo, ut &c.* Sive Ivo, ſive Burchardus non Gregorium auctorem canonis memorant, ſed potius canoni hanc inſcriptionem adjecerunt: *Ex Concilio Tungrenſi can. 5.* In quibuſdam codicibus pro voce *Tungrenſi* legitur *Gangrenſi*, ita forte emendata lectione ab eo, qui quale eſſe Tungrenſe Concilium ignorabat, noverat vero Gangrenſe. Baluzius in notis ad Gratianum memorat in Codice Talonico ſe legiſſe in inſcriptione hujus canonis *ex Targrenſi Concilio*. Ego arbitror legendum potius fuiſſe *ex Concilio Troslejenſi can. 5.* Revera in Concilio Troslejenſi anno 909. in pago Sueſſonico celebrato ab Heriveo Rhemenſi Archiepiſcopo ſimilis fere ſententia exhibetur can. 4., & 5., in quibus aſſeritur in primis ſacrilegium admitti a ſchiſmatico, qui ab Epiſcopo ſuo in Epiſcopatus injuriam deficiat; deinde ſacrilegium etiam admitti ab eo, qui res eccleſiaſticas invadat, auferat, vel diripiat. Immo adverſus hunc ſacrilegum excommunicationis pœna infligitur, additurque *in pœna perpetua deprimetur*. Tandem ad alias etiam pœnas indicendas devenitur his verbis: *Sed quia ſunt quidam, qui temporalem potius mortem, quam æternam timeant, recenſeamus, quid ſæculi leges de talibus præcipiant. In libro ſupraſcripto* (Is eſt liber Capitularium Francorum, de quo mentio ſuperius habita fuerat) *capitulo 431. jubetur, ut capitali pœna mulctentur, qui ſacrificia, adulteria, prædationes, aut devaſtationes exercuerint, ut omnes res eorum tam mobiles, quam immobiles fiſco Regis ſocientur, vel Eccleſiæ, cujus res vaſtaverint, alienaverint, aut abſtulerint, tradantur*. Hæc, quæ in canonibus Troslejenſibus fuſis verbis ſententia exprimitur, in compendium redacta fuerat ab auctore Gratianei canonis 22., & quidem principio ſub nomine Concilii Targrenſis, quemadmodum memoratus Baluzius agnovit; nomen ab aliis editum eſt Concilii Tungrenſis, uti apud Burchardum, & Ivonem; cujus loco ſubſtituerunt alii nomen Concilii Gangrenſis, & tandem pro nomine Gangrenſis non defuerunt, qui legerent nomen Gregorii, atque is fuit, vel Gratianus, vel auctor Codicis, quem Gratianus idem ſequebatur.

Canon 15. cau. 27. qu. 1. videtur a Gratiano Gregorii nomine deſcriptus ex Reginonis Collectione in lib. 2. cap. 165., ubi tamen pro illis Gratiani verbis *apud ſe retineat impudice . . . . revocetur, atque recludatur*; apud Reginonem ita legitur: *apud ſe nunc uſque retineat impudice . . . . revocetur, ac retrudatur*. Verba autem Gregorii ſunt in epiſtola ad Marinianum Epiſcopum Ravennatem, quæ

Can. 22. cau. 24. qu. 3.

Can. 15. cau. 27. qu. 1.

in

In vulgari editione eſt 9. lib. 8. ubi de viro clariſſimo Stephano ita Sanctus Pontifex ſcribit : *Queſtus eſt , quod cognatam ejus , cui aliquando Petrus quidam nequiſſimus diabolico inſtinctu de monaſterio exire ſuaſerat , atque a Gratioſo Notario fuerat mutato habitu unde exierat revocata , nequiſſimus vir iniqua ſuaſione de monaſterio rurſus ejiciens apud ſe nunc uſque impedite retineat . Ex qua re valde nos , ſicut diximus, tua deſidia contriſtavit, cur nec dum in monaſterium revocata ſit , ac retruſa .* Itaque conſtat, Reginonem de more ſuo aliqua ex germana Pontificis epiſtola immutaſſe, quemadmodum ad hunc canonem Baluzius animadvertit .

Can. 14. cau. 27. qu. 2.

Quod vulgo tradi ſolet, impedimento publicæ honeſtatis interveniente , contrahi non poſſe conjugia , ex generali Interpretum accuratiorum doctrina recentiori juri prorſus adſcribitur, imo nec juri ſcripto , ſed potius eccleſiaſticæ primum conſuetudini , quam deinceps recentiorum Conciliorum canones firmaverunt . Hujus rei argumentum graviſſimum eſt , quod petitur a ſilentio veterum Scriptorum , nullibi enim in tota ſacra antiquitate legitur cautum , matrimoniis obeſſe ſponſalia conſanguineorum, aut quod ſponſalia ſubſequitur matrimonium , ut vocant, ratum . Imo , ſi quid forte valere ad hanc rem poteſt canon 18. cau. 27. qu. 2., contrarium omnino evincit . Cœpit impedimentum , ut ajunt , publicæ honeſtatis in paleſtris Theologorum , ac Canoniſtarum locum habere , poſtquam pacatis Longobardorum animis ſcholaſticus pulvis agitari cœpit non multum ante tempora Gratiani . Quippe tunc ſolemnis exorta diſputatio fuit , num ſolo conſenſu matrimonium celebratum eſſe diceretur , nondum ſubſecuta carnali copula; quam diſputationem ſuo tempore celebrem agnovit Gratianus in cau. 27. qu. 2. , quemadmodum etiam Petrus Lombardus Gratiano contemporaneus in lib. 4. ſententiarum diſt. 26. , & 27. Hæc autem diſputatio ut plurimum ita dirimi conſuevit , ut aſſereretur ſolo conſenſu matrimonium vires habere , cum hanc ad rem perſpicua adferrentur tum Sanctorum Patrum , tum Romanorum Juriſconſultorum veterum monumenta. Hinc facile alia ſuborta diſputatio fuit, utrum , quoniam ex matrimonio adfinitas proficiſcebatur , etiam ante ſponſorum copulam adfinitas contracta intelligeretur? Et ſane nemo dicere audebat ante ſponſorum copulam , affinitatis vinculum interceſſiſſe : fatebantur tamen plerique vinculum jam quoddam ineſſe adfinitate minus, quod adpellaverunt publicam honeſtatem, derivato vocabulo ex lege 42. ff. de ritu nuptiarum , quam, licet alio pertinentem, ad rem ſuam ingenioſe traxerunt . Hinc plauſu excepta , uti mos erat tunc temporis , nova hac doctrina, mirum eſt, quam cito communi omnium conſenſione , imo & contentione quadam collectis etiam hinc illinc canonibus eadem probaretur ; non quidem ut talia adferri poſſent Patrum monumenta, queis res illa oppido dirimeretur , ſed queis argumentatione ducta nonnihil adferri ad novam diſciplinam probandam videretur . Inter cetera nihil utilius erat , quam in medium edere illa Patrum teſtimonia , quibus interdicta propinquorum connubia proponebantur : ut enim Sancti Patres inter propinquos matrimonia interdicta dixerant ; propinquos autem etiam illos adpellaverant , qui adfinitate, ſive initi conjugii cauſſa conjuncti eſſent; demum conjugium vocaverant nondum ſecuta copula ; hinc videbantur conjugia dixiſſe interdicta etiam ex ea propinquitate, quæ adfinitatem præceſſerat , per matrimonium , ut ajunt , tantummodo ratum . Exemplo matrimonii rati ſimilis etiam honeſtas viſa fuit in ſponſalibus adparere, cum in ſponſalibus quædam jam propinquitatis imago agnoſcatur .

Digitized by Google

catur. Hæc porro eo me adducunt, ut facile demonſtrem, quomodo tribui Gregorio potuerit apud Gratianum canon 14. cau. 27. qu. 2. Is ſane canon, prout apud Gratianum jacet, Gregorii eſſe non poteſt, ſed alicujus ſcholaſtici viri, qui Gratiano contemporaneus fuit, quique quod de publicæ honeſtatis impedimento docebat, ex ſententiis Gregorii confirmandum curabit. Jam Gregorii Magni nomine vulgatum erat, neminem poſſe de prædefunctæ uxoris conſanguinitate conjugem ducere, aut neminem poſſe de prædefuncti viri conſanguinitate marito nubere, argumento canonis 1. cau. 35. qu. 2., & canonis 3. cau. 35. qu. 5. Quid itaque prohibebat ſcholaſticum virum duodecimo ſæculo ſcribentem, quominus publicæ honeſtatis impedimentum Gregorio quoquo modo tribueret, aut ſententias ſuas, quaſi ex intima Gregorii doctrina eductas, Gregorio eidem adſcriberet? Sic ex codicibus ſui temporis deceptus eſt Gratianus, non dubitans hujuſmodi monumenta ſub ipſo Gregorii nomine palam facere.

Jamdiu obſervaverunt Romani Correctores, canonem 2. cau. 28. qu. 2. excerptum fuiſſe non ex Gregorii monumentis, ſed potius ex commentariis Ambroſio tributis in caput 7. 1. ad Corinthios. Num hæc commentaria jure Ambroſio adſcripta fuerint, ſuo in loco inveſtigabitur. Tantum heic dixero, nonnulla eſſe ex eiſdem commentariis in Gratianeo canone emendanda. Ait Auctor commentariorum: *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat. Propoſitum religionis cuſtodit, præcipiendo, ne Chriſtiani relinquant conjugia; ſed ſi infidelis odio Dei diſcedit, fidelis non erit reus diſſoluti matrimonii; major enim cauſſa Dei eſt, quam matrimonii; non eſt enim frater, aut ſoror ſervituti ſubjectus in hujuſmodi. Hoc eſt, non debetur reverentia conjugii ei, qui horret auctorem conjugii. Non enim ratum eſt matrimonium, quod ſine Dei devotione eſt, ac per hoc non eſt peccatum ei, qui dimittitur propter Deum, ſi alii ſe junxerit. Contumelia enim Creatoris ſolvit jus matrimonii circa eum, qui relinquitur, ne accuſetur alii copulatus. Infidelis autem diſcedens & in Deum, & in matrimonium peccare dignoſcitur, quia noluit ſub Dei devotione habere conjugium. Itaque non eſt ei fides ſervanda conjugii, qui ideo receſſit, ne audiret auctorem eſſe Chriſtianorum Deum conjugii.*

Con. 2. cau. 28. qu. 2.

Quod Gregorio tribuitur in can. 22. cau. 32. qu. 7. non ſolum inter ipſa Gregorii monumenta deſideratur, ſed etiam parum convenit Gregorii ejuſdem temporibus. In hoc canone videtur finis impoſitus diuturnæ diſputationi, quæ uſque in recentiorem ætatem Latinos, ac Græcos Antiſtites exagitavit. Quæſtio tota verſatur in interpretatione verborum Evangelii Matthæi cap. 5. verſ. 32. ibi: *Omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta cauſſa fornicationis, facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit, adulterat.* Anceps hujus ſententiæ interpretatio occaſionem dedit diſſidii inter Orientalem, atque Occidentalem Eccleſiam, Orientalibus aſſerentibus per adulterium conjugis diſſolvi ex parte inſontis matrimonii vinculum; contra vero Latinis ſentientibus fieri quidem per adulterium conjugis divortio locum, manente tamen in perpetuum vinculo matrimonii. Meum non eſt, hoc in loco argumenta diſcutere, quæ hinc illinc proferri potuerunt. Tantum dixero, hanc concertationem demum fuiſſe compoſitam in Concilio Tridentino, ubi in hac materie utrinque diſputatum acerrime fuit, etiam ita, ut adhuc dubium ſupereſſe poſſit, utrum hodie Græci Latinis omnino conſentiant. Paratus quidem erat in Concilio Tridentino canon, uti refert Pallavicinus in hiſtoria lib. 22. cap. 4., quo Græcorum opinio damnaretur; verum Oratores Veneti propoſuerunt, prudenter,

Can. 22. cau. 32. qu. 7.

atque ex ſingulari œconomia eundem canonem temperandum fuiſſe, ne fortaſſe Græci, illi præſertim, qui degebant in Provinciis, Inſuliſve Venetæ Reipublicæ obnoxiis, exaſperarentur, & perpetuo a Romana Eccleſia deſciſcerent. Mitior propterea fuit Tridentini Concilii ſanctio his verbis expreſſa: *Si quis dixerit, Eccleſiam errare, cum docuit, & docet juxta evangelicam, & apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi . . . anathema ſit*. Si hæc vera ſunt, quis dixerit, jam a Gregorio Magno hujuſmodi controverſiam fuiſſe finitam, ab eo præſertim Pontifice, qui diu inter Græcos vixerat, & Græcis eiſdem fuerat addictiſſimus? Quid plura? etiam in Occidente, quum bellorum Longobardicorum cauſſa variæ permixtæ gentes eſſent, hac in re variæ editæ ſunt Conſtitutiones aliæ aliis adverſantes. Unum proferam exemplum ex collectione canonum Iſaac Lingonenſis, qui ex Capitularibus Francorum plura in codicem ſuum tranſduxit. Itaque in tit. 3. cap. 1. ita exhibet definitum in libro 5. Capitularium cap. 21. *Siquis homo habens mulierem legitimam, ſi frater ejus adulteraverit cum ea, ille frater, vel illa fœmina, qui adulterium perpetraverunt, interim quod vivunt, nullum habeant amplius conjugium, ille vero, cujus uxor fuit, ſi vult, poteſtatem habet accipere uxorem aliam*. At vero in eadem collectione tit. 3. can. ult. ex libro 7. Capitularium cap. 382. hæc in contrarium definita proponuntur: *Si cujus uxor adulterium perpetravit, & hoc a viro deprehenſum fuit, & publicatum, dimittat uxorem, ſi voluerit, propter fornicationem: illa vero publice agat pœnitentiam; vir vero ejus, illa vivente, nullatenus habeat licentiam aliam uxorem ducere*. In tanta Conſtitutionum eccleſiaſticarum varietate non poſſum facile arbitrari, jam quæſtionem iſtam definitam fuiſſe a Gregorio Magno, quemadmodum indicat memoratus canon 22. Itaque potius idem canon referendus erit ad ſingularia Synodi cujuſpiam ſtatuta, & quidem in Occidente edita, propoſita ibidem Latinorum ſententia, quæ demum totius Eccleſiæ decreto in Concilio Tridentino confirmata fuit. Forte erit ea Synodus Latinorum quorundam in Provincia Græcis contermina, in qua ſanctio hujuſmodi magis opportuna videbatur, ne forte quis ex Latinis facili Græcorum conſuetudine, aut neceſſitudine in eorundem opinionem diſtraheretur. Huc ſane referri poſſet Concilium Forojulienſe a Paulino Aquilejenſi anno 791. celebratum, ubi hæc leguntur in canone 10., quæ plurimum conſonant cum canone Gratiani: *Placuit, ut reſoluto fornicationis cauſſa jugali vinculo, non liceat viro, quamdiu adulterata vivit, aliam uxorem ducere, licet illa ſit adultera; ſed nec adulteræ, quæ pœnas graviſſimas, vel pœnitentiæ tormentum luere debet, alium accipere virum, nec vivente, nec mortuo, quem non erubuit fraudare, marito*.

Can. 2. de pœn. diſt. 6. Qui primus edidit ſub Gregorii nomine canonem 2. diſt. 6. de pœn., aut verba Capitularium Francorum in eam ſententiam detorſit, quam erat traditurus, aut aliquot Conciliorum canones paullo diſertius voluit explicare. In Capitularibus Francorum lib. 6. cap. 315., & in lib. 7. cap. 201. Baluzianæ editionis hæc leguntur: *ut Sacerdos, vel Levita, ſi de ſe crimen aliquod confitetur, deponatur*, quæ verba ſignificant, in ſacerdotii dignitate, vel miniſterio Levitarum non alios potuiſſe conſiſtere, niſi qui penes populum innoxii haberentur, ac propterea deponendum ſtatim fuiſſe eum, qui publice de ſe crimen aliquod confeſſus fuiſſet. Huc ſane ſi referendus eſſet Gratianeus canon, jure optimo diceretur ſententia Capitularium abuſus auctor. Aſt ſi quis veroſimilius forte dixerit, eundem canonis auctorem diſertius explicaviſſe aliquot Synodorum canones, ſtatim ad hanc rem laudare poſſet canonem 8.

Con-

Digitized by Google

Concilii Duziacenſis II. in Rhemenſi Provincia anno 874. celebrati, in quo hæc habentur. *Omnes tam clerici, quam laici, vel fœminæ confitentes ſecreta confeſſione Sacerdotibus peccata ſua, & ea digna pœnitentiæ ſatisfactione deflentes nequaquam ſunt prodendi, & peccata eorum nulli a Sacerdote quacumque ſunt ſignificatione manifeſtanda, niſi ſoli Domino in ſecreta oratione*. Huc etiam referri poteſt canon ultimus Concilii Rothomagenſis anni 1074., ubi poſtquam nonnulla ſalubriter cauta ſunt de Sacerdotibus peccata populi per ſecretam confeſſionem excipientibus, ita ſubjicitur: *Sic tamen, ut jure confeſſionis ſecreto peccantis perſona nulli detegatur*. Hæ porro, ſimileſve ſententiæ paullo aliter ab auctore memorati canonis deſcribi potuerunt, forte autem Gregorio tribui, quia ſub Gregorio VII. nuper laudatum Rothomagenſe Concilium celebratum eſt. Porro ex his Conciliis conſtat, uſque ad ſæculum xi. nullam ſingularem fuiſſe præſtitutam pœnam adverſus Sacerdotes illos, qui peccata confitentium panderent. Fiebat tunc locus pœnæ extra ordinem, nimirum arbitrio Antiſtitis indicendæ. At poſtquam apud Gratianum editus canon eſt, in quo pœna depoſitionis, ac perpetuæ peregrinationis definita eſt, in recentioribus Conciliis paſſim idipſum confirmari cœpit, quemadmodum liquet ex Concilio Exonienſi in Anglia anni 1287. cap. 5., item ex Concilio Lamethenſi etiam in Anglia ſub Archiepiſcopatu Cantuarienſi anni 1330., ubi in canone 3., dum mentio fit Sacerdotis, qui delicta confitentis prodiderat, ſubditur: *ſine ſpe reconciliationis non immerito debet degradari*. Non omittam etiam hoc in loco animadvertere quædam haberi apud Gregorium Magnum, ex quibus aperte deducitur vetuſtiſſima eccleſiaſtica diſciplina de ſecreta peccatorum confeſſione; etenim idem Sanctus Pontifex in lib. 23. Moralium cap. 3. de occultis delictis ſermonem habens, inquit: *honore tegminis velantur*.

Can. 3. cau. 35. qu. 5.

Gratiani temporibus quotieſcumque aliqua de conſanguinitate, & affinitate definiebantur, aut ſcribebantur, id totum ſub nomine Gregorii vel primi, vel junioris, aut ſub nomine Zachariæ Pontificum edebatur. Hujus rei ratio ex eo proficiſcebatur, quod vulgo Gregorio Magno adſcriberetur epiſtola ad Felicem Meſſanenſem Epiſcopum, licet hanc Viri eruditi tamquam apocrypham rejecerint, atque in eadem nonnulla de conſanguinitatis, & affinitatis cuſtodiendæ legibus explicentur; item ſimilia legantur in epiſtola Gregorii ad ſextam interrogationem Auguſtini Anglorum, præterea etiam ſimilia in epiſtola Gregorii II. ad Bonifacium Epiſcopum; tandem ſimilia apud Zachariam ſive in epiſtola ad Pippinum, necnon Epiſcopos, & Abbates, & Proceres Galliarum cap. 22., ſive in Concilio Romano anni 743. can. 6. Hinc ipſamet, quæ poſterioribus ſæculis, præſertim undecimo, & duodecimo, fuerunt celebrata Concilia, ubi de conſanguinitate, atque affinitate nonnihil ſtatuendum erat, nihil antiquius habebant, quam ut ſuarum Conſtitutionum auctoritatem a Gregorio I., Gregorio II., & Zacharia repeterent. Non moror diutius in referendis exemplis, cum paſſim obvia eſſe unicuique poſſint illorum temporum acta perlegenti. Quid mirum itaque eſſe poteſt, ſi Gratianus, aut quiſquis alius Gratiano auctor extitit, duplex monumentum editurus in canone 3. & 4. cau. 35. qu. 5. prius Gregorio tribuit, Zachariæ poſterius, aut ut Pithœus auguratur, utrumque Zachariæ? Non ſane ibidem aut Gregorii, aut Zachariæ Pontificis Conſtitutio exhibetur, ſed recens Scriptorum ſæculi undecimi, aut duodecimi traditio, quæ juxta mores illius ætatis ab auctore Gregorio, vel Zacharia repetebatur. Ut vero hæc certiſſima habeantur, ſubjiciam hic duo frag-

Digitized by Google

menta Conciliorum ſæculi undecimi plurimum cum Gratianeo canone convenientia. In primis huc adferri poteſt Concilium Bituricenſe in Aquitania anno 1031. celebratum, ubi, poſtquam de Gregorio, quaſi de auctore traditæ ibidem doctrinæ, mentio facta eſt, ita ſubjicitur in canone 18. *Ut nullus uxorem conſanguinei, vel alicujus parentis ſui in conjugium accipiat, quia vir, & uxor legitime conjuncti una caro ſunt.* Huc deinde adferri poteſt Concilium Londonienſe anni 1075., ubi ita legitur: *Ex decretis Gregorii majoris, nec non & junioris. Ut nullus de propria cognatione, vel uxoris defunctæ, ſeu quam cognatus habuit, uxorem accipiat, quoad uſque parentela ex alterutra parte ad ſeptimum gradum perveniat.* Quæ cum plurimum conſonent cum memoratis Gratiani canonibus, alias autem ſub Gregorii nomine definita ſint, non erit dubitandum, quominus etiam Gregorio ſimilia tributa fuerint in laudato canone 3. apud Gratianum.

Can. 1. cau. 35. qu. 9. De canone 1. cau. 35. qu. 9. nihil eſt, quod in præſentia adjiciendum ſit, hic enim idem omnino eſt cum canone 12. cau. 35. qu. 2., de quo jam ſuperius actum eſt.

Can. 4. cau. 35. qu. 9. Jam noverunt omnes eruditi Viri, canonem 4. cau. 35. qu. 9. falſo Gregorio Papæ fuiſſe tributum, qui potius tribuendus erat Nicolao I. in epiſtola ad Epiſcopos in regno Ludovici conſtitutos, quæ incipit *Gaudemus*. Quidam Theutgualdus, & Guntharius Epiſcopi ſedibus ſuis dejecti fuerant ob plura eorundem crimina, & quidem apoſtolica auctoritate, qua primum tanquam contumaces damnati, deinde vero tanquam Epiſcopatu prorſus indigni depoſiti. Fruſtra autem pro illis poſtmodum interceſſerunt, quotquot eorundem ſuſceperant patrocinium. Etenim Nicolaus Papa non aliter Eccleſiarum, de quibus agebatur, utilitatibus conſultum iri putavit, quam ſi Epiſcopi illi damnationi perpetuæ ſubjacerent. Intercedere præ ceteris apud Pontificem Maximum conati fuerant plures Antiſtites in Regno Ludovici conſiſtentes, ad quos ſcripta eſt laudata epiſtola Nicolai I. Ibi Nicolaus recenſitis Theutgualdi, & Guntharii ſceleribus ipſos indulgentia, aut venia prorſus indignos declarat, & ſubjicit: *Ceſſet itaque veſtræ Fraternitatis jam nos ſuper hoc pulſare ſolertia, & quod fieri non poteſt, tandem aliquando deſinat. Nam Sedis Apoſtolicæ ſententia tanta ſemper conſilii moderatione concipitur, tanta patientiæ* (monet Antonius Auguſtinus in lib. 2. Dial. 19. de emend. Grat. legendum eſſe *ſapientiæ*) *maturitate decoquitur, tantaque poſtmodum deliberationis gravitate profertur, ut retractatione non egeat, nec immutari neceſſarium ducat, niſi forte ſic prolata ſit, ut retractari poſſit, vel immutanda ſecundum præmiſſæ tenorem conditionis exiſtat.* Animadverſione ſane digniſſima ſunt poſtrema hæc Pontificis verba, quæ indicant, retractari poſſe Apoſtolicæ Sedis ſententiam, ſi forte ſic prolata ſit, ut retractari poſſit, vel immutari. Nimirum hæc ita intelligenda ſunt, quemadmodum facti ſpecies exigebat, de qua Nicolaus ipſe ſermonem inſtituerat, quod perſpicue indicant etiam verba illa ſequentia: *ſecundum præmiſſæ tenorem conditionis*. Porro duplex erat prolata ſententia in cauſſa Epiſcoporum Theutgualdi, & Guntharii. Prior, quum ipſi auctoritate Pontificia vocati contumaces fuerunt, ac proinde velut contumaces damnati, quin audirentur. Poſterior, quum eorundem cauſſa ipſis comparentibus ad finem perducta juxta juris regulas fuit, & graviſſimorum criminum rei agniti ſunt. De hac quidem poſteriore ſententia ſcribit Nicolaus, aitque, eandem retractari non poſſe, quæ dignoſcebatur maturi conſilii moderatione concepta, & ſumma deliberationis gravitate prolata. At vero ubi ageretur de priore ſententia, qua

Sum-

Digitized by Google

Summus Pontifex aliquem velut contumacem damnabat, erat hæc hujuſmodi, ut revocari deinde poſſet, quoties nimirum reus conventus contumaciam purgaſſet, & moram, tandemque Sedis Apoſtolicæ mandatis obediens adquieſceret. Siquis deſideret, huc referre ſententiam non abſimilem Gregorii Magni, eam habebit in epiſtola ejuſdem Sancti Pontificis ad Virgilium Epiſcopum Arelatenſem, ubi ſermo fit de privilegiis Apoſtolicæ Sedis auctoritate conceſſis Arelatenſi Monaſterio, ac ſubjicitur, *eam Apoſtolicæ Sedi reverentiam a fidelibus exhiberi, ut quæ ejus fuiſſent decreto diſpoſita, nullius deinceps illicitæ uſurpationis moleſtia quaterentur.*

Canon 17. de conſecr. diſt. 1. jungendus omnino eſt cum canone præcedenti, ſive 16., eamque ob rem tribuendus eidem auctori, nimirum illi, qui compoſuit epiſtolam Felici IV. ſuppoſitam. Plane Ivo Carnotenſis in parte 3. Decreti cap. 24. utrumque Gratianeum fragmentum conjunxit, retulitque nomine ejuſdem Felicis IV. En verba ipſa epiſtolæ Mercatoris Felici Pontifici adſcriptæ: *Solemnitates vero Dedicationum Eccleſiarum, & Sacerdotum per ſingulos annos ſolemniter ſunt celebrandæ, ipſo Domino exempla dante, qui ad feſtum Dedicationis Templi omnibus, id faciendo, dans formam cum reliquis populis eandem feſtivitatem celebraturus venit, ſicut ſcriptum eſt, facta ſunt encænia in Hieroſolymis, & hyems erat: Et ambulabat Jeſus in templo in porticu Salomonis. Quod autem octo dierum ſint encænia celebranda, in libro Regum, peracta Dedicatione Templi, reperies. De Eccleſiarum vero conſecratione, &c.* Heic ſubſequuntur, quæ legimus in canone 16. verſ. *de Eccleſiarum* de conſ. diſt. 1. At vero ſi quæras, cur memorato canoni 17. inſcriptum fuerit Gregorii nomen, ego dixerim illud irrepſiſſe fortaſſe e margine in textum. Siquidem contingere potuit, ut ad verba canonis 16. laudaretur in margine nomen Gregorii Papæ, quo indicaretur, ſimilia nonnulla reperiri in epiſtola ad Felicem Meſſanenſem Gregorio adſcripta, ibi: *De Dedicationum vero Eccleſiarum dubitatione, ſuper qua inter cetera nos conſuluiſtis, hoc vos rite tenere debetis, quod nos ab Anteceſſoribus noſtris traditum accepimus, ideſt, ut quoties tam de baptiſmo aliquorum, vel confirmatione, quam de Eccleſiarum conſecratione dubitatio habetur, & nec ſcriptis, nec teſtibus ratio certa habetur, utrum baptizati, vel confirmati, ſive Eccleſiæ conſecratæ ſunt, ut baptizentur tales, ac confirmentur, atque Eccleſiæ canonice dedicentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat, quoniam non monſtratur iteratum, quod non certis judiciis oſtenditur rite peractum.* Hæc ſane quemadmodum plurimum conveniebant cum verſ. *de Eccleſiarum* in canone 16., ita occaſionem Gloſſographis præbere potuerunt, ut in margine Gregorii nomen adſcriberent, indicaturi, ſimilia apud Gregorium, ſive in epiſtola Gregorio adſcripta contineri. At novum non eſt, Collectores ex imprudentia tranſduxiſſe marginalia auctorum nomina in ipſaſmet monumentorum deſcriptiones.

Can. 17. de conſ. diſt. 1.

Denique nonnulla adhuc dicenda ſuperſunt de canone 23. de conſecr. diſt. 1., qui Gregorii nomine laudatur. Romani Correctores teſtati ſunt, ſe reperiſſe hujuſmodi fragmentum in antiquo codice Regeſti in extremo in ſcripto quodam *de moribus, vita, & morte Agapiti Primi Papæ.* Maurini Monachi ſolertiſſimi Gregorianorum operum inveſtigatores in tomo 2. ſuæ editionis pag. mihi 1303. teſtantur ſe in nullo ex MSS. Codicibus hæc reperiſſe, ſed fidem eſſe penes Correctores Romanos. Ego crediderim in his monumentis nihil aliud contineri, quam additamentum quoddam a pio quodam viro factum operibus Magni Gregorii in libris Dialogorum. Hujus rei conjectura mihi duplex eſſe poteſt; in primis quod

Can. 23. de conſ. diſt. 1.

Gra-

Digitized by Google

Gratianus relato Dialogorum libro ſub Gregorii nomine in canone 22. de conſ. diſt. 1. ſtatim ſub Gregorii ejuſdem nomine quædam ſubjicit in canone 23. ſequenti, quæ indicat ſe ex eiſdem libris Dialogorum depromſiſſe; deinde quod in Dialogis Gregorio adſcriptis lib. 3. cap. 3. aliqua legantur de Agapito Papa, quibus recentiore manu inveroſimile non eſt aliquot adjecta fuiſſe. Ceterum, quænam habenda ſit hujuſmodi Dialogorum auctoritas, jam ſatis ſuperius ſuo in loco diſcutiendum fuit. Unum addo, quod pertinet ad hiſtoricam veritatem de Agapito Pontifice Maximo, ac de Anthimo. Anthimus vir hæreticis adhærens, Epiſcopus primum Trapezundarum, circa annum 530. Conſtantinopolitanam dignitatem, ac ſedem invaſit. Ejus improbitate perſpecta, Agapitus Pontifex Maximus eundem ſententia ſua depoſuit, atque in ejus vicem Mennam Virum ſanctiſſimum ſuffecit, accedente his omnibus rite geſtis Juſtiniani Imperatoris auctoritate, quemadmodum refertur in Concilio Conſtantinopolitano ſub Menna anni 536., ac perſpicue deducitur ex novella Conſtitutione 42. ejuſdem Juſtiniani.

CAPUT LX.

De Bonifacio III.

Ex Concilio Romano ſub Bonifacio III. celebrato unum fragmentum ſupereſt apud Gratianum, videlicet

{ *Canon 8. diſt. 79. ex Romano Pontificali depromtus.*

QUicumque ex Scriptoribus Eccleſiaſticis Bonifacii III. (tenuit is Maximum Pontificatum anno 606.) geſta recenſuerunt, in eo ſine diſcrimine conſentiunt, celebratum ipſius auctoritate fuiſſe Romæ Concilium, in quo nonnulla conſtituta fuerunt de electione Romani Antiſtitis rite peragenda, decretumque inter cetera, ut nemo de ſucceſſore eligendo cogitare auderet, niſi poſt tertium diem a defuncti Pontificis depoſitione, ſeu ſepultura. Hujus tamen Synodi acta penitus perierunt, uti animadvertit Baronius ad annum 606. num. 8. Fragmentum Concilii extat in canone 7. diſt. 79., quod ego arbitror depromtum ex auctore libri Pontificalis, in quo ita legitur in ejuſdem Bonifacii vita: *Hic fecit conſtitutum in Eccleſia B. Petri, in qua ſederunt Epiſcopi ſeptuaginta duo, Presbyteri Romani trigintaquatuor, Diaconi, & omnis clerus ſub anathemate, ut nullus Pontifice vivente, aut Epiſcopo civitatis ſuæ præſumat loqui de ſucceſſore, aut partes ſibi facere, niſi tertio die depoſitionis ejus, adunato Clero, & filiis Eccleſiæ tunc electio fiat; & quem quiſque voluerit, habebit* (legunt alii *& quem voluerunt, habeant*) *licentiam eligendi ſibi Sacerdotem*. Num hæc indubiam prorſus fidem faciant, cogitet qui noverit, quale quantumque ſit Anaſtaſii teſtimonium, ſi modo Anaſtaſius auctor habendus eſt libri Pontificalis. Inveſtigari vulgo ſolet, quænam eſſe ratio potuerit, cur in aliquot dies dilata fuerit mortuo Epiſcopo electio ſucceſſoris. Non defuerunt, qui id concedendum fuiſſe dixerint luctui viduatæ Eccleſiæ;

ſiæ; at vereor, ne hujuſmodi animadverſio incomtam exhibeat & Epiſcoporum, & Eccleſiarum imaginem, qualis prodiit demum de officina Mercatoris, apud quem quæ de viro, & uxore obtinent ad Epiſcopos, & Eccleſias ſine ullo diſcrimine traducta fuerunt. Potius alii aſſeruerunt illud ſtatutum fuiſſe, ut obviam iretur ſchiſmatibus, ac contentionibus valde frequentibus, quæ non tam poſt mortem Epiſcopi, aut Romani Pontificis, quam iis adhuc viventibus, & laborantibus in extremo, concitabantur, unde præpropere nonnulli ad Epiſcopales nondum vacantes ſedes contenderent. Mihi animum ſubit alia, & quidem meo judicio non contemnenda ratio in eligendis Romanis Antiſtitibus ſingularis, quæ ad eam inducendam diſciplinam Bonifacium moverit. Nimirum temporibus Bonifacii III. jamdiu obtinuerat, ut is in Pontificem Maximum eligeretur, qui apud Imperatorem Conſtantinopoli degentem Apocryſarii, ſive Legati Apoſtolici munus obiviſſet, favente præſertim Imperatoris gratia, quæ tunc plurimum in electione Pontificis Maximi valere poterat. Atque ipſa Apocryſarii dignitas erat in Eccleſia valde eximia, ad quam nonniſi viri graviſſimi, ac rerum agendarum prudentiſſimi evehebantur, qui propterea tum ob egregias animi dotes, cum ob illuſtria in Eccleſiam merita accedente Imperiali benevolentia viam ad Pontificatum Maximum ſibi facile paratam intuebantur. Hac ratione ad Summum Pontificatum pridem conſcenderant Vigilius, Paſchalis, Gregorius, Sabinianus, atque ipſemet Bonifacius III., qui omnes primum Apocryſarii munere functi fuerant, deinde Maximum Pontificatum adepti. Noverat idem Bonifacius, id maxime eccleſiaſticæ utilitati congruere, vel quod ea ratione digniſſimus ſucceſſor Romanæ Cathedræ addiceretur, vel quod iidem qui Apocryſarii munere functi fuerant, rerum eccleſiaſticarum ſtatum apprime callebant, in ea præcipue parte, quæ unionem Romanæ, Græcæque Eccleſiæ, rem profecto tunc temporis maximi momenti, ſpectabat; vel demum quod vir ut plurimum Imperatori acceptiſſimus eligeretur; intererat autem plurimum, Pontifices eligi Imperatori Conſtantinopolitano acceptiſſimos, quo ejuſdem Imperantis animus ab ambitu Conſtantinopolitanorum Patriarcharum averteretur, atque in fovenda Romanæ Sedis jura inclinaretur. Revera idem Bonifacius III. decretum obtinuit ab Imperante Phoca, uti ſcribit auctor Pontificalis, quo Romanæ Sedi etiam ſupra Conſtantinopolitanam Primatus adſerebatur. Quamobrem Bonifacius ſalubriter conſultum Romanæ Eccleſiæ cenſuit, quoties definiret, non propere ad electionem ſucceſſoris Pontificis deveniendum eſſe, ſed dies aliquot expectandos, quibus nimirum interea aut Imperator ipſe, aut Apocryſarius Conſtantinopoli degentes certiores de morte Pontificis redderentur, atque ipſis etiam nonnihil in electione ſucceſſoris concederetur. Hæc animadverſio forte magis perſpicua redderetur, quoties monumentum ſupereſſet actorum memorati Romani Concilii. At cum ejus acta perierint, nemo mihi probro vertet, ſi ex illius temporis adjunctis, conjecturis ceteroqui graviſſimis paulliſper indulſerim.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT LXI.

De Bonifacio IV.

Bonifacio IV. nihil a Gratiano tributum videretur, niſi Romani Correctores animadvertiſſent, quod nomine Bonifacii in ſubjecto canone legitur, alicubi adſcriptum haberi eidem Pontifici.

{ *Canon 25. cau. 16. qu. 1. apocryphus, & varius in diverſis exemplaribus.*

AB anno 607. uſque ad annum 615. Romanæ Eccleſiæ præfuit Bonifacius IV., qui Bonifacio III. ſucceſſit. Ab auctore libri Pontificalis traditur, templum, quod appellabatur Pantheon olim dicatum Jovi Vindici, ejuſdem Pontificis auctoritate vero Deo conſecratum fuiſſe ſub titulo B. Mariæ, & omnium Chriſti Martyrum. Item traditur, Bonifacium domum ſuam in monaſterium erexiſſe. An vero jure optimo illi tribuantur, quæ legimus ſub ipſius nomine in canone 25. cau. 16. qu. 1., non auſim adfirmare. Ad hoc monumentum ita ſcribit Vaneſpen in Brevi Commentario in Gratianum: *Vulgare, & famoſum decretum ſub nomine Bonifacii Papæ relatum canone 25. hodie ut apocryphum paſſim rejicitur.* Fateor quidem, a Bonifacio celebratum fuiſſe Concilium Romæ, poſtulante præſertim Mellito Londinenſi Epiſcopo, qui poſtquam extra urbis Londinenſis mœnia monaſterium conſtruxiſſet, Romam petiit a Pontifice Maximo Monachorum regendorum regulas accepturus; fateor inſuper, ab eodem Pontifice quaſdam in ipſa Synodo monaſticas regulas præſtitutas, quemadmodum teſtatur Beda in lib. 2. hiſtoriæ eccleſiaſticæ gentis Anglorum cap. 4., & Henricus Huntindonienſis lib. 3. hiſtoriæ Anglorum. Verum an hæ monaſticæ regulæ in memorato Gratiani monumento contineantur, plurimum ipſe dubitaverim. Qui Concilii decretum edidit Gratianeo canoni conſonum, fuit Holſtenius, eidemque ſubjecit epiſtolam ipſius Concilii Bonifaciani ad Athelbertum Regem Anglorum. Philippus Labbeus & ipſe ſimile decretum edidit ſub nomine Concilii Bonifaciani, quæ duo exemplaria cum inter ſe nonnihil differant, imo & utraque differant ab exemplari Gratianeo, heic deſcribam.

Ex editione Holſteniana.	*Ex editione Labbeana.*
Sunt nonnulli fulti nullo dogmate, audaciſſime quidem, zelo magis amaritudinis, quam dilectione inflammati, aſſerentes Monachos, quia mundo mortui ſunt, & Deo vivunt, ſacerdotalis officii potentia indignos; neque pœnitentiam, neque Chriſtianitatem largiri, neque abſolvere poſſe per ſacerdotali officio divinitus injunctam poteſtatem; ſed om-	Sunt nonnulli ſtulti dogmatis, magis zelo amaritudinis, quam dilectionis inflammati, aſſerentes Monachos, quia mundo mortui ſunt, & Deo vivunt, ſacerdotali officio indignos, neque pœnitentiam, aut Chriſtianitatem, ſeu abſolutione largiri poſſe per ſacerdotalis officii injunctam gratiam, ſed omnino fallun-

Digitized by Google

omnino labuntur. Nam ſi ex hac cauſſa veteres æmuli vera prædicarent, Apoſtolicæ ſedis Beatiſſimus Gregorius monaſtico cultu pollens ad ſummum nullatenus apicem conſcenderet. Quoniam quidem hæc oſtiatim fungendi, ligandi, ſolvendique poteſtas a Deo ſumma conceditur; Auguſtinus quoque ejuſdem ſanctiſſimi Gregorii diſcipulus Anglorum prædicator egregius, ac Pannonienſis Martinus Beatiſſimus, cujus ſanctitatis fama longe lateque diffuſa totus perſonat mundus; alii quoque jamplurimi ſanctiſſimi pretioſiſſimo Monachorum habitu fulgentes nequaquam annulo Pontificali ſubartarentur, ſi, quia Monachi fuerunt, prædictis uti prohiberentur. Neque enim Benedictus Monachorum Præceptor almificus hujuſcemodi rei aliquo modo fuit interdictor; ſed eos ſæcularium negotiorum edixit expertes fore ſolummodo. Quod quidem Apoſtolicis documentis, & omnium ſanctorum Patrum inſtitutis non ſolum Monachis, verum etiam Canonicis maximopere imperatur. Nemo enim militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus. Utriſque etiam præfatorum Patrum exemplis perſpicacibus circumquaque ut mundo mortui ſint, evidentiſſima ratione præcipitur. Tantorum igitur Patrum inſtituti exemplis, quibus periculoſiſſimum eſt refragari, credimus a ſacerdotibus Monachis ligandi ſolvendique officium Deo imperante haud indigne adminiſtrari, ſi eos digne contigerit ad hoc miniſterium ſublimari. Quod incunctanter affirmat, quiſquis ſtatum Monachorum, & habitum, potentatumque evidenter conſiderat. Verbi gratia. Angelus græce, latine nuntius dicitur. Sacerdotes igitur Monachi, atque Canonici, qui quotidie ſancta Dei præcepta annunciant, Angeli vocantur, ratione non incongrua. Sed unuſquiſque Angelicus ordo quanto claritatem Dei vicinius contemplatur, tanto dignitate ſublimior affirmatur. Nam uti Cherubim, Monachi ſex alis velantur, Duæ quidem in capitio, quo caput tegitur, veriſimilibus demonſtrantur aſſertionibus. Illud

luntur. Nam ſi ex hac cauſſa veteres æmuli vera prædicarent, Apoſtolicæ Sedis compar Beatus Gregorius monachico pollens cultu ad ſummum apicem nullatenus conſcenderit, cui ſolvendi, ligandique poteſtas conceſſa eſt. Auguſtinus quoque ejuſdem ſanctiſſimi Gregorii diſcipulus Anglorum prædicator egregius, & Pannonienſis Martinus, aliique quamplurimi viri ſanctiſſimi præcioſorum Monachorum habitu fulgentes nequaquam annulo Pontificali ſubtrharentur. Neque enim Benedictus Monachorum præceptor hujus rei aliquo modo fuit interdictor, ſed eos ſæcularium negotiorum dixit expertes eſſe debere; quod quidem Apoſtolicis documentis, & Sanctorum Patrum inſtitutis non ſolum univerſis, verum etiam Canonicis ſummopere imperatur. Utriſque enim perſpicacibus Sanctorum Patrum exemplis, ut mundo mortui ſint, præcipitur. Credimus igitur a ſacerdotibus Monachis ligandi, ſolvendique officium digne adminiſtrari, ſi tamen digne contigerit eos hoc miniſterio ſublimari. Quod evidenter affirmat, quiſquis ſtatum Monachorum, & habitum conſiderat. Angelus enim græce, latine nuncius dicitur. Sacerdotes igitur Monachi, atque Canonici, qui Dei præcepta annunciant, Angeli vocantur; ſed unuſquiſque Angelicus ordo, quanto vicinius Dominum contemplantur, tanto ſublimius dignitate firmantur. Numquid non ut Cherubim Monachis ſex alis velantur: duæ in capitio, quo caput tegitur veris demonſtrantur aſſertionibus. Illud vero, quod brachiis extenditur, duas alas eſſe dicimus, & illud, quo corpus conditur, alias duas. Sic ſex alarum numerus certiſſime conficitur. Decertantes igitur contra Monachos in hac re ſacerdotalis potentiæ arcere officio præcipimus, ut ab hujuſcemodi nefandis auſibus impoſterum reprimantur; quia

Illud vero tunicæ, quod brachiis extenditur, alas duas eſſe dicimus; & illud tandem, quo conditur corpus, ſex alarum numerum certiſſime implere aſſeritur. Decertantes igitur Monachicæ profeſſionis Presbyteros ſacerdotalis potentiæ arcere officio, omnimodo præcipimus, ut ab hujuſcemodi nefandis auſibus reprimantur in poſterum, quia quanto quiſque celſior, tanto potentior.

quia quanto quiſque excelſior, tanto potentior.

Si penitius, uti fieri decet, conſideraveris hujus decreti ſententiam, facile agnoſces, parum convenire Romano Concilio Bonifacii, & quidem Concilio ſæculi ſeptimi, præſertim ſi his adjunges epiſtolam Bonifacii ad Athelbertum Regem Anglorum eidem decreto adjectam, cujus formula longe diverſa eſt a formulis Pontificiarum Epiſtolarum illius ætatis. Præterea ſi conferamus ea, quæ de hoc Concilio memorat Beda ſuperius laudatus, cum hoc monumento, quod unum acta Concilii format, etiam conſtabit diverſas fuiſſe ſanctiones Concilii ab hoc decreto; etenim Concilium, ut ait Beda, de vita Monachorum, ac quiete nonnulla inſtante Mellito Londonienſi ordinavit, at in hocce decreto nihil habetur, quod eo pertineat: tantum definitur graviſſima illa controverſia, quæ demum ſæculo undecimo exarſit inter Monachos, & Clericos, contendentibus Monachis ad adminiſtrationem Sacramentorum inſtar Clericorum. Hinc eo facilius ad acta recentioris alicujus Concilii jure hunc ipſum canonem referemus. Neque fallor: Siquidem eadem omnino verba leguntur in canone 2. Concilii Nemauſenſis celebrati anno 1096., atque conſonant cum exemplari Labbeano ſuperius deſcripto, ſequentibus tantummodo verbis in aliorum, quæ corrupta videntur, vicem ſubſtitutis: *Sunt nonnulli . . . monachos, qui mundo . . . ſeu abſolutionem . . . . B. Gregorius monachico habitu pollens . . . conſcenderet . . . præcioſo Monachorum habitu . . . annulo Pontificali ſubarrharentur . . . Præceptor ſanctiſſimus hujus rei . . . non ſolum Monachis, verum Canonicis ſummopere imperatur . . . ligandi, ſolvendique poteſtatem digne adminiſtrari . . . contemplatur, tanto ſublimius dignitate firmatur . . . quo corpus tegitur, alas duas, &c.* Ego ſane in conſpectu hujus canonis non poſſum mihi perſuadere, jam illum ipſum canonem Nemauſenſem totidem verbis fuiſſe editum in Concilio Romano Bonifacii: qui ſi editus fuiſſet apud Bonifacium, dum renovandus erat apud Nemauſenſes Antiſtites, aut Bonifacii Papæ, aut Concilii Bonifaniani nomen inter ipſa Nemauſenſis Concilii acta præſetuliſſet, cum recentiorum Conciliorum Patres illud ſemper honoris tribuerint vetuſtioribus, ut vetuſtiorum honeſtiſſimam mentionem facerent, quoties illorum monumenta aut confirmarent, aut etiam reſtaurarent. His demum adjicere poſſum, collectores vetuſtos hujus canonis nullam mentionem facere, quæ facta primum eſt apud Ivonem Nemauſenſis Concilii temporibus ſcribentem, qui tamen in parte 7. decreti cap. 22. nonnulla exhibet nonnihil diſſimilia ceteris exemplaribus. Conſonant verba Ivonis cum exemplari Labbeano ſuperius exhibito, his exceptis: *Non ullo fulti dogmate, audaciſſime quidam magis zelo . . . aſſerunt Monachos . . . neque chriſtianitatem largiri, neque abſolvere poſſe . . . ſed omnino labuntur . . . ad ſummum nullatenus apicem conſcen-*

ſcenderet, cui quidem oſtatim fungendi, ligandi, ſolvendique officio poteſtas ſumma conceditur . . . Pontificali ſubarrharentur, ſed quia Monachi fuerunt, prædictis uti perhibentur. Neque enim Benedictus Monachorum Præceptor hujuſcemodi rei . . . expertes fore ſolummodo, quod quidem . . . & omnium Sanctorum Patrum . . . non ſolum Monachis, verum etiam Canonicis maximopere imperatur. Utriſque enim præfatorum Patrum exemplis perſpicacibus circumquaque ut mundo mortui ſint, evidentiſſima ratione præcipitur. Tantorum ergo Patrum inſtitutis, & exemplis periculoſum eſt refragari. Credimus ergo a Sacerdotibus Monachis ligandi, ſolvendique poteſtatem, atque officium, Deo operante, haud indigne adminiſtrari, ſi eos digne contigerit ad hoc miniſterium ſublimari. Quod incunctanter, & evidenter adfirmat quiſquis ſtatum Monachorum, & habitum, potentatumque evidenter conſiderat. Verbi gratia Angelus græce . . . qui quotidie ſancta Dei præcepta annunciant, Angeli vocantur, ratione non incongrua. Sed unuſquiſque Angelicus Ordo quanto claritatem Dei vicinius contemplatur, tanto dignitate ſublimior affirmatur. Nam uti Cherubin, Monachi ſex alis velantur. Duæ quidem in capitio, quo caput tegitur, veriſimilibus demonſtrantur aſſertionibus. Illud vero tunicæ, quod brachiis extenditur, alas duas eſſe dicimus; & illud tandem, quo conditur corpus, ſex alarum numerum certiſſime implere aſſeritur. Decertantes igitur monachicæ profeſſionis presbyteros ſacerdotalis potentiæ arcere officio omnimodo præcipimus, ut ab hujuſcemodi nefandis auſibus reprimantur in poſterum, quia quanto quiſque celſior, tanto potentior. Conſtat igitur, monumentum hujuſmodi in primis non tuto adſeri poſſe Bonifacio IV. velut auctori, aut Concilio Romano ſub eodem Pontifice celebrato, ſed potius Nemauſenſi Concilio; cujus tamen exemplaria non omnino invicem conſonant. Imo ex eorundem exemplarium collatione nondum ſatis, meo judicio, conſtare poteſt, utrum eo canone diremta ſit diſputatio, num Monachis liceat Sacramenta populo miniſtrare; an potius altera, an e monaſteriis vocari ad regendas Eccleſias poſſint, qui ſint Sacramenta populo adminiſtraturi.

CAPUT LXII.

De Deusdedit.

Nomine Deusdedit Papæ duo ſunt apud Gratianum fragmenta.

- *Can. 1. cau. 30. qu. 1. apocryphus, & paullo varius in diverſis exemplaribus.*
- *Can. 3. cau. 30. qu. 3. referendus ad canonem 1. cau. 30. qu. 1.*

Deusdedit Vir & doctrina, & pietate inſignis, Sedem Apoſtolicam tenuit ab anno 614. uſque ad annum 617. Quæ vero hujus Pontificis nomine a Gratiano referuntur, opus dicenda ſunt inſignis cujuſpiam, ac recentioris deceptoris ſub illuſtri titulo poſteritati illudentis. Huc pertinet in primis canon 1. cau. 30. *Can. 1.* qu. 1. laudatus ex epiſtola Deusdedit ad Gordianum Hiſpalenſem Epiſcopum. Epi- *cau. 30. qu. 1.* ſtolam ipſam primum integram referam, non tam ut exinde ſuppleantur, quæ omiſſa ſunt apud Gratianum, quam magis magiſque liqueat, quod deinceps ſubjiciam;

ciam; videlicet monumentum hoc tanto Pontifice indignum penitus eſſe, nec propterea eidem, niſi per graviſſimam injuriam tribuendum. His verbis epiſtola exhibetur: *Deusdedit Sanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ Epiſcopus Gordiano Hiſpalenſis Eccleſiæ Coepiſcopo, & Fratri dilectiſſimo. Pervenit ad Nos Diaconus veſter, veſtræ ſanctitatis epiſtolam ferens, quod quidam viri etiam, ac mulieres præterito ſabbato, paſchali die, præ* (legunt alii *pro*) *magno populorum incurſu, neſcientes proprios ſuos filios ſuſcepiſſent ex lavacro ſancto. Cupis ergo ſcire, ſi pro tali accidente ratione debeant viri, & mulieres ad ſuum proprium redire uſum, an non. Nos vero mœſti in hacre* (legunt alii: *Nos enim ex hoc mœſti*) *inquiſivimus priorum Patrum noſtrorum dicta. Invenimus autem in archivis hujus Apoſtolicæ Sedis jam talia contigiſſe in Eccleſiis Iſauriæ* (alii legunt *Eccleſiæ Iſauriæ*) *& Epheſiorum, ſimulque Hieroſolymæ, & etiam aliarum Civitatum. Epiſcopis etiam earum Civitatum ab hac Apoſtolica Sede volentibus ſcire, ſi* (legunt alii *utrum*) *viri, & mulieres redirent ad proprium torum, beatæ memoriæ Sanctiſſimi Patres Julius, Innocentius, & Cœleſtinus cum Epiſcoporum plurimorum, & Sacerdotum conventu* (legunt alii *conſenſu*) *in Eccleſia B. Apoſtolorum Principis prohibentes talia perſcripſerunt, & confirmaverunt, ut nullo modo jam in conjugio ſe reciperent mulieres, aut viri, qui quacumque ratione ſuos ſuſceperunt natos, ſed ſeparent ſe, ne ſuadente diabolo tale vitium peccati inoleſcat* (legunt alii: *jam ſe in conjugium reciperent mulieres, aut viri, quicumque aliqua ratione ſuſceperunt natos proprios, ſed ſepararent ſe, ne ſuadente diabolo tale vitium innoteſcat*) *per mundum, & univerſorum error accreſcat. Scitis, quia quomodo ſunt ſeptem dona Spiritus Sancti, ita ſunt ſeptem dona baptiſmi a primo pabulo ſacrati ſalis, & ingreſſu ſanctæ Eccleſiæ uſque ad confirmationem Spiritus Sancti per chriſma. Ab hoc primo Spiritus Sancti dono uſque ad ſeptimum nullus Chriſtianus ſuam commatrem in conjugium ſuſcipere debet, & qui præſumſerit, anathematis vinculo religetur in perpetuum, niſi pœnitentiam egerit digne. Mulieres vero cum ſeparatæ fuerint pro hac illicita re a propriis viris, totam præcipimus recipere dotem, quam in die nuptiali recepit, & poſt expletum annum recipiant alium virum, ſimiliter & vir uxorem.* Integra hæc epiſtola eſt Deusdedit Pontifici tributa, quam nemo non ſtatim ab illo abjudicandam putabit. Fictitius in primis eſt Gordianus ille Epiſcopus Hiſpalenſis, ad quem directa epiſtola fertur; etenim ſcimus ex inſcriptionibus Synodi Toletanæ anni 610. tunc præfuiſſe Hiſpalenſi Eccleſiæ Iſidorum, quem adhuc rexiſſe eandem Eccleſiam anno 619. ſcimus ex Concilio Hiſpalenſi ejuſdem anni. Qua itaque ratione contingere potuit, ut tempore Deusdedit Gordianus Hiſpalenſis Epiſcopus diceretur, niſi dicere velimus & Gordianum, & Iſidorum eodem tempore Hiſpalenſem Eccleſiam tenuiſſe? Inveroſimile etiam videtur, quod ibidem refertur, Parentes magno populi concurſu ita præpeditos fuiſſe, ut ignorantes ſuſcepiſſent filios ſuos in adminiſtratione baptiſmatis. Quod vero exinde *mœſtum* ſe Deusdedit adpellaverit, & ſollicite ad quæſtionem dirimendam veterum Patrum inveſtigaverit monumenta; imo & repererit ad eam rem ſanctiones Julii, Innocentii, & Cœleſtini Pontificum, non facile mihi perſuadere poſſum, cum non ageretur de re tanti momenti, quæ adeo turbaret virum graviſſimum, præſertim cum demonſtrari non poſſint memoratorum Pontificum conſtituta, quæ cauſſam dediſſe feruntur reſcripto Deusdedit, quod adeo difforme ab æquitate agnovit Alexander III., ut adverſus illud ſententiam proferre non dubitaverit in cap. 2. de cognatione ſpirituali. Quis præterea percipiet verba illa: *Scitis quia quomodo, &c.* uſque ad illa *ſuſcipere debet,* niſi a recta ratione abhorrentem

rentem ſententiam Pontifici affingat? Dicitur ibidem, ſeptem eſſe dona Sancti Spiritus, a primis baptiſmi ritibus in baptizandum infuſa divinitus, per quæ veluti per gradus ſpiritualis propinquitas ducta deſignatur. O rectam graduum computationem, qua fieret, ut duo in primo æque, ac in ſeptimo gradu jungerentur, nec major eſſet in uno, quam in altero conjunctio; aut ſi major conjunctio appareret, ea eſſet in ſeptimo potius, quam in primo contra omnes regulas computationum. Tandem, quod perſpicue a ſententiis Deusdedit hoc monumentum alienum evincit, pertinet ad poſtremam epiſtolæ partem, quam utpote perpetuæ, eidemque divinæ traditioni repugnantem Gratianus omittendam cenſuit. Aſſerit auctor epiſtolæ, viros, qui quacumque de cauſſa filios ſuos a baptiſmate ſuſcepiſſent, ita ſeparandos eſſe ab uxoribus, ut ipſi alias uxores ducere, & uxores aliis nubere maritis jure poſſint; qua ſententia nemo non agnoſcit ſanctum illud vinculum violari, quod Deus ipſe arctiſſime inter conjuges colligavit.

Ad eundem canonem 1. cau. 30. qu. 1. referendus erit canon 3. cau. 30. qu. 3. *Can. 3. cau. 30. qu. 3.* Siquidem ille in primis Zachariæ Pontifici adſcriptus a Gratiano fuit, deinde Deusdedit. In hac igitur parte, qua Deusdedit laudatur, non cenſuit Collector ipſi ita nomen Deusdedit adjicere, ut ſignificaret eidem Pontifici tribuendum canonem fore, ſed potius, ut indicaret de hac ipſa materie cognationis ſpiritualis aliqua jam edita fuiſſe ſub nomine Deusdedit, quæ ſane cum alia non ſint, niſi quæ in prælaudato canone 1. exhibentur, facile conſtat, quomodo recipienda hæc omnia ſint, aut explicanda.

CAPUT LXIII.

De Honorio.

Ex Decreto Honorii Papæ laudatur apud Gratianum ſubjectus hic canon.

{ *Canon 20. cau. 11. qu. 3. Concilio Ravennatenſi Johannis VIII. adſcribendus.*

FRuſtra de Honorio, ſuſceptoque ab eo Eccleſiæ Romanæ regimine anno 626. verba facerem, cum fragmentum illud, ſeu canon 20. cau. 11. qu. 3., qui illius nomine laudatur, Honorii non ſit, ſed potius Concilii Ravennatenſis ſub Johanne VIII. celebrati anno 877. Primus ex Collectoribus inſcriptionem monumenti corrupit Burchardus, qui in lib. 11. Decreti cap. 48. & 49. recenſuit canones 9. & 10. Concilii Ravennatenſis, ſed canonem 9. adſcripſit Gelaſio, & canonem 10. Honorio. Nemo autem ignorat, quam familiare Burchardo fuerit auctorum nomina immutare. Ivo Carnotenſis bis in ſuo decreto eundem canonem retulit; nimirum in cap. 65. partis 14., & quidem ſub nomine Johannis VIII. in Concilio Ravennatenſi, & rurſum in cap. 113. ejuſdem partis 14. ſub nomine Honorii Papæ Burcharchi editionem ſine dubio ſequutus. En qua tandem ratione deceptus Gratianus fuerit, qui non ex autographis, ſed ex Collectoribus fragmentorum

canones

canones in ſuum codicem derivabat. Itaque in Concilio Ravennatenſi, ad quod univerſi Italiæ Epiſcopi abs Johanne VIII. acciti fuerant, ita legitur in can. 10: *Curæ ſit omnibus Epiſcopis excommunicatorum nomina tam vicinis Epiſcopis, quàm ſuis Parochianis pariter indicare, eaque in celebri loco poſita præ foribus Eccleſiæ cunctis convenientibus inculcare: quatenus in utraque diligentia & excommunicatis eccleſiaſticus aditus excludatur, & excuſationis cauſſa omnibus auferatur. Siquis ſane venerabilium Epiſcoporum, vel Sacerdotum in hac re diſtrictiſſime non vigilaverit, & in aliquo conniverit, quominus eccleſiaſticæ ſeveritatis invectio circa perſonas delinquentium conſervetur, donec coram provinciali ſynodo ſatisfiat, a communione ſciat ſe eſſe ſuſpenſum. Si vero poſt tertiam conventionem in ſua negligentia manſerit, canonico judicio ſubjacebit.* Ita ſupplere, atque emendare juvabit Gratianeum canonem, quem interpretari potiſſimum debebimus de excommunicatis illis, quorum mentio in eodem Concilio facta fuerat in canonibus præcedentibus, nimirum illis, qui *domos Dei violaviſſent, eccleſiaſticis perſonis injuriam feciſſent, ſanctimonialem, ſive quamcumque feminam in matrimonium, vel concubinatum rapuiſſent, homicidium, membrorum truncationem, domorum incendia, vel deprædationes feciſſent*, aut his ſimilia delicta admiſiſſent.

CAPUT LXIV.

De Martino.

Ad Martinum Pontificem pertinere videntur duo fragmenta apud Gratianum.

Ex epiſt. ad Amandum Epiſcopum Trajectenſem.	*Can. 12. diſt. 50. ex integra epiſtola ſupplendus.*
Ex Decreto.	*Can. 22. de conſ. diſt. 4. pertinet ad Concilium Martini Bracarenſis.*

HUC revocari non debent quotquot monumenta apud Gratianum legimus ſub nomine Martini Papæ. Siquidem jam in priore hujus operis parte cap. 33. animadvertimus, plurima Concilio Martini Papæ fuiſſe tributa, quæ non Martino Pontifici I., aut ejus Concilio Lateranenſi adſcribenda erant, ſed potius Martino Bracarenſi in collectione canonum ab ipſo elucubrata. Quæ Martini Romani Epiſcopi jure dicuntur, ad unum, aut alterum caput rediguntur. Maximum Pontificatum ipſe tenuit ab anno 649. uſque ad annum 654., quo idem fuit in Cherſoneſum relegatus, Eugenio in ejus vicem ſuffecto, obiit autem anno 655. Multa ipſe perpeſſus fuit, quod Monothelitarum hæreſim damnaſſet, nec Conſtantinopolitano Antiſtiti in eandem hæreſim propendenti communicaſſet. Acta Lateranenſis Concilii tunc temporis celebrati Sancti Pontificis in tuenda fide conſtantiam ſatis exhibent. Exhibet præterea ejus epiſtola ad Amandum Trajectenſem in Belgio Epiſcopum, quem & de ſuborta Monothelitarum hæreſi certiorem fecit, & quomodo adverſus

Can. 12. diſt. 50.

Digitized by Google

adverſus recentes hæreticos ipſe ſe geſſit, coactoque Concilio illos damnavit. Imo etiam ad Amandum eundem Concilii exemplaria miſit, quo facilius Chriſtifideles in Belgio conſtituti ediſcerent, quare Monothelitarum opinio execrabilis eſſet, ediſcerent etiam germanam Eccleſiæ doctrinam. Iſta ſcribendi Martino occaſionem dederat Amandus, qui epiſtolam ad Romanum Pontificem direxerat poſtulans, quid ſibi agendum eſſet in cauſſa Sacerdotum, ac Miniſtrorum, qui lapſi in turpia crimina a ſacris ſe miniſteriis arceri ægre ferebant. Martini Papæ reſcriptum, quod ad hanc rem attinet, legitur in canone 12. diſt. 50., cujus verba ita ſupplere juvabit ex integra epiſtola, ibi: *Suggeſtum eſt namque nobis, eo quod Presbyteri, ſeu Diaconi, aliique ſacerdotalis officii, poſt ſuas ordinationes in lapſu coinquinantur, & propterea nimio mœrore. Fraternitatem tuam adſtringi, velleque paſtorale obſequium pro eorum inobedientia deponere, & vacationem ab Epiſcopatus laboribus eligere, & in ſilentio, atque otio vitam degere, quam in his, quæ tibi commiſſa ſunt, permanere, dicente Domino: Beatus, qui perſeveraverit uſque in finem. Unde namque beata perſeverantia, niſi de virtute patientiæ? quia ſecundum Apoſtolicam prædicationem omnes, qui voluerint in Chriſto pie vivere, perſecutiones patientur. Ideoque, Frater chariſſime, non vos afflictionum amaritudo a pio mentis veſtræ propoſito coarctet recedere, conſiderans quanta pro abſolutione noſtri, & liberatione Creator, Dominuſque noſter pertulerit, quibuſque ſe contumeliis afficiendum tradiderit, ut nos a vinculis poteſtatis diabolicæ liberaret. Propterea nullatenus in bujuſmodi peccato delinquentibus ad deſtructionem canonum compaſſionem exhibeas. Nam qui ſemel poſt ſuam ordinationem in lapſum ceciderit, deinceps jam depoſitus erit, nullumque gradum ſacerdotii poterit adipiſci, ſed ſufficiat ei lamentationibus, fletibuſque aſſiduis quouſque advixerit in eadem pœnitentia perdurare, ut commiſſum delictum divina gratia extinguere valeat. Si enim tales quærimus ad ſacros Ordines promovendos, quibus nulla ruga, nullumque vitæ contagium mentes, & corpora præpediat, quanto magis, ſi poſt ordinationem ſuam quiſpiam in lapſum ceciderit, & prævaricationis peccato deprehendatur obnoxius, omnino prohibendus eſt cum manibus lutulentis, atque pollutis myſterium noſtræ ſalutis tractare? Sitque hujuſmodi ſemper juxta ſacrorum canonum ſtatuta in hac vita depoſitus, ut ab illo, qui mentis interiora ſcrutatur, nullamque de ovibus errare congaudet, dum adſpexerit ſinceram pœnitentiam ejus, in terribili judicio habeat reconciliatum, &c.* Integram hanc Martini ſententiam deſcribendam duxi, ut exinde perſpicue conſtaret, quod alias pluries animadverti, nimirum in diſt. 50. Gratianum propoſitam de lapſis Sacerdotibus quæſtionem non diremiſſe juxta germanam Sanctorum Patrum traditionem, veterumque Pontificum definitiones, ſed potius variis diſtinctionibus, atque doctrinis, ut plurimum ex apocryphis, incertiſve monumentis hinc illinc depromtis non diremiſſe jam, ſed in obſcuro collocaſſe.

Ad Martinum I. Pontificem non ſane pertinet canon 22. de conſ. diſt. 4., cujus hæc eſt inſcriptio apud Gratianum: *Item ex decreto Martini Papæ III.* quemque nonnulli putant referendum ad Marinum Juniorem, qui Martinus III. dicitur, vixitque anno circiter 943. Illud tamen monumentum fruſtra inter ſanctiones Martini aut I. aut III. reperies. Ego arbitror, potius adſcribendum idem eſſe Martino Bracarenſi; neque enim novum eſt apud Gratianum, canones editos a Martino Bracarenſi Antiſtite ſub nomine Martini Papæ laudari, quemadmodum conſtat abunde ex iis, quæ animadverti ad caput 33. partis 1. Ideo autem Gratianus ſcripſit *ex decreto Martini Papæ III.*, quia in Concilio Bracarenſi III. a

Can. 22. de conſ. diſt. 4.

Mar-

Martino Bracarenſi celebrato anno 572. idem propemodum cautum legitur in can. 7. ibi: *Placuit, ut unuſquiſque Epiſcopus per Eccleſias ſuas hoc præcipiat, ut hi, qui infantes ſuos ad baptiſmum offerunt, ſiquid voluntarie pro ſuo offerunt voto, ſuſcipiatur ab eis; ſi vero per neceſſitatem paupertatis aliquid non habent, quod offerant, nullum illis pignus violenter tollatur a Clericis. Nam multi pauperes hoc timentes, filios ſuos a baptiſmate retrahunt. Quod ſi forte dum differunt, ſine gratia baptiſmi ab hac vita receſſerint, neceſſe eſt, ut ab illis eorum perditio requiratur, quorum expolia pertimeſcentes a baptiſmi ſe gratia retraxerunt.* Poſteriora hæc verba, quæ etiam apud Gratianum ſub nomine Bracarenſis Concilii leguntur in canone 103. cau. 1. qu. 1., plurimum conſonant cum memorato canone 22., quem Gratianus ipſe, aut quiſquis alius Collector de more paucis perſtrinxit, & mutatis paulliſper verbis in Codicem transduxit.

CAPUT LXV.

De Eugenio.

Sub nomine Eugenii Papæ plura memorantur apud Gratianum fragmenta, quæ referenda erant ad Romanum Concilium ſub Eugenio II. celebratum anno 826., quemadmodum animadvertendum fuit in cap. 52. prioris partis. Unum adhuc monumentum ſupereſt: nimirum

Can. 8. cau. 16. qu. 1. conſonat potius cum monumentis Eugenii III.

HOC ſane fragmentum falſo tributum videtur Eugenio I. Franciſcus Florens in ſuo tractatu ad cauſſam 16. Gratiani illud ipſum tribuit Eugenio II. Sed meo judicio neque Eugenio II. adſcribendum erit, quod facile ex eo conſtat non ſolum, quod inter conſtitutiones aut Eugenii I., aut Eugenii II. non reperiatur, ſed potiſſimum quod neutrius Papæ temporibus conveniat; cum Eugenius I. vixerit circa annum 655., & Eugenius II. circa annum 824., at vero quæ in eo canone legimus pertineant ad celebres illas Monachorum diſputationes contendentium ad munera eccleſiaſtica exercenda; quæ ſane diſputationes exarſerunt duodecimo Eccleſiæ ſæculo. Hinc ego potius hæc tribuenda cenſeo Eugenio III. qui ſimilia quædam reſcripſit in epiſtola apud recentiores Collectores 86. ad Monachos Archiepiſcopatus Narbonenſis ibi: *Præterea quoniam ad aures noſtras perlatum eſt, quod quidam ex vobis parvulos ſolenniter baptizare, Laicis pœnitentias, & Euchariſtiam contra ſuæ profeſſionis regulam dare præſumunt, præſentium auctoritate omnimodis prohibemus, ne de cetero id attentare præſumant. Alioquin nos eidem fratri noſtro Archiepiſcopo veſtro* (is erat Archiepiſcopus Narbonenſis) *poteſtatem conceſſimus, ut in hujuſmodi præſumptores eccleſiaſticæ ſeveritatis cenſuram exerceat.* Et quidem circa eadem tempora plura hujuſmodi decreta in medium prodierunt. Sic in Concilio Nemauſenſi anni 1096. can. 16. ita legitur: *Monachi nullo modo*

red-

Digitized by Google

recipiant ad ſepulturam, aut ad quodlibet divinum officium excommunicatos, aut raptores, aut interdictos. Item in Concilio Pictavenſi anno circiter 1078. can. 5. *Ut nullus Abbas, Monachus, vel quilibet alius pœnitentias injungat, niſi quibus proprius Epiſcopus hanc curam dederit:* Idipſum fere in Concilio Romano anni 1123. ſub Caliſto II. can. 17. ibi: *Interdicimus Abbatibus, & Monachis publicas pœnitentias dare, & infirmos viſitare, & unctiones facere, & Miſſas publicas cantare, &c.* Ex his, atque aliis monumentis, quæ in hanc ipſam rem adferri commode poſſent, facile liquet, ſæculo Eccleſiæ undecimo ac duodecimo coercitum fuiſſe nonnullorum Monachorum ambitum, qui eccleſiaſticis obeundis officiis vehementiſſime ſtudebant. Et quoniam nonnulli his adjiciebant alias ſententias veterum Patrum, quibus tradebatur, Monachos ſolitudini incumbere debere, quemadmodum tradebat Baſilius, Hieronymus, Iſidorus Hiſpalenſis, aliique Patres, ut omittam Concilium Chalcedonenſe, Synodum Romanam ſub Leone IV., aliaſque quamplurimas, hinc fieri facile potuit, ut qui Collectores ederent canones ſæculo undecimo, aut duodecimo, plura illis adjicerent, quibus ex veterum Patrum ſententia, ex ipſo etiam Monachorum nomine, profeſſione, atque inſtitutionibus probaretur, Monachos non jure muneribus eccleſiaſticis fungi. Id vero demonſtrare ut facile fuit illis, qui adverſus Monachos pugnabant, imo etiam variis collectis monumentis Patrum confirmare, ita proclive eſſe potuit Collectoribus non ſatis diſtinguentibus fragmenta Patrum a diſputationibus recentiorum, eadem diſputantium acta qua Sanctis Patribus, qua Pontificibus Maximis adſcribere, quod non infrequenter contigiſſe, ſatis colligi poſſet ex una cauſſa 16. apud Gratianum in ſimilibus monumentis.

CAPUT LXVI.

De Agathone.

Agathoni Papæ tribuitur apud Gratianum.

{ *Canon 2. diſt. 19. ex integris codicibus emendandus.*

Can. 21. diſt. 63., qui ad Agathonem pertinere videtur, commodius expendetur inferius in cap. 71. de Hadriano.

IMperante Conſtantino Pogonato circa annum 678. Pontificiam Sedem conſcendit Agatho olim Monachus, ſi fides auctori Pontificalis, vir *benignus, manſuetus, ut etiam omnibus hilaris, & jucundus comprobaretur*. Ejus temporibus Britannicæ Eccleſiæ florebant adeo, ut in dies aucto fidelium numero, ipſis præterea Eccleſiis Chriſtianorum largitate locupletatis novæ Cathedrales erigerentur, inſtituerenturque Epiſcopatus. Res tamen adeo proſpere non ceſſerunt, ut omnis præcluderetur contentionibus locus. Nam jurgia non levia ſuboriri cœperunt inter Epiſcopum ejus Provinciæ Metropolitanum nomine Theodorum, atque Epiſcopos ceteros ſuffraganeos de confirmationibus, ac conſecrationibus ſacrorum Antiſtitum. Delata eſt controverſia ad Agathonem, qui ut eandem definiret, Con-

cilium quorundam Epiſcoporum Romæ convocavit anno 680. Epiſcopos in Concilium convenientes ita allocutus eſt Sanctus Pontifex, ut ſuaderet, rem ita gerendam fore, quemadmodum jam ipſius Anteceſſores definierant in Synodis, & jam probata Romanæ Eccleſiæ conſuetudo invexerat, nimirum ut Metropolitanis in confirmationibus, ac conſecrationibus Antiſtitum incolumis juriſdictio, ac poteſtas conſiſteret. En verba Agathonis ad Synodum: *Conſtat itaque, quod veſtra conſideravit Reverenda Fraternitas æquitati competere finienda, quia jam ſunt, quæ dudum concordi conſideratione prævideruut, & ſtatuerunt Prædeceſſores noſtri, verbi gratia, primus B. Gregorius hujus Apoſtolicæ Sedis Pontifex, & totius Saxoniæ Apoſtolicus apex; ejuſque Succeſſores Sancti Pontifices uſque ad noſtra tempora. Et nos prævidimus, & conſtituimus, ut ſtatuta illa, quæ Synodalibus decretis jamdudum ſolidata per B. Petrum Principem Apoſtolorum fuerunt, ut in perpetuum ab omnibus eccleſiarum Chriſti Præſulibus ibidem conſtitutis inconvulſe, atque illibate ſerventur.* Hæc illa ipſa ſunt, quæ paucis Gratianus expreſſit in canone 2. diſt. 19. An vero cum ejuſdem Gratiani propoſito omnino conveniant, facile erit unicuique judicare.

CAPUT LXVII.

De Sergio.

Sergii Pontificis nomine inſcribitur apud Gratianum

{ *Canon. 22. de conſ. diſt. 2. eſt potius Amalarii.*

De Pontifice Sergio, ejuſque geſtis vix eſt, quod faciam mentionem, cum canon 22. de conſ. diſt. 2. falſo illi tributus ſit apud Gratianum. Dixerim tantummodo, Sergium communi ſuffragio electum res Eccleſiæ moderari cœpiſſe ſub finem anni 687.; quo tempore Hiſpaniæ, & Galliæ Epiſcopi convenire debuerunt in Concilium prolatas olim ab Juliano Primate fidei ſententias explicaturi. Cum enim Julianus de Verbi Divini generatione loquens, dixiſſet: *Voluntas genuit voluntatem, ſicut & ſapientia ſapientiam,* item in Chriſto aſſeruiſſet *tres eſſe ſubſtantias*, nimirum naturam divinam, animam, & corpus, Benedictus Romanus Antiſtes Sergii Prædeceſſor, hujuſmodi formulas veluti minus aptas probare non potuit, imo ut clarius explicarentur ab Hiſpanis Epiſcopis poſtulavit. Hinc tam Galliarum quam Hiſpaniarum Epiſcopi in unum convenientes (hoc eſt Concilium Toletanum XV. anni 688.) diſertis verbis mentem ſuam aperuerunt; atque inter cetera tradiderunt, ſe jure dixiſſe tres in Chriſto ſubſtantias eſſe, Deum, animam, & Corpus. Elegantem hanc fidei explicationem excepit Sergius Papa, imo & laudavit. Quod itaque legitur in laudato canone 22. de conſ. diſt. 2. forte ex eo Sergii hujus Papæ nomine inſcribi potuit, quod ejus auctor imitatus fuiſſe videtur formulam Toletani Concilii a Sergio probatam. Ceterum nulla dubitatio eſſe poteſt, quin idem fragmentum tribuendum potius ſit Amalario Metenſi Scriptori noni ſæculi, qui in lib. 3. de eccleſiaſticis officiis cap. 35. ita ſcribit: *Triforme*

eſt

Digitized by Google

eſt Corpus Chriſti, eorum ſcilicet, qui guſtaverunt mortem, & morituri ſunt. Primum videlicet ſanctum, & immaculatum, quod aſſumtum eſt ex Maria Virgine: alterum, quod ambulat in terra: tertium, quod jacet in ſepulcris. Per particulam oblatæ immiſſæ in calicem oſtenditur Chriſti Corpus, quod jam reſurrexit a mortuis: per comeſtam a ſacerdote, vel a populo, ambulans adhuc ſuper terram: per relictam in Altari jacens in ſepulcris. Idem corpus oblatam ducit ſecum ad ſepulcrum, & vocat illam ſancta Eccleſia viaticum morientis, ut oſtendatur, non eos debere, qui in Chriſto moriuntur, deputari mortuos, ſed dormientes. Unde & locus ſepulcrorum græce vocatur cœmeterium, ideſt dormitorium. Unde & Paullus ad Corinthios: mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit, quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt. Remanetque in Altari ipſa particula uſque ad finem Miſſæ: quia uſque in finem ſæculi corpora ſanctorum quieſcunt in ſepulcris. Munditiam mentis docet corporale, quod remanet in Altari poſt Domini Reſurrectionem, cui debet unuſquiſque ſemper ſtudere accipiens Corpus Domini, ſed præcipue in fine. Atque ex hoc Amalarii libro facile alia capi conjectura poteſt, unde profectum fuerit, quod verba iſta Sergio tributa legamus. Nimirum in capite 33. ejuſdem libri legitur: *Sergius Papa conſtituit, ut agnus Dei cantaretur, ſicut ſcriptum eſt in geſtis Pontificalibus, &c.* Hinc quæ apud Amalarium ſequebantur in capite 34., & 35. tribui potuerunt ab incautis canonum Collectoribus Sergio Pontifici; niſi dicere malimus Sergium Juniorem ibi laudatum, quod ejus temporibus Amalarius vixerit. Eadem propemodum verba leguntur in Micrologo de eccleſiaſticis obſervationibus cap. 17. in fine ibi: *Tripliciter Corpus Domini intelligimus, unum quod ſurrexit a mortuis, quod ſignificat particula in ſanguinem Miſſa; aliud quod adhuc vivit in terra ſignificatum per particulam a Sacerdote conſumtam, tertium quod jam requieſcit in Chriſto, quod a tertia particula in Altari ſervata apte figuratur, quam viaticum morientium appellare ſolemus.* His ſimilia tradiderat Alcuinus, Rhrabanus, Algerus, aliique, quorum monumenta referre ſingula parum prodeſſet, vel quod ſententia unius ab altero accepta videtur, & laudaſſe Amalarium idem ſit, ac ſingulorum monumenta deſcripſiſſe; vel quod nemo ignoret, pias haſce exercitationes, dixerim potius meditationes hominum nominis haud ſatis clari, vim legis eccleſiaſticæ non habere. Imo hæc improbari viſa fuerunt, ſtatim ac in medium prodierunt, quemadmodum facile conſtat ex epiſtolis Flori Lugdunenſis Diaconi editis a Manſio in ſupplemento editionis Labbeanæ ad annum 835. tom. 1. pag. 867., & ſequentibus.

Digitized by Google

CAPUT LXVIII.

De Gregorio II., & Gregorio III.

Quæ apud Gratianum nomine Gregorii II., vel Gregorii III. leguntur, hæc ſunt.

Ex Romano Concilio.	*Can.* 23. *diſt.* 23.	*pertinent ad Gregorium II., & ad integros Concilii codices ſunt exigendi.*
	Can. 1. *cau.* 26. *qu.* 5.	
	Can. 5. *cau.* 36. *qu.* 2.	
Ex epiſtolis ad Bonifacium.	*Can.* 2. *diſt.* 68. *ex epiſtola Gregorii III. ſupplendus.*	
	Can. 5. *cau.* 2. *qu.* 5. *ex integra epiſtola Gregorii II. ſupplendus.*	
	Can. 21. *cau.* 13. *qu.* 2. *ad Gregorii III epiſtolam exigendus.*	
	Can. 53. *cau.* 16. *qu.* 1. *ad Gregorii III. epiſtolam exigendus.*	
	Can. 18. *cau.* 32. *qu.* 7. *eſt Gregorii II., & ex temporis adjunctis explicandus.*	
	Can. 52. *de conſ. diſt.* 4. *ad Gregorii III. epiſtolam, aliaque illius ætatis monumenta exigendus.*	
	Can. 110. *de conſ. diſt.* 4. *ex epiſtola Gregorii II. ſupplendus.*	
	Can. 9. *de conſ. diſt.* 5. *conſonat cum epiſtola Gregorii II.*	

CUM monumenta Gregorii II. monumentis Gregorii III. adeo permixta, confuſaque ſint apud Collectores, ut vix ab iſtis illa ſecerni queant, operæ pretium duxi omnia hoc uno capite complecti. Monumentorum permixtioni occaſionem dare potuit immediata ſucceſſio horum Pontificum; ſiquidem Gregorius II. anno 714. Conſtantino, & Gregorius III. anno 731. Gregorio II. ſucceſſit. Idem quoque utriuſque Pontificis nomen hanc ipſam occaſionem præbuit, præterea eadem temporum adjuncta: nimirum miſeranda erat orbis Chriſtiani facies ſub utriuſque Pontificatu, quum Leo Iſaurus ſacrarum imaginum cultum deteſtatus illas a ſacris templis eradendas acri imperio jubebat; Italiam autem, ut de ipſa ſingularia quædam non omittam, Longobardi infenſo exercitu devaſtabant; quaſi tunc civilis æque, ac Chriſtiana Reſpublica; qua Iconoclaſtarum, qua Barbarorum auſibus periclitaretur. Itaque Gregorius II. in primis nihil optatius habuit, quam ut Leonem Imperatorem paterna fere benevolentia commoneret, ne honorem debitum ſacris imaginibus denegaret, præterea hortatus eſt, ut rebus Italicis pene labentibus conſuleret, hoſtiumque impetum cohiberet. Similis ſollicitudo Gregorium III. tenuit, quamquam uterque Pontifex parum apud Leonem valuerit; etenim Imperator quemadmodum res Italiæ, quæcumque eſſet illorum conditio, negligebat, ita res Eccleſias ſprevit. adeo, ut ipſos ſacrarum imaginum cultores graviſſimis indictis pœnis inſequeretur. Gregorius II. non multa ab Imperatore ſe impetraturum arbitratus ad molliendos Longobardorum animos ſeſe convertit, cujus interceſſio plurimum valuit eo uſque, ut Longobardi ab urbis Romanæ obſidione abſtinerent. Imo idem Pontifex augendæ, propagandæque Chri-

ſtianæ

Digitized by Google

ſtianæ fidei ſtudioſiſſimus Bonifacium quendam natione Anglum Monachum primum, deinde Presbyterum ordinatum in Germaniam miſit, ut ibidem ad veram Chriſti Religionem populos ſedula Evangelii prædicatione converteret. Gregorii II. ſollicitudinem, atque anxiam curam æmulari viſus eſt Gregorius III., qui ubi agnovit Longobardorum armis Italiam obrui ab Imperatore indefenſam, Francorum Principum ſubſidia urgente Romano populo impetravit; alias etiam Bonifacio ad Germanos fidei cauſſa miſſo opportuna præbuit conſilia ad curandam gentis illius converſionem. Hæc ſane omnia utrique Gregorio communia non tam ex geſtis eorumdem Pontificum apud Hiſtoricos recenſitis adparent, quam demonſtrant, potuiſſe facilem præberi occaſionem, qua unius geſta alteri tribui aliquando potuerint.

Antequam vero ad expendenda Gratiani fragmenta deveniam, aliqua ſeſe offerunt prænotanda penes hiſtoricos Scriptores, qui de Gregorio II. nonnulla memoraverunt parum conſona veritati. Non defuerunt enim, qui aſſerere non dubitarunt, Gregorium II. nova quædam fuiſſe molitum adverſus Leonem, dirique populorum Orientalium, atque Occidentalium ſchiſmatis auctorem extitiſſe. Id evulgaverunt Græci Scriptores Theophanes, Cedrenus, & Zonaras non quidem Gregorio contemporanei, ſed a ſæculo, & amplius poſteriores. Verum Latini Scriptores aut Gregorio eidem contemporanei, aut qui per tria ſequentia ſæcula ſucceſſerunt, qualis inter plurimos memorari poteſt Anaſtaſius Bibliothecarius, de ea re, licet graviſſima, altum ſilentium ſervarunt. Imo nec omnes Græci illud memorarunt: nimirum ſiluit Johannes Damaſcenus ſacrarum imaginum Patronus eximius, ſiluit præterea Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus. Quid ergo? Paucoſne Græcos Græcis aliis, item Latinis univerſis neglectis audiemus, illorumque dicta ſine contradictione recipiemus? Miror ego hac in re Baronium ad annum 730., Sigebertum in Chronico ad annum 731., & Platinam in Gregorio II., alioſque Græcorum potius, quam Latinorum fidem ſequi maluiſſe, cum tamen Græci ſoli hac in re non ſatis firmum teſtimonium ferant, utpote qui de negotio Romæ geſto teſtentur; alias autem teſtes illi audiri debeant, qui præſentes extiterint, non qui in aliis regionibus, alio etiam, & poſteriore tempore vixerint. His accedit gravis ſuſpicio falſitatis in Græcis hujuſmodi Scriptoribus; quis enim ignorat, quanta fuerit poſt quinque præſertim priora Eccleſiæ ſæcula Græcorum adverſus Romanos invidia, ac præcipue adverſus Pontifices Maximos, penes quos ſummam rei eccleſiaſticæ curam eſſe ægre ferebant. Hinc quotquot calumnias apud Imperatorem poterant adverſus Pontifices Maximos, inferre curabant, quo fieret aliquando, ut Pontifices iidem auctoritate imperatoria premerentur quoquo modo, aut coercerentur. Nota ſunt omnibus perſpicua iſtarum rerum exempla. Itaque Græci, quorum adverſus Romanos Antiſtites dirum erat odium, occaſionem ſumſerunt Gregorium II. carpendi, quum ipſius ætate Italus populus ad Francorum Principes ſubſidii petendi cauſſa confugerit imperiali ſubſidio deſtitutus; eamque ob rem defectionem populi, ac converſionem ad Francos Romani Pontificis artibus tribuerunt. Opus eſt in hac re prudentis Viri ſtudio, qui optime noſcat, quantum in hac re potuerit calumnia Græcorum adverſus Romanos Conſtantinopolitani Imperatoris animum concitantium. At vero quid opus eſt conjecturis, ceteroqui graviſſimis, ubi apertiſſima hujus rei in ipſiſmet Gregorii II. epiſtolis ſunt argumenta? Plurimæ ſunt Gregorii epiſtolæ ad Leonem Iſauricum miſſæ; quarum in prima ita legitur:

Eccle-

Eccleſiis præpoſiti ſunt Pontifices a Reipublicæ negotiis abſtinentes. Et Imperatores ergo ſimiliter ab eccleſiaſticis abſtineant . . . . At enim nos perterrefacis, aiſque: Romam mittam, & imaginem Sancti Petri confringam: ſed & Gregorium illinc Pontificem vinctum adduci curabo, ſicut Martinum Conſtantinus adduci juſſit . . . . Quod ſi nobis inſolenter inſultas, & minas intentas, non eſt nobis neceſſe tecum in certamen deſcendere: ad quatuor & viginti ſtadia recedet in regionem Campaniæ Romanus Pontifex: tum vade, ventos proſequere, &c. In altera epiſtola ita ſcribit: *Quemadmodum Pontifex introſpiciendi in palatium poteſtatem non habet, ac dignitates Regias deferendi; ſic neque Imperator in Eccleſias introſpiciendi, & electiones in Clero peragendi, nec conſecrandi. Sed unuſquiſque noſtrum in qua vocatione vocatus eſt a Deo, in ea maneat. Vides Imperator Pontificum, & Imperatorum diſcrimen: Si quiſpiam te offenderit, domum ejus publicas, & ſpolias . . . Pontifices non ita, ſed ubi peccavit quis, & confeſſus fuerit, amputationis loco evangelium, & crucem ejus cervicibus circumponunt . . . Perſequeris nos, ac tyrannice vexas militari, carnalique manu. Nos inermes, ac nudi, qui terrenos, & carnales exercitus non habemus, invocamus Principem exercitus omnis creaturæ ſedentem in cœlis Chriſtum, ut immittat tibi Dæmonem, ſicut ait Apoſtolus, tradere hujuſmodi ſatanæ in interitum carnis, & ſpiritus ſalvus ſiat.* Quicumque hæc Sancti Pontificis verba ſedulo animo ſcrutatus fuerit, agnoſcet facile, qualis in intimo ejus pectore ſententia inſideret, dum ſeſe potius exilio voluntario ſubeundo paratum demonſtrabat, ut deſævientis Principis iracundiam declinaret. Nihil amplius adjicio in re perſpicua, præſertim poſtquam adgnoſci etiam poſſit ſubſequentes Pontifices Gregorium III., & Zachariam & Leoni, & Filio ejus Conſtantino, velut Romanis Imperatoribus honorem detuliſſe, imo etiam eoſdem paterna fere charitate monuiſſe, ut exemplo ſuo ceteros imperio ſubjectos ad ſacrarum imaginum cultum allicerent, ac concitarent. Præterire autem non poſſum eximiam illam Romanorum Antiſtitum prudentiam, qua ipſi nonnullos de populo nonnihil adverſus Imperatoris majeſtatem molientes cohibuerint ab incœpto, ac tumultuantes animos coercere ſategerint, quando Imperator ipſe ſacrarum imaginum, ita dixerim, hoſtis in ſe piorum quorundam odia commovit. Refert id Paullus Diaconus in lib. 6. de geſtis Longobardorum, ibi: *Omnes Ravennæ exercitus, vel Venetiarum talibus juſſis* (nimirum Imperatoris, ſacras imagines coli prohibentis) *uno animo reſtiterunt, & niſi eos prohibuiſſet Pontifex, Imperatorem ſuper ſe conſtituere fuiſſent adgreſſi.* Similia fere enarrat Anaſtaſius Bibliothecarius ita ſcribens: *Juſſionibus miſſis decreverat Imperator, ut nulla imago cujuslibet Sancti haberetur. Reſpiciens ergo pius Vir* (Romanus nimirum Antiſtes) *profanam Principis juſſionem jam contra Imperatorem, quaſi contra hoſtem, ſe armavit, renuens hæreſim ejus, ſcribens ubique ſe cavere Chriſtianos, eo quod orta fuiſſet impietas talis. Igitur perinde omnes Pentapolenſes, atque Venetiarum exercitus contra Imperatoris juſſiones reſtiterunt, dicentes, nunquam ſe in ejus Pontificis condeſcendere nece, ſed pro ejus magis defenſione viriliter decertare, ita ut ſpernentes ordinationem ejus ſibi omnes ubique in Italia Duces elegerunt, atque ſic de Pontificis, deque ſua immunitate cuncti ſtudebant. Cognita vero Imperatoris nequitia, omnis Italia conſilium iniit, ut ſibi eligerent Imperatorem, & Conſtantinopolim ducerent: ſed compeſcuit tale conſilium Pontifex.* Et poſt pauca: *Cumque mitteret hominem proprium Romam cum ſcriptis ſuis, in quibus continebatur, ut Pontifex occideretur cum optimatibus, Roma agnita crudeliſſima inſania, protinus ipſum Patritium occidere voluerunt, niſi defenſio Pontificis nimia præpediſſet.* Demum inferius concludit. *His itaque ſe habentibus, elegit*

git majus præſidium Pater ille diſtribuere pauperibus largiſſima manu quæ reperiebat, incumbens orationibus, & jejuniis, & litaniis Deum quotidie deprecabatur, & ſpe ita monebat ſemper fultus pluſquam hominum. Blando omnes ſermone rogabat; ut in fide perſiſterent, ſed ne deſiſterent ab amore, vel fide Romani imperii admonebat. Sic cunctorum corda molliebat, & dolores continuos mitigabat. Hæc ſane apertiſſime demonſtrant, quantum Gregorius laboraverit, ut populum in officio erga Leonem contineret, tantum abeſt; quod Græci Scriptores aſſerere non dubitarunt, a rei veritate.

De Concilio Romano.

Jamvero apud Gratianum memoratur in primis Romanum Concilium, & quidem Provinciale duobus ſupra triginta convenientibus Epiſcopis celebratum, quod incidiſſe in annum 731. nonis Aprilis adjecti Conſtantini anni, & indictio facile demonſtrant, quamobrem Baronius illud ipſum olim Gregorio III. tributum jure optimo Gregorio II. potius tribuendum exiſtimavit, in annalibus ad annum 721. num. 1. Qui canones ibidem editi ſunt, omnes ad ſtabiliendam diſciplinam eccleſiaſticam pertinent. In canone 15. legimus Gratianeum canonem 23. diſt. 23. ibi: *Siquis in Clericis comam relaxaverit* (legunt alii *laxaverit*) *anathema ſit*. Vetus erat mos Clericorum, ut coma attonſa incederent, quod ſignificabat apud Gregorium Magnum, Clericos rerum temporalium curam ſuſcipere non debere: at cum temporibus Gregorii II. nova introduceretur conſuetudo, ſatius duxit Sanctus Pontifex comæ tonſuram ſtabilire lata lege, imo & gravi pœna anathematis indicta firmare. Cujus rei ratio ut magis magiſque perſpiciatur, animadvertendum eſt, Romanos veteres quoſcumque, laicos etiam, nudo pene capite, atque attonſo incedere conſueviſſe, feminis relicto capillorum ornatu, donec Longobardi in Italiam venere; ac quemadmodum illi barbaro loquendi more latini ſermonis elegantiam corruperunt, ita quoque ſuo veſtium, & totius exterioris corporis habitus ritu facile Romanos ipſos ad ſui imitationem traxere. Hæc plane immutatio exemplo barbararum gentium inducta Clericos dedecere videbatur; neque enim primi eſſe debebant, qui peregrinum habitum, ſingulari ſuæ gentis habitu ſpreto, inducerent, & novas in ornando corpore formas ſtudioſi reciperent. Accedebat his prudentiſſima ratio, nimirum cum tunc temporis Orientale Imperium ruere videbatur, ipſique Imperatores jam populi animum a ſe alienum quodammodo agnoſcerent, & ad Longobardorum potius Principes deflectentem, quicumque in veſtium, & exteriori corporis ornatu Longobardorum uſum ſequebatur, videri poterat Longobardos ipſos colere, eorumque dominatum exoptare. Hæc ſane omnia Clericos quammaxime dedecebant; eamque ob rem cavendum Gregorio fuit, ne recens conſuetudo a nonnullis Clericis inducta vires acciperet; imo exinde etiam factum eſt, ut ſucceſſores Pontifices Deceſſorum conſtitutionibus inhærentes ſimilia conſtituerint. Zacharias Papa in Concilio Romano anni 743. can. 8. ita ſanxit: *Siquis Clericus, aut Monachus comam laxare præſumſerit, anathema ſit*. Et Stephanus I., dum apud Francos maneret anno 754., variis conſultationibus Britannici Monaſterii reſpondens cap. 18. ita reſcripſit: *Ut nullus Clericus, aut Monachus comam relaxare præſumat, aut anathema ſit*.

Can. 23. diſt. 23.

Eadem

Con. 1. cau. 26. qu. 5. Eadem fere ratio fuit Gregorio II. definiendi in Romano Concilio, ne Arioliſ, Aruſpicibus, & Incantatoribus quidpiam indulgeretur, quia nimirum Longobardi ſuperſtitionibus dediti Chriſti fide abutebantur: Hinc in canone 12. ejuſdem Concilii, quem referre voluit Gratianus in can. 1. cau. 26. qu. 5.; ita conſtitutum legimus: *Siquis Ariolos, Aruſpices, Incantatores obſervaverit, aut phylacteriis uſus fuerit, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio: anathema ſit.* Interrogaret forte quiſpiam, quidnam nomine *phylacteriorum* intelligatur. Gloſſographi vulgo animadvertunt, fuiſſe chartulas quaſdam, quibus auguria deſcripta continebantur. Clarius S. Hieronymus id explicat in Matthæum cap. 23. his verbis: *Pittaciola illa Decalogi phylacteria vocabant, quod quicumque habuiſſet ea, quaſi ob cuſtodiam, & monumentum ſui haberet, &c. Hoc apud nos ſuperſtitioſæ mulierculæ in parvulis Evangeliis, & in Crucis ligno, & iſtiuſmodi rebus, quæ habent quidem zelum Dei, ſed non juxta ſcientiam uſque hodie factitant.* Itaque ex ſententia Hieronymi phylacteria erant pagellæ quædam breviſſimæ, in quibus vel Crucis figura, vel evangelica, aut divinæ legis veteris aliquot verba exprimerentur, quas ſuperſtitioſi homines ſuis undique membris intexta propemodum ferebant, rati ea ſe ratione quodcumque diſcrimen incolumes evaſuros. Quam inanem diſciplinam apud mulierculas in uſu olim fuiſſe temporibus Gregorii II. refert Bonifacius Epiſcopus Gregorio eidem contemporaneus, ita ſcribens in epiſtola ad Zachariam: *Dicunt quidam, ſe vidiſſe ibi* (ideſt Romæ) *mulieres pagano ritu phylacteria, & ligaturas in brachiis, & cruribus ligatas habere, & publice venales aliis offerre.*

Con. 5. cau. 36. qu. 2. Ad idem Romanum Concilium Gregorii II. pertinet canon 5. cau. 36. qu. 2., qui exigendus erit ad canones 10. & 11. ibidem conſtitutos. Verba canonis 10. hæc ſunt: *Siquis viduam rapuerit, vel furatus fuerit in uxorem cum ſibi conſentientibus* (legunt aliqui *vel conſentiens ei*) *anathema ſit.* Verba canonis 11. hæc ſunt: *Siquis virginem, quam ſibi non deſponſaverit, rapuerit, vel furatus fuerit in uxorem, vel conſentiens ei, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio: anathema ſit.* Paullo aliter hæc Romani Concilii ſententia relata eſt in Capitularibus Francorum libro 7. cap. 179. editionis Baluzianæ, ibi: *In Decretalibus Papæ Gregorii legitur . . . . Siquis viduam rapuerit, vel furatus fuerit in uxorem, vel conſentientes eis, anathema ſit: & reſponderunt omnes tertio, anathema ſit: Siquis virginem, niſi deſponſaverit eam, rapuerit, vel furatus fuerit in uxorem, vel conſentientes ei, anathema ſit: & reſponderunt omnes tertio, anathema ſit.* Horum canonum definitionem paucis perſtrinxit Gratianus in memorato canone 5.

De Epiſtolis ad Bonifacium.

Sine diſcrimine laudantur plura fragmenta apud Gratianum ſub nomine Gregorii III. ad Bonifacium, quorum aliqua Gregorio II. erant potius tribuenda. Uterque enim ſive Gregorius II., ſive Gregorius III. epiſtolis adjuvit Bonifacium apud Germanos pro Fide Chriſtiana conſiſtentem. Erratum animadvertit Sirmondus profluxiſſe ex nonnullis vetuſtis codicibus, in quibus antiqui Scriptores Gregorium I. appellabant *Gregorium Magnum*; Gregorium vero II. nullo prænomine adjecto *Gregorium* dixere, aut *a Primo ſecundum*; demum Gregorium III. vocaverunt *juniorem*, aut *a ſecundo juniorem*. Itaque diſtinguendæ plures epiſtolæ ſunt, atque unaquæque

ſuo

Digitized by Google

ſuo auctori tribuenda. Prima eſt epiſtola Gregorii II. ſcripta ad Bonifacium, quem Sanctus Pontifex, ut prænotatum eſt, in Germaniam Fidei Chriſtianæ promovendæ gratia miſerat. Incipit *Deſiderabilem mihi, &c.*, eandemque jure optimo Gregorio II. tribuendam eſſe demonſtrat ſubjecta temporis nota incidens in annum 726., quo Gregorius II. ſummum Pontificatum tenebat. Interrogaverat Bonifacius Gregorium de pluribus ſacræ diſciplinæ capitibus, poſtulans quid apud Germanas Gentes, aut una cum Fide recens inducendum eſſet, aut forte initio religionis propemodum naſcentis ex benignitate indulgendum. Singulis capitibus interrogationum reſpondit Gregorius: atque in cap. 1. ita ſcripſit: *In primis legebatur* (refertur id ad Bonifacii interrogationes) *in quota progenie propinquorum matrimonium copulatur? Dicimus, quod oportuerat quidem, quamdiu ſe cognoſcunt adfinitate propinquos, ad hujus copulæ non accedere ſocietatem. Sed quia temperantia magis, & præſertim in tam barbara gente, plus placet, quam diſtrictio cenſuræ, concedendum eſt, ut poſt quartam generationem jungantur.* Hæc adnotaſſe juvat, non quod hujus diſciplinæ monumentum retulerit in ſuum codicem Gratianus, ſed quod initio animadvertendum erat, quæ ſequuntur Gregorii reſcripta non ad arctiſſimas canonum leges eſſe compoſita, ſed potius ad benignitatem, atque indulgentiam ſingularem. Præterea juvabit hæc animadvertiſſe ex eo, quod auctor epiſtolæ ſub nomine Gregorii Magni ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum ſimilia quædam ſcripſerit; quaſi quæ de conjugiis poſt quartam generationem contrahendis permiſit Gregorius II. Germanis recens converſis ad Fidem, poſtulante Bonifacio, eadem, poſtulante Auguſtino, permiſerit Anglis Gregorius Magnus. Sed hæc jam ſuo loco memini me expendiſſe.

Progredior ad caput 2. Gregorianæ ejuſdem epiſtolæ ad Bonifacium, ex quo decerptus eſt canon 18. cau. 32. qu. 7. En verba Gregorii: *Nam quod propoſuiſti, quod ſi mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis?* (legerunt alii *conjugalis*) *Bonum eſſet, ſi ſic permaneret, ut abſtinentiæ vacaret. Sed quia hoc magnorum eſt, ille, qui ſe non poterit continere, nubat magis; non tamen ſubſidii opem ſubtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, & non deteſtabilis culpa excludit.* Ardua ſane mihi videtur hujus capitis interpretatio, ex quo infirmo alterutro ex conjugibus alteri indulgetur, ut novas ipſe nuptias contrahat, dummodo ſubſidii opem infirmo non ſubtrahat. Interpretes, ac Gloſſographi paſſim conati ſunt variis conjecturis ad germanam Eccleſiæ doctrinam Gregorii monumentum exigere, quorum alii non de conjugio jam celebrato, ſed de ſponſalibus prioribus diſſolvendis agi dixerunt; alii de matrimonio tantum rato, necdum conſummato, quod forte ex conjugis infirmitate conſummari nequiverit. Attamen, ut verum fatear, hæ interpretationes, aut his ſimiles vim faciunt Gregorii verbis. Non poſſum ego hac in re parcere Gratiano, qui nonnulla poſt deſcriptum hunc canonem ſubjecit, unde Pontifici Maximo non levis illata injuria videatur, ita ſcribens: *Illud Gregorii ſacris canonibus, imo evangelicæ, & apoſtolicæ doctrinæ penitus invenitur adverſum.* Audax ſane dicendi ratio, quam ſequi non dubitarunt plurimi ex Gloſſographis, qui ad memorata Gratiani verba animadvertentes, Gregorii II. dicta ex ſententia Leonis IV. eſſe recipienda, mandatum Leonis IV. non ad hoc Gregorii monumentum pertinere ſcripſerunt, ſed ad alia, in quibus Gregorius *bene dixit*, quaſi hac in re Gregorius lapſus fuiſſe proponatur. Non id eſt Interpretis, ac Gloſſographi obire munus, ſed potius irreligioſa manu in ſanctorum Pontificum reſponſa efferri; quod quidem eo improbius mihi eſſe exiſtimatur, quo clarius Gregorius

Can. 18. cau. 32. qu. 7.

Digitized by Google

in epiſtolæ exordio profeſſus fuerat, ſe non ſuo tantum, ſed & B. Petri Apoſtolorum Principis nomine reſpondiſſe, imo etiam Chriſti doctrinæ adhæſiſſe ibi: *Quædam ſubnexuiſti capitula, ſciſcitando, qualiter teneat, vel doceat hæc ſancta Apoſtolica Romana Eccleſia . . . conſulenti tibi de ſtatu Eccleſiæ non ex nobis quaſi ex nobis, ſed ejus gratia, qui aperit os mutorum, & linguas infantium facit diſertas, qualiter tenere debeas Apoſtolici vigoris doctrinam dicimus*. Sane ego exoptarem, ut vigeret adhuc epiſtola Bonifacii, qua Gregorium interrogaverat, ut ex eo clarior, atque commodior ex rerum propoſitarum adjunctis reſcripti interpretatio erueretur. At quoniam illa periit, conabor, quoad fieri poterit per me, ita Gregorii ſententiam exponere, ut nihil adverſus illam objici a quoquam poſſit, neque enim quidpiam ego magis in deliciis habeo, quam ſicut æquo adhibito criterio abjudicare a Summis Pontificibus, quotquot ipſis falſo tributa, ita & eximia diligentia, eoque quo par eſt, obſequio, quæ nonnullis ardua viſa ſunt illorum monumenta ad rectam prudentiam exacta demonſtrare; unde fiet, ut per me nihil niſi verum, nihil præterea niſi rectum Pontificibus Maximis adſcribatur.

Itaque altius repetere juvabit hujuſmodi rem, nimirum inveſtigandum arbitror, quonam ex jure in conjugiis definitum ſit, ut quis, ne in quibuſdam quidem cauſſis, non poſſit relicta conjuge ad aliam divertere. Agnoſco conjugiorum jura partim naturali ratione, partim divina, ut vocant, poſitiva, partim hominum lege conſtituta eſſe; leges autem hujuſmodi ab aliis alias diſtinguendas. Porro naturalis lex etſi univerſis animantibus indita, in homine tamen magis perpolita magiſterio rationis decus quoddam habet ſingulare, atque ornamentum. Hinc fit, ut animalia quæque vix in procreationem, ac perfectionem ſobolis incumbant; homini vero præter hæc honeſtiora quædam cuſtodienda immineant. Hinc ſi conjugia prout & hominibus, & brutis communia ſunt, dici merito poſſent *maris, & feminæ conjunctio ad ſobolis procreationem ordinata*, prout ſolos homines decent, dicentur potius *maris, & feminæ conjunctio ad ſobolis procreationem ordinata ſervatis regulis honeſtatis*. Hæc ſane eſt humani conjugii inſtitutio, quam non ſingularis alicujus gentis ærarja, aut tabulæ inciſam, inſculptamque præſeferunt, ſed quam in omnium mente operatione ſecreta creator indidit Deus. At vero ſicut in ceteris generalibus naturæ præceptis, ita & in iſto ſingularibus animadverſionibus illuſtrando, atque prout res incidit, accommodando homines non eandem ivere ſententiam. Quippe omnes quidem aſſeruerunt honeſtatem ſervandam in conjugiis eſſe, verum in quo ſita eſſet honeſtas communi ſuffragio definire nuſquam ſciverunt, aliter atque aliter regulas honeſtatis explicantibus populis ex infirmitate humani ingenii, quod tenebris offundere ſolent vel ipſa vitia, in quæ proni ſumus, vel ſuſcepta ab ipſamet infantia præjudicia longo ſucceſſionis ordine a parentibus derivata. Operoſum nimis eſſet ſingularum gentium mores percurrere, & per diverſa etiam tempora expatiari, ut judicemus, quinam fuerit ſenſus communis hominum in naturali honeſtate conjugiorum definienda. Paucis tamen attigero, legi apud ſcriptores non contemnendæ notæ, morem fuiſſe apud nonnullas Indorum gentes, Arabes, Perſas, Mauroſque, ac Babylonios, ut, quod alii nefas putabant, cum matribus filii pudendo amore commiſcerentur; legi itidem Ægiptiis fuiſſe ex Ptolomei lege ſororum conjugia permiſſa; legi apud Athenienſes fratres ſororeſque eiſdem parentibus genitos invicem inceſtis nuptiis detineri. De filiorum, ac parentum nuptiis teſtatur Ovidius in lib. 1. Metamorphoſeos, ſcribens gentes eſſe,

In

In quibus & nato genitrix, & nata parenti
Jungitur, & pietas geminato creſcit amore.

Apud Romanos ipſos, licet conſanguinitatis jura cuſtodirentur, non tamen rado habita eſt adfinitatis. Hinc Cæcilius Metellus non erubuit uxore defunčta ejus ſororem ſibi conjungere, Lucius Craſſus defunčti fratris uxorem, & Novercam Juliam Antoninus Caracalla, quæ ſane aut aliis gentibus, aut ipſis etiam Romanis aliis forte temporibus inhoneſta videri conjugia potuerunt. Quid memorem polygamiæ uſum apud plurimas gentes aliquando probatum? Quid turpitudinem illam, quam apud Trogloditas admiſſam ferunt, qui feminas viris nuper deſponſas primis nočtibus cognatis & adfinibus promiſcuis adulteriis polluendas tradebant, licet indičta dein ſub graviſſimis pœnis continentiæ conjugalis lege? Quid aliorum mores, qui ferarum ritu thori genialis expertes paſſim in venerem ruebant, filiumque editum ille ſibi addicebat eum, in quo ſuimet vultus quandam expreſſam imaginem deprehendiſſet? Sane quiſquis hæc omnia, atque his ſimilia apprime conſideraverit, facile agnoſcet, quam varia fuerit gentium adfečtio in definiendis regulis honeſtatis, quas natura ipſa in connubiis voluit cuſtodiendas; quod enim aliis honeſtum, turpe aliis, atque abominabile viſum eſt, quamquam omnes naturali ſe juri adhærere profeſſi fuerint.

Quid igitur in tam variis populorum moribus de naturali honeſtate judicandum ſupereſt? Aliquot in hac re præcavenda fore præjudicia reor: non enim defuerunt in primis, qui ſuo plus æquo fidentes arbitrio ſtatim honeſtati naturali repugnare prponunciarunt, quod ipſimet velut inhoneſtum ducerent. Improba ſane judicandi methodus: ſi enim unicuique de jure naturæ definire licet, prout ipſe cogitat, quid natura adeo inhoneſtum erit, quod videri non poſſit honeſtum alicui cogitanti? Hinc præterea illud ſequetur abſurdum, quo naturæ jura ſibimet ipſis contraria fiant; quod enim hic honeſtum, & naturæ conforme, fortaſſis inhoneſtum ille, & naturæ difforme pronunciabit. Sunt alii, qui ad jus divinum in ſacris literis exhibitum ſuſpiciunt; deinde quod eodem divino jure conſtitutum agnoſcunt, ſtatim ad jus naturale referunt; quaſi Deus in lege Moſi, aut Apoſtolis tradita nihil aliud, quam pura putaque naturalia jura, legeſque honeſtatis primigenias explicaverit. Pia fateor, ac religioſa eſt hæc judicandi norma, quam qui ſequitur nunquam recedet ab honeſtate: ſed plurimum vereor, ne exinde divini poſitivi, ut vocant, ac naturalis juris regulæ confundantur; contra quam ſuadeat legum earundem ratio; ſcimus enim Deum in hac ipſa connubiorum materie certas præſtituiſſe Judæis regulas, eaſdem autem non præſtituiſſe Chriſtianis. Mihi illud probatur, ſicut in ceteris, ita & in hac re tum demum præcepta quædam ad jus naturæ, ſive ad honeſtatis perpetuas regulas referenda eſſe, cum apud cultiores gentes recepta fuerint, ac probata, etenim cultiores ipſæ gentes ſervandis adamuſſim naturæ juribus ſtudioſiſſime incubuerunt, quas neque ſupina rerum cauſſarumque ignoratio, neque affečtuum pravitas, aut aſperitas a rečto tramite detorſit; & quamquam apud ipſas aliquando contigerit crimen aut ſcelus irrepere, vel illud peculiare fuiſſe nonnullorum, vel facile regentium auctoritate ac vigilantia emendatum deprehendetur.

His generaliter præjačtis, ut ad rem propoſitam veniam, & Gregorii II. reſcriptum interpreter, eo reducitur controverſia, cum uxore ægrotante, debitumque viro reddere non valente cauſſa perpetuæ infirmitatis potuiſſet maritus apud

Digitized by Google

Germanos ſibi aliam ſociare. En quæſtionem dirimendam non ex poſitivo divino Evangelii jure, ſed ſola naturali honeſtate inſpecta: ſiquidem de Germanis agebatur, qui recens convertebantur ad Chriſtianam Fidem, quorum propterea conjugia jampridem contracta ad puras putaſque naturalis honeſtatis leges referenda erant, non ad poſitiva Dei præcepta, quæ eo uſque apud illos ignorabantur. Quid ergo? Gregorio II. deliberandum erat, an ſepoſitis divinis inſtitutionibus diſſolvi in propoſita ſpecie matrimonium poſſet, novumque conjugium iniri, ſeu an diſſolutio conjugii in propoſita ſpecie naturali adverſaretur honeſtati? Quando vero demonſtrari poteſt, id naturæ principiis non adverſari ſepoſito Chriſti mandato, non arbitror a veritate aberraſſe Gregorium, cum reſpondit diſſolvi conjugium poſſe. Perſpectas ipſe habebat cultiorum gentium regulas. Quis enim ignorat, Græcos potiſſimum aut Romanos naturalis Philoſophiæ ſtudio incubuiſſe; & quemadmodum apud Græcos Philoſophi, ita apud Romanos Cenſores ita mores ad naturæ inſtituta formaſſe, ut nemo magis? Verum ſive Græci Philoſophi, ſive Romani Cenſores eam diſciplinam facile admiſerunt, ut certis in cauſſis conjugia diſſolverentur. Ex Græcis Philoſophis Socratem laudo, ex Romanis Cenſoribus Catonem, viros ſane graviſſimos, & juris naturalis peritia facile præſtantiſſimos. *Socratem*, ait Tertullianus in apologetico, *Apollo ſapientiſſimum hominem cecinit*; & rurſum idem Tertullianus: *Quis gravior, & ſapientior Catone?* Attamen & idem Tertullianus in apologetico refert tam Socratem, quam Catonem, dum ipſi conjugio cauſſa senectutis vacare non poſſent, amicorum juvenum opera uſos fuiſſe, ut liberos ſuſciperent. Refero ipſamet verba Tertulliani: *Omnia indiſcreta ſunt apud nos, præter uxores. In iſto ſolo conſortium ſolvimus, in quo ſolo ceteri homines conſortium exercent, qui non amicorum ſolummodo matrimonia uſurpant, ſed & ſua amicis patientiſſime ſubminiſtrant, ex illa credo majorum, & ſapientiſſimorum diſciplina Græci Socratis, & Romani Catonis, qui uxores ſuas amicis communicaverant, quas in matrimonium duxerant, liberorum cauſſa.* Idipſum demonſtrat S. Auguſtinus ad naturalis juris, ut patet, dogmata reſpiciens in libro 1. de ſermone Domini in monte cap. 16. ita ſcribens: *Rurſum quæritur, utrum ſi uxoris permiſſu ſive ſterilis, ſive quæ concubitum pati non vult, adhibuerit ſibi alteram vir non alienam, neque a viro ſejunctam, poſſit eſſe ſine crimine fornicationis? Et in hiſtoria quidem veteris teſtamenti invenitur exemplum. Sed nunc præcepta majora ſunt.* Poſt hæc refert, quandam mulierem liberandi mariti cauſſa diviti cuidam conſentiente ipſo marito fuiſſe conjunctam, ita deinde concludens: *Nihil hinc in aliquam partem diſputo, liceat cuique æſtimare quod velit: non enim de divinis auctoritatibus depromta hiſtoria eſt; ſed tamen narrato facto non ita reſpuit hoc ſenſus humanus, quod in illa muliere viro jubente commiſſum eſt, quemadmodum antea, cum ſine ullo exemplo res iſta poneretur, horruimus.*

In conſpectu hujus doctrinæ, quam & viri ſeveriſſimi, & Auguſtinus ipſe ad pura, putaque ſe referens juris naturalis principia non improbaverunt, quis in contrarium adferre poterit regulas honeſtatis generales? Aliud ſane poſitivis, ut vocant, & quidem divinis Evangelii legibus adjectum eſt, quibus ſicut matrimonium ad dignitatem Sacramenti evectum eſt, ita fuit adeo firmatum, ut individuam, ac prorſus inſeparabilem Chriſti cum Eccleſia unionem ſignificaret. At vero apud Germanos, de quorum conjugiis Gregorius agebat, tum primum Evangelii leges prædicari, & palam fieri omnibus cœperant ſub Bonifacio Epiſcopo. Hinc conjugia

paullo

Digitized by Google

paullo ante contracta non adeo indiſſolubilia haberi potuerunt, quemadmodum quæ deinceps in conſpectu Eccleſiæ contraherentur. Quid ſupereſt eam ob rem, quod apud Gregorium quiſquam improbare poſſit? Neque vero id fuit in Eccleſia novum, ut quoties de conjugiis ageretur, quæ Sacramenta non eſſent, præſertim de illis, quæ inter non Chriſtianos inita pridem fuiſſent, certis in factorum ſpeciebus, mitius quoquomodo ageretur, & nonnihil aut indulgeretur, aut relaxaretur. Exemplum illuſtre eſt apud Theodorum Cantuarienſem Virum in eccleſiaſtica diſciplina plane eruditiſſimum. Scilicet is cum Britannos recens ad fidem converſos inſtituiſſet, facultatem eiſdem fecit fornicationis vitandæ cauſſa, ut ſi uxor diu abſuiſſet, aut in captivitate detineretur, aliam ſibi uxorem ſociarent, ut patet ex ejuſdem Capitulis apud Petitum editis cap. 11. ibi: *Si mulier diſceſſerit a viro deſpiciens eum, & nolens reverti, & reconciliari viro, poſt quinque annos cum conſenſu Epiſcopi aliam accipere liceat uxorem: Si in captivitate per vim ducta redimi non poteſt, poſt annum alteram accipere. Item ſi in captivitate ductus fuerit vir ejus, quinque annos expectet, ſimiliter autem & mulier, ſi talia contigerint. Si igitur alteram duxerit uxorem, priorem de captivitate reverſam accipiat, poſteriorem dimittat, ſimiliter autem illa, ſicut ſuperius diximus, ſi talia contigerint, faciat. Si cujus uxorem hoſtis abſtulerit, & ipſe eam adipiſci non poteſt, licet aliam tollere; melius eſt ſic facere, quam fornicari, &c.* Non abſimilis ſententia recepta eſt in Capitulari Pippini Francorum Regis edito anno 752. ſub nomine Synodi Vermerienſis cap. 9. ibi: *Siquis neceſſitate inevitabili cogente in alium Ducatum, ſeu Provinciam fugerit, . . . & uxor ejus cum valet, aut poteſt amore parentum, aut rerum ſuarum eum ſequi noluerit, ipſa omni tempore, quamdiu vir ejus, quem ſecuta non fuit, vivit, ſemper innupta permaneat. Nam ille vir ejus, qui neceſſitate cogente in alium locum fugit, ſi nunquam in ſuam patriam ſe reverſurum ſperat, ſi ſe abſtinere non poteſt, aliam uxorem cum pœnitentia poteſt accipere.* Huc referendus erit canon 4. cau. 34. qu. 1. Itidem in eodem Vermerienſi conventu canone 5., quem laudaverunt Regino in lib. 2. de Eccleſ. diſcipl. cap. 118., & Burchardus lib. 6. cap. 41., cavetur, ut ſi mulier viro ad mortem inſidiata fuerit, vir poſſit *ipſam uxorem dimittere, & aliam accipere; ipſa autem inſidiatrix pœnitentiæ ſubacta abſque ſpe conjugii maneat.* Poſſet huc etiam referri, quod Paullus Apoſtolus ſcribit, nimirum ſi infidelis uxori etiam infideli conjunctus ad Fidem convertatur, poſſe illum aliam ducere, quoties infidelis uxor ſine Fidei periculo non cohabitet. Nonne hæc omnia perſpicue indicant, juſta de cauſſa diſſolvi aliquando potuiſſe conjugia, quæ juxta ſola juris naturalis præcepta contracta fuiſſent? Quæ ſi diſſoluta fuerunt auctoritate Apoſtoli, Theodori Cantuarienſis, & aliquot Conciliorum, quid novi, quæſo, Gregorius molitus eſt, ubi & ipſe diſſolvit matrimonia Germanorum, quæ ipſi adhuc Ethnica ſuperſtitione detenti olim celebraverant? Quod ſi quiſquam adhuc ſeverius hac in re agendum voluerit, atque crediderit Gregorium II. hac in ſpecie nonnihil indulſiſſe Germanis, non probando, laudandove, ſed potius permittendo, ne forte alias graviſſima mala emergerent; is ſane de Sancto Pontifice, ejuſdemque ſententia æquius, & convenientius diſſeret, quam diſſeruerit Gratianus, quaſi hac in parte Gregorius imitatus fuerit Moſem, dum veteribus Judæis libellum repudii uxori porrigi permiſit, quod & aliquando factum a Viris eccleſiaſticis refert Origenes in Commentario in Matthæum ita ſcribens: *Jam vero contra ſcripturæ legem mulieri vivente viro nubere quidam Eccleſiæ Rectores permiſerant, agentes contra id, quod ſcriptum eſt . . . . non omnino tamen ſine ratione; hæc enim contra*

legem

legem initio latam, & ſcriptam ad vitanda pejora alieno arbitrio morem gerentes eos permiſiſſe veroſimile eſt.

Redeo ad laudatam epiſtolam Gregorii II. cap. 3., in quo legimus verba canonis 5. cau. 2. qu. 5. Ibi autem diſciplina proponitur, quæ media ætate Eccleſiæ ubique vigebat, nimirum ut rei, qui delati fuiſſent in publicum, probationibus deficientibus ſeſe jurejurando purgarent. Gregorii verba hæc ſunt: *De Presbytero vero, ſi quilibet Sacerdos a populo fuerit accuſatus, ſi certi non fuerint teſtes, qui crimini illato adprobent veritatem, jusjurandum erit in medio, & illum teſtem proferat de innocentiæ ſuæ puritate, cui nuda, & aperta ſunt omnia, ſicque maneat in proprio gradu.*

Can. 5. cau. 2. qu. 5.

In capite 4. ejuſdem epiſtolæ legitur, quod ſub nomine Gregorii III. legitur apud Gratianum in can. 9. de conſ. diſt. 5. ibi: *Nam de homine, qui a Pontifice confirmatus fuerit, denuo illi talis reiteratio prohibenda eſt.* Nihil amplius heic adjicio de capite 7. hujus epiſtolæ, ad quod referendus eſt canon 2. cau. 20. qu. 1., iſtud enim jam ſuperius expendi, ubi agendum erat de capitibus Gregorii Magni, quod Gratianus tribuiſſet Gregorio Magno ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum reſcribenti.

Can. 9. de conſ. diſt. 5.

Progredior potius ad caput 9. ejuſdem epiſtolæ, ubi habentur verba canonis 110. de conſ. diſt. 4. ibi: *De parvulis vero, qui a parentibus ſubtracti ſunt, & an baptizati ſint, an non, ignorant, quia interrogaſti, hos ut baptizare debeas ſecundum Patrum traditionem, ſi non fuerit, qui teſtificetur, ratio poſcit.* Optima ſane, atque animarum ſaluti apprime utilis diſciplina; juvat enim potius de vi Sacramenti periculum facere, quam ſalutem parvulorum, de quorum baptiſmate dubitatur, in diſcrimen adducere, quum Sacramenta inſtituta divinitus ſint hominum cauſſa; eamque ob rem parum referre videtur, ubi de hominum ſalute agitur, Sacramenta ipſa in re dubia iterata forte vacua fieri, ac fruſtrari.

Can. 110. de conſ. diſt. 4.

Altera epiſtola eſt Gregorii Papæ ad eundem Bonifacium ſcripta, quæ jure optimo Gregorio III. erit tribuenda. In ea Maximus Pontifex profitetur, ſe pallium archiepiſcopale ad Bonifacium mittere, ex quo argumentum optimum eſt, quo oſtendatur ad Gregorium III. illam pertinere, quum auctor vitæ Bonifacii lib. 1. cap. 31., quemadmodum jam obſervavit Sirmondus, ſcripſerit a Gregorio III. pallium fuiſſe Bonifacio conceſſum. Ex hac ipſa epiſtola regulæ quædam editæ colliguntur de modo, & uſu pallii, itidem de juribus, quæ pallio cohærere videntur, ac præſertim de poteſtate novorum Epiſcopatuum inſtituendorum. His adjecit Gregorius nonnulla alia diſciplinæ eccleſiaſticæ capita, de quibus a Bonifacio fuerat interrogatus. Epiſtolæ inſcriptio hæc eſt: *Reverentiſſimo, ac Sanctiſſimo Fratri Bonifacio Coepiſcopo ad illuminationem Gentis Germaniæ, vel circumquaque in umbra mortis morantibus gentibus in errore conſtitutis ab hac Apoſtolica Sede directo Gregorius Servus Servorum Dei.* Gratulatur initio Sanctus Pontifex cum Bonifacio, quod plurimos ab Ethnicorum ſuperſtitionibus ad Chriſti Fidem convertiſſet, & veluti quoddam honeſtiſſimum optime exactæ prædicationis inſigne profitetur ſe pallium mittere, quo Bonifacius ornetur, & Archiepiſcopi nomine, ac dignitate potiatur. Poſt pauca ita proſequitur: *Quia vero turbas Domini gratia in iiſdem partibus ad rectam Fidem aſſeris eſſe converſas, ideoque nequire te occurrere omnibus, & quæ ſalutis ſunt, impendere, vel intimare, cum jam longe lateque gratia Chriſti ejus Fides in illis propagetur, præcipimus, ut juxta ſacrorum canonum ſtatuta, ubi multitudo excrevit fidelium, ex vigore Apoſtolicæ Sedis debeas ordinare Epiſcopos: pia tamen contemplatione,*

Can. 53. cau. 16. qu. 1.

Digitized by Google

platione, ut non vileſcat dignitas Epiſcopatus. Hæc verba relata ſunt in canonem 53. cau. 16. qu. 1., ex quo ſane dignoſcitur, quo jure facultas conceſſa fuerat Bonifacio novos Epiſcopatus erigendi: is nimirum Sedis Apoſtolicæ delegatum agebat in Germania, in qua nullæ adhuc diſtinctæ erant Eccleſiarum Provinciæ, nulli adhuc diviſi Epiſcopatus, imo nec inſtituti, eove minus deſignati, qui Metropolitarum munere fungerentur.

In capite primo ejuſdem epiſtolæ Bonifacii interrogationi reſpondens Gregorius ait: *Eoſdemque, quos a Paganis baptizatos eſſe aſſeruiſti, ſi ita habetur, ut denuo baptizes in nomine Sanctæ Trinitatis mandamus*. Hæc ſententia, quæ integra legitur in can. 52. de conſ. diſt. 4. occaſionem quibuſdam interpretibus præbuit dubitandi, num Gregorio probatum fuiſſet baptiſma ab Ethnico quocumque etiam ſervata Chriſti inſtitutoris formula collatum. Utinam de Bonifacii interrogatione conſtaret; tunc enim clarior reſcribentis Pontificis ſententia fieret. Nihilominus tamen, ubi Bonifacii interrogationum exemplaria hodie deſiderantur, ex conjecturis juvabit Gregorii ſententiam inveſtigare. Ego ſane non dubito, quin Gregorius idem non ſit de eo baptiſmate intelligendus, quod Paganus quiſquam contulerit, non ſervata eccleſiaſtica Sacramenti formula: ſiquidem ea ætate non deerant apud Ethnicos quidam Sacerdotes, qui baptiſmatis chriſtiani irridendi cauſſa ſimili quodam lavacro uterentur, eoque ritu baptizandi ſuos infantes Jovi dedicarent, concepta ad id tali formula, quæ chriſtianam formulam imitaretur, pro nomine ex cauſſa Dei Patris, nomen Jovis ſubſtituentes. Id videtur facile erui poſſe ex eadem Gregorii III. epiſtola cap. 4., ubi ita legitur: *Eos etiam, qui ſe dubitant eſſe baptizatos, vel qui a Presbytero Jovi mactante, & carnes immolatitias veſcente baptizati ſunt, ut rebaptizentur præcipimus*. Noſcimus præterea & Zachariam Pontificem, qui Gregorio III. ſucceſſit, ad Bonifacium eundem etiam de hujuſmodi re reſcripſiſſe, ac præcipue ſollicitum in eo fuiſſe, ut oſtenderet, Sanctiſſimæ Trinitatis invocationem neceſſariam eſſe in baptiſmate adminiſtrando, quemadmodum colligitur inter cetera ex canone 83. de conſecr. diſt. 4. Hinc vero deducitur Bonifacium in propoſita ſpecie dubitaſſe non de miniſtro, ſed potius de neceſſaria forma baptiſmatis. Imo de miniſtro ipſo dubitare minime poterat, cum ſciret baptiſmi virtutem totam ex divina inſtitutione, non ex qualitate miniſtri pendere, edoctus jam ex epiſtola Gregorii II. cap. 8. in illis verbis: *Enim vero quoſdam abſque interrogatione ſymboli ab adulteris, & indignis presbyteris faſſus es baptizatos. In his tua dilectio teneat antiquum morem Eccleſiæ, quia quiſquis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatus eſt, rebaptizari eum minime licet. Non enim in nomine baptizantis, ſed in nomine Trinitatis hujus gratiæ donum percipitur, & teneatur, quod Apoſtolus ait: Unus Deus, una Fides, unum Baptiſma*. Itaque Bonifacius de qualitate baptizantis jam antea edoctus a Gregorio II., videtur poſtulaviſſe a Gregorio III. de formula in baptizante neceſſaria; proindeque concludi recte poteſt, ideo a Gregorio III. reſpondente invalidum declaratum fuiſſe baptiſmum a Pagano collatum, non quod Paganus miniſter eſſet, ſed quod Paganus miniſter baptiſmi formulam in Sacramenti collatione corrupiſſet. Conferantur cum his, quæ dicentur inferius ad canonem 2. diſt. 68.

Can. 52. de conſ. diſt. 4.

Quod legimus in canone 21. cau. 13. qu. 2. referendum eſt ad hanc ipſam epiſtolam, ubi ita habetur in capite 3. *Pro obeuntibus quippe conſuluiſti, ſi liceat offerre: Sancta ſic tenet Eccleſia, ut quiſque pro ſuis mortuis vere Chriſtianis offerat oblationes, atque*

Can. 21. cau. 13. qu. 2.

atque eorum memoriam faciat Presbyter; & quamvis omnes peccatis ſubjaceamus, congruit tamen, ut Sacerdos nonniſi pro mortuis Catholicis memoriam faciat, & intercedat; non enim pro impiis, quamvis Chriſtiani fuerint, tale quid agere licebit.

Eſt demum alia Gregorii III. ad Bonifacium Moguntinum epiſtola, quæ incipit *Doctoris Gentium*, & data dicitur 4. *Kalendas Novembris, imperante Domino piiſſimo Auguſto Leone, imperii ejus anno* 23., *ſed & Conſtantino Magno Imperatore ejus filio anno* 20. *indictione* 8. Ibidem gratulatur rurſum Gregorius, quod Chriſtiana Fides mira in Germaniæ partibus recepiſſet incrementa, Carolo præſertim Francorum Principe juvante. Inter cetera deinde hæc ſubdit: *Quia indicaſti perrexiſſe te ad gentem Bajoariorum, & inveniſſe eos extra ordinem eccleſiaſticum viventes, dum Epiſcopos non habebant in Provincia, niſi unum nomine Viviló, quem nos ante tempus ordinavimus, & quia cum aſſenſu Otilonis Ducis eorundem Bajoariorum, ſeu Optimatum Provinciæ illius, tres alios ordinaſſes Epiſcopos, & in quatuor partes Provinciam illam diviſiſſes, ideſt in quatuor Parochias, ut unuſquiſque Epiſcopus ſuam habeat Parochiam, bene, & ſatis prudenter peregiſti, Frater, quoniam apoſtolicam præceptionem ex noſtra vice impleſti, & ſicut tibi præcipimus, ita peregiſti. Itaque non deſinas, Frater reverentiſſime, docendo eos ſanctam, catholicam, & apoſtolicam Romanæ Sedis traditionem, ut illuminentur rudes, & viam ſalutis teneant, per quam poſſint ad æterna præmia pervenire. Presbyteros vero, quos ibidem reperiſti, ſi incogniti fuerint viri, a quibus ſunt ordinati, & dubium eſt eos Epiſcopos fuiſſe, an non, qui eos ordinaverunt; ſi bonæ actionis, & catholici viri ſunt illi Presbyteri, & in miniſterio Chriſti, omnique lege ſancta edocti, atque apti ab Epiſcopo ſuo benedictionem Presbyteratus ſuſcipiant, & conſecrentur, & ſic miniſterio ſuo fungantur.* Poſteriora hæc verba retulit Gratianus in canonem 2. diſt. 68., quæ ſane erant cum præcedentibus conjungenda, ut perſpicua adpareret exinde Gregorii ſententia. Et quidem hæc apprime conveniebant & tempori, & loco, in quo degebat Bonifacius. Etenim Epiſcopi illic, ac tunc in ſuis ſedibus minime conſiſtebant, cum in populo recens ad Chriſti Fidem converſo nondum diſtributæ diœceſes eſſent, ſuiſque finibus ſingulæ circumſcriptæ, imo & Epiſcopi ipſi animo Fidei latius extendendæ per illas Provincias more ita dixerim apoſtolico vagabantur. Ne vero alias ſub nomine Epiſcoporum falſi prodirent Antiſtites, qui Sacerdotes, ac Presbyteros conſecrarent, caute conſulendum fuit, ubi ageretur de Presbyteris ordinatis ab iis, quorum epiſcopalis dignitas, aut auctoritas erat ignota, ut ipſi reordinarentur legitime, ſi nihil canonicum obſtitiſſet. Hinc in Concilio ejuſdem Bonifacii anno 742. celebrato canone 4. ita ſtatutum legimus: *Statuimus etiam, ut ſecundum canonicam cautelam omnes undequaque venientes ignotos Epiſcopos, vel Presbyteros ante probationem ſynodalem in eccleſiaſticum miniſterium non admitteremus.* Huc quoque protrahi poſſet conſtitutio Concilii Vermerienſis anno circiter 742., proindeque circa tempora Gregorii II. celebrati can. 14., ubi ita legitur: *Ut ab Epiſcopis ambulantibus per patrias ordinatio Presbyterorum non fiat, ſi autem boni ſunt illi Presbyteri, iterum conſecrentur.* Sic explicatus eſt Gratiani canon 2. diſt. 68. Non eſt tamen omittendum, quod ipſe Gregorius II. in eadem epiſtola perſequitur, utpote quod plurimum facere poteſt ad interpretationem illorum, quæ ſuperius tradidi ad canonem 52. de conſ. diſt. 4. Ait Gregorius: *Illi vero, qui baptizati ſunt per diverſitatem, & declinationem linguarum gentilitatis, tamen quia in nomine Trinitatis baptizati ſunt, oportet eos per manus impoſitionem, & ſacri Chriſmatis unctionem confirmari.* Hinc ſane deducitur, eos, qui ab Ethnicis ſunt baptizati, dummodo

Can. 2. diſt. 68.

modo in Sanctæ Trinitatis nomine baptizati fuiſſe dicantur, non jam rebaptizandos eſſe, ſed potius Sacramento confirmationis in Eccleſia recipiendos. Quæ cum ita ſint, ne Gregorium III. ſibimet ipſi adverſari dicamus, concludendum erit, Gregorium eundem in nuper memorato canone 52. de conſ. diſt. 4. non de alia ſpecie intelligi poſſe, quam de ea, in qua Pagani quidem Sacramentum baptiſmatis adminiſtraverint, ſed baptiſmatis ejuſdem formulam adminiſtrando corruperint, quemadmodum ſuperius tradebam.

CAPUT LXIX.

De Zacharia.

Auctor laudatur Zacharias ſubjectorum canonum apud Gratianum.

Ex Romano Concilio.	*Can.* 4. *diſt.* 93. *ex optimis codicibus emendandus.*
	Can. 3. *cau.* 21. *qu.* 4. *ex optimis codicibus emendandus.*
	Can. 14. *cau.* 26. *qu.* 7. *ex optimis codicibus emendandus.*
	Can. 57. *de conſ. diſt.* 1. *ex optimis codicibus emendandus.*
Ex aliquot Decretis.	*Can.* 2. *cau.* 29. *qu.* 2. *eſt potius Theodori Cantuarienſis, vel Egberti Eboracenſis.*
	Can. 23. *cau.* 32. *qu.* 7. *eſt potius Burchardi Wormacienſis.*
	Can. 4. *cau.* 35. *qu.* 5. *ad recentiora tempora referendus.*
Ex epiſtola ad Theodorum Epiſcopum Ticinenſem.	*Can.* 2. *cau.* 30. *qu.* 3. *Can.* 3. *cau.* 30. *qu.* 3. — *ſimul jungendi, atque ad diverſa edita exemplaria exigendi.*
Ex epiſtolis ad Bonifacium Epiſcopum Moguntinum.	*Can.* 5. *diſt.* 78. *ex integra epiſtola ſupplendus.*
	Can. 17. *cau.* 7. *qu.* 1. *ex epiſtolis Zachariæ ſupplendus.*
	Can. 105. *cau.* 11. *qu.* 3. *ex integra epiſtola ſupplendus.*
	Can. 83. *de conſ. diſt.* 4. *ex integra epiſtola ſupplendus.*
	Can. 86. *de conſ. diſt.* 4. *ex integra epiſtola ſupplendus.*

GRegorio III. in Romana Sede ſucceſſit Zacharias ſub finem anni 741., eandemque Sedem uſque ad annum 752. ſumma cum animi moderatione, rerumque agendarum prudentia tenuit. Plurima quidem ſunt monumenta, ex quibus egregia ipſius erga Eccleſiam merita indicari facile poſſent. Huc tantum refero, quæ apud Gratianum demonſtrantur.

Digitized by Google

De Concilio Romano.

Ad Concilium Romæ a Zacharia Pontifice celebratum convenerunt omnes Italiæ Epiſcopi de variis eccleſiaſticæ diſciplinæ capitibus regulas conſtituturi. Vulgo traditur celebrata hæc Synodus anno 743., etenim in ejus fine hæc leguntur: *Factum eſt hoc Concilium anno ſecundo* (legunt nonnulli *tertio*) *Artabasdi Imperatoris, nec non & Luithprandi Regis anno trigeſimoſecundo indictione duodecima.* Sive ex ſubſcriptione ita expreſſa, in qua & Imperatoris, & Longobardorum Regis anni una memorantur, ſive ex variis canonum conſtitutorum formulis, quibus & Romani, & Longobardi canonibus editis obnoxii ſcribuntur, facile conjicitur, tunc temporis Romanos fœdus iniviſſe in Italia cum Longobardis, quamquam tamen Orientali Imperatori adhuc adhærerent, non quidem Conſtantino Copronymo Iconoclaſtæ, quem ipſi etiam Conſtantinopolitani ejecerant, ſed Artabaſdo ſacrarum imaginum adverſus impios homines vindici, ac defenſori, qui aliquot annis in locum ejecti imperium tenuit. Quindecim canonibus, quæ diſcutienda fuerant, definivit Zacharias. In primo, & ſecundo cautum fuit, ne Epiſcopi, Presbyteri, vel Diaconi cum mulieribus habitarent, renovato hac in re

Can. 3. cau. 21. qu. 4. Synodi Nicænæ decreto. Tertius canon legitur apud Gratianum in can. 3. cau. 21. qu. 4. ita ex optimis codicibus emendando. *Ut Epiſcopus, Presbyter, & Diaconus ſæculari indumento minime utantur, niſi, ut condecet, tunica ſacerdotali, ſed nec dum ambulaverint in civitate, aut in via, aut in plateis ſine operimento præſumat ambulare, præter ſi in itinere longo ambulaverit. Quia ſicut mulier orans in Eccleſia non velato capite deturpat caput ſuum, juxta Apoſtoli vocem, ita Sacerdos ſine operimento deturpat ſuum Sacerdotium. Nam ſi temere præſumſerit contra ſtatuta agere, communione privetur, donec quæ ſtatuta ſunt adimplere maturet.* Videtur hoc in loco obviam itum fuiſſe aliquot Sacerdotum moribus, qui in exteriore corporis habitu dejecta Romana toga omnibus olim communi imitari voluerunt breviores Longobardorum veſtes, quemadmodum eadem ratione in canone 8. præceptum eſt, ne Clerici, aut Monachi comam laxarent, & in canone 13. ne Clerici Eccleſias cum baculis introirent.

In canone 4. ejuſdem Concilii ita legitur: *Ut juxta ſanctorum Patrum, & canonum ſtatuta omnes Epiſcopi, qui hujus Apoſtolicæ Sedis ordinationi ſubjacebunt, qui*

Can. 4. diſt. 93. *propinqui ſunt, annue idibus menſis Maji Sanctorum Principum Apoſtolorum Petri, & Paulli liminibus præſententur, omni occaſione ſepoſita. Qui vero de longinquo, juxta chirographum ſuum impleant. Nam qui hujus conſtitutionis contemtor extiterit, præter ſi ægritudine valida fuerit detentus, ſciat ſe canonibus ſubjacere.* Retulit hæc Gratianus in canone 4. diſt. 93. non tam Zachariæ, quam Anacleti Pontificum nomine. Sed jam ſuperius in cap. 2. de capitibus Anacleti animadvertere debui, falſo Anacleti nomen huic canoni adpoſitum fuiſſe. Porro cum in eodem canone ſtatutum ſit, Epiſcopos Apoſtolicæ Sedis ordinationi ſubjectos, ſcilicet eos, qui Romano Antiſtiti tanquam Metropolitæ etiam ſuberant, propinquiores ſaltem quotannis Romam convenire, idque *juxta ſanctorum Patrum, & canonum ſtatuta*, unuſquiſque facile intelliget, hæc ſpectare ad Provincialis Concilii celebrationem, quæ quotannis fieri ſolebat ex veterum canonum diſciplina, quam forte collapſam

ex

Digitized by Google

ex injuria temporum, ideo reſtaurandam Zacharias cenſuit, quod in Italia jungi tum facile Epiſcopi cœperant, ob junctos tunc temporis Romanorum animos, ac Longobardorum.

In ſequentibus Concilii canonibus quinto nimirum, ſexto, & ſeptimo de conjugiorum juribus nonnulla decreta ſunt, in octavo de Clericis aut Monachis comam laxantibus. Nonus canon ita exprimitur: *Ut nullus Kalendas Januarias, & broma colere præſumſerit, aut menſas cum dapibus in domibus præparare, ut per vicos, & plateas cantationes, & choros ducere, quod maxima iniquitas eſt coram Deo, anathema ſit.* Ex his emendandus erit canon 14. cau. 26. qu. 7. Jam ad hunc canonem illuſtrandum nonnulla tradidit Antonius Auguſtinus in lib. 2. dial. 1. de emend. Gratiani, ſcribens, in epiſtola Bonifacii Martyris ad Zachariam Pontificem legi, conqueri illum, quod dicerent Barbari ſe vidiſſe Romæ juxta Eccleſiam S. Petri Kalendis Januarii paganorum conſuetudine choros duci per plateas, & acclamationes, & cantiones ſacrilegas audiviſſe, & menſas illa die, vel nocte dapibus onerari, & alia fieri. Subjicit præterea nomine *broma* intelligi *brumalia* quædam, ſeu brumales ludos, quos Concilium Trullanum cap. 62. vetuerat. Incidere autem bruma ſolebant Saturnalibus diebus non longe a Kalendis Januariis. Tertullianus in libro de Idololatria hoc confirmare videtur cum de Brumæ honorario, & Kalendis Januariis, & Saturnalium celebratione agit. Huc uſque Antonius Auguſtinus. Qui in ſuperſtitioſis veterum Romanorum ritibus inveſtigandis ſtuduerunt bruma, ſeu brumalia invenerunt celebrata in Bacchi honorem bis in anno, ſeu menſe Februarii, ſeu menſe Auguſti. Quæcumque vero eſſet illius ſuperſtitionis ratio, & cauſſa, dubitandum nemini erit, quin jure optimo velut a Chriſtianis hominibus aliena vetita fuerint. *Can. 14. cau. 26. qu. 7.*

Ejuſdem Concilii canones 13., & 14. recenſuit Gratianus in canone 57. de conſ. diſt. 1., quem Macario, non Zachariæ vetuſti Gratiani codices adſcripſerant. En Concilii verba in can. 13. *Ut nullus Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus ad celebranda Miſſarum ſolemnia præſumat cum baculo introire, aut velato capite Altario Dei adſiſtere, quoniam & Apoſtolus prohibet viros velato capite orare in Eccleſia, & ſi temere præſumſerit, communione privetur.* Et in canone 14. *Ut Epiſcopus, aut Presbyter, dum ingreſſus fuerit ad Miſſarum ſolemnia celebranda, nullo modo audeat data oratione* (legunt alii *dicta oratione*) *recedere, ut ab alio Epiſcopo, aut Presbytero ſuppleantur Miſſarum ſolemnia: ſed qui initium ponit, ſuppleat uſque ad finem, quia ſcriptum eſt: qui perſeveraverit uſque in finem, ſalvus erit. Siquis vero præſumſerit præter quod poſuimus agere, a ſacro Corpore, & Sanguine Domini Noſtri Jeſu Chriſti ſit ſuſpenſus.* Ex his aliquot jure optimo emendari poterunt apud Gratianum. *Can. 57. de conſ. diſt. 1.*

De Decretis aliquot Zachariæ tributis.

Nonnulla ſunt apud Gratianum, quæ ſub Zachariæ Pontificis nomine vulgari potuerunt, quaſi ex aliquot ejuſdem editis decretis, quæ tamen vix Zachariæ eidem conveniunt. Hujuſmodi eſt in primis canon 2. cau. 29. qu. 2. Primus ejuſdem auctor eſſe videtur Theodorus Cantuarienſis, qui in Capitulis apud Petitum editis cap. 12. hæc definivit: *Siquis liber ancillam in matrimonio acceperit,* *Can. 2. cau. 29. qu. 2.*

Digitized by Google

non habet licentiam dimittere, ſi ante cum conſenſu amborum conjuncti ſunt. Eadem in ſuis Excerptionibus tradidit Egbertus Eboracenſis cap. 124. ibi: *Siquis liber ancillam aut ſuam, aut alterius in matrimonio acceperit, non habet licentiam dimittere eam, ſi ante cum conſenſu amborum conjuncti ſint: ſi vero dimiſerit eam, & aliam ducit uxorem, ſive ancillam, ſive liberam, ut ſupra ſcriptum eſt, pœniteat*. Ex his collector Capitularium Francorum in lib. 6. cap. 95. editionis Baluzianæ hanc ſententiam expreſſit, nullo adjecto auctoris nomine: *Siquis liber ancillam in matrimonium acceperit, non habet licentiam dimittere eam, ſi prius conſenſu amborum conjuncti ſunt*. Ex Capitularium libris eadem in ſuam collectionem tranſtulit Ivo in parte 8. cap. 53., & quidem ſub nomine Capitularium lib. 6. cap. 95. Gratianus, ſeu quicunque Gratiano auctor extitit, eo amplius progreſſus eſt, ut eam conſtitutionem Zachariæ Pontifici adſcriberet, deinde etiam illa verba adderet *excepta cauſſa fornicationis; ſed una lex deinceps erit per omnia & viro, & fœminæ*. Undenam Zachariæ nomen in inſcriptionem canonis tranſductum fuerit, certo definire non audeo. Dixero tamen, forte ex eo evenire illud potuiſſe, vel quod inter Zachariæ reſcripta, decretave plura contineantur ad jura conjugiorum ſpectantia, ex quibus ſi non eadem Gratianei canonis verba, ſimilis tamen ſententia facile deducatur; vel quod Gratianus, aut qui auctor Gratiano extitit, canonem forte derivans ex excerptionibus Egberti maluerit laudare Pontificem Romanum, qui Egberti ætate vivebat, qualis eſt Zacharias, quam Egbertum ipſum. Quæ vero apud Gratianum adjecta ſunt, ad gloſſemata potius attinent in textum tranſducta, & ex Eccleſiaſticis Scriptoribus ab ipſis Gloſſæ auctoribus accepta; nihil enim magis vulgare erat apud Eccleſiaſticos Interpretes, ubi definiebatur conjugia non poſſe diſſolvi, quam cauſſam fornicationis excipere juxta ipſammet Evangelii doctrinam. Imo quod ſubjecerunt, eandem eſſe legem & viris, & fœminis, potuerunt illud excerpere ex aliis Capitularium Francorum monumentis. Sic in Capitularibus Pippini Regis editis in Conventu Compendienſi anno 757. cap. 5. hæc habentur: *Si fœmina ingenua accepit ſervum, & ſciebat tunc, quod ſervus erat, habeat interim quo vivit. Una lex eſt de viris, & fœminis*.

Can. 23. cau. 32. qu. 7. Verba canonis 23. cauſ. 32. qu. 7., quæ ſub nomine Pontificis Zachariæ laudantur, cum epiſtolarem ſtilum non exhibeant, fruſtra Zachariæ epiſtolis tribuerentur. Potius videntur excerpta ex Pœnitentialibus libris, qui in ſingulis Diœceſibus velut exemplaria indicendarum pœnitentiarum Presbyteris Sacramentum adminiſtrantibus ſequenda proponebantur. Revera in Pœnitentiali, quem pro Eccleſia ſua Wormacienſi Burchardus edidit lib. 19. eadem verba leguntur, ibi: *Concubuiſti cum ſorore uxoris tuæ? Si feciſti, neutram habeas: & ſi illa, quæ uxor tua fuit, conſcia ſceleris non fuit, ſi ſe continere non vult, nubat in Domino, cui velit. Tu autem, & adultera ſine ſpe conjugii permaneatis, & quamdiu vivatis, juxta præcepta Sacerdotis pœnitentiam agite*. Erant hæc inſtituta Diœceſis Wormacienſis, quæ etiamſi Burchardus ab initio viſus fuerit laudaſſe nomine Romani Pœnitentialis initio libri 19., tamen videtur ex collatione aliorum Pœnitentialium, qui Romanæ Eccleſiæ adſcribuntur, normam potius ſecutus fuiſſe Pœnitentialis Romani, quam verba, ac formulas tranſduxiſſe. Qui vero eas Burchardi leges in alios Codices derivavit, adſcripſit nomen Zachariæ Pontificis, non tamen prorſus injuria; licet enim ea verba apud Zachariam Pontificem non habeantur, nonnihil tamen ſimile legimus in ejuſdem Pontificis monumentis. Laudo hoc in

loco

Digitized by Google

loco vel Romanum Zachariæ Concilium, in quo ſtatutum generaliter eſt in can. 9., ne quis aut de propria, aut de uxoris cognatione ſibi aliquam jungat; vel Zachariæ capitula ad Pippinum Majorem-domus, itemque ad Epiſcopos, Abbates, & Proceres Francorum miſſa, in quibus hæc exhibentur cap. 22. *De his, quæ duobus fratribus nupſerunt, vel qui duas ſorores acceperint, in Concilio Neocæſarienſi cap. 11. continetur: Mulier ſi duobus fratribus nupſerit, abjiciatur uſque ad mortem. Verumtamen in exitu propter miſericordiam, ſi promiſerit, quod facta incolumis bujus conjunctionis vincula diſſolvat, fructum pœnitentiæ conſequatur. Quod ſi defecerit mulier, aut vir in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita permanenti.* Hæ, ut arbitror, cauſſæ fuerunt, cur aut Gratianus, aut qui Gratiano auctor extitit, ſelegerit potius Zachariæ Pontificis, quam Burchardi nomen in eo canone referendo, ut Wormacienſis Epiſcopi ſententiam, quam ſententiis Zachariæ plurimum conformem agnoverat, Romani Antiſtitis nomine decoraret.

Quod contigit in canone 3. cauſ. 35. qu. 5., quemadmodum ſuperius ſuo loco expendebam, idipſum evenit in canone 4. ejuſdem cauſſæ ac quæſtionis, cujus auctor Gratianeam ipſam ætatem fere attigiſſe videtur, atque nonnulla de graduum computatione ad conferendos invicem conſanguineos, vel adfines ſcribens, nihil antiquius habuit, quam ut ſuas ſententias ſanctiſſimis nominibus inſcriberet illorum Pontificum Maximorum, qui nonnulla de prohibendis intra certos conſanguinitatis, vel adfinitatis gradus nuptiis conſtituerant, Gregorii nimirum ſive II., ſive III., ac Zachariæ. Id jam per ſe ipſa exhibere viderentur duo illa Gratiani fragmenta, ſcilicet canon 3. & 4., quorum licet prior Gregorio, poſterior Zachariæ tribuatur, uterque tamen uno eodemque orationis ſpiritu ita nectuntur, ut uni eidemque auctori merito tribui, ac facile debeant. Revera celeberrima ſuborta fuit quæſtio de modo computandorum graduum temporibus Alexandri II., quod vel unus canon 2. cau. 35. qu. 5., aperte demonſtrat, contendentibus aliis eam in matrimoniis computationem recipi, quam recipiendam in hereditatum delatione jus Romanum civile præſtituerat, aliis e converſo aliter judicantibus, quorum opinionem memoratus Alexander II. epiſtola edita confirmavit. Et quamquam Pontifex hic Maximus in ſua Decretali Prædeceſſorum ſuorum inſtituta inveſtigaverit, quæ ſequeretur, atque inter cetera Gregorii nomen laudaverit; non tamen de fragmentis Gregorii, & Zachariæ, quæ in memoratis canonibus 3. & 4. legimus, mentionem ullam fecit, quam ſane feciſſet, quoties in Romanæ Eccleſiæ Scriniis cuſtodirentur, cum mirum in modum inſervire propoſito potuiſſent. Imo ſi apertiſſima aut Gregorii, aut Zachariæ Pontificum decreta jam edita tum fuiſſent, quis crederet definitæ jam controverſiæ locum potuiſſe relinqui, quæ temporibus Alexandri II. rurſum excitaretur? Id magis, magiſque confirmatur ex canone 1. Concilii Meldenſis nono Eccleſiæ ſæculo, ac propterea poſt Gregorii II., & III. ac Zachariæ tempora celebrati, ibi: *De adfinitate conſanguinitatis per gradus cognationis placuit uſque ad ſeptimam generationem obſervare. Nam & hereditas rerum per legales inſtrumentorum definitiones ſancita uſque ad ſeptimum gradum protendit heredum ſucceſſionem. Non enim ſuccederent, niſi eis de propagine cognationis deberetur.* Hæc Meldenſium Patrum ſententia nullo conſiſtere modo poſſet, quoties ea ætate jam recepta fuiſſet diverſa computandi ratio in matrimoniis celebrandis, ab ea, quæ in hereditatibus legitimis deferendis cuſtodiretur; qui enim fieri poterat, ut præſtituerent,

Con. 4. cau. 35. qu. 5.

ideo

ideo ad ſeptimam uſque generationem matrimonia prohiberi, quod ad ſeptimum uſque gradum protenderetur ſucceſſio heredum, niſi æqua tum in matrimoniis jure Eccleſiaſtico, tum in hereditatibus jure Romanarum civili fieret computatio?

De Epiſtola ad Theodorum Epiſcopum Ticinenſem.

Can. 2. & 3. cau. 30. qu. 3. Epiſtolam Zachariæ ad Theodorum Epiſcopum Ticinenſem integram edidit Baluzius ex veteri codice MS. Bibliothecæ Regiæ, ut ipſe profitetur in appendice actorum veterum adjecta ſuis adnotationibus ad Reginonem Prumienſem. Integram epiſtolam hoc loco deſcribam; ad eam enim exigendi ſunt canones 2. & 3. cau. 30. qu. 3. *Zacharias Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Reverentiſſimo, & Sanctiſſimo Fratri Theodoro Epiſcopo Eccleſiæ Ticinenſis. Pittacium, quod nobis tua Reverenda Fraternitas obtulit, per quod nos ſciſcitari curaſti, ſi liceat Filium, cujus pater alterius filiam ex ſacro Baptiſmate ſuſceptam, ideſt ſpiritualem ejuſdem patris filiam, quod dici crudele eſt, in matrimonio accipere, quod apud te enormiter aſſeruiſti contigiſſe. Sed bene tua Sancta Fraternitas compertum habet, quod Dominus Moyſi præcepit dicens: Turpitudinem patris tui non revelabis, turpitudinem matris tuæ non revelabis; turpitudinem ſororis tuæ, & turpitudinem filiæ patris tui non revelabis. Turpitudo enim tua eſt. Turpitudinem enim revelari dicitur, dum a propria conſanguinitate præcipimur abſtinere. Multo magis a ſpirituali patris noſtri filia omni occaſione, aut argumento ſuppoſito ſub nimia diſtrictione nos cavere convenit, ne in iram divini examinis incidat, ſiquis tali facinori mixtus minime reſtrinxerit fræna luxuriæ. Unde & omnes cavendi omnino ſunt talis ſceleris commixtione, ne in æternum pereant. Sed hos, qui hujus pernicioſæ temeritatis, animæ ſuæ ſalutem deſpicientes, impio ſe miſcuere matrimonio, per omnia tua Fraternitas ſtudeat ſeparare, & pœnitentiæ dignæ ſubmittere; quatenus ab æterna eruti damnatione animas eorum lucreris, præſtante Domino. De filiis autem, qui ex eis nati eſſe probantur, retuliſti, ſi liceat eos conjugio copulari. Sed hi cur prohibeantur a conjugio, aut pro hujuſmodi pœnitentiam agere compellantur, dum ex hoc abſque condemnatione eſſe perhibentur, quia non pater pro filio, neque filius pro patre ſuſtinebit tormenta, dicente Domino per Prophetam: Anima patris eſt mea, & anima filii eſt mea. Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur. Sed &, Frater cariſſime, de his dixiſſe ſufficiat. Cave autem, ne aliter agere ſubjectis concedas, ne a recto tramite inveniaris deviare.* Integram hanc epiſtolam eiſdem propemodum verbis retulit Ivo Carnotenſis in parte 1. Decreti cap. 307. Sed multo aliter refertur in recentiore editione Labbeana Veneta tom. 8. pag. 267. ibi: *Pittatium, quod nobis tua veneranda fraternitas obtulit, per quod nos ſciſcitari ſtuduiſti, ſi licet filium, cujus pater alterius filiam ex ſacri Fonte Baptiſmatis habet ſuſceptam, ideſt ſpiritualem ejuſdem patris filium, quod dici crudele eſt, in matrimonium ſuſcipere liceat, quod apud te enormiter aſſeruiſti contigiſſe. Sed bene tua ſancta Fraternitas compertum habet, quod Dominus per Moyſen præcipit dicens: Turpitudinem patris tui non revelabis, turpitudinem ſororis tuæ non revelabis... Filia enim prius his eſt. Turpitudo enim patris tui, & turpitudo ſororis tuæ turpitudo tua*

Digitized by Google

tua eſt. Turpitudinem enim non revelare dicitur, dum a propria conſanguinitate præcipit abſtinere omni occaſione, aut argumento ſepoſito ſub nimia diſtrictione. nos cavere convenit, ne in iram divini hominis incidamus. Siquis tali facinore mixtus minime reſtrinxerit venam luxuriæ, duriſſime reſtringi cogatur. Unde & omnes omnino cavendæ ſunt talis ſceleris commixtiones, ne in æternum pereant. Sed & eum, qui ejus perniciosæ temeritatis auctor animæ ſuæ ſalutem deſpiciens impiiſſimo ſeſe miſcuit matrimonio, per omnia Fraternitas tua ſtudeat ſeparare, & pœnitentiæ dignæ ſubmittere. Quatenus ab æterna erutas damnatione animas eorum lucretis, ipſo præſtante Domino Deo, & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto. Aliud exemplar ejuſdem epiſtolæ edidit cum adnotationibus Manſius in ſupplemento Labbeano, illud inter cetera animadvertens, epiſtolam hanc celebrem fuiſſe apud veteres, utpote ad quam Nicolaus I. provocaverit ſive in reſponſione ad Bulgaros, ſive in epiſtola ad Carolum Moguntinum. Ex his autem exemplaribus quod cui præferendum ſit, non eſt facile judicare, ad quæ referendi ſane erunt memorati Gratianei canones ſecundus, & tertius; & quamquam tertius nomine Zachariæ ſimul, & Deuſdedit Pontificum deſcribatur, non dubito tamen, quin contineat eandem ſententiam, quæ habetur in canone ſecundo, quam Gratianus ideo bis deſcribendam voluit, quia paullo aliter expreſſam in diverſis exemplaribus invenerat. Ceterum ejuſdem epiſtolæ ſententia, cum Zachariæ temporibus congruere videatur, non erit rejicienda, quaſi Zachariæ monumentum eſſe non poſſit, contra quam nonnulli ſenſerunt. Etenim jam recepta erant temporibus Zachariæ cognationis ſpiritualis jura, de quibus ſermo fit in his monumentis. Jampridem Juſtinianus Imperator declaraverat in l. 26. cod. de nuptiis, neminem poſſe eam uxorem ducere, quam a ſacroſancto Baptiſmate ſuſcepiſſet, adjecta ratione, *cum nihil aliud ſic inducere poteſt paternam affectionem, & juſtam nuptiarum prohibitionem, quam hujuſmodi nexus, per quem Deo mediante animæ eorum copulatæ ſunt.* Inſtar adoptionis eſſe videbatur ſuſceptio Baptiſmatis cauſſa, qua fieret, ut qui baptizatum ſuſcipiebat, velut ejus Pater haberetur, unde etiam *Patrini* nomen derivatum eſt. Quod ſi adoptionis civile vinculum inter adoptantem, atque adoptatam matrimonium celebrari non patiebatur, æquiſſima extitit ratio, cur ſuſceptor a conjugio ſuſceptæ repelleretur. De filio ſuſcipientis nihil ſpecialiter Juſtinianus, neque Eccleſiæ vetuſti Patres conſtituerant, quamquam ex adoptionis ſimilitudine eadem inter filios, quæ in parente, diſciplina ſervanda eſſe videretur. Primus, quoad noverim, Rex Rotharis ſæculo Eccleſiæ ſeptimo legem tulit, quæ eſt 5. tit. 8. lib. 2. Legum Longobardarum, decrevitque non ſolum, ut nemo aut commatrem ſuam uxorem duceret, aut filiam, quam de ſacro Fonte ſuſceperit, ſed etiam ne filius ſuſcipientis ſuſceptam uxorem haberet, adjecta ratione, *quia ſpirituales germani eſſe noſcuntur*. Quæ cum ita ſint, jure optimo potuit Zacharias receptam ſui temporis diſciplinam ita promovere, ut ad eam cuſtodiendam Theodorum Ticinenſem Epiſcopum hortaretur. Et quidem Cœleſtinus III. in 2. Collectione Decretalium cap. 3. de cognatione ſpirituali uſus eſt hac Zachariæ epiſtola excepta, ut arbitror, ex memorato Gratiani canone 3., ita reſcribens: *Quidam quandam mulierem in uxorem accepit, cujus pater ipſum, dum eſſet puer, de ſacro Fonte ante levaverat, qui ambo conjuges 30. annis pariter ſine quæſtione manſerunt, & filios procrearunt, licet a 15. annis eorum conſcientia læſa fuiſſet. Poſtmodum vero contra hujuſmodi conjunctionem accuſatione in jure propoſita, facta eſt fides Eccleſiæ per teſtes omni exceptione majores, ipſum virum mu-*

mulieris a patre ejus, cum qua contraxerat, de Baptiſmatis unda fuiſſe ſublatum. Ad hoc autem cum Zacharias, & Deuſdedit Romani Pontifices talem copulam decreverunt ſeparandam, utpote ubi cognatio ſpiritualis minime eſſe dubitatur, maxime inter eos, per quos compaternitas contrahitur, per quam in Lege Divina germani eſſe dicuntur, licet tanto tempore ſibi invicem cohabitaverint; quia tamen diuturnitas temporis non minuit peccata, ſed auget, & ſpecialiter lite mota ſuper hoc marte proprio decurrente Eccleſia contractum illum eſſe cognovit, illicitum dicimus matrimonium illud fore ſecundum inſtituta canonica dirimendum; monendus eſt tamen uterque, ut in neceſſariis provideat alteri juxta vires; prolem autem ſuſceptam ante ſeparationem hujuſmodi, ſi aliud non obſiſtat, legitimam eſſe cenſemus. Hinc etiam, quæ conſtituta fuerant in Concilio Moguntino anno 813., in quo ita legitur can. 55. *Nullus igitur proprium filium, vel filiam de Fonte Baptiſmatis ſuſcipiat, nec filiolum, nec commatrem ducat uxorem, nec illam, cujus filium, aut filiam ad confirmationem duxerit; Ubi autem factum fuerit, ſeparentur*, Fulbertus Carnotenſis, uti Harduinus ad eundem canonem teſtatus eſt, in epiſt. 33. laudavit ex Concilio Leptinenſi ſub Zacharia Papa, & ſub Principe Carolo Magno celebrato.

De Epiſtolis ad Bonifacium Epiſcopum Moguntinum.

Eximiam Sanctitatis pene Apoſtolicæ famam Zachariæ Pontificis temporibus meritus eſt Bonifacius Martyr nuncupatus: Fuit is, ut ſcribit Bellarminus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, *natione Anglus, Archiepiſcopus Moguntinus, vixit temporibus Gregorii II. & III. & Zachariæ Pontificum Romanorum, & obiit anno 755., ſcripſit epiſtolas multas, quæ extant.* Fuerat ipſe Pontificibus Maximis valde familiaris, atque addictiſſimus ab juventute; hinc anno 719. adhuc Presbyter miſſus eſt in Auſtrales Germaniæ partes legatione functurus Apoſtolicæ Sedis ad eas gentes ſuperſtitioſo adhuc Idolorum cultui deditas ad Chriſtianam Fidem adducendas, unde vulgo Apoſtolus Germanorum audivit. Eo Legati munere lubentiſſime ſuſcepto propagandæ fidei ſtudioſiſſimus fuit, ne vero ſupremas ſibi in Evangelico munere obeundo partes vindicaret, identidem Romam commeabat, præſtitaque jurisjurandi religioſa fide, ſe perpetuo Apoſtolicæ Sedi ſubditum futurum pollicitus eſt. Anno 723. promiſit Gregorio II. *fidem, puritatem, atque concurſum Petro, & utilitatibus Eccleſiæ Romanæ, cui a Domino Deo poteſtas ligandi, ſolvendique data eſt, & ejus Vicario, atque Succeſſoribus ejus per omnia exhibere.* Integra hujus jurisjurandi formula habetur in Bibliotheca Sanctorum Patrum inter epiſtolas Bonifacii poſt epiſtolam 117. Ad hoc jusjurandum ſeſe referens Bonifacius idem in epiſt. 135. ad Zachariam Pontificem ita ſcribit: *Poſtquam me ante annos prope triginta ſub familiaritate, atque ſervitio Apoſtolicæ Sedis annuente, & jubente venerandæ memoriæ Antiſtite Gregorio Anteriore* (intellige Gregorium II.) *voto conſtrinxi, quidquid mihi lætitiæ, vel triſtitiæ accideret, Apoſtolico Pontifici ſolebam indicare.* Deinde Epiſcopus effectus ſub Gregorio III. circa annum 731. eidem Papæ pollicitus eſt, *ſe omnem debitam obedientiam redditurum*, atque anno 732. in ſingularis benevolentiæ monumentum ab eodem Gregorio III. inſigne pallii

obti-

obtinuit. Annno 741. Zachariæ Pontifici ſacramentum renovans promiſit, *ſe ſervum, ſubditum, & diſcipulum, quantoſcumque obedientes, vel diſcipulos donaverit Deus ad obedientiam Apoſtolicæ Sedis invitare, atque inclinare non ceſſaturum.* Imo & Zachariæ Pontifici adeo obnoxium ſe profeſſus eſt, ut nihil, nec ipſam etiam levioris negotii diſciplinam definiendam non ab eodem Pontifice exquireret, atque expectaret. Id abunde probant ea Zachariæ verba, quæ habentur in ipſius epiſtola quæ incipit *Benedictus Deus* ad Bonifacium ſcripta, ibi: *Nam & hoc inquiſiſti poſt quantum temporis debet lardum comedi. Nobis a Patribus conſtitutum pro hoc non eſt. Tibi autem petenti conſilium præbemus, quod non oporteat illud mandi, priuſquam fumo ſiccetur, aut igne coquatur; ſi vero libet ut incoctum manducetur, poſt Paſchalem feſtivitatem erit manducandum.* Anno demum 752. Stephano III. Papæ promiſit, *ſe Sedi Romanæ ſerviendo ſervum fidelem, & devotum permanſurum.* Hæc omnia ideo paullo fuſius exhibenda cenſui, ut exinde liqueret, quam arcto vinculo additus eſſet Apoſtolicæ Sedi Bonifacius vir eccleſiaſticarum rerum ſtudioſiſſimus, moribus ſimpliciſſimus, atque integerrimus vitæ, cujus deſiderium optimum illud erat, ut Sacerdotes aureis plane moribus diſtinguerentur, quemadmodum deducitur ex Concilio Triburienſi in canone 44. diſt. 1. de conſecrat. Quando vero Bonifacius primum Epiſcopus ordinatus eſt, non ſtatim ſingulari, ut mos ceterorum erat, & eſt etiam in præſentia, fuit addictus Eccleſiæ, ſed in generalem ad apoſtolicam formam Eccleſiæ utilitatem fuit Epiſcopus conſecratus; verum deinde Moguntinæ Eccleſiæ ſingulari jure præfectus eſt, ſemper tamen Romani Pontificis legatione fungens in rebus eccleſiaſticis adminiſtrandis apud Germanos. Hinc cum evangelicæ prædicationis munus obiret quamlibentiſſime, ut nova in dies Catholicæ fidei incrementa curaret, annuentibus illis quorum intererat, Lullum ſibi in Moguntina Eccleſia ſucceſſorem conſtituit, ipſeque Epiſcopatum Trajectenſem ad Rhenum obtinuit, qua in Provincia commodior ipſi offerri occaſio poterat gentes alias ad fidem Catholicam convertendi. Quo in munere diutiſſime elaborans, in novis fidelibus baptizandis frequentiſſime occupatus, iiſdemque ſacro Chriſmate confirmandis, clarus meritis martyrii palma illuſtris deceſſit ab iis ipſis ſubdole interfectus, qui recens ab ipſo ſacro baptiſmate ablui poſtulaverant.

Ad hunc Bonifacium in Germania Epiſcopum, & Legatum plures habentur a Zacharia Pontifice ſcriptæ epiſtolæ. Ad epiſtolam 1. Zachariæ pertinet canon 17. cau. 7. qu. 1. Obtinuerat Bonifacius a Prædeceſſore Pontifice Maximo, ut ſibi vivens eligeret Apoſtolici miniſterii, & Epiſcopatus ſucceſſorem. Veritus tamen ne Principi grata electio fieret, petiit a Zacharia, quid ſibi agendum foret. En verba Bonifacii: *Venerandæ memoriæ Prædeceſſor veſter, ſicut audiſtis, in præſentia veſtra mihi præcepit, ut Presbyterum poſt obitum meum, Deo volente, in eccleſiaſtico miniſterio heredem, & ſucceſſorem conſtituere deberem. Et hoc mihi, ſi Dei voluntas eſt, placet; ſed modo dubito, & neſcio ſi fieri poſſit, quia poſtea frater illius avunculum Ducis Francorum occidit, & adhuc ignoramus, qualiter iſta diſcordia pacificari, & finiri valeat. Obſecro itaque, ut auctoritatis veſtræ licentia ſit, ut cum conſilio ſervorum Dei de iſta electione faciam, quod nobis in commune pro Deo, & pro utilitate Eccleſiæ, vel fructu ſpirituali, & defenſione Religionis optimum eſſe videatur, ut conſenſum veſtrum habeam de hoc facere, quod optimum eſſe videatur, & mihi inſpirare dignetur Deus, quia hoc non videtur poſſe fieri, ſi contrarius Princeps fuerit.* Hæc le-

Can. 17. cau. 7. qu. 1.

Digitized by Google

leguntur in epiſtola Bonifacii ad Zachariam, quæ incipit: *Confitemur Domine Pater*, cap. 4. Porro Zacharias in ſuo reſcripto quod incipit *Suſceptis* ita reſpondit cap. 4. *De eo autem, quod tibi ſucceſſorem conſtitui velle dixiſti, ut te vivente in loco tuo eligatur Epiſcopus, hoc nulla ratione concedi patimur; quia contra omnem eccleſiaſticam regulam, vel inſtituta Patrum eſſe monſtratur. Sed volumus, ut tibi miniſtret, & ſit in Evangelio Chriſti adjutor, dicente Apoſtolo: ſiquis bene miniſtraverit, bonum ſibi gradum adquiret. Nimis enim reprehenſibile eſſe manifeſtum eſt, ut te vivente tibi alium ſubſtituamus. Sed hoc commonemus, ut quamdiu te divina juſſerit clementia ſupereſſe, ſine intermiſſione ores, ut tibi Deus illum ſucceſſorem concedat, qui ei poſſit eſſe placabilis; & populum, quem ad ſuam gratiam per tuæ ſanctitatis induſtriam vocare voluit, irreprehenſibiliter regere valeat, atque ad viam vitæ elaboret perducere. Nam quomodo hæc, quæ popoſciſti, ſi & voluerimus* (legunt aliqui: *ſi etiam voluerimus*) *concedere poſſumus, dum nos fragiles homines exiſtentes, & ſub conditione mortis conſtituti ignorantes quid ſuperventura dies pariat non valeamus inveſtigare, quis de nobis prior de præſenti ſæculo migret? Sin autem & eundem divina voluerit clementia poſt tui diem tranſitus ſupereſſe, ſi eum aptum eſſe cognoveris, & in tua voluntate fuerit definitum, ea hora, qua te de præſenti ſæculo migraturum cognoveris, præſentibus cunctis tibi ſucceſſorem deſigna, ut huc veniat ordinandus. Hoc nulli alii concedi patimur, quod tibi caritate cogente largiri cenſuimus.* Rurſum vero poſt annos quinque de eadem re in epiſtola, quæ incipit *Sacris liminibus* prope finem ita reſcripſit ſanctiſſimus Pontifex: *Petiſti autem, ut cum noſtro conſultu ſuperveniente tibi ſenectute, & plena dierum ætate, atque imbecillitate corporis, ſi invenire potueris alium, in eandem ſedem, in qua præes, pro tui perſona debeas collocare. Tu vero, cariſſime, legatus, & miſſus es, ut fuiſti, Sedis Apoſtolicæ, nos vero adjutore Deo conſilium præbemus tuæ reverendæ ſanctitati, ut pro ſalute animarum rationabilium factore Chriſto, ſedem, quam obtines, ſanctæ Moguntinæ Eccleſiæ nequaquam relinquas, ut impleatur Dominicum in te præceptum: Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit: ſin vero, ſi Dominus dederit juxta tuam petitionem hominem perfectum, qui poſſit ſollicitudinem habere, & curam pro ſalute animarum, pro tui perſona illum ordinabis Epiſcopum, eritque in Evangelio tibi credito, & miniſterio Chriſti portando in omni loco requirens, & confortans Eccleſiam Dei.* Ex his emendandus erit, atque ex ordine deſcribendus memoratus Gratiani canon 17. cau. 7. qu. 1., in quo ſiquid ſingulare, & forte etiam contra generales canonum regulas indultum adparet, adcommodari facile poteſt & temporum, & locorum, & cauſarum adjunctis, in quibus Bonifacius verſabatur. Præterquamquod enim agebatur potius de Vicariatu Apoſtolicæ Sedis, quam de Epiſcopatu, ac propterea agebatur de eo jure, quod de Prælato adhuc vivente in alium transferri facilius poterat, illud eſt obſervatione dignum, quod Bonifacius ſucceſſorem a ſe ſibi eligi poſtulaverat ſingularibus plane de cauſſis, vel quod ipſe alio ad evangelicam prædicationem acciebatur, quemadmodum eventus demonſtravit, vel quod inter gentes recens ad fidem converſas ſucceſſoris electio poſt mortem Bonifacii dilata ſchiſmati, & ſeditioni obnoxia eſſe potuiſſet, forte etiam utilitati eccleſiaſticæ adverſari.

Can. 86. de conſ. diſt. 4. Alia eſt Zachariæ Pontificis epiſtola ad Bonifacium numero ſexta, & ſcripta anno 744., ex qua depromtus eſt canon 86. de conſ. diſt. 4. En integram Pontificis ejuſdem epiſtolam: *Virgilius, & Sidonius religioſi viri apud Bajoariorum*

Pre-

Provinciam degentes ſuis apud nos literis uſi ſunt, per quas intimaverunt, quod tua Reverenda Fraternitas eis injungeret Chriſtianos denuo baptizare. Quod audientes nimis fuimus conturbati, & in admirationem quandam incidimus, ſi habetur, ut dictum eſt. Retulerunt quippe, quod fuerit in eadem Provincia ſacerdos, qui latinam linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret, neſciens latini eloquii infringens linguam diceret: baptizo te in nomine Patria, Filia, & Spiritu Sancta; ac per hoc tua Reverenda Fraternitas conſideravit rebaptizare. Sed ſanctiſſime Frater, ſi ille qui baptizavit non errorem introducens, aut hæreſim, ſed pro ſola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, ut ſupra fati ſumus, baptizans dixiſſet, non poſſumus conſentire, ut denuo baptizentur; quia, quod tua bene compertum habet ſancta Fraternitas, quicumque baptizatus fuerit ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti nullo modo debet rebaptizari, ſed per ſolam manus impoſitionem purgari. Nam ſanctiſſime Frater, ſi ita eſt, ut nobis relatum eſt, non amplius a te illis prædicentur hujuſmodi, ſed, ut Patres ſancti docent, & prædicant, tua ſanctitas ſtudeat conſervare. Deus te incolumem cuſtodiat, reverentiſſime Frater. Integra hæc Zachariæ epiſtola perſpicuam reddit ejuſdem Pontificis ſententiam, quæ ceteroqui prout apud Gratianum jacet nonnullis aliquando videri aſperior potuit in ea parte, qua ſcribitur baptiſmum validum eſſe, ſi ille qui baptizavit *non errorem introducens, aut hæreſim* formulam pronunciaſſet, quaſi viſus fuerit Zacharias dixiſſe baptiſma ab Hæretico collatum irritari. Non erat hæc ſancti Pontificis mens, qui aliud manifeſte declaravit in eadem epiſtola prope finem in verbis nuper exhibitis; tantum voluit explicare, quandonam corrupta Sacramenti formula diceretur, unde invalidum baptiſma declarari merito poſſet. Sed & hoc in loco præjudicatam quorundam opinionem notare juvabit, qui ex hac eadem epiſtola nonnihil detractum putant nomini Bonifacii, quaſi ſanctus Epiſcopus indoctos, rudeſque admodum Sacerdotes baptiſmati adminiſtrando impares in ſuis Eccleſiis præfeciſſet. Quicumque vero obſervaverit diligentiſſime & ipſum Bonifacium Sacerdotum plurium illius ætatis luxiſſe imperitiam, eoſque appellare conſueviſſe *Sacerdotes ligneos aureis utentes calicibus*, uti legitur in can. 44. de conſ. diſt. 1., quicumque præterea obſervaverit agi de Germaniarum Provinciis tum agreſtibus & incultis, in Chriſtiana autem Fide, ſacriſque myſteriis recens initiatis; quicumque demum obſervaverit illo tempore non tam latinæ linguæ cultores ſtudioſiſſimos, quam vernaculæ, & prædicando Chriſti Evangelio magis accommodæ ſeligi a Bonifacio debuiſſe Sacerdotes, quorum opera res eccleſiaſticæ meliora in dies acciperent incrementa, facile Bonifacium Antiſtitem religioſiſſimum excuſabit.

Jam ſuperius ad canonem 17. cau. 7. qu. 1. mentio facienda fuit de epiſtola Zachariæ ad Bonifacium, quæ incipit *Sacris liminibus* data anno 748. eſtque numero 10. Ex illa præterea depromtus eſt canon 83. de conſ. diſt. 4. *Can. 83. de conſ. diſt. 4.* Romam venerat Burchardus quidam Wirteburgenſis Epiſcopus, & Pontifici Maximo egregia Bonifacii geſta enarraverat, unaque nonnulla obtulerat capitula, de quibus Bonifacius Sedem Apoſtolicam interrogabat. Propoſitis quæſtionibus Zacharias reſcripſit per hanc epiſtolam, cujus initio hæc habentur: *Primum capitulum pro Synodo Provinciæ, in qua natus, & nutritus es, quam in gentem Anglorum, & Saxonum in Britannia inſula primi prædicatores ab Apoſtolica Sede miſſi, Auguſtinus, Laurentius, Juſtus, & Honorius, & noviſſime tuis temporibus Theodorus ex Græco Latinus, ante Philoſophus, & Athenis eruditus, Romæ ordinatus, pallio ſublimatus,*

ad præfatam Britanniam tranſmiſſus judicabat, & gubernabat. In illa tale decretum, & judicium firmiſſime præceptum, & diligenter demonſtratum eſſe dignoſcitur, ut quicumque ſine invocatione Trinitatis lotus fuiſſet, Sacramentum regenerationis non haberet. Quod omnino verum eſt, quia ſi merſus in fonte baptiſmatis quis fuit, ſine invocatione Trinitatis, perfectus non eſt, niſi fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatus. De illo autem, quod per quoſdam adfirmari ſcripſiſti, ut ſi Evangelicis quis verbis, invocata Trinitate, juxta regulam a Domino poſitam, quicumque merſus eſſet in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quod Sacramentum ſine dubio haberet, & ita fortiter verbis Evangelicis fuiſſet conſecratum baptiſma, ut quamvis ſceleratiſſimus quiſque Hæreticus, vel ſchiſmaticus, aut latro, aut fur, ſive adulter, hoc homini petenti miniſtraret, tamen Chriſti eſſet baptiſma verbis Evangelicis conſecratum; & e contra licet miniſter juſtus fuerit, ſi Trinitatem juxta regulam a Domino poſitam in lavacro non dixiſſet, verum baptiſma non eſſet, quod dedit. De illis itaque immundis, & incertis viris hæreticis, atque ſchiſmaticis, qui in nomine Trinitatis petentes baptizant, ſed & de his, qui ſine invocatione Trinitatis mergunt in fonte baptiſmatis, fraternitati tuæ notum eſt, quid de illis ſacrorum canonum ſeries continet, quod & tenere te firmiter hortamur; ſcriptum quippe eſt, dicente Domino: ſancti eſtote, quoniam & ego ſanctus ſum. Quod ſuſcepiſti, frater, a Prædeceſſore noſtro ſanctæ recordationis Gregorio, hujus Apoſtolicæ Sedis Pontifice, in eo permane, & ab evangelica, & apoſtolica, ſeu ſanctorum Patrum tradita doctrina nullo modo declines; ſed indutus loricam fidei, & galeam ſalutis, viriliter contra nequitiam diabolicæ fraudis apoſtolicam præſentando vicem reſiſte. Scriptum namque eſt: ecce dedi faciem tuam potentem adverſus faciem eorum, & conſtantiam tuam confortabo adverſus contentiones eorum, & erit fortior petra conſtantia tua. Pro ſacrilegis itaque Presbyteris, ut ſcripſiſti, qui tauros, & hircos Diis Paganorum immolabant, manducantes ſacrificia mortuorum, habentes & pollutum miniſterium, ipſique adulteri eſſe inventi ſunt, & defuncti; modo vero incognitum eſſe, utrum baptizantes Trinitatem dixiſſent, an non; & timent illi, qui vivi ſunt, quod in tali miniſterio non ſint baptizati, quibus reſpondens juſſiſti omnes baptizare. Hoc quoque obſervaſſe in dicta Synodo Sacerdotes, ut qui vel unam de Trinitate Perſonam in baptiſmo non nominaret, illud baptiſma verum eſſe non poſſet, quod pro certo verum eſt, quia qui unam ex ſancta Trinitate confeſſus non fuerit, perfectus Chriſtianus eſſe non poteſt. Qui enim confitetur Patrem, & Filium, ſi confeſſus non fuerit Spiritum Sanctum, nec Patrem habet, nec Filium; & qui confeſſus fuerit Patrem, & Spiritum Sanctum, & Filium non fuerit confeſſus, nec Patrem habet, nec Spiritum Sanctum, ſed vacuus eſt a gratia divina. Ex his plane ſupplendus, emendanduſque erit Gratiani canon, in quo plurima deſiderantur, ex quibus præterea liquet, quæ mens potiſſimum, & Bonifacii fuerit, & Zachariæ, nimirum uterque probandum voluit, confirmandumque, quod olim in Anglorum Eccleſia de ſacra conferendi baptiſmatis formula, ac miniſtro conſtitutum fuerat.

Ex epiſtola numero 12. apud Labbeum, quæ incipit *Benedictus Deus* duo de-
Can. 105. cau. 11. qu. 3. & Can. 5. diſt. 78. promta ſunt Gratiani fragmenta, videlicet canon 105. cau. 11. qu. 3., & can. 5. diſt. 78. Gratulatus initio Zacharias, quod Bonifacius res eccleſiaſticas in prædicatione Fidei ex propoſito gereret, majoraque in dies precatus incrementa, ſtatim hæc ſubjicit: *Suggeſſit itaque ſancta fraternitas tua in ſuis apicibus, quod Prædeceſſor noſter beatæ memoriæ Gregorius hujus ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Præſul, dum*

ed

ad prædicandum verbum Evangelii tuam miſiſſet fraternitatem in Germaniæ partibus, & gentibus illis paganis, ab eo te eſſe commonitum, ita ut Orthodoxos Epiſcopos, Presbyteros, vel quoſcumque reperire potuiſſes in verbo exhortationis perfectos, amplius confirmares, & eis communicares, quod & factum eſt; ſiquos vero ſeductores Epiſcopos, aut pſeudopresbyteros, vel quoſcumque a recto fidei tramite deviantes reperiſſes, nulla tibi cum eis eſſet communio, quod te Deo ſolatiante uſque ad præſens ſpiritaliter ſervaſſe confeſſus es; vel ſi omnino propter principalem, & humanum favorem gentis Francorum, dum ad eos acceſſiſſes, corporaliter abſtinere non voluiſti, cogente neceſſitate eccleſiarum Dei, attamen in eorum concilio, & conſenſu communionis anima tua non eſt coinquinata. Itaque propter hoc, quod cum eis converſatus es, non conſentiens iniquitati eorum, nullum tibi eſt detrimentum coram Deo. Te enim predicante ſi obedirent, ſalvi eſſent; ſin autem in iniquitate ſua permanerent, ipſi perirent: tu autem, juxta Prophetæ dictum, ſalvaſti animam tuam. Hic ſane eſt canon 105. cau. 11. qu. 3., in quo animadvertendum erit non improbari Bonifacii Epiſcopi æconomiam, qui aliquando cum improbis hominibus converſari debuit, ut quæcumque occaſio offerretur, convertendi gentes ad germanam Chriſti fidem, ea facilius arriperetur. Poſt nonnulla reſponſa Zachariæ variis interrogationibus accomodata, hæc in eadem epiſtola ſubſequuntur. *Inquiſiſti etiam & hoc, ſi ante triceſimum annum liceat Sacerdotem ordinari. Bonum, & congruum eſt, cariſſime frater, ſi fieri, & inveniri poteſt, ut provectæ ætatis, & boni teſtimonii viri juxta ſacrorum canonum inſtituta ordinentur Sacerdotes. Si autem minime reperiuntur, & neceſſitas expoſcit, a vigintiquinque annis, & ſupra Levitæ, & Sacerdotes ordinentur, quemadmodum in lege Domini continetur.* Huc referendus eſt memoratus canon 5. diſt. 78., unde etiam colligitur, quibus ex cauſſis nonnihil ex eccleſiaſtica diſciplina remiſſum fuerit apud eas gentes, quas recens Chriſtiana fides Deo, Eccleſiæque ſubjecerat.

A P P E N D I X.

De aliquibus Bonifacii Epiſcopi, & Martyris monumentis.

Ex epiſt. ad Zachariam Papam.	*Can.* 104. *cau.* 11. *qu.* 3. *jungendus cum can.* 105. *cau.* 11. *qu.* 3.
Ex epiſtola ad Echeldobaldum Anglorum Regem.	*Can.* 10. *diſt.* 56. *paullo varius in diverſis codicibus.*
Adjicitur	*Can.* 6. *diſt.* 40. *incertæ admodum fidei, atque auctoritatis.*

Commode huc referenda cenſui poſt Zachariæ Pontificis epiſtolas nonnulla Bonifacii Epiſcopi, & Martyris monumenta; ut enim hoc in loco ejuſdem Bonifacii

niſacii mentio habenda fuit, quemadmodum etiam epiſtolarum Zachariæ ad Boniſacium, opportunum viſum eſt pauca ſubjicere, quæ ad Boniſacium pertinent in codice Gratianeo. Et quidem commodius ceteris agendum hic eſt de canone 104. cau. 11. qu. 3., utpote qui depromtus eſt ex epiſtola Bonifacii ad Zachariam, qui etiam conjungi debet cum canone 105. ejuſdem cauſſæ, & quæſtionis.
Can. 104. cau. 11. qu. 3. Habetur ille in epiſtola per Lullum Presbyterum miſſa, quæ incipit *Paternæ pietatis*, ubi tamen pro illis Gratiani verbis: *Adſtipulator fierem, & adjutor quod cum divina gratia adimplere ſtudui . . . & implere non potui; ſed ſpiritualiter implevi Sacramentum, &c.*, ita legitur: *Adſtipulator, & adjutor fierem; hoc autem cum divina gratia adimplere ſtudui . . . & implere non potui. Spiritaliter implevi Sacramentum, &c.* Hæc ſi junxeris omnia, liquebit, qua cautela voluerit Gregorius, Boniſacium inter gentes Evangelium prædicaturum vivere ac converſari, qua etiam ratione Bonifacius jusjurandum Gregorio præſtitum implendum crediderit.

Alia eſt ejuſdem Bonifacii epiſtola ad Regem Anglorum Ethibaldum, legunt
Can. 10. diſt. 56. alii Hiltribaldum, alii Echeldobaldum, alii Accheldobaldum, cum hac inſcriptione: *Domino chariſſimo, & in Chriſti amore ceteris Regibus præferendo inclyta Anglorum imperii ſceptra gubernanti Ethibaldo Regi Bonifacius Archiepiſcopus Legatus Germanicus Romanæ Eccleſiæ, &c.* Hinc exceptus eſt Gratiani canon 10. diſt. 56., quem ad manuſcriptum codicem Romani Correctores exegerunt, & Antonius Auguſtinus in lib. 2. Dial. 3. de emend. Grat. cum Thomaſiano codice contulit, ita ſubdens: *In verbis non magna, varietas eſt: pro illis* improperium nobis objicitur, *illic eſt*, improperium eſt, *& pro* nec bello, nec in bello, *pro* Hiſpaniæ, & Provinciæ, *omiſſa voce*, &, Hiſpaniæ Provinciæ. *Sic autem fortaſſe non Galliæ pars, quæ Provincia dicitur, accipietur. Pro illis* vindex talium, *illic eſt* judex omnipotens talium. *A. ego* vindex omnipotens talium *ſcriberem. B. Denique pro illis* per ignorantes legem Dei, ideſt per Sarracenos, *ſcriptum eſt*, per ignorantiam legis Dei, & per Sarracenos. *A. Quid apud Ivonem ſit, videamus. C. Ivo* improperium eſt *habet, &* nec in bello. *Retinet tamen* & Provinciæ, *atque voce* vindex *ſive vocibus* judex omnipotens *caret. Ad extremum habet* per ignorantiam legis Dei per Sarracenos. *A. Capitularia conferamus. C. Contuli.* Et Provinciæ *ſolum habent, cetera ut in ipſa Bonifacii epiſtola.* Hodie hæc epiſtola edita eſt inter cetera Bonifacii ejuſdem monumenta; præcipuus autem ſcribentis ſcopus is erat: gratulabatur in primis cum ipſomet Rege, quod pluribus optimis geſtis Regium animum exornaret; deinde mitiore ſtilo enarrabat ſe accepiſſe, quod tamen falſum ſuſpicabatur, illum ſine juſta legitimaque conjuge, vaga quadam libidine in plurimas rapi conſueviſſe, quo enarrato exponebat, quam turpe illud eſſet, atque inhoneſtum, potiſſimum ubi ageretur de Principe, cujus mores facile ceteri imitarentur. Ex his plane intelligitur integra memorati Gratianei canonis ſententia.

Supereſt adhuc canon 6. diſt. 40., quem *ex dictis Bonifacii Martyris* depromtum
Can. 6. diſt. 40. adſeruit Gratianus; paullo aliter Ivo Carnotenſis in cap. 23. partis 5. *Ex geſtis Bonifacii Martyris Legati Romanæ Eccleſiæ.* At vero ſive geſta, ſive dicta hujuſmodi Bonifacii nullibi reperiuntur, quemadmodum ſe non reperiſſe ſuis temporibus teſtatus eſt Antonius Auguſtinus ceteroqui ſolertiſſimus rerum eccleſiaſticarum veterum inveſtigator, in lib. 2. de emendat. Gratian. Dial. 3. Romani Correctores Naucleri teſtimonium produxerunt, ut illum canonem Bonifacio

cio

Digitized by Google

cio jure quodam adſcriberent. Non video tamen, quid in hac re valere poſſit teſtimonium Naucleri, qui ſæculo demum quintodecimo ſcripſit a Bonifacii temporibus valde remotus. Potiore jure iidem Correctores laudaverunt Deuſdedit Cardinalem; nondum tamen talis, tantaque eſt ejuſdem Collectoris auctoritas, ut rem extra omnem controverſiam collocet, cum Deuſdedit poſt duo, & amplius a Bonifacio ſæcula ſcripſerit. Ego ſane laudandam interea cenſeo Romanorum Correctorum ſolertiam, qui Collectorem illum indicaverunt, nimirum Deuſdedit Cardinalem, quem non Gratianus tantum ſequutus fuerat, ſed & Ivo Carnotenſis; unaque definiviſſe viſi ſunt non omnino certam eſſe hujus canonis auctoritatem, quotieſcumque ipſa canonis auctoritas ad fidem, auctoritatemque Collectionis Deuſdedit exigatur. Ut enim omittam, Collectionem hanc non omni ex parte probatiſſimam apud omnes perpetuo extitiſſe, dicam tantummodo, plurima in eam Collectionem effluxiſſe ex mercibus Iſidorianis, atque, quod ad rem præſentem pertinet, ſufficiet conferre eundem canonem 6. diſt. 40. cum canone 8. cau. 2. qu. 7., ut exinde dignoſcatur, quanta adfinitas ſit inter hunc canonem Bonifacio tributum, & epiſtolam Pſeudo-Clementis. Non ignoro Martinum Lutherum inter articulos ex Codice canonum excerptos, quibus adſerebat illum deteſtabilibus fragmentis eſſe repletum, ac propterea perdendum, caput hoc publice propoſuiſſe octavo articulo, ut ceteros ſuæ opinionis ſectatores, fervidam præſertim juventutem adverſus canonum doctrinam concitaret, quemadmodum demonſtravit Vittembergenſis exitus anno 1520. die 7. Decembris, quo Codex canonum igni traditus fuit. Sunt tamen hæc animi nimio, & ultra æquitatem æſtuantis deliramenta; non enim integra rerum geſtarum volumina ideo perdi neceſſe eſt, quod in iis aliqua idemtidem inveniantur a veritate aliena. Quamquam vero germana nulla ſuperſint hujus canonis veſtigia apud veteres, aut forte etiam videatur ipſe ex Mercatoris epiſtolis decerptus, quid, amabo, erat, unde homo hæreticus in Codicem canonum adeo acriter declamaret? Ego non video, cur inveroſimile admodum ſit, Bonifacium apud Germanos Epiſcopum hanc, aut ſimilem pronunciaſſe ſententiam, cujus pronunciandæ ſi occaſionem veroſimilem quæras, ego facile indicabo. Conſtat ex epiſtola Bonifacii ad Zachariam relata apud Baronium ad annum 741. n. 27., Bonifacium eundem retuliſſe, ſe audire a *carnalibus* quibuſdam hominibus, Bajoariis, Alemannis, vel Francis juxta Romanam Urbem quædam fieri ſuperſtitioſa, præſertim Kalendis Januarii, aliiſque ſtatis ex gentium conſuetudine diebus. Sane cum Bonifacius ſuperſtitiones omnes eradicare ſtuderet apud Germanos, ne ſibi objicerentur Romanorum mores, qui cum publice, ac nemine reluctante ſuperſtitioſis ludis incumberent, videbantur non deſtituti ſui Antiſtitis auctoritate, aut conſenſione, (melius dixerim diſſimulationem) forte primum edocuit, Romanos ipſos Antiſtites contradicere, aut ſaltem depravatos populi mores ægre ferre; deinde etiam adjecit, parum obeſſe optimæ eccleſiaſticæ diſciplinæ, quod Romæ tum quidpiam minus aptum germanæ doctrinæ Chriſti ab aliquibus admitteretur, etiamſi forte quiſquam ex Pontificibus Maximis aliquandiu conniveret; cum de aliorum geſtis, præſertim ſupremi Eccleſiæ Principis nemo judicium ferre debeat, ſed curare tantummodo, ut ſuos mores ſacris inſtitutis informet, quidquid alii peragant, pœnas ultori Deo daturi. Atque hæc ipſa ſententia eadem prorſus eſt cum ſententia canonis 6. diſt. 40. quem proinde, licet non quiſquam

ſtatim

Digitized by Google

ſtatim velut germanum & authenticum juris Eccleſiaſtici documentum recipiet, non tamen ſtatim, velut pudendum alicujus deceptoris monſtrum, inſtar hæretici hominis expungendum a ſacris Codicibus arbitrabitur.

CAPUT LXX.

De Stephano II., aut III., vel etiam IV.

An poſt obitum Zachariæ ſucceſſerit in Romana Sede Stephanus II. ille, quem per quatuor tantum dies Romanam Eccleſiam rexiſſe aliqui ferunt, & ſtatim poſt iſtum Stephanus III., incertum eſt; hinc vulgo qui a plurimis II. dicitur, ab aliquot III. adpellatur. Hæc in cauſſa ſunt, cur hoc in loco nominaverim Stephanum II., aut III., imo etiam addiderim IV., qui ab aliis III., ex eo quod poſt Paullum ſucceſſerit Stephano III. ſeu II., atque utriuſque capita confundi facile potuerint. En canones, qui horum Pontificum nomina præſeferunt.

Ex canonibus editis in Concilio habito in Baſilica Conſtantiniana.	*Can.* 3. *diſt.* 79. *Can.* 4. *diſt.* 79. *Can.* 5. *diſt.* 79.	*non omnes omnino indubiæ auctoritatis; potius autem Stephani IV. nomine deſignandi.*
	Can. 14. *diſt.* 31.	*falſo tributus Concilio Stephani.*

Ex epiſtola ad Moguntinum Epiſcopum.	*Can.* 13. *diſt.* 18. *Can.* 20. *cau.* 2. *qu.* 5.	*potius referendi ad Stephanum V. ſeu VI.*

OMiſſo Stephano illo Pontifice, quem quatriduanum dicunt, neque enim ipſi decreta ulla, vel canones adſcribi facile poſſunt, paucis dicam, anno 752. menſe Martio Romanam rexiſſe Eccleſiam Stephanum II. ſive III. uſque ad annum 757. Et quidem ea ætate res Italiæ premebantur duro Longobardorum Imperio, fractis Conſtantinopolitani Imperii viribus; præſertim vero Romani conquerebantur res, & patrimonia Eccleſiarum ſubripi, ac per vim occupari, ipſam etiam Urbem minis terreri, obſidione angi, eamque obrem ad tutelam Pipini Galliarum Regis confugerunt, cujus opera pacem, libertatemque recuperarunt, ipſo Stephano Pontifice maxima cum ſollicitudine procurante. Quas idemtidem in anguſtias redigeretur Stephanus facile unuſquiſque animo concipit ſuo, modo nimirum Longobardorum vi preſſus, modo ipſis populi ſibi ſingulari etiam jure commiſſi calamitatibus defatigatus, modo de Conſtantinopolitanorum viribus prope deſtitutorum auxilio deſperans, modo de Francorum tutela dubitans, modo etiam belli acris pericula expaveſcens, modo poſt ipſam quoque victoriam nondum de diuturna pace, ac felici tranquillitate ſecurus.

Poſt

Digitized by Google

Poſt obitum Stephani anno 757. menſe Majo ſucceſſit in Romana Cathedra Paullus Diaconus Romanæ Eccleſiæ Stephani ejuſdem frater, vir optime de Romana Eccleſia, & Republica olim meritus, & ad leniendos Longobardorum animos aliquando legatus. Decem autem per annos, quibus Pontificatum tenuit, nonnulla edidit Eccleſiaſticis rebus utilia, quorum tamen nullum veſtigium eſt apud Gratianum.

Paullum excepit Stephanus III., ſive IV. anno 768. ordinatus, non leviter turbatis initio Romanæ Eccleſiæ rebus, quod quidam Conſtantinus, deinde quidam Philippus Sedem Pontificiam per vim invaſiſſent, per annum enim fere integrum ſchiſmate concuſſa Romana Eccleſia tandem Paſtorem ſuum ſuſcepit Stephanum, qui obiit anno 772. nonnullis geſtis adverſus recentem Græcorum hæreſim de cultu ſacrarum imaginum, nonnullis etiam ad curandam Romanæ Ditionis tranquillitatem adverſus conatus Longobardorum.

De Canonibus editis in Concilio habito in Baſilica Conſtantiniana.

Stephani III., ſeu IV. auctoritate celebratum hoc Concilium eſt anno 769. Romæ in Baſilica Conſtantiniana, eo convenientibus Tuſciæ, & Campaniæ Epiſcopis propemodum univerſis, aliiſque nonnullis ex reliquis Italiæ, & Galliarum Provinciis. Cauſſæ celebrandæ Synodi duæ potiſſimum fuerunt: Prior nimirum modus & forma Romani Pontificis eligendi, ideo tunc ſtabilienda, quod ex ambitu Conſtantini, & Philippi ſuperius memoratorum, ac Sedem Apoſtolicam invadentium graviſſima, ut in unoquoque hujus generis ſchiſmate contingere ſolet, in Romanam Eccleſiam incommoda emerſerat. Hinc in eadem Synodo damnatus eſt Conſtantinus ille ſchiſmaticus, imo & illi, qui ab eodem Pſeudopontifice fuerant ordinati. Altera cauſſa fuit recens Orientalium hæreſis, qui ſacras imagines averſati, earum cultum impie damnaverant. Hodie acta iſtius Synodi integra non exiſtunt; Tantummodo quædam ſuperfuerunt fragmenta, & quidem informia, quæ non ſatis tuto Stephano Pontifici integra adtribueris. Cum vero quatuor ſint ex ipſis apud Gratianum, in re aliquantiſper dubia curabo, ut ſingula, quoad fieri poſſit, ad mentem, reliquiaſque illius Concilii exigantur. Edidit Lucas Holſtenius nonnulla capita actionis tertiæ, & quartæ ejuſdem Synodi, ad quæ jure referre poterimus canones 3. 4. & 5. diſt. 79. Ex actione 3. ita depromtum legimus: *Heſterno die prolata eſt ſententia, quemadmodum Conſtantinus Apoſtolicæ Sedis invaſor ſub* *Can. 3. 4. & 5. diſt. 79.* *pœnitentiæ correptione ſubſiſtere debeat. Item infra: Oportebat, ut hæc Sacroſancta Domina noſtra Romana Eccleſia, juxta quod a Beato Petro, & ejus Succeſſoribus inſtitutum eſt, rite ordinaretur, & in Apoſtolatus culmen unus de Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconibus conſecraretur.* Nemo non videt, heic exhiberi canonem 3. diſt. 79., cujus interpretatio plurimum a facto Conſtantini Pſeudopontificis pendet. Fuerat enim Conſtantinus ipſo die ſeditioſæ electionis ſuæ adhuc Laicus, qui facto exercitu, armataque ruſticorum hominum caterva Lateranenſe Patriarchium occupavit, curans deinde, ut clericatum adipiſceretur, quo adepto Pontifex conſecraretur. En perſpicuam cauſſam, cur definiretur, neminem in ſummum Pontificem eligendum

Digitized by Google

dum, niſi inter Diaconos, aut inter Presbyteros Romanæ Eccleſiæ jam eſſet adſcriptus, ſive, ut olim ajebant, *incardinatus*, ſeu *Cardinalis*. Auctor Libri Pontificalis de hac conſtitutione mentionem fecit, ita ſcribens in vita Stephani, de Concilio Romano: *Tunc allatis ſacratiſſimis canonibus, eiſque liquido perſcrutatis, prolata eſt ſententia ab eodem Sacerdotali Concilio ſub anathematis interdicto, nec ullus unquam præſumat laicorum, neque ex alio ordine, niſi per diſtinctos gradus aſcendens Diaconus, aut Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad Sacri Pontificatus honorem poſſit promoveri*. Hinc ego non dubito, quin idem canon recte Concilio Stephani tribuatur. Addi poſſet ad hanc rem canon 6. diſt. 79., ubi exhibetur Leo IV. ſimilia propemodum ſtatuiſſe, eademque auctoritate Papæ Stephani confirmaſſe, ſed vereor, ne parvi pendatur ejuſdem Gratianei canonis auctoritas, utpote quem jam ſuo loco dixi ad Leonem IV. minime pertinere.

Proſequitur Lucas Holſtenius in edendis fragmentis actionis tertiæ his verbis: *Item: Sed & hoc ſub anathematis interdictionibus decernimus, ut nulli nunquam laicorum, ſive ex manu armata, vel ex aliis ordinibus, præſumant inveniri in electione Pontificis, ſed a Sacerdotibus, atque Proceribus Eccleſiæ, & cuncto Clero ipſa Pontificalis electio proveniat. Et priuſquam Pontifex electus fuerit, & in Patriarchium deductus, omnes Optimates militiæ, vel cunctus exercitus, & Cives honeſti, atque univerſa generalitas populi hujus Romanæ Urbis ad ſalutandum eum ſicut omnium dominum properare debeat. Et ita more ſolito decretum facientes, & in eo cuncti pariter concordantes ſubſcribere debent. Hoc itaque & in aliis Eccleſiis ſub divini judicii obteſtatione, & anathematis interdictione decernimus obſervandum*. Hæc rurſum pertinere ad factum Pſeudopontificis Conſtantini nemo non videt, qui Pſeudopontifex fratris ſui Totonis Ducis Nepeſinæ Civitatis adjutorio, & armis uſus Apoſtolicam Sedem invaſerat. An vero eadem, quæ heic retuli ex Holſtenio, ſint ipſamet Romani Concilii verba, an potius ſimili quadam formula digeſta ſententia, non auſim definire. Tantum dixero, Holſtenium hac in re ſequutum eſſe fidem Anſelmi Lucenſis; Auctorem autem libri Pontificalis in verbis nuper ſuperius deſcriptis paullo aliter Romani ejuſdem Concilii ſententiam deſcripſiſſe, quo ſane referendus erit memoratus canon 4. apud Gratianum.

Hinc nonnulla ſubjicit Holſtenius ex actione 4. ejuſdem Concilii ad venerationem ſacrarum imaginum pertinentia; Deinde vero ita progreditur: *Statuta contra vim, & ambitum. Item: Siquis ex Epiſcopis, vel Presbyteris, vel Monachis, aut ex laicis contra canonum, & Sanctorum Patrum ſtatuta prorumpens in gradum Majorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ideſt Presbyterorum Cardinalium, & Diaconorum ire præſumſerit: & hanc Apoſtolicam Sedem invadere quilibet ex ſupradictis tentaverit, & ad ſummum Pontificalem honorem aſcendere voluerit, ipſi, & ſibi faventibus fiat perpetuum anathema. Item: Siquis cum armis in electione Pontificis, vel aliorum Sacerdotum inventus fuerit, anathema ſit. Item: Siquis juvare, aut introducere in hanc Civitatem Romæ præſumſerit quemquam de quacumque Civitate, aut caſtro, vel loco Pontificis prius diſceſſum, quouſque in Sede B. Petri Pontifex ordinatus fuerit, anathema ſit. Item: Siquis reſiſtere præſumſerit Sacerdotibus, atque Primatibus Eccleſiæ, vel cuncto Clero ad eligendum ſibi Pontificem, ſecundum hanc canonicam traditionem anathema ſit*. En hiſce verbis exhibitum ipſummet Gratiani canonem 5. diſt. 79., cujus auctoritas major etiam eſſe videretur, quoties Lucas Holſtenius hæc omnia ſe deduxiſſe profiteretur ex melioribus monumentis, quam ex quibus ſe ſingula depro-

promiſſe confeſſus eſt. Hæc Holſtenii fragmenta edidit etiam Manſius in tomo I. Supplementi ad Concilia Veneto-Labbeana, quibus adjecit ex vetuſto MS. Codice Bibliothecæ Capituli Veronenſis actionem 1. ejuſdem Lateranenſis Concilii, quod etiam elegantibus & ſuis, & Cajetani Cenni adnotationibus illuſtravit.

Tribuitur præterea a Gratiano canon 14. diſt. 31. *Stephano Papæ in prima actione Synodi ab ipſo in Baſilica Lateranenſi congregatæ*. Una Gratiani auctoritas tanti apud unumquemque eſſe non debet, ut eidem ſit illico obtemperandum. *Can.14. diſt.31.* Extat, quemadmodum animadverti, apud Manſium in Supplemento actio 1. memorati Concilii Lateranenſis depromta ex Codice antiquiſſimo Veronenſi, & tamen verba illius canonis 14., imo etiam, quæ cum eodem canone quoquomodo conſonet, ſententia, deſiderantur. De aliis actionibus non loquor, ad quas neque ſeſe retulit Gratianus, neque referre quiſquam Gratianeum canonem poſſet. Addo, nihil ſimile reperiri apud Ratherium Epiſcopum Veronenſem in epiſtola 2. Romanæ Eccleſiæ edita in Spicilegio Dacheriano tom. 2. veteris editionis, quamquam ibidem nonnulla Romani hujus Concilii capita ſummatim attingantur. Sed neque auctor Libri Pontificalis, qui in vita Stephani III. ſeu IV. expreſſit, licet paucis, ſententias Romani ejuſdem Concilii, mentionem fecit de continentia majorum Clericorum, aut de variis Græcæ, Latinæque Eccleſiæ moribus in cuſtodienda continentiæ lege, quemadmodum in canone 14. legimus. Quod ſi integram actionem 1. recens editam quiſpiam conſideret, imo etiam obſervet Concilii illius ſcopum, facile agnoſcet, nihil aliud ibidem pertractatum eſſe, quam negotium Conſtantini Pſeudopapæ, ſive formam Pontificiæ electionis, diſcuſſamque diſciplinam de cultu ac veneratione ſacrarum imaginum. Porro quid commune habebat cum hiſce cauſſis argumentum continentiæ a Subdiaconis, Diaconis, Presbyteriſque ſervandæ, & diverſitatis diſciplinæ apud Orientalem, atque Occidentalem Eccleſiam? Meo ſane judicio minus opportuna tunc fuiſſet hujus generis diſputatio, utpote quæ exaſperandis potius, quam leniendis, atque in meliorem frugem redigendis Græcorum animis inſerviiſſet; neque enim quiſquam ignorat elaborandum potius tunc fuiſſe, ut Græci a recta fide devii ad colendas ſacras imagines reducerentur, non ut proponeretur ſequenda omnino Occidentalis Eccleſiæ diſciplina, ſine qua adhuc unitas Eccleſiæ conſiſtere potuiſſet. Plane non ego inficias iverim, veram eſſe ſententiam memorati canonis 14., quo nihil aliud exhibetur, quam diverſitas conſuetudinum ſive apud Græcos, ſive apud Latinos inductarum; ſimilem propterea traditionem apud alios Collectores habemus: Sic in Collectione quadam canonum MS. Bibliothecæ Taurinenſis Athenæi, cujus nonnulla fragmenta edidit Manſius in tom. 2. Supplementi Labbeani pag. 67. & ſequentibus, legimus ſub nomine Leonis IX. contra epiſtolam Nicetæ Abbatis: *Apud nos nec ad Subdiaconatus gradum quiſquam admittitur, niſi perpetuam continentiam, etiam a propria conjuge profiteatur; nec poſt gradum cuiquam ducere uxorem conceditur*. Exinde tamen facile mihi perſuadere non poſſum, memoratum Gratiani fragmentum jure optimo adſcribendum eſſe Stephano III. aut IV., eidemque in Synodo Lateranenſi actione 1., quemadmodum teſtatus eſt Gratianus.

Digitized by Google

De Epiſtola ad Epiſcopum Moguntinum.

Can. 13. diſt. 16. & can. 20. cau. 2. qu. 5.

Duo ſunt Gratiani fragmenta, canon 13. diſt. 16., & canon 20. cau. 2. qu. 5. Stephano Papæ adſcripta in epiſtola ad Epiſcopum Moguntinum, qui in diverſis Codicibus diverſo nomine appellatur, nimirum alicubi Luithobius, alibi Luitbertus, ſeu Luithbertus, alibi Umbertus. Quis vero fuerit Stephanus auctor canonis minime indicat Gratianus. Illud pro certo in primis habendum eſt, Stephano I. tribui non poſſe, cum temporibus Stephani I. nondum apud Moguntinos Epiſcopi eſſent conſtituti, quos idem Stephanus edoceret; imo & ipſamet canonum memoratorum materies ſæculo Stephani I. non conveniat. Neque vero iidem canones tribui poſſunt aut Stephano II., aut Stephano III., qui etiam IV. dicitur; etenim ab Epiſcopatus Moguntini erectione uſque ad obitum Stephani III. qui IV. apud alios eſt, duo tantummodo Epiſcopi Moguntini recenſentur, primus omnium Bonifacius, de quo jam ſuperius ſermonem inſtitui; ſecundus eſt Lullus, quem etiam temporibus Hadriani Papæ vixiſſe Hiſtorici ex monumentis firmiſſimis teſtantur. Non eſt igitur locus Luithobio, aut Luitberto, aut Humberto, ad quem fingamus epiſtolas a Stephano II., aut III. qui etiam IV. dicitur, directas. Veroſimilius eſt hoſce canones potius referendos eſſe ad Stephanum V., qui & VI. dicitur, juxta ea, quæ ſuo in loco commodius, atque opportunius expendentur.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT LXXI.

De Hadriano.

Quæ ex Hadriani Papæ Capitulis, ſeu Decreto, ſeu Romano Concilio ſe depromſiſſe teſtatus eſt pluries Gratianus, jam expendi in priore hujus operis parte cap. 45. Nonnulla adhuc ſuperſunt hoc in loco expendenda, quæ vel ad Hadriani res geſtas pertinent, aut cum ipſis nectenda ſunt, vel ad ipſius epiſtolas, aut ſanctiones.

Ex rebus geſtis Hadriani.	*Can. 22. diſt. 63. ex Sigeberto depromtus, & ab hiſtorica fide alienus.*
Nectuntur	*Can. 21. diſt. 63. pertinet ad Librum Pontificalem in vita Vitaliani, & Agathonis.* *Can. 30. diſt. 63. ex integris exemplaribus ſupplendus.* *Can. 32. diſt. 63. } Can. 33. diſt. 63. } ſimul jungendi, atque ex integris exemplaribus ſupplendi.*
Ex epiſtola ad Carolum.	*Can. 6. diſt. 37. ad integram epiſtolæ ſententiam exigendus.*
Ex epiſtola ad Taraſium Patriarcham.	*Can. 5. diſt. 16. } Can. 29. de conſ. diſt. 3. } ſimul jungendi, & potius exigendi ad epiſtolas Taraſii Patriarchæ Conſtantinopolitani.*

QUO triſtior fuit Italiæ univerſæ, ac Romanæ Eccleſiæ facies, cum primum Hadrianum Pontificem Maximum ſalutarunt anno 772. ſeu quod Longobardorum arma Romanis infeſta eſſent regnante Deſiderio, ſeu quod Iconoclaſtarum hæreſis apud Orientales latius, ac vividius ſerperet, eo lætior, atque jucundior in dies adparuit, quum poſt paucos annos labentibus rebus opem tulit Carolus Magnus pace Romanis parta, captis, perditiſve illorum hoſtibus, locupletata ipſamet Romana Eccleſia, & honoribus largiſſime aucta; alias vero ex Nicænæ II. Synodi opportuno tempore celebratæ ſanctionibus ſuus reſtitui cœperat in Oriente ſacris imaginibus cultus, damnata hæreticorum impietate. Obiit Hadrianus ſub finem anni 795., vel, ut alii ſcripſerunt, ſub initium anni 796. Paucis argumenta exhibui, circa quæ aut ejus Pontificis geſta verſantur, aut ejus epiſtolæ, reſponſa, ac decreta; nimirum aut de cultu ſacrarum imaginum, aut de Italiæ univerſæ, præſertim vero Romanæ Eccleſiæ tutela a Carolo ſuſcipienda, vel ſuſcepta in utilitatem, quoad fieri poſſet, maximam adminiſtranda actum fuit.

De

Digitized by Google

De Canone 22. diſt. 63.,
Cui nectendi ſunt canones 21. 30. 32. & 33. eadem diſt.

Altius repetere juvat, quæ tradenda ſunt ad interpretationem canonis 22., ſicut & aliorum numero plurium in diſtinct. 63. Certiſſimum apud omnes eſt, vetuſtiſſimam fuiſſe Eccleſiarum omnium conſuetudinem, ut defuncto Eccleſiæ Antiſtite Clerus & populus eligeret Succeſſorem, quod potiore jure cuſtoditum olim fuit in Eccleſia Romana, in qua nimirum velut omnium Principe nullæ eſſe poterant ſuperioris alicujus Antiſtitis partes. Hæc diſciplina viguit integra, quouſque Imperatores ethnici aut de rebus Eccleſiaſticis ſolliciti non fuerunt, aut Eccleſiam ipſam vexarunt. Ubi vero ad Chriſtianam fidem converſi ſunt, imo etiam Eccleſiam ipſam privilegiis, honoribus, opibus ditaverunt, & ipſi voluerunt electioni Pontificis Maximi ſuffragari, quo jure eo validius contendebant uti ſe, quo firmiora eſſent dignitatis imperatoriæ incrementa, antiquata propemodum Romanæ Reipublicæ forma. Summa Imperii cœpit a populo in Imperatores migrare, quemadmodum liquet ex l. 1. ff. de conſtitut. Principum, eamque ob rem etiam jura populi in electionibus Maximi Antiſtitis in Principem translata proponebantur. Opportunum autem videbatur quammaxime ad obtinendam Eccleſiæ pacem Imperatoris ſuffragium, quo lato plebis ac turbarum ſchiſmata ſedabantur, imo ipſe Clerus ſæpe ac ſæpius in eum conſentiebat, quem ipſi Imperatores poſtulaviſſent; ſciebat enim quantum Eccleſiaſticæ utilitati ſtuderet pietas, ac religio Cæſarum, quos optimos, atque integerrimos rerum Eccleſiaſticarum vindices ac Patronos agnoverat, argumenta hujuſmodi inter ceteros præbentibus Theodoſio, ac Conſtantino. Diutius viguit conſuetudo hujuſmodi, quouſque nimirum Romani Imperii juriſdictio integra apud Imperatorem perſeveravit. Primum receſſum ab illa fuit temporibus Pelagii II. ad annum 577., ad quem ita ſcribit Anaſtaſius. *Hic ordinatur abſque juſſione Principis, eo quod Longobardi obſiderent Civitatem Romanam.* Ceterum ſtatim ac Romana Urbs libertate donata eſt, rurſum Pontificis Maximi electio propoſita fuit Imperatori, hinc Anaſtaſius idem ad Vitalianum Papam ad annum 655. ita ſcribit: *Hic direxit reſponſales ſuos cum Synodica juxta conſuetudinem in Regiam Urbem apud piiſſimos Principes, ſignificans de ordinatione ſua: Et dum ſuſcepti eſſent, renovantes privilegia Eccleſiæ reverſi ſunt.* (Privilegia erant Primatus Romanæ Eccleſiæ, cujus tutelam adverſus Græcorum ambitum Græci ipſi Imperatores perſæpe ſuſceperant). Clarius Platina in vita Severini, ſive ad annum 638. *Vana tunc habebatur Cleri, & populi electio, niſi eam Imperatores, aut eorum Exarchi confirmaſſent.* De Exarchis ideo ibi fit mentio, quod Imperatorum nomine Ravennæ commorantes res Italiæ graviores adminiſtrabant. Id adeo verum eſt, ut cum Gothi etiamſi rebus Eccleſiarum infenſi Romanam Urbem occupaverint, non ſolum ſibi reſervaverint jura Imperatorum in electione confirmanda Pontificis Maximi, verum etiam onus Romano Antiſtiti recens electo impoſuerint, ut certum tributum ſolveret Regi Longobardorum, quotieſcunque ad ipſum accederet cauſſa poſtulandæ confirmationis, quæcumque tandem eſſet hujuſmodi confirmatio, quemadmodum deducitur ex Caſſiodoro in libris variarum,

&

Digitized by Google

& apud Gregorium Magnum in commentariis 4. Pſalmi Pœnit. Hoſtibus a Romana Provincia profligatis Imperatores Conſtantinopolitani non ſolum jure conſentiendi in Romanum electum Antiſtitem experiri voluerunt pro vetuſto more, ſed etiam quod a Gothis olim impoſitum erat tributum exegerunt, rati non dedecere Catholico Imperatori munera quædam a Romano Antiſtite perſolvi, quæ antea ſoluta Ethnico Principi fuiſſent. Res ita ſeſe habuit uſque ad tempora Agathonis Papæ, ſive ad annum circiter 679. Nimirum Agatho ab Imperatore Conſtantino Pogonato obtinuit, ut Pontifices Maximi confirmarentur quidem ſuffragio Imperatoris, nullum tamen tributum pendere tenerentur. Anaſtaſius Bibliothecarius id aperte teſtatur ita ſcribens: *Agatho natione Siculus ex Monachis ſedit annos duos . . . Hic ſuſcepit divalem juſſionem piiſſimorum Principum Conſtantini, Heraclii, & Tiberii Auguſtorum per Epiphanium Glorioſum a ſecretis miſſam Præceſſori ſuo Dono Papæ invitantem, atque adhortantem, ut debeat Sacerdotes, vel Miſſos ſuos dirigere in Regiam Urbem pro adunatione facienda Sanctarum Dei Eccleſiarum, quod & ordinare non diſtulit. Et direxit Abundantium Paternenſem, Johannem Rhegitanum, & Johannem Portuenſem Epiſcopum &c. . . . Tanta autem gratia divina omnipotentis conceſſa eſt Miſſis Sedis Apoſtolicæ, ut ad lætitiam populi, vel Sancti Concilii, qui in Regia Urbe erant, Johannes Epiſcopus Portuenſis Dominicorum die octavarum Paſchæ in Eccleſia B. Sophiæ miſſas publicas latine celebraret coram Principe, & Patriarcha*. Et poſt pauca. *Hic ſuſcepit divalem juſſionem ſecundum ſuam poſtulationem, ut ſuggeſſit, per quam relevata eſt quantitas, quæ ſolita erat dari pro ordinatione Pontificis facienda; ſic tamen, ut ſi contigerit poſt ejus tranſitum electionem fieri, non debeat ordinari qui electus fuerit, niſi prius decretum generale introducatur in Regiam Urbem ſecundum antiquam conſuetudinem, ut cum eorum conſcientia, & juſſione debeat ordinatio provenire*. Non hic tamen conſtitit Conſtantini Pogonati in Romanam Eccleſiam pietas, & amor; etenim non multo poſtea, ſive anno circiter 685., Benedicto II. Papæ conceſſit, ut quicumque in poſterum a Clero populoque in Pontificem Maximum electus fuſſet, is irrequiſito Imperatoris ſuffragio pro legitimo Antiſtite haberetur. Ita tradit in vita Benedicti II. Anaſtaſius: *Hic ſuſcepit divales juſſiones Clementiſſimi Conſtantini Magni Principis ad Venerabilem Clerum, & populum, atque feliciſſimum exercitum Romanæ Civitatis, per quas conceſſit, ut perſona, qui electus fuerit ad Sedem Apoſtolicam, e veſtigio abſque tarditate Pontifex ordinaretur*. Nemo non videt, quam gratam rem fecerit Romanis Conſtantinus, proſpiciens ſane majori Eccleſiæ bono, cui ob intervallum, quo Romana a Conſtantinopolitana Urbe diſſita eſt, non niſi tardius conſuli poterat expectato ſuffragio Imperatoris, deinde etiam argumenta benevolentiæ exhibens non mediocria, cum nuper Græcorum ac Romanorum animi ſancto fœdere eſſent conciliati, quemadmodum ſuperius ex Anaſtaſio oſtendi. En tandem Romanum Clerum, & populum in electione Pontificis Maximi ſumma, & omnimoda libertate ſuffragiorum potitum, qua eo etiam commodius uſi ſunt poſteriore tempore, cum Conſtantinopolitanorum Principum auctoritas in Italia imminuta, ac tandem deperdita fuerit. Romani Imperii in Occidente labentis ruinam attulit potiſſimum Græcorum Iconoclaſtarum in ſacras imagines odium, ac pugna, Romanis contradicentibus, atque etiam obſiſtentibus; qua ſeditione mota adverſus Imperatores Conſtantinum Copronimum, Leonem IV., aliosque, facile percipitur in electione Antiſtitis Maximi nullas fuiſſe, aut eſſe potuiſſe Orientalium partes. Jura Imperii accreſcere interea cœperunt Pippino Francorum Regi, & Carolo Ma-

Digitized by Google

Magno; ſed cum Romana Civitas libere ab ipſo Pontifice Maximo penderet, populo ipſo ſe ſui Antiſtitis poteſtati committente, quidquid inani conatu Græci obſiſterent, Reges ipſi Francorum, quorum animus erat, latius Regni ſui fines extendere, & labens Imperium ſibi adjungere, ac vindicare, Romanorum libertati integræ ſervandæ morem geſſerunt, ut ſibi eorundem benevolentiam conciliarent. Interea Rex Longobardorum Deſiderius Romanam Provinciam vi adgreſſus, prope erat, ut Ravennam Romani Antiſtitis adminiſtrationi, & curæ commiſſam occuparet. A Carolo Magno auxilium petiit Hadrianus Papa, ejuſdemque Principis copiis in Italiam venientibus Deſiderius, qui monitis primum flecti non potuit, ne Romanam Provinciam invaderet, cedere armis debuit. Id cauſſam Romanis dedit, cur Carolum Regem in Romanam Urbem veluti triumphatorem adducerent inter medias populi adclamationes, quo tempore fœdus initum eſt ſanctiſſimum inter Romanos, ac Francos, quo certæ Provinciæ, ac præſertim Romana, Romanæ ipſi Eccleſiæ libera conceſſa eſt, univerſa autem propemodum Occidentalis Imperii jura Francis relicta, quod non ſolum pactum fuit temporibus Caroli, ſed etiam Ludovici Pii temporibus confirmatum. Hæc ita firmiſſime conſtiterunt uſque ad annum circiter 955., quum videlicet Romanæ Civitatis libertati ab Imperatoribus conſecutæ ambitio invidebat quorundam, qui eam ſuæ poteſtati ſubjici flagitabant vehementiſſime. Duo præſertim fuerunt, Albericus, & Berengarius, regnandi libidine concitati. Albericus jam plurium Romanorum animos, atque benevolentiam ſibi devinxerat, ut properaret ad regnum, quod ut facilius adriperet, vacante Sede ex obitu Agapiti II. curavit, Filium ſuum Octavianum eligi in Pontificem Maximum, licet natum tantummodo annum decimumoctavum; ejus enim favore ſperabat futurum, ut ſui Romanorum Imperii quædam propemodum jaceret fundamenta. Votis reſpondere eventus cœperat; etenim Octavianus electus Potifex nomine Johannis XII. ob minorem ætatem Parenti ſuo regendi Urbem facultatem ampliſſimam fecerat. Cetera optime etiam ex voto Alberico ceſſiſſent, niſi Berengarius, quem dominandi libidine etiam præreptum fuiſſe nuper ajebam, ipſe quoque coacto exercitu ad Romanam Urbem adventaſſet pro obtinendo Imperio dimicaturus. Acceſſit ergo pugnandi animo Berengarius ad Romanam Urbem inſtructa ingenti armorum copia, ac militum acie, eamque ob rem & Johanni Papæ, & Alberico Pontificis Parenti terrificus. Hinc & Johannes & Albericus gravi metu concuſſi, ut ſibi, rebuſque ſuis conſulerent, optimum duxerunt ad exteros Principes confugere, illorum etiam implorare opem: Scilicet precati ſunt Germaniæ Regem Othonem Enrici filium, qui tunc temporis rerum bellicarum optime geſtarum famam ſibi illuſtrem pepererat, rogantes in primis, ut ſubſidium Romanis rebus prope labentibus ferret, deinde etiam egregia victoriæ præmia pollicentes. Noverat Otho per hæc fauſtis ominibus ſuſcepta, felicique exitu completa facilem ſibi viam ſterni ad Imperium Romanorum, quamobrem, abdicato favore filii ſui Othonis in Wormatiæ comitiis ſolemnibus Germaniæ Regno, in Italiam iter fecit ingenti inſtructo exercitu, ac ubi ſpem concepit optimam, futurum, ut Imperator ipſe ſalutaretur, ſtatim uno conflictu fregit Berengarii conatus, atque irritavit, in cujus victoriæ præmium Imperatoris nomen, ac dignitatem obtinuit toto conſentiente Romano populo, atque adclamante.

Fue-

Digitized by Google

Fuerant hæc, paucis licet, præjacienda, ut via ſterneretur ad interpretationem Con.21.
laudatorum canonum 21. 22. 30. 32. & 33. diſt. 63. In primis canon 21., quem diſt.63.
Gratianus profeſſus eſt ſe deſcripſiſſe *ex geſtis Romanorum Pontificum*, excerptus eſt ex Anaſtaſio Bibliothecario, cujus verba nuper referebam in hiſtorica narratione, ſive quæ ad geſta Agathonis, ſive quæ ad geſta Vitaliani Pontificum pertinent. Sane quod ad Vitalianum pertinet nulla apud eruditos dubitatio inſtituitur, quemadmodum neque quod pertinet ad Agathonem; neque enim eſt, in quo auctorem libri Pontificalis quiſquam reprehendat in ea parte, quam in hoc ipſo canone 21. edidit Gratianus.

Canonem 22. diſt. 63. *Ex hiſtoria Eccleſiaſtica* ſe deprompſiſſe teſtatus eſt Gra- Con.22.
tianus. Sane in ea parte, qua continetur, quidquid ſuperius de Caroli Regis in diſt.63.
Romanam Eccleſiam meritis, deque Romanorum erga Carolum Regem obſequio, generaliter dictum eſt, nihil aberrat ab hiſtorica fide, juxta ea, quæ tradidit inter ceteros Anaſtaſius Bibliothecarius. In iis, quæ apud Gratianum præter Anaſtaſii enarrationem adjecta fuerunt, talis ac tanta non extat auctoritas, ut apud nos fidem prorſus indubiam mereantur. Hujuſmodi eſt, quod ſubditur, in Concilio Romano conceſſum ab Hadriano Regi Carolo jus Patriciatus; nec non jus ordinandi Apoſtolicam Sedem, ac ceteris Epiſcopis per Provincias conſtitutis Epiſcopatuum inveſtituras tradendi. Præterquamquod enim de hac re altum eſt ſilentium apud Anaſtaſium, qui ceteroqui de ea utpote de negotio graviſſimo feciſſet mentionem, ipſamet Romana Synodus Hadriani tempore celebrata, qualis in editis codicibus exhibetur, nihil hujuſmodi continet. Deceptus eſt Gratianus aut ex incongrua aliquot Codicum interpretatione, aut quod ſequi maluerit Scriptores ſuſpectæ admodum fidei. Scilicet dignitatem Patriciatus ideo Carolo Magno datam eo tempore ſcripſit, quod legerit apud Anaſtaſium Bibliothecarium, ceteroſque Scriptores Carolum Regem fuiſſe ab Hadriano receptum in Romanam Urbem adclamante Populo, velut triumphatorem, lætiſſimis jucunditatis ſignis, atque inter cetera *cum bandora*, ut ſcribit memoratus hiſtoricus, ſive cum vexillo, quod Patriciis Urbem ingredientibus explicari ſolebat. Ceterum Carolus Magnus jamdiu pollebat dignitate Patriciatus, ut plurima demonſtrant monumenta. Hæc ſane omnia, quemadmodum quod ſubjicitur de conceſſione Carolo Magno facta eligendi Pontificem Maximum, nec non tradendi Epiſcopatuum inveſtituras, excepit etiam Gratianus a Sigeberto ſibi contemporaneo fere ſcriptore; is enim circa annum 1112. enarravit, temporibus Hadriani Papæ I. celebratam fuiſſe Romæ Synodum 53. Epiſcoporum, *in qua*, inquit, *Hadrianus Papa cum univerſali Synodo dedit ei jus eligendi Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam Sedem, dignitatem quoque Patriciatus. Inſuper Archiepiſcopos, & Epiſcopos per ſingulas Provincias ab eo inveſtituram accipere definivit, & ut, niſi a Rege laudetur, & inveſtiatur Epiſcopus, a nemine conſecretur, omneſque huic decreto rebelles anathematizavit, & niſi reſipiſcerent, bona eorum publicavit.* Hæc eadem, ut patet, verba Sigeberti exaravit Gratianus, reticito tamen auctoris nomine, forte quod nollet hiſtoriæ tradendæ cauſſa laudare recentiorem, & ſui temporis Scriptorem, vel quod Sigebertus in ea enarratione ſuſpectus pluribus videri revera poſſet. Ceterum non eſt, cur in hac parte morem Sigeberto gerere debeamus, qui nullius vetuſtioris ſcriptoris teſtimonio innititur; neque enim aut apud hiſtoricos Carolinæ ætatis, aut in ipſis Romanæ Synodi actis tale quidpiam legitur. Imo ne ipſe quidem Eginhardus, qui Caroli Magni lateri ſemper adhære-

bat, dum ejuſdem Principis vitam, & geſta deſcripſiſſet, de his licet memorabilibus rerum ac cauſſarum adjunctis nullam mentionem fecit; quamquam ceteros Caroli actus ad unguem uſque ita dixerim recenſuerit. Ac ſi ipſamet Caroli Regis Capitularia inſpiciamus, ipſo Rege poſt reditum a Romana Urbe auctoritatem præbente conſtituta, contrarium prorſus evincemus, quippe in lib. 1. cap. 84. ſancitur, Epiſcopos omnes per electionem Cleri, & Populi ſecundum ſtatuta canonum ordinari debere. Scio quidem nonnullos recentiores, inter quos eſt Baluzius, diſtinguere electionem ab inveſtitura, ut electionem Clero, & Populo, inveſtituram Carolo tum tributam adſerant. Verum quoties Capitularia Caroli electionem Clero, & Populo reſervant, idque ſecundum ſtatuta canonum, nullamque inveſtituræ mentionem faciunt, iſthæc diſtinctio minime congruit, quouſque non jam recepta demonſtratur in vetuſtioribus Sacrorum Canonum regulis. Ut libere fatear, quod verum eſt, Sigebertus ejus hiſtoricæ narrationis auctor ſcribebat, ut prænotatum eſt, anno 1112., quo tempore inveſtiturarum Epiſcopalium controverſia erat acerrima apud Germanos, quemadmodum unuſquiſque apprime noverit, atque ut rem gratam faceret Henrico Principi, cujus gratiam captabat, effingere non dubitavit, Carolum Magnum, cui Henricus in Imperio, & juribus ſucceſſiſſe proponebatur, jamdiu obtinuiſſe ab ipſiſmet Romanis Pontificibus, una cum Romani Patricii dignitate, jus eligendi Pontificem Maximum, necnon Epiſcopatuum inveſtituras conferendi. Ex his ſane facili negotio deducitur, Gratianeum fragmentum gravis eſſe non poſſe auctoritatis, ad hujuſcemodi controverſias dirimendas. Forte quempiam morabitur adhuc Leonis Papæ auctoritas a Gratiano laudati in canone 23. diſt. 63., ubi eadem referuntur, quæ de Hadriano Papa, & Carolo Rege Sigebertus enarravit. Verum qualis ſit hujus fragmenti auctoritas ſuo loco expendemus inferius. Ipſemet Gratianus omnia hæc falſitatis redarguere videtur in canone 29. ejuſdem diſtinctionis 63., referens ex Gregorio Papa, tempore Hadriani II., qui non diu poſt Caroli Magni obitum electus fuit Romanus Antiſtes, anno circiter 867. conqueſtos fuiſſe legatos Imperatoris Ludovici, quod cum præſentes Romæ eſſent, ad electionem tamen Pontificis invitati non fuiſſent, ſtatimque adquieviſſe, ubi acceperunt, hoc non ex contemtu ipſorum factum eſſe, ſed potius ne in exemplum traheretur, ut in futuris electionibus Pontificum Maximorum Legati Principis expectarentur. Quod ſane indicat, etiam poſt Carolum Magnum liberam Romanis fuiſſe ſui Pontificis electionem.

Sufficere hæc viderentur ad expendendum canonem 22. diſt. 63., ubi de Hadriano Pontifice ſermo inſtituitur. Sed materiæ affinitas, quam cum eodem canone habere videntur canones 30. 32., & 33. ejuſdem diſtinctionis, poſtulat, ut de ipſis adhuc in præſentia loquar, ne eadem pluribus in locis ediſſeram, præſertim quod iſta fragmenta ſuperioribus non mediocrem adferre lucem poſſint. Verba ipſa *Can. 30. diſt. 63.* canonis 30. diſt. 63. hodie edita ſunt in Labbeana Collectione poſt acta Concilii Aquiſgranenſis anni 817., & quidem eruta ex integro Vaticanæ Bibliothecæ monumento; edita quoque ſunt apud Baluzium in tom. 1. Capitularium Francorum pag. 591. & ſequentibus. Monumentum integrum hoc in loco deſcribam ex Labbeano exemplari; atque, ubi apud Baluzium diverſum quidpiam occurret, indicabo. *In nomine Domini Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ego Ludovicus Imperator Auguſtus ſtatuo, & concedo per hoc pactum confirmationis noſtræ tibi B. Petro Principi Apoſtolorum, & pro te* (legit Baluzius *per te*) *Vicario tuo Domno Paſchali*

chali Summo Pontifici, & univerſali Papæ, & ſucceſſoribus ejus in perpetuum, ſicut a Prædeceſſoribus veſtris uſque nunc in veſtra poteſtate, & ditione (legit Baluzius dictione) tenuiſtis, & diſpoſuiſtis, Civitatem Romanam cum Ducatu ſuo, & ſuburbanis, atque viculis omnibus, & territoriis ejus montanis, & maritimis (legit Baluzius maritinis) litoribus, & portubus, ſeu cunctis Civitatibus, Caſtellis, oppidis, ac viculis in Tuſciæ partibus (legit Baluzius particibus) ideſt Portum, Centumcellas, Cære, Bledam, Marturanum, Sutrium, Nepe, Caſtellum Galleſii, Hortam, Polimartium, Ameriam, Tudertum, Peruſium cum aliis tribus inſulis ſuis, ideſt majorem, & minorem, Pulvenſem (Baluzius Pulvenſam), & Lacum, Narniam, Otriculum, cum omnibus finibus, ac territoriis ad ſupradictas Civitates pertinentibus. Simili modo, & in partibus Campaniæ Signiam, Anagniam, Ferentinum, Alatrum, Patricum, Fruſinonem cum aliis partibus Campaniæ, nec non & Tibur, cum omnibus finibus, & territoriis ad eaſdem Civitates pertinentibus. Nec non & exarchatum Ravennatenſem ſub integritate cum Urbibus, Civitatibus, Oppidis, & Caſtellis, quæ piæ recordationis Dominus (Baluzius Domnus) Pippinus Rex ac bonæ memoriæ genitor noſter Carolus Imperator Beato Petro Apoſtolo, & Prædeceſſoribus veſtris jam dudum per donationis paginam reſtituerunt, hoc eſt Civitatem Ravennam, & Æmiliam, Bobium, Cæſenam, Forum Pompilii, Forum Livii, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrarium, (Baluzius Ferrariam), Comaclum, & Adriam, & Gabelum, cum omnibus finibus, territoriis, atque inſulis in terra, marique ad prædictas Civitates pertinentibus. Simulque & Pentapolim, videlicet Ariminum, Piſaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Humanam, Æſium, Forum Sempronii, Montem Feretri, Urbinum, & territorium Valvenſe, Calles, Luceolos, Eugubium, cum omnibus finibus, ac terris ad eaſdem Civitates pertinentibus. Eodem modo territorium Sabinenſe, ſicut a Genitore noſtro Carolo Imperatore Beato Petro Apoſtolo per donationis ſcriptum conceſſum eſt ſub integritate, quemadmodum ab Itherio, & Macenario Abbatibus, Miſſis illius, inter idem territorium Sabinenſe, & Reatinum definitum eſt. Item in partibus Tuſciæ Longobardorum, Caſtellum Felicitatis, Urbevetum, Balneum Regis, Ferenti Caſtrum, Viterbium, Martam, Tuſcaniam, Populoniam, Soanam, Raſellas. Et inſulas Corſicam, & Sardiniam, & Siciliam ſub integritate cum omnibus adjacentibus, & territoriis maritimis, litoribus, portubus, ad ſupradictas Civitates, & inſulas pertinentibus. Item in partibus Campaniæ, Soram, Arces, Aquinum, Arpinum, Theanum, Capuam, & patrimonia ad poteſtatem, & ditionem noſtram pertinentia, ſicut eſt Patrimonium Beneventanum, & Salernitanum, & Patrimonium Calabriæ inferioris, & ſuperioris, & Patrimonium Neapolitanum, & ubicumque in partibus Regni, atque Imperii a Deo nobis commiſſi patrimonia noſtra (in editione Labbeana ad marginem legitur: legendum haud dubie veſtra:) eſſe noſcuntur. Has omnes ſupradictas Provincias, Urbes, Civitates, Oppida & Caſtella, Viculos & Territoria, ſimulque & patrimonia, jam dictæ Eccleſiæ tuæ Beate Petre Apoſtole, & pro te (legit Baluzius & per te) Vicario tuo Spirituali Patri noſtro Paſchali Summo Pontifici, & Univerſali Papæ, ejuſque Succeſſoribus uſque ad finem ſæculi, eo modo confirmamus, ut in ſuo detineant jure, principatu, ac ditione. Simili modo per hoc noſtrum confirmationis decretum firmamus donationes, quas piæ recordationis Domnus Pippinus Rex Avus noſter, & poſtea Domnus, & Genitor noſter Carolus Imperator B. Petro Apoſtolo ſpontanea voluntate contulerunt. Nec non & cenſum, & penſiones, ſeu ceteras donationes, quæ annuatim in Palatium Regis Longobardorum inferri ſolebant, ſive de Tuſcia Longobardorum, ſive de Ducatu Spoletano, ſicut in ſupraſcriptis donationibus continetur, &

Digitized by Google

inter ſanctæ memoriæ Hadrianum Papam, & Domnum, & Genitorem noſtrum Carolum Imperatorem convenit, quando eidem Pontifici idem de ſupradictis Ducatibus, ideſt Tuſcano, & Spoletano ſuæ auctoritatis præceptum confirmavit. Eo ſcilicet modo, ut annis ſingulis ſupradictus cenſus Eccleſiæ B. Petri Apoſtoli perſolvatur, ſalva ſuper eoſdem Ducatus noſtra in omnibus dominatione, & illorum ad noſtram partem ſubjectione. Ceterum, ſicut diximus, omnia ſuperius nominata ita ad noſtram partem per hoc noſtræ confirmationis decretum roboramus, ut in veſtro, veſtrorumque ſucceſſorum permaneant jure, Principatu, atque ditione, ut neqae a nobis, neque a Filiis, & Succeſſoribus noſtris per quodlibet argumentum, ſive machinationem in quacumque parte minuatur veſtra poteſtas, aut vobis de ſupraſcriptis omnibus, vel Succeſſoribus veſtris inde aliquid ſubtrahatur, de ſupraſcriptis videlicet Urbibus, Provinciis, Civitatibus, oppidis, caſtris, viculis, inſulis, territoriis, atque patrimoniis, nec non & penſionibus, atque cenſibus, ita ut neque nos ea ſubtrahamus, neque quibuslibet ſubtrahere volentibus conſentiamus; ſed potius omnia, quæ ſuperius leguntur, ideſt, Provincias, Civitates, urbes, oppida, caſtella, territoria, patrimonia, atque inſulas, cenſus, ac penſiones Eccleſiæ Beati Petri Apoſtoli, & Pontificibus in ſacratiſſima illius Sede in perpetuum reſidentibus, in quantum poſſumus defendere nos promittimus; ad hoc ut omnia (legit Baluzius *omnia ea*) *in illius ditione ad utendum, & fruendum, atque diſponendum firmiter valeat obtinere; nullamque in eis nobis partem, aut poteſtatem diſponendi, aut judicandi, ſubtrahendive, aut minorandi vendicamus, niſi quando ab eo, qui illo tempore hujus ſanctæ Eccleſiæ regimen tenuerit, rogati fuerimus. Et ſi quilibet homo de ſupradictis Civitatibus ad veſtram Eccleſiam pertinentibus ad nos venerit, ſubtrahere ſe volens de veſtra juriſdictione, vel poteſtate, vel quamlibet aliam iniquam machinationem metuens, aut culpam commiſſam fugiens, nullo modo eum aliter recipiemus, niſi ad juſtam pro eo faciendam interceſſionem, ita dumtaxat, ſi culpa, quam commiſit, venialis fuerit inventa; ſin aliter, comprehenſum veſtræ poteſtati eum trademus, exceptis his, qui violentiam, vel oppreſſionem potentium paſſi ideo ad nos veniant, ut per noſtram interceſſionem juſtitiam accipere mereantur, quorum altera conditio eſt, & a ſuperioribus valde disjuncta. Et quando divina vocatione hujus Sacratiſſimæ Sedis Pontifex de hoc mundo migraverit, nullus ex Regno noſtro aut Francus, aut Longobardus, aut de qualibet gente homo ſub noſtra poteſtate conſtitutus licentiam habeat contra Romanos, aut publice, aut privatim veniendi, aut electionem faciendi; nulluſque in Civitatibus, vel Territoriis ad Eccleſiam Beati Petri pertinentibus aliquod malum propter hoc facere præſumat. Sed liceat Romanis cum omni veneratione, & ſine aliqua perturbatione honorificam ſuo Pontifici exhibere ſepulturam, & eum, quem divina inſpiratione, & Beati Petri interceſſione omnes Romani uno conſilio, atque concordia, ſine aliqua promiſſione, ad Pontificatus Ordinem elegerint, ſine aliqua ambiguitate, & contradictione more canonico conſecrari: & cum conſecratus fuerit, legati ad nos, vel ad Succeſſores noſtros Reges Francorum dirigantur, qui inter nos, & illum amicitiam, & caritatem, ac pacem ſocient, ſicut temporibus piæ recordationis Domni Caroli Atavi noſtri, ſive Domni Pippini Avi noſtri, vel & Caroli Imperatoris Genitoris conſuetudo erat faciendi. Hoc autem ut omnibus* (legit Baluzius, *ut ab omnibus Fidelibus*) *Sanctæ Dei Eccleſiæ, & noſtris firmum eſſe credatur, firmiuſque per futuras generationes, & ſæcula ventura cuſtodiatur, propriæ manus ſignaculo, & Venerabilium Epiſcoporum, atque Abbatum, vel Optimatum noſtrorum ſub jurejurando, & ſubſcriptionibus pactum iſtud noſtræ confirmationis roboravimus, & per Legatum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Theodorum Nomenclatorem Domno Paſchali Papæ direximus. Ego Ludovicus miſericordia Dei Imperator ſubſcripſi. Et ſubſcripſerunt tres*

Filii

Digitized by Google

Filii ejus, & Epiſcopi decem, & Abbates octo, & Comites quindecim, & Bibliothecarius unus, & Manſionarius unus, & Oſtiarius unus. Ita deſcribendum erat integrum monumentum, de cujus vi, atque auctoritate licet dubitaverint aliqui, non defuerunt tamen viri graviſſimi, atque eruditionis laude ſingulari præſtantes, qui demonſtrarunt, non eſſe iſtud rejiciendum cum donatione Conſtantini, quemadmodum Carolus Molinæus audacter ſcripſit, quem ſequi maluit Baluzius, ſive in adnotationibus in Capitularia Francorum, ſive in adnotationibus in Gratianum poſt Dialogos Antonii Auguſtini de emendatione Gratiani. Quicumque de hac re curioſius inveſtigandum voluerit, ſolertiſſimos Hiſtoricos æque, ac criticos Scriptores facile conſulet.

Canones 32., & 33. diſt. 63. videntur depromti ex illo diplomate, quod editum hodie habemus in Veneta Labbeana Collectione tom. 11. pag. 875., cujuſque authographum aureis literis exaratum ibidem dicitur adſervari Romæ in Caſtello S. Angeli. Integrum etiam heic exemplar ſubjiciam. *In nomine Domini Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ego Otto Dei gratia Imperator Auguſtus, una cum Ottone glorioſo Rege filio noſtro, divina ordinante providentia ſpondemus, atque promittimus per hoc pactum confirmationis noſtræ tibi B. Petro Principi Apoſtolorum, & Clavigero Regni Cælorum, & per te Vicario tuo Domno Johanni Summo Pontifici, & univerſali* XII. *Papæ, ſicut a Prædeceſſoribus veſtris uſque nunc in veſtra poteſtate, atque ditione tenuiſtis, & diſpoſuiſtis Civitatem Romanam, cum Ducatu ſuo, & ſuburbanis ſuis, atque viculis omnibus, & territoriis ejus, montanis, & maritimis, litoribus, atque portubus, ſeu cunctis civitatibus, caſtellis, oppidis, ac viculis Tuſciæ partibus, ideſt Portum, Centumcellas, Cerem, Bledam, Marturianum, Sutrium, Nepem, Caſtellum, Galliſem, Ortem, Polimartium, Ameriam, Tudam, Peruſiam cum tribus inſulis ſuis, ideſt majore, minore, Pulvenſim, Narniam, & Utriculum cum omnibus finibus, ac territoriis ad ſupraſcriptas civitates pertinentibus. Necnon exarchatum Ravennatem ſub integritate cum urbibus, civitatibus, oppidis, & caſtellis, quæ piæ recordationis Domnus Pippinus, & Domnus Carolus Excellentiſſimus Imperator, Prædeceſſores videlicet noſtri, B. Petro Apoſtolo, & Prædeceſſoribus veſtris jamdudum per donationis paginam contulerunt, hoc eſt Civitatem Ravennam, & Æmiliam, Bobium, Cæſenam, Forum populi, Forum Livii, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comiaculum, & Hadrianis, atque Gabellum, cum omnibus finibus, territoriis, atque inſulis, terra marique ad ſupraſcriptas civitates pertinentibus: ſimul & Pentapolim, videlicet Ariminum, Piſaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Auſimum, Humanam, Heſim, Forum Sempronii, montem Feltri, Urbinum, & Territorium Balnenſe, Calles, Luciolis, & Eugubium, cum omnibus finibus, & territoriis ad eaſdem civitates pertinentibus. Eodem modo territorium Sabinenſe; ſicut a Domno Carolo Imperatore Anteceſſore noſtro, B. Petro Apoſtolo per donationis ſcriptum conceſſum eſt ſub integritate. Item in partibus Tuſciæ Longobardorum Caſtellum Felicitatis, Urbem veterem, Balneum Regis, Ferentum, Viterbium, Ortem, Nartam, Tuſcanam, Suanam, Populonium, Roſellas, cum ſuburbanis, atque viculis omnibus, & territoriis, ac maritimis, oppidis, ac viculis, ſeu finibus omnibus. Itemque Almus cum inſula Corſica, deinde in Seriano, deinde in monte Bardonis, deinde in Berceto, exinde in Parma, deinde in Regio, exinde in Mantua, atque in monte Silicis, atque Provincia Venetiarum, & Iſtria, necnon & cunctum Ducatum Spoletanum, ſeu Beneventanum, una cum Eccleſia S. Chriſtianæ*

Can. 32. & 33. diſt. 63.

ſtianæ poſita prope Papiam juxta Padum quarto milliario. Item in partibus Campaniæ Seram, Arces, Aquinum, Arpinum, Theanum, & Capuam, nec non patrimonia ad poteſtatem, & ditionem veſtram pertinentia, ſicuti eſt patrimonium Beneventanum, & patrimonium Neapolitanum, & patrimonium Calabriæ ſuperioris, & inferioris. De Civitate autem Neapolitana cum caſtellis, & territoriis, & finibus, & inſulis ſuis ſibi pertinentibus, ſicut ad eaſdem reſpicere videntur, nec non patrimonium Siciliæ, ſi Deus noſtris illud tradiderit manibus. Simili modo Civitatem Cajetam, & Fundum cum omnibus earum pertinentiis. Inſuper offerimus tibi, B. Petre Apoſtole, vicarioque tuo Domno Johanni Papæ, & ſucceſſoribus ejus, pro noſtræ animæ remedio, noſtrique Filii & noſtrorum Parentum, de proprio noſtro Regno Civitates, & oppida cum piſcariis ſuis, ideſt Reatem, Amiternum, Furconem, Nurſiam, Baluam, & Marſim, & alibi Civitatem Interamnem cum pertinentiis ſuis. Has omnes ſupradictas Provincias, urbes, civitates, oppida, & caſtella, viculos, & territoria, ſimulque & patrimonia pro remedio animæ noſtræ, & filii noſtri, ſive parentum noſtrorum, ac ſucceſſorum noſtrorum, & pro cuncto a Deo conſervato, & conſervando Francorum populo jam dictæ Eccleſiæ tuæ, B. Petre Apoſtole, & per te Vicario tuo ſpirituali Patri noſtro Domno Johanni Summo Pontifici, & univerſali Papæ, ejuſque ſucceſſoribus, uſque ad finem ſæculi, eo modo confirmamus, ut in ſuo detineat jure, principatu, atque ditione. Simili modo per hoc noſtræ delegationis pactum confirmamus donationes, quas piæ recordationis Domnus Pippinus Rex, & poſtea Domnus Carolus Excellentiſſimus Imperator B. Petro Apoſtolo ſpontanea voluntate contulerunt: nec non & cenſum, vel penſionem, ſeu ceteras dationes, quæ annuatim in palatium Regis Longobardorum inferri ſolebant, ſive de Tuſcia, ſive de Ducatu Spoletano, ſicut & in ſupraſcriptis donationibus continetur, & inter ſanctæ memoriæ Hadrianum Papam, & Domnum Carolum Imperatorem convenit, quando idem Pontifex eidem de ſupraſcriptis Ducatibus, ideſt Tuſcano, & Spoletano ſuæ auctoritatis præceptum confirmavit: eo ſcilicet modo, ut annis ſingulis prædictus cenſus ad partem Eccleſiæ B. Petri Apoſtoli perſolvatur: ſalva ſuper eoſdem Ducatus noſtra in omnibus dominatione, & illorum ad noſtram partem, & filii noſtri ſubjectione. Ceterum, ſicut diximus, omnia ſuperius nominata ita ad veſtram partem, per hoc noſtræ confirmationis pactum roboramus, ut in veſtro permaneant jure, principatu, atque ditione: & neque a nobis, neque a ſucceſſoribus noſtris per quodlibet argumentum, ſive machinationem, in quacumque parte veſtra poteſtas imminuatur; aut a vobis inde aliquid ſubtrahatur de ſupraſcriptis videlicet Provinciis, urbibus, civitatibus, oppidis, caſtris, viculis, inſulis, territoriis, atque patrimoniis, nec non & penſionibus, atque cenſibus, ita ut neque nos ea facturi ſimus, neque quibuſlibet ea facere volentibus conſentiamus. Sed potius omnium, quæ ſuperius leguntur, ideſt Provinciæ, civitates, urbes, oppida, caſtella, territoria, & patrimonia, atque inſulæ, cenſuſque, & penſiones ad partem Eccleſiæ B. Petri Apoſtoli, atque Pontificum in ſacratiſſima illius Sede reſidentium, nos in quantam poſſumus Defenſores eſſe teſtamur, ad hoc ut ea in illius ditione ad utendum, & fruendum, atque diſponendum ſimiliter valeant obtineri ſalva in omnibus poteſtate noſtra, & filii noſtri, poſterorumque noſtrorum ſecundum quod in pacto, & conſtitutione, ac promiſſionis firmitate Eugenii Pontificis, ſucceſſorumque illius continetur, ideſt ut omnis Clerus, & univerſa Populi Romani Nobilitas, propter diverſas neceſſitates, Pontificum irrationabiles erga populum ſibi ſubjectum aſperitates retundendas, ſacramento ſe obligent, quatenus futura Pontificum electio (quantum uniuſcujuſque intellectus fuerit) canonice, & juſte fiat; & ut ille, qui ad hoc ſanctum, atque Apoſtolicum

cum

Digitized by Google

eum regimen eligitur, nemine conſentiente, conſecratus ſiat Pontifex, priuſquam talem in præſentia Miſſorum noſtrorum, vel filii noſtri, ſeu univerſæ generalitatis, faciat promiſſionem pro omnium ſatiſfactione, atque futura conſervatione, qualem Domnus, & venerandus ſpiritalis pater noſter Leo ſponte feciſſe dignoſcitur. Præterea alia minora huic operi inſerenda prævidimus, videlicet ut in electione Pontificum neque liber, neque ſervus ad hoc venire præſumat, ut illis Romanis, quos ad hanc electionem per conſtitutionem ſanctorum Patrum antiqua admiſit conſuetudo, aliquod faciat impedimentum. Quod ſiquis contra hanc noſtram inſtitutionem ire præſumſerit, exilio tradatur. Inſuper, ut nullus Miſſorum noſtrorum cujuſcumque impeditionis argumentum componere in præfatam electionem audeat, prohibemus. Nam & hoc omnimodis inſtituere placuit, ut qui ſemel ſub ſpeciali defenſione Domni Apoſtolici, ſive noſtra fuerint ſuſcepti, impetrata juſte utantur defenſione. Quod ſiquis quemquam illorum, qui hoc promeruerunt, violare præſumſerit, ſciat ſe periculum vitæ ſuæ eſſe incurſurum. Illud etiam confirmamus, ut Domno Apoſtolico juſtam in omnibus ſervent obedientiam, ſive ducibus, ac judicibus ſuis ad juſtitiam faciendam; Huic enim inſtitutioni hoc neceſſario adnectendum eſſe perſpeximus, ut miſſi Domni Apoſtolici, ſeu noſtri ſemper ſint conſtituti, qui annuatim nobis, vel filio noſtro renunciare valeant, qualiter ſinguli duces, ac judices populo juſtitiam faciant. Hanc Imperialem Conſtitutionem quomodo obſervent qui miſſi, decernimus, ut primum cunctos clamores, qui per negligentiam ducum, ſeu judicum fuerint inventi, ad notitiam Domni Apoſtolici deferant. Et ipſe unum e duobus eligat, aut ſtatim per eoſdem miſſos ſiant ipſæ neceſſitates emendatæ, aut miſſo noſtro nobis renunciante per noſtros miſſos a nobis directos emendentur. Hoc ut ab omnibus fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ, & noſtris firmum eſſe credatur, propriæ manus ſignaculo, & nobilium optimatum noſtrorum ſubſcriptionibus hoc pactum confirmationis noſtræ roboravimus, & bullæ noſtræ impreſſione obſignari juſſimus. Sequuntur poſt hæc ſigna Ottonis Imperatoris, nec non Epiſcoporum decem, Abbatum duorum, aliorum Comitum, ac Procerum nonnullorum, atque ita concluditur: *Anno Dominicæ Incarnationis 962. indictione 5. menſe Februarii 13. die ejuſdem menſis, anno vero Domini Ottonis imperii invictiſſimi Imperatoris 27., facta eſt hæc pactio feliciter.* Auctoritatem hujus monumenti non defuerunt, qui in dubium revocarent ea potiſſimum ratione, quod Otto primus Henrici filius ſua potius in Romano Imperio jura prorogare ſtuduerit quam imminuere, quemadmodum ex Flodoardo, Reginone, Luitprando, nec non ex Romano Concilio anni 963. ipſomet præſente Ottone deducitur. Fuerunt e converſo viri graviſſimi, qui pro tuenda hujus monumenti fide ac ſinceritate non mediocriter elaborarunt. Ego tantum dixero, apud Gratianum nonnulla occurrere menda, & primum in inſcriptione canonis 32. diſt. 63. ibi: *Conſtitutio primi Henrici, & primi Ottonis cum Romanis Pontificibus.* Fruſtra adjectum fuit nomen Henrici primi, cum nullum hujuſmodi negotium geſtum adpareat inter eundem Henricum, Romanoſque Pontifices; neque aliter Ottonis Conſtitutioni pactionive potuit Henrici nomen adjici, niſi quod Otto Henricum parentem habuerit, eidemque in imperio ſucceſſerit. Sane in ea parte, in qua de Eugenio Pontifice fit mentio, agnoſcenda eſt conſtitutio Lotharii Imperatoris, qui anno circiter 830. temporibus Eugenii II. ita decrevit, quemadmodum legimus in lib. 3. Legum Longobardarum tit. 11. num. 3. ibi: *Volumus, ut in electione Pontificis nullus præſumat venire, neque liber, neque ſervus, qui aliquod impedimentum faciat, illis exceptis ſolummodo Romanis, quibus antiquitus fuit conſuetudo*

conceſſa

conceſſa per Conſtitutionem ſanctorum Patrum eligendi Pontificem, & ſiquis contra hanc juſſionem facere præſumſerit, in exilio tradatur. In ceteris exigenda erunt Gratiani verba ad nuper deſcriptam Conſtitutionem, multaque a Gratiani codicibus expungenda, quæ in eadem Conſtitutione deſiderantur, quemadmodum nonnulla adjicienda, ut ad fidem meliorum, integrorumque codicum ſingula conſonent. An vero jure optimo adjecta a Romanis Correctoribus fuerit poſtrema illa clauſula canonis 33. diſt. 63. *Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia*, ex eo uno, quod apud Centium Camerarium illa haberetur inter varias juramentorum formulas, facile unuſquiſque judicabit. Hæc itaque omnia cum ſuis animadverſionibus non inaniter videntur in hunc locum relata; ſiquidem ubi quis ſingula ſingulis contulerit, non ſolum animo concipiet, quæ ſit ferenda ſententia de canone 22. diſt. 63., ſed & quid ſentiendum ſit de iis, quæ Hadriani geſta interpretaturus ediſſeruit Gratianus ad calcem canonis 34. eadem diſtinctione.

De epiſtola ad Carolum.

Can. 6. diſt. 37. Huc referri omnino debent, quæ in priore hujus operis parte fuſius tradidi in cap. 43. de Concilio VII., ſeu Nicæno II. generali; tunc enim pluribus perſequutus ſum & cauſſas, & modum, quibus Franci ab Orientalibus diſſidebant, unde videbantur etiam Concilii Nicæni II. canonibus adverſari. Et quidem in Galliis duplicis generis erant, qui adverſus conſtituta Nicænæ Synodi ſcripſerant in cauſſa colendarum ſacrarum imaginum. Alii, quibus ceteroquin animus erat a vera fide non recedendi, proptereaque ſacras colendi imagines, cum ingratum haberent jam Græcos veterem hæreſim in Nicæno Concilio abdicaſſe, cujus hæreſeos cauſſa imperium Occidentale ab ipſis ad Francos translatum fuerat, veriti, ne forte ab illis depoſito errore imperium recuperaretur, adhuc Græcorum mentem inſectati ſunt, ajentes, in Orientali Eccleſia non eum cultum ſacris imaginibus decretum, qui deberetur eiſdem, ſed majorem illum cultum, qui ſoli Deo congrueret. Hujuſmodi forte eſſe potuerunt nonnulli ex Concilii Francofurdienſis Epiſcopis, ſi illius Concilii eſt canon ille ſecundus, qui in vulgaribus ejuſdem exemplaribus legitur. Alii, qui ſcilicet contra definitionem Eccleſiæ ſacras imagines deteſtabantur, Nicæni Concilii geſta, & ſanctiones irridebant; iique non ſolum Concilii phraſes, & argumenta quæcumque rimabantur, atque ad ſtrictiſſimam amuſſim exigebant, ſed & profitebantur, ſe nullum unquam cultum ſacris imaginibus præſtituros. Hujus poſterioris generis homines, ſine dubio hæretici, plurima ſcripſerant adverſus Nicænam definitionem, atque in vulgus ſparſerant. Quamobrem optimum duxit Hadrianus apologiam Synodi facere, adverſantium objectionibus reſpondere, ſcriptiſque omnia commendata mittere ad Carolum Magnum, cujus pietate, ac religione futurum ſperabat, ut hæretici compeſcerentur. Hæc eſt epiſtola Hadriani ad Carolum Regem, quæ incipit *Dominus ac redemptor noſter, &c.* ſubjecta actis Concilii Nicæni II. in Labbeana Conciliorum Collectione, cujus hic ordo eſt: Poſt præfationem ſibi objecit Hadrianus ſigillatim quæcumque ab hæreticis adverſus Nicænam Synodum prædicabantur, atque objectis ſigillatim etiam reſpondit. In capite 49. leguntur hæc hæreticorum verba, ſive luſus cauſſa factæ interrogationes ibi: *Quæ ſit differentia imaginis*

Digitized by Google

imaginis, & ſimilitudinis, ſive æqualitatis; quaſi concludere vellent etiam colendas eſſe ſimilitudines, ſive æqualitates, quotieſcumque colendæ proponerentur imagines. His reſpondit Hadrianus: *Quis de fidelibus ignorare ſe putat aliquando, quæ ſit imago, aut ſimilitudo, vel æqualitas? In ſancta vero Catholica, & Apoſtolica Eccleſia humilibus datur gratia. Nam differentia Mathematicorum exterioris arte diſciplinæ fideles conſervare deſpiciunt, B. Ambroſio dicente in libro 1. de fide, ubi inter cetera inquit: Dicendum eſt nobis quod ſcriptum eſt: Cavete, nequis vos deprædetur per philoſophiam, & inanem ſeductionem ſecundum traditionem hominum, & ſecundum elementa hujus mundi, & non ſecundum Deum. Omnem enim vim venenorum ſuorum in dialectica diſputatione conſtituunt, quæ philoſophorum ſententia definitur, non adſtruendi vim habere, ſed ſtudium deſtruendi. Sed non in dialectica complacuit Deo ſalvum facere populum ſuum. Regnum enim Dei in ſimplicitate fidei eſt, non in contentione ſermonis.* Nemo non videt quantum lucis accipiat ex Hadriani ſententia ita integre deſcripta Gratianeus canon 6. diſt. 37.; qui ita a Collectore exhibetur, quaſi ex eo demonſtrari poſſit, dialecticæ regulas a Catholicis viris evitandas eſſe, neque ullo modo illis fore inhærendum. Dialecticam illam inſequitur prudentiſſimus Pontifex, quam Iconoclaſtæ hæretici collocabant in verſutiis, fallaciiſque nonnullis, quibus incautos decipiebant, præſertim ubi imagines una cum ſimilitudinibus, atque æqualitatibus promiſcue ſumebant, ubi de cultu illarum agendum eſſet. Ait propterea jure optimo, a nemine ignorari, quid inter imagines intercedat, atque inter ſimilitudines, ſeu æqualitates. Interea vero improbat hujuſmodi hæreticorum argumenta, quaſi cavillationes, ac tortuoſas ingenii vias, eo ſtratas, quo facilius incauti ad impietatem deducantur. Eadem, quæ apud Gratianum legimus, habentur etiam apud Ivonem in cap. 229. part. 4. ubi tamen priora verba hæc ſunt. *Omnem vim inventorum ſuorum in dialectica diſputantes ponunt hæretici*, &c.

De Epiſtola ad Taraſium Patriarcham.

Licet in Taraſii Patriarchæ Conſtantinopolitani ordinatione improbatum quidpiam a Sanctis Patribus, ac præſertim ab Hadriano Pontifice fuerit, quod Laicus ſtatim ad Epiſcopatum aſcendiſſet, tamen ipſe excuſatione digniſſimus fuit, quum non ſponte, aut libenter, ſed invitus ad Pontificatum adtractus eſt potius, quam adductus; illi vero, qui invitum hominem ordinandum curaverant, pietatis, ac religionis ſtudio id moliti fuerunt. Ut enim Iconoclaſtarum hæreſim univerſos propemodum Conſtantinopolitanorum animos occupaverat, cumque pauci autem in vera fide, ac religione conſiſterent, Uiri boni agnoſcentes Taraſium in ſacras imagines pium, illuſtri etiam genere natum, in aula Imperatoria optime meritum, illum in Epiſcopum ſibi elegerunt, licet laicum, futurum ſperantes, ut ejus fide, pietate, doctrina, præſtantia, atque auctoritate Conſtantinopolitana tandem Eccleſia mutaret faciem, atque ad germanam Fidem, quæ propemodum ubique in Oriente corruerat, revocaretur, imo ceteris Orientalium Eccleſiis, ut revocarentur, eſſet exemplo. Itaque Taraſius hiſce auſpiciis Epiſcopatum ſuſcipiens anno circiter 785., ſtatim de more Epiſcoporum recens ordinatorum miſit ad Patriarchas omnes, ad ipſum Hadrianum Papam, ſuam fidei profeſſionem, quæ habetur in collectionibus Conciliorum inter acta Concilii Nicæni II., actione 3. Ibidem inter cetera fidei dog-

Can. 5. diſt. 16. & can. 29. de conſ. diſt. 3.

Digitized by Google

dogmata, quæ Taraſius profitetur, hæc leguntur: *Per ſextam* (intellige Synodum generalem) *ſicut ex duabus naturis Chriſtum; ex quibus & eſt; olim eſſe didiceram; ita & duas naturales voluntates, & operationes ejus in utraque natura credidi, humana ſcilicet, & divina: ſubmittoque anathemati Cyrum, Sergium, Honorium, Pyrrhum, Paullum, & omnes Conſectatores eorum: Dogma quoque ipſorum, ut Sodomiticam vitem, & Gomorrhiticam propaginem, amaritudinis botryonem habentes, odivi. Ipſius autem ſanctæ ſextæ Synodi cum omnibus dogmatibus, quæ legaliter, ac divinitus ab ea promulgata ſunt, etiam depromtos canones recipio, in quibus refertur, in quibuſdam venerabilium imaginum picturis agnus digito Præcurſoris exaratur oſtenſus, qui in figura præceſſit gratiæ, verum nobis per legem demonſtrans agnum, Chriſtum videlicet Dominum noſtrum. Veteres ergo figuras, & umbras, utpote veritatis indicia, & præcedentes characteres Eccleſiæ traditos ſalutantes, gratiam honore præferimus, & veritatem hanc ut legis plenitudinem admittentes. Ut ergo perfectio etiam per colorum operationes in omnium vultibus depingatur, characterem agni Dei Noſtri Chriſti, qui tollit peccata mundi, ſecundum humanitatem etiam in Iconis ex hoc pro veteri agno definimus depingi; per eum videlicet celſitudinem humilitatis Dei Verbi conſiderantes, & ad memoriam converſationis, quam in carne geſſit, paſſionis quoque, ac ſalutaris mortis ejus adducti, atque redemtionis, quæ hinc eſt mundo effecta &c.* Sic ſe ſe habet latina interpretatio Græcæ Synodi, quæ edita adparet in Tom. 8. Labbeanæ Venetæ editionis. Paullo aliter antiqua, & vulgata ejuſdem Epiſtolæ editio latina his verbis: *Sextam autem* (intellige Synodum generalem) *laudo, quod ex duabus naturis Chriſtum prædicavit, ob id etiam illi duas naturales voluntates, & operationes in alterutra natura, humana ſcilicet, & divina adſignavit; anathemate autem execror Cyrum, Sergium, Honorium, Pyrrhum, Paullum, & omnes, qui eorum decretis inſiſtunt, veluti Sodomiticam vitem, & Gomorrhicum palmitem amaros botros producentem, exoſos habeo. Ejuſdem quoque ſextæ Synodi omnia, tum recte, & divine decreta edita, traditoſque canones recipio, præcipue tamen in quo aſſignatur quibuſdam in picturis agnum digito Præcurſoris indicatum feliciter effigiari, velut in typum gratiæ, verum illum agnum Chriſtum Deum noſtrum, per legis præceſſionem præfiguratum. Propterea antiquas illas picturas, & umbras figurarum, tamquam ſymbola, & notas Eccleſiæ traditas, amplectimur; ipſam tamen gratiam, & veritatem prius ſuo honore convenientes; legis enim ſatisfactio hæc ſunt; picturas autem non in alium uſum admittimus, niſi ut perfectius omnium conſpectu, oculiſque exhibeantur; quemadmodum agnus, qui peccata mundi ſuſtulit, juxta humanam effigiem configuratus a nobis erigitur, ut ex hac ejus humiliatione altitudinem Verbi Dei conſiderantes, ad memoriam diſpenſationis in carne ejus omnia trahantur, & ad illius paſſionem, ſalutiferamque mortem, unde mundo liberatio orta eſt, veluti manu ducamur. &c.* Sane ex his apprime liquet, unde Gratianus exceperit duos illos canones, nimirum can. 5. diſt. 16., & can. 29. de conſ. diſt. 3., quos rectius ex Taraſio Patriarcha Conſtantinopolitano, quam ex monumentis Hadriani Papæ laudaviſſet. Quid enim aliud iidem canones continent, quam quod in argumentum fidei ſuæ Taraſius recens Epiſcopus ordinatus exhibuerat? Fateor, extat reſponſum Hadriani Papæ ad Taraſium, in quo eadem ferme leguntur: Verum ibidem non quid ipſe profiteretur Hadrianus exprimendum voluit, ſed potius laudavit Taraſium, quod ita, quemadmodum ſcripſerat, profiteretur. Verba Hadriani hæc ſunt, quæ leguntur in ipſius reſponſo ad Taraſium, quod incipit *Paſtoralibus curis*, ubi inter cetera ſic habetur: *Invenimus autem in prædicta ſynodica Epiſtola ſanctitatis veſtræ poſt plenitudinem fidei, & confeſ-*

ſionem

ſionem ſacri Symboli, & omnium ſanctarum ſex Synodorum, & de ſacris, & venerabilibus characteribus miraculum laude, ac veneratione digniſſimum contineri: quia & easdem Sanctas ſex Synodos ſuſcipio, cum omnibus regulis, quæ jure, ac divinitus ab ipſis promulgatæ ſunt. Inter quas continetur; in quibuſdam venerabilium imaginum picturis agnus digito Præcurſoris exaratus oſtenditur, qui in figura præteriit gratiæ, verum nobis per legem præoſtendens agnum Chriſtum Dominum noſtrum. Ergo veteres figuras, & umbras, ut veritatis indicia, & præſagia Eccleſiæ traditas amplectentes, gratiam præferimus, & veritatem, hanc ut plenitudinem legis ſuſcipientes. Ut ergo perfectio etiam per colorum operationes in cunctorum vultibus depingatur Agni Chriſti Dei noſtri, qui tulit peccatum mundi, ſecundum humanitatem, characterem, & imaginem hominis, pro veteri agno depingi definimus, per ipſum Dei Verbi humilitatis celſitudinem conſiderantes, & ad memoriam in carne converſationis, tam ſcilicet paſſionem ejus, quam ſalutarem mortem, atque redemtionem, quæ hinc eſt mundo effecta, manu quodammodo reducentes. Conſtat itaque memoratos Gratianeos canones Taraſii potius eſſe, quam Hadriani. At ſi quæramus, quinam ille canon ſit ex generalibus Synodis depromtus, in quo mentio fit ſacræ vetuſtæ imaginis Chriſti Domini, vel eo uſque depicti ſub figura Agni a Præcurſore demonſtrati, vel in poſterum pingendi ad formam hominis, nullum ſane alium canonem agnoſcere quiſpiam poterit, quam canonem 82. Concilii Trullani his verbis expreſſum: *Inter nonnullas venerabilium imaginum picturas Agnus, qui digito Præcurſoris demonſtratur, depingitur, qui ad gratiæ figuram adſumtus eſt, verum nobis Agnum per legem Chriſtum Deum noſtrum præmonſtrans. Antiquas ergo figuras, & umbras, ut veritatis ſigna, & characteres, Eccleſiæ traditas amplectentes, gratiam & veritatem præponamus, eam ut legis impletionem ſuſcipientes. Ut ergo quod perfectum eſt, ſaltem coloribus effigiatum, omnium oculis ſubjiciatur, Agni ejus, qui tollit peccatum mundi, Chriſti Dei noſtri inſtar hominis characterem, etiam in imaginibus deinceps pro veteri Agno ſtatui jubemus, ut per ipſum Verbi Dei humiliationem mente comprehendentes, ad memoriam quoque ejus in carne converſationis, ejuſque paſſionis, & ſalutaris mortis manu ducamur, ejuſque, quæ ex eo facta eſt, mundo redemtionis.* Hunc Trullani Concilii canonem ſpecialiter laudandum in ſua fidei profeſſione voluit Taraſius, quia in illis temporum, & cauſſarum adjunctis ejus canonis profeſſio erat peropportuna. Forte enim adverſus Taraſii ordinationem proponi poterat, illum vulgata Græcorum hæreſi abductum ſacrarum imaginum cultum deteſtari, & recepiſſe recentiores illas Græcorum pſeudo-Synodos, in quibus denegatus eſt honos ſacris eiſdem imaginibus debitus. Quamobrem nihil opportunius erat Taraſio recens in Patriarcham electo, quam ea ſpecialiter profiteri, quæ longe a Græcorum hæreſi abeſſent, atque hac profeſſione animum Romanorum Pontificum ſibi conciliare, a quo jam plurimi Græcorum Antiſtites ſchiſmate concitato defecerant. Hinc cauſſam facile agnoſcimus, cur Taraſius idem dixerit, ſe ſanctas ſex Synodos recipere generales, & apud Græcos celebratas, ſilentio vero præterierit poſteriores illas pſeudo-Synodos in cauſſa ſacrarum imaginum factas, utpote quas minime ſequebatur, licet non expreſſe damnaverit œconomiæ cujuſpiam cauſſa, ne ſcilicet a ſe Græcorum Schiſmaticorum animos magis averteret, quos tandem in rectam viam reducendos ſperabat. Dices: cur vero Taraſius Trullanæ Synodi parum probatæ canonem laudavit, in argumentum fidei ſuæ, imo etiam velut canonem ſextæ generalis Synodi agnovit? Cur præterea Hadrianus Papa eam ipſam ob rem integram Taraſii fidem commendavit, ac libentiſſime ſuſcepit? Num exinde demonſtrabitur, Concilii Trullani canones æque

apud Romanam Eccleſiam, atque apud Orientales propemodum univerſos fuiſſe receptos, ac confirmatos? Non hanc fuiſſe arbitror Taraſii mentem, eove minus Hadriani Pontificis. Taraſius in primis forte errore facti decipi potuit, ex vulgari Græcorum perſuaſione, apud quos Synodi Trullanæ canones prædicabantur veluti canones Synodi VI. generalis, licet ſexta generalis Synodus nullos canones edidiſſet; atque eo facilius decipi Taraſius potuit, quo minus erat rerum ſanctionumque Eccleſiaſticarum peritus, homo laicus, & e laico ſtatim in Patriarcham electus. Quod ſi mihi Taraſium des in ſacra prudentia Græcorum eruditiſſimum, atque ex animo laudantem nomine ſextæ Synodi Trullanos canones, quos ſciret revera non eſſe ſextæ Synodi; non ideo improbandam cenſeo ejuſdem voluntatem. Etenim ut animo præconceperat in Orientali Eccleſia cultum ſacris imaginibus decernendum, cœpit in ſua fidei profeſſione quid ipſe in ea cauſſa ſentiret, aperire perſpicue, neve videretur a Græcis in ſacras imagines infenſis omnino diſſidere, laudandum voluit Trullanum Græcorum canonem, quem ex traditione etiam Græcorum appellare canonem voluit Synodi ſextæ, parum ſollicitus interea de inveſtigandis diſcernendiſque Synodorum orientalium canonibus, dummodo, quod tum præcipue agendum erat, cautius, atque efficacius ageretur. Quid, amabo, vehementius Græcos excutere poterat, atque ab hæreſi revocare ad fidem, quam canon ille Trullanus, & quidem Concilio generali VI. tributus, quando certum eſt Græcos ipſos & Trullanos canones recepiſſe, & illos recepiſſe velut canones ſextæ Synodi? Hunc itaque propoſuit Taraſius, quo Græcorum hæreſim conficere tutius meditabatur, velut ex ipſiſmet Græcorum Schiſmaticorum monumentis. Sed & animadvertere juvat verba ipſa Taraſii, ex quibus aperte non conſtat, Taraſium in ea fuiſſe ſententia, ut Trullanos canones ſuſciperet, eoſdemque ſextæ generali Synodo adſcriberet. In eo exemplari, quod primo loco ſuperius edidi, ita legitur: *ipſius autem ſanctæ ſextæ Synodi ... etiam depromtos canones recipio, in quibus refertur: in quibuſdam venerabilium imaginum &c.* Referri aſſerit in canonibus ſextæ Synodi Trullanum canonem de ſacra Servatoris imagine, eundemque canonem ſe recipere profeſſus eſt Taraſius; non tamen exinde profeſſus eſt, canonem illum revera eſſe Synodi ſextæ, aut ſe æque recipere ceteros canones Concilii Trullani. Eadem eſt ſignificatio verborum, quæ habentur in ſecundo exemplari Epiſtolæ Taraſii ſuperius edito, nec non quæ habentur apud Hadrianum referentem ipſamet Taraſii verba. Quod vero ad ipſum Hadrianum Pontificem Maximum pertinet, licet ipſe probaverit, imo etiam laudaverit Taraſii profeſſionem, in ea potiſſimum parte, qua Trullanorum canonum decreta proponebantur, recepit quidem doctrinam in eo canone expreſſam, doctrinam ſane divinæ traditioni conformem, optavit etiam Græcos omnes in eandem ſententiam convenire; at de Trullanis canonibus, quorum nomen reticebatur, ſollicitus minime fuit, nec inveſtigandum tunc prudenter erat, an illi recipiendi, confirmandique forent, an præterea habendi uti ſextæ Synodi canones, nec ne. Quod ſi ſollicitius inquirendum voluiſſet Hadrianus, turbare quodammodo viſus fuiſſet inopportune optima illa Græcorum Catholicorum vota, qui ceteros in hæreſim Iconoclaſtarum lapſos ad rectam fidem reducere meditabantur. Poſt hæc apprime, uti decet, perſpecta, nihil amplius deſiderandum videtur ad rectam Gratianeorum canonum interpretationem, præſertim canonis 5. diſt. 16. quem Gratianus ipſe parum apte diſputationi, quam ſuſceperat, adcommodavit.

AP-

Digitized by Google

APPENDIX.

De canone 21. cau. 1. qu. 1. adſcripto Taraſio Epiſcopo Conſtantinopolitano.

Quæ multa nuper dicenda fuerunt de Taraſio Conſtantinopolitano Patriarcha, occaſionem mihi opportunam exhibere videntur, nonnulla hoc in loco ſubjiciendi de canone 21. cau. 1. qu. 1., utpote qui Taraſio eidem adſcribitur, ne forte aliàs eadem, quæ hic tradita ſunt, regerere cogar. Itaque quod pertinet ad verba ipſa canonis 21. fruſtra ego elaborarem in illis exigendis ad optima exemplaria, cum abunde jam id factum fuerit a Romanis Correctoribus, qui & in ipſo Gratianeo Codice priorem Epiſtolæ partem integram ediderunt ſeu græce, ſeu latine. Ego adjiciam, hanc Epiſtolam ſuſpectæ fidei viſam fuiſſe viris eruditiſſimis, qui eandem a Theodoro Balſamone in Romanos Pontifices infenſo effictam eſſe dixerunt. Sane legitur quidem illa poſt acta Synodi Nicænæ II. in exemplaribus Græcis ab eodem Balſamone depravatis, ſed in antiqua collectione Latina deſideratur, imo & Græcorum aliquæ collectiones, quemadmodum etiam Romani Correctores animadverterunt, egregiam injuriam inferunt in Hadrianum Pontificem; quæ ſane collectiones ſi germanæ ſunt, clarius indicant, Epiſtolam non ab alio factam, quam ab eo, qui Romanam Eccleſiam inſequebatur, qualis erat Balſamon, nunquam vero ab eo, qui Hadriani Papæ, & Romanæ Eccleſiæ ſtudioſus erat, qualis fuit Taraſius. Ejus Epiſtolæ ſcopus eo tendit, ut Taraſius redarguat Hadrianum Pontificem de vitio Simoniæ, improbans, damnanſque adductis in eam rem veterum Patrum teſtimoniis ordinationes data, pactave pecunia celebratas. Hujuſmodi autem vitio deditum Hadrianum Pontificem nemo unquam ex Scriptoribus Eccleſiaſticis, ſeu Hiſtoricis memoriæ commendavit. Intererat Balſamonis hanc inſinuare calumniam, ut vitia Romanis Pontificibus affingendo Græcorum animos a Romana Eccleſia averteret. Sunt, fateor, nonnulli, qui aſſeruerunt aliò pertinere Epiſtolæ argumentum, tradentes, Taraſium fuiſſe de Simonia ſuſpectum, atque ut hanc ſuſpicionem ſubmoveret, Epiſtolam ſcripſiſſe ad Hadrianum, qua palam teſtaretur, quantum a Simoniæ vitio abeſſet. Verum qui totam Epiſtolam legerit attentiuſque conſideraverit, facile dignoſcet, Epiſtolam non ſe purgantis, ſed potius alios reprehendentis eſſe. Hinc jure ac merito conjicere quiſpiam poterit, tribuendam hanc Epiſtolam eſſe Balſamoni jam de falſitate monumentorum adverſus Romanam Eccleſiam confingendorum, corrumpendorumque convicto. Ceterum non ivero inficias, ejuſdem Taraſii Conſtantinopolitani, & Hadriani Papæ temporibus aliqua adverſus Simoniacos conſtituta fuiſſe, quemadmodum argumento eſſe poteſt canon 4., & canon 5. Concilii Nicæni II.

CA-

Digitized by Google

CAPUT LXXII.

De Leone III.

Omiſſo canone 16. cau. 3. qu. 9., de quo ſuperius actum eſt in cap. 42., Leoni III. videntur hæc a Gratiano fuiſſe tributa.

Ex formula purgationis.	*Can.* 18. *cau.* 2. *qu.* 5. *in variis codicibus varia formula expreſſus.*	
Ex epiſt. ad Carolum Regem.	*Can.* 19. *cau.* 2. *qu.* 5. *pertinet ad Capitularia Caroli Magni.*	
	Can. 6. *cau.* 16. *qu.* 6.	*incerti auctoris exiſtunt.*
	Can. 29. *cau.* 16. *qu.* 7.	

LEonis III. Papæ vices variæ fuerunt ab anno 795., quo Hadriano in Pontificatu ſucceſſit, uſque ad annum 816., quo mortuus eſt. Initio ſcilicet eximia cum ſui laude exceptus a populo Romano conſentientibus omnibus, nemine diſcrepante non mediocriter ſui nominis gloriam auxerat; deinde vero a Romanæ Eccleſiæ Clericis in ſublimiori etiam dignitate conſtitutis vexatus fugæ ſe dedere debuit: Hinc ad Carolum Magnum ſe contulit, ejus patrocinium de ſuorum Prædeceſſorum more imploraturus. Princeps autem religioſiſſimus pro ſuo in Romanam Eccleſiam, ac Romanos ipſos Epiſcopos ſtudio nihil optabilius executus eſt, quam Leonis cauſſam, ac dignitatem in tuto collocare, quod perfecit Romam una cum Pontifice veniens, ubi & Leoni eidem ſedato hoſtium ſchiſmate tranquilla ſuæ Sedis poſſeſſio reſtituta, & Carolus Princeps Imperatoris nomine ſalutari cœpit. Interea vero non defuerunt, qui Leonem de atrocibus quibuſdam criminibus accuſarent, cujus rei cauſſa in Urbe convocari Concilium poſtularent. Et quidem plures Epiſcopi eo convenerunt ipſo Leone conſentiente, qui vehementer optabat, ut de adverſantium calumnia palam conſtaret, qua ratione fieret, ne honori ſuo quidpiam detraheretur, aut detractum quoquo modo jamdiu fuiſſe videretur. Itaque in Concilio, ipſis Epiſcopis Supremi Pontificis cauſſam dirimere, aut judicio definire renuentibus, ipſe Leo ſeſe a delatis criminibus purgavit, eaque ratione, ut ſeditioſi exilio publicæ tranquillitatis cauſſa multarentur, obtinuit. Hinc quouſque Carolus Imperator vixit, fretus amicitia Principis, cui cariſſimus erat, pacifice Eccleſiæ præfuit; ſed mortuo Carolo, aliquot interfuerunt ſimultates inter ipſum, & Ludovicum in Imperio ſucceſſorem, cauſſam præbentibus viris ſeditioſis Romæ conſiſtentibus, qui novam Imperii formam in Occidente conſtitutam turbabant. Non tamen diu ita ſeſe res habuit; ſiquidem brevi & Pontificis, & Imperatoris animi compoſiti fuerunt.

De

Digitized by Google

De formula purgationis.

Tradidit Gratianus in canone 18. cau. 2. qu. 5. fragmentum formulæ illius, qua Leo III. de nonnullis, uti nuper præfatus ſum, criminibus accuſatus, palam *Can. 18. cau. 2. qu. 5.* in Romano Concilio ſeſe purgavit. An vero, quæ apud Gratianum, alioſve Collectores formula recenſetur, eadem ipſa ſit, qua Leo uſus fuerit, plurimum dubito; etenim quicumque Leonis purgationem retulerunt Scriptores, aut Hiſtorici, diverſam formulam deſcripſerunt. Sic Anaſtaſius in ejus vita inquit: *Alia vero die in eadem Eccleſia B. Petri Apoſtoli cum omnes adeſſent generaliter Archiepiſcopi, ſeu Epiſcopi, & Abbates, & omnes Franci, qui in ſervitio ejuſdem Magni Regis fuerunt, & cuncti Romani in eadem Eccleſia B. Petri Apoſtoli, in eorum præſentia amplectens præfatus venerabilis Pontifex ſancta Chriſti quatuor Evangelia coram omnibus aſcendit in ambonem, & ſub jurejurando clara voce dixit: Quia de iſtis falſis criminibus, quæ ſuper me impoſuerunt Romani, qui inique me perſecuti ſunt, ſcientiam non habeo, nec talia egiſſe me cognoſco. Et hoc peracto omnes Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates, & cuncti Clerici litania facta laudes dederunt Deo &c.* In libro Romani Ordinis hæc deſcribitur, velut formula purgationis a Leone recitata: *Nota res eſt, Fratres Cariſſimi, malos adverſum me homines inſurrexiſſe, meque ad vitam meam graviſſimis criminibus infamaſſe. Cujus rei cognoſcendæ gratia Clementiſſimus hic, ac Sereniſſimus Rex Carolus una cum Sacerdotibus, ac Principibus ſuis in hanc Urbem ſe contulit. Quamobrem ego Leo Pontifex S. R. E. a nemine judicatus, neque coactus, ſed mea voluntate impulſus purgo me præſentibus vobis coram Deo, & Angelis ejus, qui conſcientiam novit, & B. Petro Principe Apoſtolorum, in cujus conſpectu conſiſtimus, neque ſceleratas res, quas mihi objiciunt, perpetraſſe, neque perpetrari juſſiſſe, Deum teſtans, in cujus judicium venturi ſumus, & in cujus conſpectu conſiſtimus. Et hoc facio non legibus ullis obſtrictus, neque hanc conſuetudinem, aut decretum in Sancta Eccleſia Succeſſoribus meis, & fratribus Coepiſcopis imponere cupiens, ſed ut certius vos iniquis ſuſpicionibus liberem.* Paullo aliter eadem formula refertur apud Burchardum, & Ivonem, quorum verba in parte deſcripſerunt Romani Correctores poſt Gratianeum canonem 18. cau. 2. qu. 5. Monachus quidam Sangallenſis in vita Caroli Magni ita ſcribit: *Illic intemeratus Pater Leo aſſumens Evangelium Domini noſtri Jeſu Chriſti, poſuit ſuper caput ſuum, & in conſpectu Caroli, ejuſque militum, aſſiſtentibus etiam perſecutoribus ſuis, in hæc verba juravit: Sic in die magni judicii ſim particeps Evangelii, ſicut immunis ſum criminis falſo mihi ab iſtis objecti.* Hinc ſane adparet, purgationem quidem a Leone III. publice factam, attamen non certa, ſtatutaque publica formula uſum fuiſſe, quam ſcilicet formulam qui rem geſtam ſcriptis commendarunt ex arbitrio veroſimili quadam verborum textura juxta ea, quæ vulgo acceperant, deſcripſerunt. Hujuſmodi eſt canon Gratianeus, cujus propterea nemo non videt qualis fides ſit, & auctoritas. Unum adhuc eſt, quod animadvertamus ad Gratianum, qui antememoratum canonem 18. explicans capita in eam quæſtionem relata, quibus præſtituitur accuſatos purgare ſe debere, ait id verum eſſe, *ſi reus ſe purgare voluerit, ut ſacri canones modum, non neceſſitatem purgandi accuſato imponant*, quod deinde adparere dicit *ex auctoritate Leonis, qui data purgatione ait de ſeipſo &c.*

Ut

Ut traditioni ſuæ atque doctrinæ confirmandæ ſtuderet Gratianus, alia in medium proferre debebat exempla reorum, qui non lege adacti, ſed potius ſponte purgare ſe voluerint. Nam Leonis exemplum meo judicio parum accommodum eſſe videtur, quum ſupremæ in Eccleſia dignitatis ratio ſingularis non patiatur in diſcrimen neceſſario venire coram Epiſcopis, neque Pontificem Maximum debere ſe neceſſario coram Epiſcopis purgare, ubi accuſetur. Hæc plane ad alios inferioris Ordinis Clericos, aut etiam Epiſcopos extendi nullo modo poſſunt, quod ipſemet Gratianus agnoviſſe videtur ante canonem 19. cau. 2. qu. 5.

De Epiſtolis ad Carolum Regem.

Can. 19. cau. 2. qu. 5. Quicumque legat verba canonis 19. cau. 2. qu. 5. in quo Leonis Papæ III. mentio fit, & ejuſdem purgationis, de qua jam ſuperius ſermonem habui, ſtatim intelligit, illum canonem Leoni III. tribui nullo modo poſſe. Non eſt tamen diutius morandum, ut auctorem quæramus; Nam verba illa *genitoris noſtri Pippini* ſatis indicant Carolum Magnum aut loquentem, aut ſcribentem. Revera in Capitulari Aquiſgranenſi anni 803. Paullino Patriarcha Aquilejenſi vices gerente Sedis Apoſtolicæ & Carolo Magno Imperatoriam auctoritatem explicante cap. 7. eadem propemodum verba leguntur, ibi: *Omnibus vobis viſu, aut auditu notum eſſe non dubitamus, quod ſæpiſſime ſuadente antiquo hoſte, Sacerdotibus diverſa crimina objiciantur. Sed quoniam qualiter ex eis ab his rationabilis examinatio, & ſatisfactio fiat, licet tempore bonæ memoriæ Domini genitoris noſtri Pippini, ſive priſcis temporibus a Sanctis Patribus, & a reliquis bonæ devotionis hominibus ſæpiſſime ventilatum fuerit, nos tamen pleniter, & ad liquidum definitum reperire minime quivimus. Noſtris quippe temporibus idipſum a Sanctis Epiſcopis, & reliquis Sacerdotibus, & ceteris Eccleſiaſticæ dignitatis Miniſtris noſtris in regnis, ſeu in aliis Deo degentibus, nobiſque una cum eis agentibus, ſæpiſſime propter multas, & nimias reclamationes, quæ ex hoc ad nos ex diverſis partibus venerunt, ventilatum eſt. Sed qualiter conſultu Domni, & Patris noſtri Leonis Apoſtolici, ceterorumque Romanæ Eccleſiæ Epiſcoporum, & reliquorum Sacerdotum, ſive Orientalium & Græcorum Patriarcharum, & multorum ſanctorum Epiſcoporum, & Sacerdotum, nec non & noſtrorum Epiſcoporum omnium, ceterorumque Sacerdotum ac Levitarum auctoritate & conſenſu, atque reliquorum fidelium, & cunctorum conſiliariorum noſtrorum conſultu definitum eſt, vobis omnibus utriuſque ordinis miniſtris ſcire volumus. Statutum eſt namque ratione, & neceſſitate, ac auctoritate prædicta conſultu omnium, ut quotieſcumque cuiquam Sacerdoti crimen imponitur, ſi ipſis accuſator talis fuerit, ut accipi debeat, quia quales ad accuſationem Sacerdotum admitti debeant, in canonibus pleniter expreſſum eſt. Si autem, ut dictum eſt, ille accuſator; qui canonice eſt recipiendus, eum cum legitimo numero verorum & bonorum teſtium adprobare in conſpectu Epiſcoporum poterit, tunc canonice dijudicetur. Et ſi culpabilis inventus fuerit, canonice damnetur. Si vero eum ſupraſcripto prætexto adprobare ipſe accuſator minime poterit, & hoc canonice definiatur. Ipſe ergo Sacerdos ſi ſuſpicioſus, atque incredulus ſuo Epiſcopo, aut reliquis ſuis Conſacerdotibus, ſive bonis & juſtis de ſuo populo, vel de ſua plebe hominibus fuerit, ne in crimine, aut in prædicta ſuſpicione remaneat, cum tribus, aut quinque, vel ſeptem bonis ac vicinis Sacerdotibus;*

exem-

exemplo prædicti Leonis Papæ, qui duodecim Presbyteros in ſua purgatione habuit, vel eo amplius, ſi ſuo Epiſcopo viſum fuerit, aut neceſſe propter tumultum populi ineſſe perſpexerit, & cum aliis bonis, & juſtis hominibus, ſe Sacramento coram populo ſuper quatuor Evangelia dato purgatum Eccleſiæ reddat. Siquis autem ſcire deſiderat, quales teſtes ad accuſationem Sacerdotum recipi debeant, & quid de accuſatore faciendum ſit, pleniter in canonibus reperire poterit. Eadem leguntur in libro 5. Capitularium cap. 36. in editione Baluziana. Eam ipſam conſtitutionem, ſimilia etiam quædam in aliis Capitulis Caroli Magni, quæ de purgatione Sacerdotum edita fuerunt, reperies in tomo 1. Capitularium ejuſdem Baluzianæ editionis pag. 385. Hanc ſtabiliendi in Clericis, ac præſertim Sacerdotibus, vel Epiſcopis diſciplinam occaſio fuit peropportuna. Siquidem circa finem octavi ſæculi ſingularia quædam recepta erant in judiciis publicis, ut, quotieſcumque de crimine fieret accuſatio, reus ipſe & accuſator, imo etiam ipſi aliquando teſtes ſive in accuſatoris, ſive in rei ſubſidium accedentes, in ſingulare certamen venirent, & ſuſceptis armis in campum prodirent, ut non rei diſcuſſa veritas, ſed pugnæ ejuſdem exitus controverſiam definiret. Præterea ubi graves conjecturæ reum angebant, duplex prodita erat purgationis forma, vel per ferrum candens, vel per aquam ſeu calidam, ſeu frigidam, quo fieret, ut fato quodam omnia dirimerentur, ſeu, ut melius dicam, divinæ voluntati per dubia indicia exploratæ omnia commiſſa viderentur. Id etſi in laicis hominibus permitteretur, non tamen decorum videbatur in clericis, quorum purgatio neceſſaria quidem, prout res incideret, erat, at non ea ratione facienda. Eam ob rem & Pippinus, & Carolus Magnus in rebus Eccleſiaſticis Pontifices Maximos conſulere potiſſimum exoptantes, imo eorum vota perpetuo ſequentes, Romanorum Antiſtitum & ſuffragiis & exemplis inhærentes, purgationis ſingularem formam Sacerdotibus indixerunt, qualem in nuper deſcripto capite exhibebam.

Incertum eſt ipſis etiam invicem collatis Gratiani codicibus, an canon 6. *Can. 6.*
cau. 16. qu. 6., nec non canon 29. cau. 16. qu. 7. tribui debeant Leoni III. *cau. 16.*
vel Leoni IV.; alicubi enim Leo III., alicubi IV. commemoratur. Si Leoni III. *qu. 6. & can. 29.*
adſcribendi forent, producenda in medium eſſet aliqua ejus epiſtola ad Carolum *cau. 16.*
Magnum Imperatorem: Si vero potius Leoni IV. tribuerentur, exhibenda eſſet *qu. 7.*
quædam ipſius epiſtola ad Carolum Calvum, ut omnia recte invicem conſonent. Verum hujuſmodi fragmenta aut inter epiſtolas Leonis III., aut inter monumenta Leonis IV. minime reperies, ut proinde tota auctoritas, ac fides hujus rei ſit penes Gratianum, aut penes Ivonem, qui auctor extitit Gratiano. Non intereſt multum in inveſtiganda canonum iſtorum origine elaborare; etenim quæ ſententia in illis exprimitur, plana admodum eſt, ac vulgaris, quam ſi ex aliis monumentis certiſſimis, ac perſpicuis colligere velis, ſexcenta facile ejuſdem generis reperies. Quod ſpectat in primis canonem 6. cau. 16. qu. 6., nihil aliud ibidem adſeritur, quam ſuprema Romanæ Eccleſiæ auctoritas, atque erga ceteras regiminis utilitas, & ſi forte aliquando eveniat Præſulem ipſum inutilem apud aliquos judicari, hinc vero ſemper eandem Romanam Apoſtolicam Sedem apud omnes venerabilem eſſe debere. Verum quis ignorat plurima hujuſce generis monumenta paſſim in Eccleſiaſticis geſtis adparere? Unum adfero depromtum ex Leone IX., qui in epiſtola ad Michaelem Patriarcham Conſtantinopolitanum ita ſcribit cap. 35. *Qua de re, Fratres, utinam non ad judicium no-*

Digitized by Google

ſtrum dicamus, profectò ſumus, qualis Petrus, & non ſumus, qualis Petrus, quia idem ſumus officio, & non idem merito. Et quotieſcumque lac, & lanam, ſcilicet ſtipendium, & honorificentiam ab ovibus Dei exigimus, nulla meriti noſtri ibi ſit commemoratio, ſed officio noſtro quæritur debita recompenſatio. Ac ſic meritum Petri non habentes, officium autem Petri exequentes, officio noſtro debitos repoſcimus honores, Apoſtolo dicente: quamdiu miniſter ero, miniſterium meum honorificabo. Et præmonens oves Chriſti ad ſolvendum ſingulis debita, ait: Reddite omnibus debita: Cui honorem, honorem &c. Quod ſpectat canonem 29. cau. 16. qu. 7. adnotandum in primis eſt, quæ in pluribus Gratiani exemplaribus leguntur quaſi Leonis Papæ ſint, in aliis legi partim quaſi Leonis, partim quaſi Gratiani Collectoris. Leonis enim eſſe poſſunt verba illa: *Contra Sanctorum Patrum cenſuras videtur exiſtere, ſi ſæcularis, vel laicus Presbyteros ab Eccleſiis, in quibus tempore adminiſtrationis eorum nominati, vel introducti fuerint, nitetur* (ita habet Ivo cum nonnullis Gratiani exemplaribus, licet in pluribus editis legatur *videtur*) *expellere*. Cetera quæ ſequuntur in verſ. *Si vero* videntur eſſe potius Gratiani, quemadmodum jam animadvertit Franciſcus Florens ad canones cauſæ 16. de antiquo jure Patronatus, ibi: *Sicut & quæ in fine præcedentis canonis* (nimirum can. 29. cau. 16. qu. 7.) *verba ſubjiciuntur, ſi vero fundatores &c. non ſunt confundenda cum præcedentibus: ſunt enim Gratiani, quamvis in quibuſdam codicibus confundantur*. Apud Ivonem in cap. 102. partis 3. verba illa *ſi vero fundatores* uſque in finem deſiderantur. Atque huic argumento aliud accedere videtur, quod deducitur ex diſciplina temporum ſive Leonis III., ſive Leonis IV., neque enim certo demonſtrari poteſt, jamtum viguiſſe jura fundatorum in ea parte, qua jure neceſſaria ſubſidia ab Eccleſiis petere poſſent, & quidem eo jure ſingulari, quod recentioribus ſæculis obtinuit. Ceterum quæ legimus initio Gratianei canonis plurimum conſonant cum aliis Eccleſiaſticis, & quidem germanis monumentis. Referam hoc in loco capitulum 9. Synodi Auguſtanæ temporibus Agapiti II. Papæ celebratæ anno 952. ibi: *Ut laici Presbyteros ſine conſcientia, & conſenſu proprii Epiſcopi ab Eccleſiis eis canonice commendatis non ejicere præſumant, nec alios locum eorum ſubire faciant; quia ut ab Epiſcopis ordinantur, ita neceſſe eſt ab ipſis Eccleſias procurandas accipiant, ſicut in Concilio habetur Arelatenſi cap.* 4. Huc etiam referri poſſent Capitula Caroli Calvi tit. 37. cap. 11., & tit. 40. cap. 9., una cum capite 84. libri 1. Capitularium Baluzianæ editionis, ibi: *Statutum eſt, ut ſine auctoritate, vel conſenſu Epiſcoporum Presbyteri in quibuslibet Eccleſiis nec conſtituantur, nec expellantur. Et ſi Laici Clericos probabilis vitæ, & doctrinæ Epiſcopis conſecrandos, ſuiſque in Eccleſiis conſtituendos obtulerint, nulla qualibet occaſione eos rejiciant.*

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT LXXIII.

De Stephano IV. ſeu V.

Stephano IV. ſeu V. videtur tributus apud Gratianum hic exhibitus canon.

{ *Can.* 28. *diſt.* 63. *apocryphus, & Stephani temporibus minime accommodatus.*

STephanus Papa, qui Leoni III. in Romana Sede ſucceſſit anno 816., apud aliquos IV. hujus nominis, apud alios V. adpellatur, cujus diſcriminis cauſſam facile quiſquam repetet ex iis, quæ ſuperius paucis tradidi in cap. 70. Vir fuit ſacrorum canonum ſtudiis ab adoleſcentia addictus, inſignis Evangelii præco, cunctis propterea acceptiſſimus, ſed vix per menſes ſeptem Pontificatum Maximum tenuit, intereaque nihil detraxit Paſtorali ſollicitudini, qua Ludovici Imperatoris animum cum Romanis prudentiſſime conciliaret; nam in Gallias ad Ludovicum pergens vetuſtum illud Romanorum Pontificum, & Imperatorum, ita dixerim, fœdus quodam modo renovavit: Scriptores Eccleſiaſtici egregia ad eam rem Pontificis geſta perſpicue demonſtrant. Vulgo huic Pontifici tribui ſolet, quod a Gratiano traditum eſt in canone 28. diſt. 63. Verum viris eruditiſſimis jamdiu viſum eſt, hoc monumentum inter apocrypha recenſendum eſſe. Scribit inter ceteros Severinus Binius in ſuis adnotationibus: *Decretum, quod ſub nomine Stephani IV. de Romani Pontificis electione extat diſt. 63. can. 28. quia Sancta, Stephani Papæ eſſe non videtur; tum quod hac in re impoſtores ſchiſmatici, ut ſupra viſum eſt, frequenter Eccleſiæ imponere ſtuduerint; tum etiam quod Ludovicus Imperator in conſtitutione ſub initium Paſchalis Papæ a ſe edita de donatione facta Romanæ Eccleſiæ, electionem & coronationem Romani Pontificis liberam eſſe, neque ad aliud teneri, & obligari voluerit, quam ut poſt ſui electionem, & conſecrationem Imperatoriam Majeſtatem, prout Succeſſor Stephani Paſchalis feciſſe conſpicitur, hac de re certiorem reddat. &c.* Idipſum tradidit Baronius ad annum 816., Papebrochius, Natalis Alexander, aliique Catholici Viri, quibus Pagium adjungere poſſem ad annum 897., qui tamen fragmentum illud ad Stephanum VI. referendum cenſet. Sane quod ad Stephanum IV. ſeu V. attinet, nulla ipſi fuit occaſio ſimilia decernendi, neque Anaſtaſius Bibliothecarius, qui Pontificum ejus ætatis monumenta adamuſſim refert, hujuſmodi decreti ullam fecit mentionem. Clariſſimus Muratorius in tomo 2. parte 2. pag. 128. Rerum Italicarum poſtquam Romani Concilii anno 863. temporibus Nicolai I. Pontificis celebrati canones plurimos ediderit, numero autem 11. hunc canonem deſcripſerit: *Siquis Sacerdotibus, ſeu Primatibus, Nobilibus, ſeu cuncto Clero hujus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ electionem Romani Pontificis contradicere præſumſerit, ſicut in Concilio Beatiſſimi Stephani Papæ ſtatutum eſt, anathema ſit;* hic putavit referri monumentum Stephani Papæ, quale apud Gratianum legimus in dicto canone 28. diſt. 63., & memorans eruditorum virorum de hac re diſputationem, ita ſubjecit: *Acta Concilii Romani nunc mihi evulganda famoſam*

 bujuſ-

hujuſmodi controverſiam dirimere poſſe videntur. En ut Nicolaus I. de electione Romani Pontificis agens, ac turbas in ea exoriri ſolitas eliminare cupiens, confirmat, & obſervandum decernit, quidquid in Concilio Beatiſſimi Stephani Papæ ſtatutum eſt. Ergo decretum Stephani procul dubio IV. eam in rem præceſſerat. Hoc autem vix aliud eſſe potuerit, quam quod Gratiano laudatur, cui tamen ſi velis aliquod ſuperadditum a ſubſequutis Pontificibus, non repugnabo. In Concilio quoque Romano habito ſub Lamberto Imperatore, atque adeo non anno 904., ut putavit Baronius, & poſt eum Labbeus tom. 9. pag. 502. Collection. Concilior., ſed quidem anno 898. roboratur antiqua conſuetudo obſervata in electione Pontificis. Si antiqua tunc erat conſuetudo, ergo ad tempora uſque Stephani IV. Papæ illius initia non immerito deducantur. Huc uſque Muratorius. Verum, dixerim venia Viri clariſſimi, & de literaria Republica optime meriti, non animadvertit ipſe, dum iſta ſcriberet, ad Concilium Romanum anni 769. ſub Stephano III. celebratum, ex quo depromtus eſt canon 3., & 4. diſt. 79., ubi ſane multa ſunt ſalubriter decreta ad ſchiſmata auferenda occaſione electionis Pontificis Maximi. Cum vero ad hoc Romanum Concilium commode referri poſſit canon Concilii Romani ſub Nicolao jam ſuperius ex Muratorio memoratus, quod exinde argumentum deduci poteſt ad demonſtrandum canonem 28. diſt. 63. jure optimo adſcriptum fuiſſe Stephano IV., aut V.? Quamobrem cum inane propemodum ſit canoni Gratianeo præſidium ex canonibus Concilii Romani, quale Muratorius edidit, non video cur a ſententia virorum eruditiſſimorum ſit recedendum, qui jamdudum monumentum illud, velut prorſus apocryphum, rejecerunt.

CAPUT LXXIV.

De Paſchali.

Paſchali I. tributi apud Gratianum videntur ſequentes canones.

- *Can. 7. cau. 1. qu. 3. ad varios codices, & fragmenta canonum exigendus.*
- *Can. 27. cau. 1. qu. 7. exigendus ad germanam Paſchalis epiſtolam.*
- *Can. 60. cau. 2. qu. 7. conſonat cum can. 1. Synodi Regiaticinæ.*
- *Can. 14. cau. 3. qu. 5. falſo adſcriptus Paſchali Papæ.*

E Monaſterio ad Pontificiam Sedem invitus propemodum, ac reluctans adductus eſt Paſchalis poſt obitum Stephani anno 817., & quidem eo tempore, quo nondum omnino confecta Iconoclaſtarum hæreſis Catholicos præſertim in oriente vexabat. Plurimum ipſe adverſus eandem hæreſim elaboravit, obiitque anno 824. vir apud omnes eccleſiaſticos, præſertim apud pauperes, optime meritus. Huic *Can. 7. cau. 1. qu. 3.* Pontifici an jure adſcribendus ſit canon 7. cau. 1. qu. 3., an potius Paſchali II. plurimi dubitant. Verum cum jam ſimilia quædam Paſchali Papæ tribuerit Urbanus II. in epiſt. ad Lucium Præpoſitum S. Juventii definiri facile controverſia poteſt,

Digitized by Google

poteſt, tutoque adſeri, ibi non Paſchalem II., ſed I. memorari, cum Paſchalis II. Urbano II. ſucceſſerit. Verba Urbani hæc ſunt: *Sed & Beatus Prædeceſſor noſter Paſcalis de conſecratione, & de rebus, quæ proveniunt ex conſecratione, adfirmat, quod quiſquis alterum eorum vendit, ſine quo alterum habere non poteſt, neutrum non venditum derelinquit*. Fateor quidem temporibus Paſchalis II. ſimilia quædam edita fuiſſe decreta; ſic in Concilio Pictavienſi illius temporis ita legitur can. 7. *Ut præbenda non vendatur, vel ematur, neque paſtus inde exigatur ſub excommunicatione interdicimus*. Et in ſtatuto Paſchalis II., quod ex Codice MS. Eccleſiæ Carnotenſis edidit Jacobus Petit in tomo 2. Pœnitentialis Theodori Cantuarienſis pag. 420. *Nos vero ſanctorum Patrum ſtatuta ſequentes, & ab omnibus ea intemerata ſervari volentes, eaſdem conſuetudines penitus abdicamus, & Sancti Spiritus auctoritate prohibemus, ut pro præbendis, vel eccleſiaſticis beneficiis munus aliquod exigatur*. Sed licet hæc conſonent cum laudato Gratiani monumento, non tamen ad hæc ipſa referre ſe voluit Gratianus, cum Paſchalem Pontificem canonis auctorem memoravit. Antonius Auguſtinus in lib. 1. Dialogo 4. de emendat. Gratiani teſtatur ſe cognoviſſe ex veteribus libris, hunc canonem laudari ex epiſtola Paſchalis I. ad Mediolanenſes; cui obſervationi conſonat codex MS. Lucenſis, cujus edidit monumentum Manſius in ſupplemento ad Concilia Veneto-Labbeana; etenim refertur ibidem epiſtola hæc eadem, ex qua depromtus eſt Gratiani canon cum hac epigraphe: *Epiſtola Paſchaſii Papæ ad Archiepiſcopum Mediolanenſem*. Ex hoc autem Paſchaſii nomine demonſtrat in ſua admonitione idem Manſius epiſtolam ad Paſchalem I. pertinere, cum in codicibus vetuſtis Paſchalis, quem hodie Primum adpellamus, Paſchaſius diceretur, quemadmodum inter cetera fidem facere poteſt canon 8. cau. 1. qu. 3. verſ. *ſed & Beatus*, ubi referuntur verba Urbani II. ſuperius exarata, ſed in vetuſtis Gratiani codicibus pro nomine Paſchalis Paſchaſius legitur, licet hodie a Romanis Correctoribus id fuerit emendatum. Itaque hodie non ſolum pro canone Gratiani vere tribuendo Paſchali I., atque ad ſuos integros Codices, & exemplaria optima exigendo habemus teſtimonia Romanorum Correctorum, qui Codicem MS. Decretorum Pontificiorum retulerunt, ſed etiam integram epiſtolam legimus apud Ivonem parte 2. cap. 84., apud Manſium ex vetuſto Lucenſi Codice, & apud Pezium editam in commentario in Pſalmum 25. Gerohi Præpoſiti Reichersbergenſi. In omnibus iſtiuſmodi exemplaribus deeſt verſiculus *nullus igitur*, quem ego referendum puto ad Concilium Pictavenſe ſub Paſchali II. celebratum, & quidem ad ejus canonem 7. ſupra deſcriptum. Priora ejuſdem Gratianei canonis verba conſonant cum exemplari Ivonis, dummodo pro illis verbis Gratiani *nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit*, adnotes ita legi apud Ivonem: *nec alterum haberi provenit, neutrum vendere non derelinquit*. Apud Manſium ita potius legitur: *Siquis autem objecerit, non conſecrationes, ſed res ipſas, quæ ex conſecratione proveniunt, vendi, videtur quidem aliquid dicere, nihil autem penitus ſapere. Nam cum corporalis* (notat Collector ad marginem alicubi deſiderari vocem *corporalis*) *Eccleſia aut Epiſcopus, aut Abbas, aut tale aliquid ſine rebus corporalibus, & exterioribus in nullo proficiat, ſicut nec anima ſine corpore temporaliter vivit; quiſquis eorum alterum vendit, ſine quo alterum habere non* (alicubi legitur *nos*) *provenit, neutrum non venditum non* (deeſt alicubi hæc particula *non*) *derelinquit. Quam tamen objectionem ſacer penitus canon exterminat, &c.*

Ad

Can. 27. cau. 1. qu. 7. Ad hoc ipſum Paſchalis monumentum pertinere videtur canon 27. cau. 1. qu. 7., non quod revera eadem illic verba legantur, ſed quod ad ſimilitudinem quandam ſententiæ Paſchalis auctor canonis ſcripſerit. Verba Paſchalis hæc ſunt: *Si anathematizati, & excommunicati, & ut vere hæretici Simoniaci, & Neophyti a numero ſunt fidelium Eccleſiæ ſeparati, quis non videat, quod bujuſmodi Sacerdotum aut Clericorum Miſſæ, & orationes Dominum ad iracundiam ſuper populum provocent, quem placari talibus credebamus? Scriptum eſt enim: omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt, & ut veri ſacrificii locus extra Catholicam Eccleſiam non eſt, unde & dicitur, hæreticum hominem poſt primam, & ſecundam correctionem devita. Quomodo ergo tales Epiſcopos, Abbates, vel religioſos Clericos devitamus? Si eorum Miſſas audimus; cum quibus ſi vel ſimul oramus, excommunicationem ſubimus? Quos quidem Sacerdotes eſſe ſaltem credere omnino errare eſt, cum Petrus Simoni dicat: pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia exiſtimaſti donum Dei pecuniis poſſidere. Ubi cum exiſtimaſti dicitur, patet, quia non pro eo, quod fecerit, ſed quia facere ſe poſſe crediderit, condemnatur, cum tamen minus ſit exiſtimare, quam credere. Cum itaque hæreticum qualemcumque eſſe ſit certa, & indubitata damnatio, quid valet Arianos, Sabellianos, Fotinianos, impioſque Manichæos pene orbe pepuliſſe, ſi Simoniaca, & Neophytorum hæreſis, quæ, ut B. Gregorius dicit, ante omnes in ſancta Eccleſia diabolica fraude ſurrexit, quaſi prima, & maxima Eccleſiæ caſtitatem fœda nimium pollutione contaminetur? Igitur in Dominum, & propter Dominum veſtram excellentiam, & omnes fideles Chriſti rogamus, & obteſtamur, ſi habere partem in Chriſto cupitis, ſummopere inſtate, ut tam ſæva peſtis, quæ in univerſos jam populos uſquequaque ſæviendo æterna morte multavit, veſtra auctoritate, & exemplo penitus deſtruatur, ne ulterius, quod abſit, in ſpiritum peccare, neque hic, neque in futuro ſæculo remittatur.* Ex hac itaque ſententia, quæ deteſtabilem efformat Simoniacæ hæreſeos imaginem, eo uſque, ut prima ac præ ceteris omnibus Eccleſiam contaminaverit, quicumque auctor extitit Gratianei canonis 27. adeo progreſſus ulterius eſt, ut non ſolum hæreſeon omnium primam dixerit, ſed & præcipuam, cujus comparatione cetera crimina *pro nihilo reputentur*. Non eſt ſane hæc ſententia aut Paſchalis I., aut Paſchalis II., neque enim quidplam hujuſmodi legitur inter eorundem Pontificum monumenta, neque, ut arbitror, alterius eſſe poteſt, quam ſcriptoris cujuſpiam nimio adverſus Simoniacos zelo correpti, & quidem non procul ab ipſiſmet temporibus Gratiani, qui dum vitium Simoniæ inſequutus eſt, illud crimen præ ceteris atrociſſimum judicavit. Ego conjicio eum canonem adjectum fuiſſe a ſtudioſo quodam ad marginem; ut enim perfecta ibidem erat cauſſa prima, qua multa de Simoniacis damnandis ex ſacris canonibus collecta ſunt, ita voluit paucis complecti, quod ex ſuperioribus ipſe deduxiſſet. Conjecturam præbet verbum illud *patet*, quod legitur initio hujus capitis, quod ſignificat nil aliud ibidem contineri, quam illationem ex præcedentibus. Conjecturam auget obſervatio Romanorum Correctorum, qui teſtantur caput illud in tribus vetuſtis Gratiani exemplaribus deſiderari. Nemo autem ignorat, quot in veteribus manuſcriptis marginales adnotationes in textum irrepſerint. De nomine Paſchalis Papæ cum & in illis exemplaribus, quæ Romani Correctores præ manibus habuerunt, etiam deſideraretur, nihil dixero: forte & ab alio ſtudioſo quopiam adjici potuit, quod notum eſſet Paſchalem ſive I., ſive II. nonnulla adverſus Simoniacos edidiſſe. Unum adhuc in hac materie animadvertendum arbitror; nimirum in deſcripto nuper Paſchalis I. mo-

nu-

Digitized by Google

numento perſpicue diſtingui Simoniacos a Simoniacis hæreticis. Simoniaci hæretici illi jure dici poſſunt, qui non ſolum res ſacras quoquo modo mercantur; ſed & ſe jure mercari poſſe adſeverant, quemadmodum temporibus Paſchalis I. nonnullos hujuſcemodi homines extitiſſe liquet ex canone 7. cau. 1. qu. 3. Simoniaci autem, qui hæretici non ſunt, tantum deteriora ſequuntur, cum viderint, ac probaverint bona. Atque hæc animadverſio plurimum utilis erit ad habendam germanam ſanctorum canonum interpretationem, ne forte confundatur Simonia cum hæreſi Simoniaca, item Simoniaci cum Simoniacis hæreticis, præſertim vero ubi vel ex ipſis ſacrarum legum verbis id deduci commode poſſit, vel ubi expendendi ſint illorum temporum canones, quibus Simoniaca hæreſis plurium mentes in detrimentum Eccleſiæ graviſſimum occupavit, cujuſmodi ſane ſunt tempora aut Paſchalis I., aut Paſchalis II. Interpretis animo inhærere ſemper debebit generalis illa regula, quæ exigit ſtrictæ verborum ſignificationi inhærendum eſſe, ubi de criminibus, & pœnis adverſus crimina infligendis agatur.

Non ſatis conſtare poteſt, an canon 60. cau. 2. qu. 7. tribuendus ſit Paſchali I., an potius Paſchali II. Imo nec conſtare ſatis poteſt, an alterutri jure optimo adſcribatur; quamquam enim quod ibidem definitum eſt, utriuſque temporibus convenire facile queat, in neutrius tamen monumentis huc uſque editis reperitur. Ego potius eundem canonem referrem ad conſtitutiones Synodi Regiaticinæ temporibus Leonis IV. Pontificis celebratæ anno 850., ac propterea non diu poſt tempora Paſchalis I., ſiquidem in canone 1. illius Concilii ita legimus: *Decrevit ſancta Synodus domeſticam, & interiorem Epiſcopi converſationem totius reprehenſionis, atque ſuſpicionis impenetrabilem fieri debere, ut juxta Apoſtolum provideamus bona, non ſolum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus. Oportet igitur, ut cubiculo Epiſcopi, & ſecretioribus quibuslibet obſequiis ſinceræ opinionis Sacerdotes, & Clerici aſſiſtant, qui vigilantem, orantem, ſacra eloquia ſcrutantem, Epiſcopum ſuum jugiter attendant, ejuſque ſanctæ converſationis teſtes, imitatores, & ad Dei gloriam prædicatores exiſtant.* Eadem propemodum conſtitutio habetur in Concilio Pariſienſi VI. anni 829. lib. 1. cap. 20., eruta ex vetuſtis Patribus, ac Pontificibus, ibi: *Beatus quoque Gregorius in decretis ſuis ita ait: verecundus mos torpore indiſcretionis inolevit, ut hujus Sedis Pontificibus ad ſecreta cubiculi ſervitia laici pueri, ac ſæculares obſequantur, & cum Paſtoris vita eſſe diſcipulis ſemper debeat in exemplum, plerumque Clerici qualis in ſecreto ſit vita ſui Pontificis neſciunt, &, ut dictum eſt, ſæculares pueri ſciunt. De qua re præſenti decreto conſtituo, ut quidam ex Clericis, vel etiam ex Monachis electi, miniſterio cubiculi Pontificalis obſequantur, ut is, qui in loco eſt regiminis, habeat teſtes tales, qui vitæ ejus in ſecreto converſationem videant, & ex viſione ſedula exemplum profectus ſumant. Hæc igitur B. Gregorius ſcripſerit. Ceterum ſiqui de hac re copioſiora exempla quærere voluerint, vitas B. Auguſtini, & Ambroſii, & ceterorum aliorum ſanctorum virorum legant, & perſpicue invenient, quod vita, & converſatio Pontificis ſemper teſtes vitæ probabilis habere debeat.* Adjungi poſſet his canon 1. Concilii Aquiſgranenſis II. anno 836. celebrati, ex quibus omnibus abunde liquet, ſæculo 9., ac propterea temporibus Paſchalis I. ſæpe ac ſæpius cautum fuiſſe, ne ſuſpecta vulgo haberetur vita Epiſcoporum, ſed ut Epiſcopi iidem Clericis una habitantibus non tam verbo, quam exemplo in Evangelii doctrina, ac morum diſciplina præirent. Saluberrimæ profecto conſtitutiones, illis autem præſertim temporibus accommodatæ, quibus Clerici pro-

Can. 60. cau. 2. qu. 7.

pemo-

Digitized by Google

pemodum univerſi, ipſimet eccleſiarum Prælati, teſtantibus hiſtoricis omnibus, eccleſiaſticis parum vacabant utilitatibus, vitamque vix in laico homine ferendam traducebant.

Canon 14. cau. 3. qu. 5., qui nomine Paſchalis Papæ laudatur, eodem etiam nomine relatus fuit in caput 5. Decretalium Gregorii IX. de accuſationibus his verbis: *Nulli Epiſcoporum ab accuſatione ſua repellere liceat, quos antequam ſe ab eis impetendum cognoſceret, a ſua communi familiaritate neglexerit ſeparare.* Romani Correctores animadverterunt, in uno pervetuſto exemplari Gratianeo idem caput deſiderari eo in loco, quamquam ſuperius alibi recenſeretur, unaque Codicum varietatem obſervaverunt. Reperitur præterea in cap. 3. de accuſationibus in antiqua 1. Collectione Decretalium edita ab Antonio Auguſtino. Quid ergo? Num hujuſmodi canonem tanquam germanum Paſchalis I., vel II. agnoſcemus? Non eo facile adduci ego poſſum; ſiquidem Nicolaus I. in epiſtola 8. ad Michaelem Imperatorem contendit, ne Clerici, qui ſane illis temporibus Epiſcoporum familiares dicebantur, imo ne quicumque Epiſcopis ſubditi eſſent, Antiſtites ſuos accuſarent. At ſi Paſchalis I. definiviſſet jamdiu eos, qui Epiſcopi familiares extiterant, ad illorum accuſationem eſſe admittendos, quomodo in contrarium Nicolaus I. fuſa oratione diſputaſſet, cui Paſchalis I., cujus temporibus vixerat, monumenta perſpectiſſima eſſe poterant, ac debebant. Quod ſi Paſchalem II. hujus canonis credas auctorem, non video quomodo idem Pontifex non habita præ oculis famigerata Nicolai I. ad Michaelem epiſtola, aut forte etiam deſpecta reſpondere voluerit. Potius arbitror aut auctorem Palearum, aut auctorem I. Collectionis Decretalium voluiſſe ſub Paſchalis Pontificis nomine receptam Nicolai I. doctrinam (melius dixerim doctrinam hac in parte a Mercatoris epiſtolis derivatam) antiquare. Paſſim tradiderat Iſidorus Mercator in ſuis pſeudoepiſtolis multa favore Epiſcoporum, quos & ab inferiorum Clericorum querimoniis, & a ſuperiorum Archiepiſcoporum moleſtiis eximere, ac vindicare ſtudebat. Hinc nihil repetendum ſæpius voluit, quam Epiſcopos a nemine accuſandos eſſe, aut judicandos. Abiit propterea hæc traditio in vulgarem diſciplinam, a qua Nicolaus Pontifex non receſſit; ſed ſequentibus ſæculis nonnullorum Antiſtitum licentia cauſſam dedit, cur generaliter priſtina illa traditio non ſervaretur, hinc Clericis conquerentibus, hinc Archiepiſcopis veterem auctoritatem explicare conatis; ac tandem factum eſt, ut certæ accuſationum regulæ præſtituerentur etiam in criminibus epiſcopalibus, nomine Summorum Pontificum inſignitæ, a generalibus juris æquitatiſque principiis non abhorrentes, qualis inter ceteras adparet in memorato canone 14. apud Gregorium IX. confirmato, ſtatim ac in ipſius Collectionem traductus eſt.

Can. 14. cau. 3. qu. 5.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT LXXV.

De Gregorio IV.

Succeſſit quidem Paſchali I. in Romana Sede Eugenius II., cujus nonnulla extant apud Gratianum monumenta; ſed cum hæc jam in priore hujus operis parte expoſita fuerint cap. 52. pag. 482., & ſequentibus, non erant hoc in loco repetenda. De Valentino Eugenii ſucceſſore altum fit apud Gratianum ſilentium: neque diu ipſe Romanam Eccleſiam tenuit, unde legum eccleſiaſticarum Codices augeret. Potius ſubſiſto in Gregorio IV. ſucceſſore Valentini, cui apud Gratianum hæc capita adſcribuntur.

Ex epiſt. ad Epiſcopos Germaniæ, & Galliæ.	*Can.* 2. *diſt.* 12. *Can.* 5. *diſt.* 19. *Can.* 4. *diſt.* 45. *Can.* 11. *cau.* 2. *qu.* 6. *Can.* 42. *cau.* 2. *qu.* 7.	*dubiæ omnes fidei, atque auctoritatis.*
Adjicitur	*Can.* 8. *cau.* 35. *qu.* 9. *referendus ad canonem* 13. *diſt.* 50.	

AB anno Domini 828. uſque ad annum 847. Maximum Pontificatum geſſit Gregorius IV. genere Romanus, & quidem ea ætate, qua res occidentalis imperii inteſtinis diſſidiis filiorum Ludovici Imperatoris quatiebantur. Nimirum Ludovicus Caroli Magni filius ex primo matrimonio tres liberos ſuſceperat, Lotharium, Ludovicum, & Pippinum, ex ſecundis autem nuptiis Carolum Calvum, quem germani fratres conſortem in imperio minime patientes odio proſequebantur, ſimul & novercam; imo priores illi Imperatoris filii odio novercæ, & Caroli eo adducti ſunt, ut arma adverſus Parentem ipſum arriperent, & eundem ab adminiſtratione imperii removerent. Eo res devenit, ut quantumvis Pontifex Maximus cauſſa conciliandæ pacis arbitrium recepiſſet, nihil omnino obtinere valuerit. Hæc de Gregorio IV. præfari juvat, quia expendenda hoc loco potiſſimum eſt epiſtola ejuſdem Pontificis, quæ ſcripta fertur ad Gallicanos, Germanos, & per univerſam Europam conſtitutos Epiſcopos, cui lucem brevis hæc de diſſidiis Principum enarratio adferre quoquo modo poteſt.

De epiſtola ad Epiſcopos Germaniæ, Galliæ, &c.

Dilectiſſimis fratribus univerſis Coepiſcopis per Galliam, Germaniam, Europam, & per univerſas Provincias conſtitutis Gregorius ſervus ſervorum Dei. Ita ſe ſe habet Gregorianæ iſtius epiſtolæ inſcriptio, ſub cujus finem nullus deſignatur aut dies, aut menſis, aut annus, quo ſcripta fuerit. Occaſionem epiſtolæ dediſſe fertur graviſſima contentio Præſulum Francorum adverſus Aldricum Cenomanenſem Epiſcopum ſub Archiepiſcopatu Turonenſi, quæ contentio ex eo, ut arbitror, profecta eſt, quod Aldricus Carolo Ludovici filio adhæreret, a quo tamen ceteri Epiſcopi deflectebant favore ceterorum fratrum ex priore matrimonio genitorum. Itaque vulgaris eſt fama, adverſus Aldricum ceteros Galliarum Epiſcopos ita fuiſſe commotos, ut illum ab Epiſcopatu deturbare convocata Synodo molirentur, ad quos propterea Gregorius dicitur direxiſſe epiſtolam pari exemplari ad ceteros Europæ Epiſcopos miſſo, præſtituens, neminem ex Epiſcopis damnari, deponive a quopiam poſſe ſine Sedis Apoſtolicæ auctoritate; & quamquam cauſſa valeat in Synodo Provinciæ agitari coram Primate, nihil tamen, non expectata Pontificis Maximi ſententia, definiendum eſſe. Nolo ego hujuſmodi epiſtolam tanquam certum, indubiæque prorſus fidei monumentum adſerere, quandoquidem non deſunt viri graviſſimi, qui eam veluti ſuppoſititiam rejiciendam fore arbitrantur, uti liquet apud Pagium in annales Baronii ad annum 839., & apud Petrum de Marca lib. 5. de concordia Sacerdotii, & Imperii cap. 26. §. 9. Si illorum argumenta, qui hanc epiſtolam rejecerunt, ipſe conſiderem, aut nulla ſunt, aut leviora, quam quæ ad hanc rem conficiendam ſufficiant. At quoties res ſedulo animo perpendatur, atque ad ſingularia illius temporis adjuncta exigatur, puto ſaltem concludi recte poſſe, epiſtolam illam non ſatis eſſe firmum eccleſiaſticæ diſciplinæ præſidium ob valde ſuſpectam illius auctoritatem. Primam falſitatis conjecturam eruo ex eo, quod poſt obitum Aldrici Cenomanenſis, diſcipuli ipſius ſingula ejuſdem acta deſcripſerunt, quæ ex Cenomanenſis Eccleſiæ Codicibus vetuſtis Baluzius edidit initio tomi 3. Miſcellaneorum: & quamquam in actis his quæcumque ad Aldrici cauſſam pertinentia accuratiſſime recenſeantur, imo & monumenta, quæ ad rei geſtæ ennarratæque fidem faciendam conducunt, inſerta ſint, atque etiam memoretur quædam Gregorii IV. epiſtola ad Aldricum ſcripta, in qua Gregorius idem ſingularis in Aldricum benevolentiæ exhibuit argumenta, de altera tamen Gregorii epiſtola, quam in memoratis capitibus retulit Gratianus, nulla ſit mentio, quandoquidem cum graviſſimi illa negotii ſit, non fuiſſet veroſimiliter omittenda. Altera conjectura ex eo colligitur, quod in eiſdem actis a Baluzio editis dicitur: videlicet non ibidem legitur, Aldricum ab Epiſcopis Gallicanæ Eccleſiæ fuiſſe depoſitum, ſed tantummodo Cenomanenſem Eccleſiam a militibus adverſus Carolum Calvum pugnantibus occupatam fuiſſe odio Aldrici, qui propterea ab Urbe Cenomanenſi recedere debuit. Sane ſi quæ contra Aldricum facta dicuntur, non Epiſcoporum judicio, ſententiaque dependent, ſed potius armis militantium, quænam Gregorio IV. eſſe occaſio potuit ſcribendi ad Epiſcopos, ſuadendique, ne prius ſententiam in Concilio pronunciarent, quam illa Romani Antiſtitis conſenſione confirmaretur? Præterea certum eſt, Gregorium IV. ſeſe veluti pacis arbitrum exhibuiſſe

buiſſe

Digitized by Google

buiſſe inter fratres Principes de imperio contendentes, quamquam irrito conatu; lugebat hinc ſanctus Antiſtes inteſtinas hujuſmodi diſceptationes, quas imperio maxime pernicioſas, & prope fatales agnoverat. Videat ergo, quicumque Gregorium ſeſe prudentiſſimum virum geſſiſſe crediderit, num decuerit turbatis hiſce temporibus Epiſcoporum univerſæ Galliæ, Germaniæque animos concutere, & quidem in ea cauſſa, quæ juncta videbatur cum cauſſa Principum fratrum acerrime contendentium. Epiſtolæ quoque inſcriptio ſuperius exarata dubitationem auget: ut enim illa non ad ſolos Galliarum Epiſcopos directa fertur, ſed etiam ad Antiſtites totius Europæ, imo & univerſarum Provinciarum, quis facile ſibi perſuadeat, ob unam, & ſingularem Cenomanenſis Epiſcopi cauſſam fuiſſe opus Encyclica epiſtola, contra quam conſuetudo Maximorum Pontificum ferat? Niſi forte quiſquam dixerit, eam Gregorii mentem fuiſſe, ut univerſos Epiſcopos in diſſidium etiam vocaret in cauſſa Aldrici, quod ſane in contumeliam tanti viri, & pacis ſtudioſiſſimi diceretur. Ut vero in clariori adhuc lumine hæc collocentur, ſeparanda ſunt certa ab incertis. Certum in primis eſt, Aldricum Cenomanenſem Epiſcopum Imperatori Ludovico Patri chariſſimum fuiſſe, ac propterea etiam ejuſdem filio Carolo Calvo, ob quorum benevolentiam plura a ceteris Ludovici filiis invidia correptis perpeti debuit incommoda; chariſſimum præterea fuiſſe Gregorio IV. Pontifici, qui, ut in actis ſuperius laudatis legitur, Aldrico exhibuerat ſingularis benevolentiæ monumenta, eundemque donis datis non contemnendis arctius ſibi devinxerat. Certum etiam eſt, Gregorium Pontificem plurimum curaſſe, ut res imperii præſertim in Gallia fratrum diſſenſionibus turbatæ, concuſſæque componerentur. Hæc ſunt, quæ ex hiſtorica veritate certa deduci poſſunt, & extra omnem dubitationis aleam poſita, quibus innixus obſcurus quidam auctor epiſtolam compoſuit, eandemque Gregorio Pontifici adſcripſit. Ex eo enim, quod Aldricus plura perpeſſus fuerit in Gallia ex militum auſu, coactus a Civitate, ac Diœceſi recedere, finxit Epiſcopos Gallicanos adverſus Aldricum adeo fuiſſe commotos, ut eum ab Epiſcopali officio depoſuerint. Ex eo vero, quod Gregorius IV. ſollicitudinem maximam habuit, ut res Galliarum pacarentur, finxit præterea, eundem Gregorium ad Gallicanos Epiſcopos de Aldrici cauſſa ſcripſiſſe, ut nihil niſi requiſito Pontifice Maximo in Provinciali Concilio definiretur. Veroſimiles viſæ fuerunt, & aptæ ad fingendum, auctori epiſtolæ temporum, ac cauſſarum circumſtantiæ, ea præſertim ætate, qua ſine diſcrimine apocrypha æque, ac germana monumenta paſſim recipiebantur. Ceterum hodie detectæ ſunt deceptoris artes, cum facile unuſquiſque agnoſcat ex iis, quæ ſuperius tradidi, non potuiſſe commode inter graviſſimas Principum contentiones Provincialia Epiſcoporum concilia celebrari, eove minus procedi ad depoſitiones illorum Antiſtitum, qui alterutri contendentium parti faverent; cum præterea probatiſſimum ſit apud univerſos canonum Conciliorum Collectores, nullum reperiri eo tempore Concilium, quo de deponendo, vel de depoſito reſtituendo Aldrico Cenomanenſi tractatum fuerit in Gallia; imo potius in quibuſcumque Conciliis Gallicanis tunc celebratis Aldricum Cenomanenſem Epiſcopum ſine aliorum Epiſcoporum controverſia interfuiſſe, ſcilicet in Vvormacienſi anni 833., in Aquiſgranenſi anni 836., in Pariſienſi anni 847., & in Turonenſi anni 849., alias vero Aldrici nomen non legeremus in actis Conciliorum Gallicanorum, ſi Aldricus idem ſuffragio Gallicanorum Epiſcoporum dignus habitus fuiſſet, qui ab Epiſcopatu deponeretur.

Digitized by Google

His videretur ſatis, abundeque demonſtratum, epiſtolam, de qua in præſentia loquimur, Gregorio IV. falſo tributam fuiſſe. Quoniam vero non deſunt, qui eandem velut germanam recipiendam velint, atque probandam, curandum mihi eſt, ut quoad fieri poteſt Gregorianæ hujus epiſtolæ ratio, atque argumentum declaretur. Itaque Gregorius (ſi is epiſtolæ auctor eſt, & ſi vera ſunt, quæ in epiſtola ipſa leguntur) omnibus Epiſcopis, ac præſertim Gallicanis indixit, cauſſam Aldrici Cenomanenſis Epiſcopi eſſe quidem primum coram Primate in Provinciali Concilio diſcutiendam, verum non prius definitivam ſententiam ab Epiſcopis pronunciandam, quam Romanus Pontifex conſulatur, ejuſdemque cenſura expectetur. Hæc ſane diſciplina plurimum congruit cum epiſtolis Iſidori Mercatoris, in quibus paſſim illa traditur, ac confirmatur, quidquid apud veteres vigeret in conſpectu capitis 19. in Codice canonum Eccleſiæ Africanæ, canonis 5., & 6. Concilii Nicæni I., canonis 6. Concilii Conſtantinopolitani I., canonis 1. Concilii Epheſini, canonis 9. 17., & 19. Concilii Chalcedonenſis, & aliorum numero plurimorum. Ubi enim illa Collectio Epiſcopis fere omnibus placuit, & cum vulgo de manu in manum quaſi optima traduceretur, ſtatim cœperunt quæ ibidem legebantur ſententiæ in omnibus pene eccleſiaſticis monumenis interſeri. Ceterum Gregorius, ſi forte Aldrici cauſſam ſibi voluit reſervari, neque dirimendam Provinciali Epiſcoporum Concilio tum reliquit, moveri etiam potuit ſingulari quadam ratione; nimirum non erat illa eccleſiaſtica ſimplex controverſia, cujus propterea comprovinciales Epiſcopi judices haberentur, ſed publica ad rationes dividendi inter fratres Occidentalis imperii pertinens. Gregorius autem IV. forte ad ſe tantummodo cauſſam hujuſmodi deferendam voluit quibuſcumque inferioribus excluſis Epiſcopis, vel quod ipſe jam inter contendentes fratres ſeſe arbitrum conciliandæ pacis exhibuerat, vel quod in ſciſſione Occidentalis imperii Romani populi Patricius, qualis Romanus Antiſtes, ſuas interponere partes opportunum arbitrabatur, vel demum quod ſi ſoli Galliarum Antiſtites in ea controverſia aliquatenus dirimenda ſeſe immiſcuiſſent, facile extimeſcendum erat de graviſſimo pernicioſo ſchiſmate in Eccleſia Occidentali. Fingamus enim vero damnatum fuiſſe in ſolo Gallicanorum Antiſtitum Concilio Aldricum Cenomanenſem: nonne exinde reprobata quoque cenſebantur, aut cenſeri aliqua ratione poterant jura Caroli Calvi, quum non alia eſſet Aldrici damnandi cauſſa, quam quod Aldricus Caroli Calvi jura foviſſet? Quis vero hinc non videt, quot ſuboriri potuiſſent ſchiſmatum ſemina, quæ per univerſam Europam diffuſa renovato Occidentali imperio ruinam quodammodo minitarentur? Quæ ſi vera eſſe poſſunt, in conſpectum adferenda erunt illorum, qui eam, de qua agimus, epiſtolam, Gregorio tribuendam cenſent, ac ſunt Gratianeorum capitum illinc decerptorum ſententias recta interpretatione illuſtraturi.

Can. 11. cau. 2. qu. 6. Initio hujus epiſtolæ legimus verba canonis 11. cau. 2. qu. 6. ita ex integris exemplaribus ſupplenda: *Divinis præceptis, & Apoſtolicis ſaluberrimis incitamur monitis, ut pro omnium Eccleſiarum ſtatu impigro vigilemus affectu. Et quia cunctarum divina diſpenſatione Eccleſiarum curam gerimus, omnibus noſtra poſcentibus ſuffragia apoſtolica auctoritate ſubvenire optamus. Quoniam divinæ virtutis, ac infirmitatis humanæ ſanctio eſt, ut omnium Eccleſiarum negotia ad noſtræ reparationis tendant affectum. Quapropter has ad vos literas deſtinamus, quibus decreto noſtro veſtram rogantes caritatem mandamus, ut ſi aliquis, quod non optamus, ſuorum æmulorum, Aldricum*

dricum Cenomanicæ Eccleſiæ Epiſcopum accuſare damnabiliter attentaverit, ut honoretur B. Petri Apoſtolorum Principis memoria, Eccleſiæ Romanæ, cui præſedit, privilegium, & noſtri nominis auctoritas; liceat illi poſt auditionem Primatum Diœceſos, ſi neceſſe fuerit, nos appellare, & noſtra auctoritate, aut ante Nos, aut ante Legatos noſtro ex latere miſſos, juxta Patrum decreta ſuas exercere, atque finire actiones, nullusque illum ante hæc judicet, aut judicare præſumat; Sed ſiquid, quod abſit, grave, intolerandumque ei objectum fuerit, noſtra erit expectanda cenſura, ut nihil prius de eo, qui ad ſinum Sanctæ Eccleſiæ Romanæ confugit, ejuſque implorat auxilium, decernatur, quam ab ejuſdem Eccleſiæ auctoritate fuerit præceptum, quæ ſic vices ſuas aliis impertivit Eccleſiis, ut in partem ſint vocatæ ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis. Proinde dilectio veſtra, quorum devotione gaudemus, jungat curam ſuam diſpoſitionibus noſtris, & det operam, ut non cujuſquam præſumtione circa memoratum fratrem, veſtra proviſione, vel ſucceſſorum veſtrorum, ſi ipſe ſuperſtes fuerit, aliter quam hic inſertum eſt, ullomodo decernatur, ſed hæc, quæ ad ejus tuitionem, atque defenſionem prædicta hic auctoritate ſuggeſta ſunt, ac ſalubriter ordinata, abſque ulla apologia pleniter impleantur. Si autem quod non arbitramur, a quoquam ſecus præſumtum fuerit, & ab officio Cleri ſubmotus, & injuriarum reus ab omnibus judicetur; ne lupi, qui ſub ſpecie ovium ſubintrarunt, beſtiali ſævitia quoſque audeant dilacerare, & quod ſibi fieri nolunt, aliis inferre præſumant. Romani Correctores animadverterunt ad hunc canonem, Aldricum Cenomanenſem interfuiſſe Concilio celebrato apud Sanctum Medardum, exinde inferentes illi profuiſſe Gregorii Epiſtolam. Venia dixerim graviſſimorum virorum, non evidens eſt hujuſmodi illatio, etenim Epiſtola hæc Gregoriana non pertinebat ad abſolutionem Aldrici, ſed potius ad cauſſam Aldrici Sedi Apoſtolicæ reſervandam. Porro hujuſmodi reſervatio parum prodeſſe potuit ad abſolutionem, niſi ſupponere velimus, Gregorium quidem benevolo animo erga Aldricum fuiſſe, at viceverſa Gallicanos Antiſtites fuiſſe pronos ad damnandum, & quidem iniquo judicio, Aldricum. Ego ſane nec de Gregorio ita ſentire poſſum, ut nimio ſtudio Aldricum proſequeretur, & adverſus jura ſententiam diceret, nec alias de Gallicanis Epiſcopis univerſis, ut Aldrico infenſi illum innoxium adverſus jura damnarent. Potius inhærendum puto illorum opinioni, qui apocrypham eſſe Epiſtolam exinde etiam colligunt; Si enim non contradicentibus Gallicanis Epiſcopis Aldricus in poſterioribus Conciliis ſedit, nullum indicium eſt, unde deducatur Aldricum Sedis honoriſque ſui jacturam, aut periculum feciſſe apud eoſdem Epiſcopos Gallicanos.

Proſequitur auctor Epiſtolæ, plura ad eandem rem coacervans, præ ceteris docens, ad Romanum Pontificem ſpectare impigre ſubvenire omnibus, quibus neceſſe fuerit, ac ſubjicit: *Nos vero ad hunc finem omnem noſtrum adfectum, curamque dirigimus, ut quod ad exaltationem Sanctæ Dei Eccleſiæ, & quod ad cuſtodiam, & profectum pertinet Sacerdotum, nulla diſſenſione violetur, nulla deſidia negligatur. Super quibus ſi quis arguere voluerit, aut extra auctoritatem facere contenderit, veniat ad Sedem Apoſtolicam, quo omnia Eccleſiaſtica negotia, de quibus quæſtio habetur, confluere juſſa ſunt, ut ibi ante confeſſionem Sancti Petri mecum juſte decertet, quatenus inibi unus ex vobis ſententiam ſuſcipiat ſuam.* Hæc ſunt verba canonis 42. cau. 2. qu. 7., poſt quæ paucis interjectis ſequuntur verba priora canonis 2. diſt. 12. ibi: *Præceptis ergo Apoſtolicis non dura ſuperbia reſiſtatur, ſed per obedientiam, quæ a Sancta Romana, & Apoſtolica auctoritate juſſa ſunt, ſalutifere impleantur, ſi ejuſdem ſanctæ Dei Eccleſiæ, quæ eſt caput veſtrum, communionem habere deſideratis. Qui autem ſe ſciunt*

Can. 42. cau. 2. qu. 7.

Can. 2. diſt. 12.

quibuſ-

quibuſdam (hæc omittuntur apud Gratianum, videnturque ab auctore Epiſtolæ excerpta ex illa Vigilii Papæ Epiſtola, quæ refertur in can. 12. cau. 2. qu. 6.) *eſſe præpoſitos, non ferant moleſte, aliquem ſibi eſſe prælatum, ſed obedientiam, quam exigunt, etiam ipſi defendant. Unde liquet, quod omni ſtudio devotionis unanimes divinis, & apoſtolicis præceptionibus parere debeatis, & in nullo inobedientes, quod abſit, effici. Nam licet plerumque accidant in Sacerdotibus &c.* Hoc in loco ſequuntur verba ca-
Can. 4. nonis 4. diſt. 45., ubi tamen pro verbis illis *quam ſtatim judicandi*, legendum eſt
diſt. 45. *quam ſtatim, & abſque noſtro conſulto judicandi*. Quæ vero apud Gratianum legimus in §. *Judæi*, profecto e margine in textum irrepſiſſe videntur, ac ſunt potius ſumma quædam ſubſequentis canonis, quemadmodum unicuique legenti facile liquet.
Can. 5. Poſt pauca ſequitur in eadem Epiſtola canon 5. diſt. 19., ubi pro illis verbis *quia*
diſt. 19. *majoris excommunicationis dejectione eſt abjiciendus, cui &c.* legendum eſt *quia majoris excommunicationis dejectione eſt exigendus, cui &c.* Tandem poſt multa in eadem Epiſtola leguntur, quæ Gratianus retulit in §. *non novum* ſuperius memorati canonis 2. diſt. 12. Nihil amplius immoror in explicandis ſingulis hujuſmodi fragmentis; etenim jam ſuperius expoſita eſt integra Epiſtolæ ſententia, ſi forte apud aliquos vim obtineat, ita ut nihil amplius ſupereſſe, quod poſſit difficultatem faceſſere, videatur.

De canone 8. cauſſa 35. q. 9.

Cum de Gregorio IV. nonnihil tradatur in canone 8. can. 35. qu. 9., videbatur hoc loco potiſſimum explicandus, non quidem in iis omnibus, ac ſingulis exemplis, quæ ibidem proponuntur, ſed in eo tantummodo, quod ad ipſum Gregorium pertinet. In reliquis dicere ſufficit, hoc monumentum referri commodius poſſe ad canonem 13. diſt. 50., in quo eadem fere verba recitantur. Ait Gratianus ex libro Pontificali hæc narrari de Gregorio IV. *Gregorius IV. Theodoſium, quem Eugenius Anteceſſor ejus presbyterii honore privaverat, Eccleſiæ Signinæ conſecravit Epiſcopum*. Verum & hanc enarrationem falſo tributam auctori Pontificalis dignoſcimus, cum in Pontificali libro ne verbum quidem occurrat de Theodoſio Eccleſiæ Signinæ Epiſcopo per Gregorium IV. deſignato, & ab Eugenio II. Gregorii deceſſore a Presbyteratu dejecto. Nihil hujuſmodi legitur aut in vita Eugenii II., aut in vita Gregorii IV., quemadmodum igitur auctor integri hujus capitis in pluribus lapſus eſſe dignoſcitur, quod ſuo loco demonſtrabitur ad canonem 13. diſt. 50., ita & in hac parte lapſum eſſe non temere judicabimus.

CA-

Digitized by Google

CAPUT LXXVI.

De Leone IV.

Nonnulla jam relata ſunt in priore parte hujus operis cap. 52. pag. 482. & ſequentibus, quæ Leoni IV. Pontifici Maximo tribui jure poſſunt. Pertinent illa ad Concilium Leonis ejuſdem temporibus celebratum. Plura adhuc ſuperſunt eruta ex aliis ejuſdem Pontificis monumentis.

Ex Epiſt. ad Epiſcopos Brittanniæ.	*Can.* 8. *diſt.* 18. *in aliquot Gratiani Codicibus emendandus.* *Can.* 1. *diſt.* 20. *varius in diverſis exemplaribus,* *Can.* 5. *cau.* 1. *qu.* 7. *paullo varius in aliis Codicibus.* *Can.* 3. *cau.* 2. *qu.* 4. *ex temporis illius adjunctis explicandus.* *Can.* 4. *cau.* 10. *qu.* 1. *fere conſonat cum ceteris Epiſtolæ exemplaribus.* *Can.* 7. *cau.* 26. *qu.* 5. *ex integra Epiſtola ſupplendus.*
Ex Epiſt. ad Vernonem Ducem Brittanniæ.	*Can.* 10. *cau.* 7. *qu.* 1. *ex aliis monumentis explicandus.*
Ex Epiſt. ad Ebrunium, & Adelfridum Epiſcopos.	*Can.* 5. *cau.* 1. *qu.* 4. *falſo tributus ab aliquibus Leoni III.*
Ex Epiſtola ad Exercitum Francorum.	*Can.* 9. *cau.* 23. *qu.* 8. *alii forte auctori tribuendus.*
Ex Epiſt. ad Lotharium, & Ludovicum Auguſtum.	*Can.* 9. *diſt.* 10. *ex Ivonis Codicibus emendandus.* *Can.* 13. *diſt.* 10. *non indubiæ prorſus auctoritatis.* *Can.* 16. *diſt.* 63. *non indubiæ prorſus auctoritatis.* *Can.* 31. *diſt.* 63. *Leoni IV. jure tribuendus.* *Can.* 41. *cau.* 2. *qu.* 7. *potius Leoni III. adſcribendus, jungenduſque cum can.* 18. *can.* 2. *qu.* 5. *Can.* 7. *cau.* 23. *qu.* 8. } *non diſſonant a temporibus Leonis IV.* *Can.* 8. *cau.* 23. *qu.* 8. }

Ex

Digitized by Google

Ex Epiſt. ad Ritam Comitiſſam. — *Can. 17. diſt. 63. jungendus cum can. 16. diſt. 63.*

Adjiciuntur:
- *Can. 45. cau. 16. qu. 1. tribuendus Leoni ad Epiſcopos Brittanniæ ſcribenti.*
- *Can. 3. cau. 21. qu. 1. incertæ auctoritatis.*
- *Can. 16. cau. 25. qu. 1. referendus forte ad vulgatam Leonis homiliam.*
- *Can. 11. de conſ. diſt. 3. falſo tributus Leoni IV.*

LEonem IV., qui Romanam Sedem tenuit ab anno 847. uſque ad annum 855. velut Pontificem optimum, Parentem amantiſſimum Romanæ Civitatis, Urbis præterea reſtauratorem providentiſſimum hiſtorici univerſi meritis laudibus ornaverunt. Fuit enim ille in reſtituenda, quæ propemodum lapſa videbatur, Eccleſiaſtica Cleri diſciplina admodum ſollicitus, quemadmodum & in præmuniendis Civibus ab impetu Saracenorum identidem fidelibus infeſtorum, & templa locupletiſſima devaſtantium, vallata mœnibus, ac propugnaculis, imo etiam baſilicis aucta, publiciſque ædificiis Urbe.

De Epiſtola ad Epiſcopos Brittanniæ.

Sollicitudinem maximam Leonis in eccleſiaſtica diſciplina ſedulo cuſtodienda exhibet præ ceteris monumentis ipſius Epiſtola ad Epiſcopos Brittanniæ minoris in Gallia, quæ incipit *Quanto ſtudio*. Ibidem initio candide profitetur Sanctus Pontifex, ſe olim in ſuſpicionem adductum fuiſſe de Brittannis Epiſcopis, ne forte in ſacris miniſteriis deſides eſſent, & Eccleſiam fallerent; deinde vero animo ſe erectum fuiſſe, quod illorum agnoviſſet diligentiam ex eo præſertim, quia Simoniacos damnaſſent, & quid de illis agendum eſſet Romanum Antiſtitem, quemadmodum & de aliis diſciplinæ ſacræ capitibus conſuluiſſent. Huc, ſive ad Epiſtolæ initium, pertinet canon 5. cau. 1. qu. 7. ibi: *Legationem denique communem omnium Epiſcoporum reverendiſſimorum nobis propoſitam delinquentes, requiritis de his, qui turpiſſimo lucro columbas in Templo Domini vendere non pertimeſcunt, & ſua acta improba temeritate Simonis hæreſi conjugunt, utrum poſſint in ordine pœnitentiam agere, aut tantummodo extra Ordinem, & Sacerdotalem fieri gradum. Quibus nos quidem convictis, qui tam deteſtabile nefas, quod jam multis eſt damnatum Conciliis, peregiſſe noſcuntur, nulla pœnitentia poſſumus ſubvenire, & tot Spiritalibus Patribus obviare, ſed in illorum Patrum me ſententia convenire omnibus certum ſit*. Integra retuli Leonis verba, qualia in vulgatis Conciliorum, Pontificiarumque Epiſtolarum exemplaribus edita ſunt, ut inde animadvertere unuſquiſque illico poſſet, quænam ſit inter Gratianeum, alioſque Codices utcumque vix adnotanda varietas. Statim proſequitur Leo: *ita tamen ut omnia in conciliis ſint Epiſcoporum. Nam nullam damnationem Epiſcoporum eſſe unquam cenſemus, niſi aut ante legitimum numerum Epiſcoporum, qui ſit per duodecim Epiſcopos, aut certe probata ſententia per ſeptuaginta duos idoneos teſtes, qui tales ſint, qui & accuſare poſſint, & prius ad Sacra Chriſti quatuor Evangelia Sacramenta præſtent*

Can. 5. cau. 1. qu. 7.

Can. 3. cau. 2. qu. 4.

ſtent, quod nil falſum depromant, ſicut nobis Beatus Sylveſter tradidit, & Romana Sancta tenere videtur Eccleſia. Et ſi inter eos, quos damnandos eſſe dixerunt homines, fuerit Epiſcopus, qui ſuam cauſſam in præſentia Romanæ Sedis Epiſcopi petierit audiri, nullus ſuper illum finitivam præſumat dare ſententiam, ſed omnino eum audiri decernimus. Verba hæc ſunt canonis 3. cau. 2. qu. 4., ad quem tamen jam Romani Correctores animadverterunt, verba illa *ſicut nobis B. Sylveſter tradidit, & Romana Sancta tenere videtur Eccleſia* in Epiſtola Leonis manuſcripta deſiderari, quemadmodum etiam animadvertit Lucas Holſtenius. Verum in Epiſtola Nicolai I. ad Salomonem Regem Brittonum, in qua eadem Leonis Epiſtola memoratur, eadem habentur, quæ legimus apud Gratianum: en verba Nicolai de Leone IV. ſcribentis. *Nam qualiter, & a quot, & a quibus ſanxit Epiſcopos condemnari, ſcribens eodem tempore Brittannicæ Regionis Epiſcopis, evidenter inter cetera, ut eadem ipſa verba ponamus, decrevit, æque præcipiens, ut omnia ſint in Conciliis Epiſcoporum. Nam nullam damnationem Epiſcoporum niſi aut ante* (legit Hadrianus ex Codice Ms. Archivi Turonenſis *niſi inante*) *legitimum numerum Epiſcoporum, qui ſit per duodecim Epiſcopos, aut certe probata ſententia per ſeptuagintaduos idoneos teſtes, qui tales ſint, qui & accuſare poſſint, & prius ad Sacra Christi quatuor Evangelia Sacramenta præſtent, quod nil falſum depromant, ſicut nobis B. Sylveſter, & Sancta Romana tenere videtur Eccleſia. Quam ſecutus deceſſor meus ſanctæ memoriæ Benedictus, quia contra deceſſoris ſui decretum non ab Epiſcopis, ſed a Laicis Epiſcopos in regione tua cognoverat eſſe dejectos, multa mæſtitia, & indignatione repletus ſcripſit, quod nulla ratio ſineret Epiſcopos a Sedibus ſuis pelli, quos duodenarius numerus non ejeciſſet. Quorum veſtigia & ego quoque ſequutus eadem cenſui, imo & cenſeo, nec ullam poſſe Epiſcopos ſui honoris ſuſtinere jacturam, quos non conſtat fuiſſe a duodecim Epiſcopis, præſente primamque ſententiam Metropolitano Epiſcopo obtinente, cum examinarentur, auditos. Qui etſi crimen aliquod confeſſi eſſe dicuntur, poteſt credi, quod vi vel formidine faſſi tantum, & non confeſſi fuerint quod non fecerant, quia videbant Laicos, & Sæculares quoſque una cum Rege contra ſe conſpirantes, quod nec ſaltem audierant. Siquidem qui ore tantum, & non corde profert quod dicit, non confitetur, ſed loquitur, quamvis non videatur juſta confeſſio, quæ non legitimo provocatur examine*. Integram Nicolai I. ſententiam, quoad rem hanc attinet, deſcribendam ideo cenſui, quia plurimum prodeſſe poteſt commodæ interpretationi Epiſtolæ Leonis, eo vel magis, quia Nicolaus I. eodem vixit ſæculo, ac Leoni IV. poſt Benedictum III. ſucceſſit. Itaque ſive apud Leonem, ſive apud Nicolaum de controverſiis agitur Epiſcoporum in Brittannia minore conſtitutorum. Nemo vero ignorat, tunc temporis nulli Metropolitano eoſdem Brittanniæ Epiſcopos aut fuiſſe obnoxios, aut ſeſe obnoxios crediſſe, aut etiam novi Principis occaſione ſeſe ab aliena juriſdictione ſubtraxiſſe, quemadmodum tradidi ad canonem 10. cau. 3. qu. 6., quidquid in contrarium ſtuderet Turonenſis Archiepiſcopus, aliive, qui Brittannos Antiſtites ſibi ſubjici curabant, quemadmodum ex ejuſdem Nicolai Papæ Epiſtola nuper memorata perſpicue colligitur, ibi: *quia vero magna quis ſit Metropolitanus apud Brittannos contentio eſt, licet nulla memoria ſit vos in veſtra regione ullam habuiſſe Metropolitanam Eccleſiam &c.* Eam ob rem negotia illa, quæ ex generali ſanctorum canonum diſciplina in Conciliis Provincialibus Metropolitani auctoritate congregatis gerenda erant, qualis tunc habebatur cauſſa accuſandorum Epiſcoporum, vix geri rite poterant, cum promiſcue Antiſtites ſinguli conventus facerent, qui nomine quidem tenus Provincialia concilia dicebantur, ſed quia Su-

perioris auctoritate deſtituebantur, ſatis exiguas vires habere poterant, imo ut plurimum ſemina effundebant diſcordiarum. Ubi id agnoverunt Leo, & Nicolaus Pontifices Maximi, nihil utilius Eccleſiaſticæ rei eſſe poſſe arbitrati ſunt, quam ſuadere eoſdem Epiſcopos Brittanniæ, imo & ipſos Brittanniæ Principes, ut Brittanniæ Epiſcopatus ſubderentur, velut ſuffraganeorum jure, Archiepiſcopo Turonenſi. Ingrata quidem res Brittannis iiſdem Epiſcopis, quos difficile erat ad illud conſilium capeſſendum adducere. Quam ut neceſſario obeundam proponentes Pontifices Maximi aſſeruerunt in primis, duodecim Epiſcoporum ſuffragia requiri in damnandis Epiſcopis, quod ſi facile Brittannis opportunum demonſtrabatur, futurum erat, ut Turonenſi Archiepiſcopo, vel alteri ſe ſubjicerent; etenim in Brittannia non tot Epiſcopatus erat, quot ad duodecim Epiſcoporum celebrandum conventum ſufficerent, quemadmodum eveniebat, ſi Turonenſem Archiepiſcopum velut Metropolitam agnoſcerent, quemadmodum revera deinde factum eſt, ut duodecim Epiſcopi eſſent in Provincia Turonenſi, nimirum Turonenſis, Andegavenſis, Cenomanenſis, Redonenſis, Nannetenſis, Venetenſis, Maclovienſis, Briocenſis, Dolenſis, Trecorenſis, Criſopitenſis, & Leonenſis. En ſingularem rationem, quare apud Brittannos opportunum fuerit definire duodecim Epiſcoporum numerum in dirimendis accuſatorum Antiſtitum cauſſis, quamquam alias definitum generaliter fuerit, in Provincialibus conciliis nulla habita ratione majoris, vel minoris numeri Epiſcoporum eaſdem controverſias dirimi debere; uti liquet ex Concilio Carthaginenſi vulgo IV. can. 25., ex Capitularibus Francorum lib. 6. cap. 281., & lib. 7. cap. 314. & 320., quibus addi merito poteſt Innocentius I. in can. 26. cau. 11. qu. 1. & in can. 14. cau. 3. qu. 6. Deinde etiam Pontifices Maximi aſſeruerunt, inveniri olim conſtitutum Epiſcopos damnandos non eſſe, *niſi probata ſententia per LXXII. idoneos teſtes*. Vulgata tunc erant decreta illa, quæ attributa fuerant Sylveſtro Papæ, quæque memorat Gratianus in can. 2. cau. 2. qu. 4., ubi illa conſtituitur diſciplina. Quæcumque autem habenda eſſet hujuſmodi canonum auctoritas, nonnihil removere Brittannos poterat a dirimendis cauſſis Epiſcopalibus pro lubito, & ſine Concilii Provincialis ſincera ſententia. Hinc illis canonibus utendum fore viſum fuit opportunum Leoni, cui perſuaſum forte erat canones illos apud Brittannos jamdiu fuiſſe receptiſſimos. Duplici quodammodo via Brittannos inſequebatur Epiſcopos Leo, quaſi diceret: vel arbitramini Epiſcopales cauſſas in Provinciali Concilio dirimi poſſe; tum vero ad Turonenſem Archiepiſcopum confugere debetis, velut Archiepiſcopum, cujus auctoritate Synodus celebretur, qua demum ita convocata fiat, ut numerus ſufficiens ſit Epiſcoporum, qui non extat apud Brittannos: vel arbitramini etiam ſine Concilio poſſe ab Epiſcopis Epiſcopos dejici; tum vero locum habebit vulgata traditio, qua præſtituitur, ne Epiſcopi damnentur ſine interventu 72. teſtium, quæ cum liquido conſtent tum ex verbis Leonis, tum ex temporis illius, locorum, ceteriſque hujuſmodi adjunctis, perſpicue etiam liquet, Leonem non ita excepiſſe merces Iſidorianas, ut crederet, quemadmodum apud Mercatorem legitur, ſeptuagintaduorum teſtium numerum neceſſarium fore in cauſſis Sacrorum Antiſtitum dirimendis in Synodo Provinciali.

Proſequitur Leo, enarrans, ſe de pluribus Eccleſiaſticæ diſciplinæ capitibus interrogatum fuiſſe, quibus ſatisfacere ſe aſſerit juxta Sanctorum Patrum vetuſtas traditiones. In capite 2. hæc leguntur. *Regenda vero eſt unaquæque Parochia ſub proviſione, ac tuitione Epiſcopi per Sacerdotes, vel ceteros Clericos, quos ipſe cum Dei timore*

Can. 4. cau. 10. qu. 1.

Digitized by Google

timore prævideril, cui jure pertinere videbitur, & circumire, ut ſibi neceſſarium viſum fuerit, eccleſiaſtica utilitate cogente. Verba hæc relata ſunt a Gratiano in can. 4. cau. 10. qu. 1. ubi nonnulla in ſcriptura diſcrepant, forte etiam accuratius, ut videtur, apud Gratianum expoſita.

In capite 3. hæc habentur: *De eulogiis ad Sacra Concilia deferendis nihil invenimus a majoribus terminatum, ſed ſicut unicuique presbytero placuerit. Nam ſi conſtitutum fuerit illo in tempore benedictiones adferri, forſan minus libenter ad Synodos occurrent, & magis venire detrectabunt; quæ, ut arbitror, non ſunt rationabiliter requirendæ, nec ultro delatæ reſpuendæ*. Sunt hæc verba canonis 8. diſt. 18., quæ ideo integra deſcripſi, quod in aliquot Gratiani exemplaribus & quidem recentioribus corrupta agnoverim. Quæ hic Eulogiæ appellantur, apud recentiores vocantur Synodatica, nimirum quædam munera a Clericis oblata Epiſcopo occaſione Synodi. Hæc quemadmodum exigi prohibuit Leo IV., ita etiam prohibuit Hincmarus Rhemenſis in capitulis datis Archidiaconibus & Presbyteris anno 874. num. 5. ibi: *Nolite quaſi pro aliquo adjutorio ad quamcumque rem denarios apud presbyteros poſtuletis: neque quando ad Synodum, vel pro inquiſitione miniſterii ſui, ſeu pro chriſma accipiendo venerint, eulogias exigatis*. In formulis antiquis Promotionum Epiſcopalium editis apud Baluzium in tomo 2. Capitularium Francorum extat numero 18. querela quædam ejuſdem Hincmari de illis, qui *Synodos temere frequentabant, ut factione miniſtrorum ſuorum diverſo modo denarios quaſi pro eulogiis acciperent*. Can. 8. diſt. 18.

Ex capite 4. ejuſdem epiſtolæ depromtus eſt can. 7. cau. 26. qu. 5. his verbis legendus: *De experientia autem divinationum, vel maleficiorum, ſcriptum quidem in ſacris habemus canonibus* (ibi laudatus videtur canon Concilii Ancyrani, ſeu canon 2. cau. 26. qu. 5.) *ut ipſa verba ponamus, ita: Qui divinationes expetunt, & morem gentilium ſubſequuntur, aut in domos ſuas hujuſcemodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte malefica, aut expiandi cauſſa, ſub regula quinquennii jaceant. Unde ad illorum ſimilitudinem ſortes, quibus cuncta vos in veſtris diſcriminatis judiciis, nihil aliud, quam quod illi Patres damnarunt, divinationes, & maleficia eſſe decernimus. Quamobrem volumus illas omnino damnari, & ultra inter Chriſtianos nolumus nominari, & ut abſcindantur, ſub anathematis interdicto præcipimus*. Can. 7. cau. 26. qu. 5.

In capite 6. ſeu poſtremo epiſtolæ leguntur verba canonis 1. diſt. 20., quæ cum non ubique eadem omnino ſint, hic exhibebo, quemadmodum in vulgatis integræ epiſtolæ exemplaribus deſcribuntur, adjecta etiam ubi opus eſt aliorum codicum varietate. *De libellis, & commentariis aliorum non convenit aliquem judicare, & Sanctorum Conciliorum canones relinquere, vel decretalium regulas, ideſt quæ habentur apud nos ſimul cum illis in canone & quibus in omnibus* (apud Ivonem legitur: *ſimul cum canone in illis, quibus in omnibus*) *Eccleſiaſticis utimur judiciis, ideſt Apoſtolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæſarienſium, Gangrenſium, Antiochenſium, Laodicenſium, Chalcedonenſium, Sardicenſium, Carthaginenſium, Africanenſium* (hæc Conciliorum nomina alio ordine apud Ivonem recenſentur) *& cum illis regulæ Præſulum Romanorum*, (Ivo: *Regulæ Romanorum Pontificum*) *Silveſtri, Siricii, Innocentii, Zoſimi, Cæleſtini, Leonis, Gelaſii, Hilarii, Symmachi, Simplicii*. (Adjicit Ivo: *Hormiſdæ, & Gregorii Junioris*: e converſo in collectionibus Anſelmi, & Polycarpi, uti alii jam ad Gratianum adnotaverunt, deſunt omnia Pontificum nomina) *Iſti omnino ſunt, per quos judicant Epiſcopi, & per quos Epiſcopi ſimul & Clerici judicantur. Nam ſi tale emerſerit, vel contigerit inuſitatum negotium*, Can. 1. diſt. 20.

Digitized by Google

gotium, quod minime poſſet per iſtos finiri, tunc ſi illorum, quorum meminiſtis, dicta Hieronymi, Auguſtini, Iſidori, vel ceterorum ſimiliter ſanctorum doctrinam ſimilium reperta fuerint, magnanimiter ſunt retinenda, ac promulganda, vel ad Apoſtolicam Sedem referatur de talibus. Quam ob cauſſam luculentius, & magna voce pronunciare non timeo, quia qui illa quæ diximus, Sanctorum Patrum ſtatuta, quæ apud nos canones prætitulantur, ſive ſit Epiſcopus, ſive Clericus, ſive laicus non indifferenter receperit, ipſe ſe convincit, (legit Ivo: *ipſe convincitur*) *nec Catholicam, & Apoſtolicam fidem, nec ſancta vera Chriſti Evangelia quatuor utiliter; & efficaciter, & ad effectum* (nota marginalis Ivonis habet: *ad profectum*) *ſuum retinere, vel credere.* Nemo hinc non videt, Leonem Brittannis Epiſcopis propoſuiſſe monumenta illa, quæ tamquam regulas Eccleſiaſticas ſequi unuſquiſque deberet, quæque tunc in Romanæ Eccleſiæ Codice cuſtodiebantur. At vero cum varia ſint in monumentorum deſcriptione exemplaria, vix certo conſtitui poteſt, quibus capitibus Romanus ille codex conſtaret. Revera Gratianus mentionem fecit Conciliorum Conſtantinopolitani, & Epheſini, quæ non memorantur aut in vulgatis epiſtolæ codicibus, aut apud ceteros Collectores. Apud Gratianum & alios nomina Pontificum Romanorum recenſentur, quæ tamen, uti prænotatum eſt, apud aliquos Collectores deſiderantur. In iis vero codicibus, in quibus nomina Pontificum exhibentur, non eſt conſtans lectio, tantum enim in quibuſdam de Hormiſda & Gregorio juniore fit ſermo. De nomine Sylveſtri non deſunt, qui aſſeruerunt adjectum fuiſſe ex imprudentia, vel oſcitantia Collectorum, argumento ſumto ex epiſtola 7. & 21. Hincmari Rhemenſis, qui teſtatur ſuis temporibus nondum receptos Sylveſtri canones fuiſſe, nec in Codicem redactos Romanæ Eccleſiæ, quemadmodum nec in Codicem redactæ fuerant ceteræ decretales epiſtolæ recens tributæ vetuſtiſſimis Pontificibus opera Mercatoris. Alii etiam ſuſpicati ſunt mendum in epiſtolam irrepſiſſe, ut cum antea legeretur *Scilicet Siricii* deinde ex imprudentia legi, ſcribive cœperit *Silveſtri, Siricii*. Ego ſane hac in re illud quidem obſervatione dignum arbitror, Leonem non protuliſſe ſequendas decretales illas, quæ Iſidori nomine jam tum proferebantur, quod indicat in Eccleſiæ Romanæ Codice non fuiſſe ſervatas, nec receptas, ſed tantummodo decretales illas, quæ in Codice Dionyſii Exigui continentur. Forte movebit quempiam Sylveſtri Pontificis nomen, cujus decretales etiam Leo ſequendas propoſuit. Sed jam animadverterunt plurimi in hac parte corruptam epiſtolam, ſive nomen Sylveſtri penitus eradentes, ſive pro Sylveſtro ſcribentes particulam *ſcilicet*. Aſt ego licet veroſimilem hujus rei conjecturam deducam tum ex eo, quod non potior eſſe potuerit apud Leonem ratio Sylveſtri, atque antiquiorum Pontificum, quorum omnium decretales æque prodierunt ex officina Mercatoris, tum ex eo, quod eas decretales propoſuerit ſequendas Leo, quas in Romano canonum codice dixerat contineri, Sylveſtri autem capita in Romano Codice necdum continebantur; tamen me plurimum turbat conſtantiſſima univerſorum codicum, & æqua in omnibus exemplaribus lectio, eo vel magis, quia idem Leo in hac ipſa epiſtola videtur ſententias Sylveſtri ſequendas Brittannicis Epiſcopis propoſuiſſe, quemadmodum adparet ex iis, quæ ſuperius animadverti ad canonem 3. cau. 2. qu. 4., ubi Leo, quem ſequutus eſt Nicolaus Papa ibidem etjam laudatus, ideo ſtatuit ſeptuaginta duorum teſtium numerum convenire debere in damnationibus Epiſcoporum, quia inter capitula Sylveſtri ita conſtitutum legeretur. Cur itaque velut in-

Digitized by Google

incongruum alicui videri poterit, Sylveſtri capita a Leone recipienda proponi, quando Leo ipſe in præcedentibus ejuſdem epiſtolæ verbis Sylveſtri canonibus uſus eſt? Eam ego potius interpretationem caperem, (ne dixerim Leonis auctoritate probatum fuiſſe Mercatoris codicem, ne in ea quidem parte, in qua Sylveſtri canones continentur), qua exhibeatur Leo proponens ſequenda decreta Sylveſtri in ea tantummodo parte, quam ſuperius propoſuerat de teſtibus ſeptuagintaduobus, & quidem juxta ea, quæ ſuperius animadverti ad dictum canonem 3. cau. 2. qu. 4. hæc enim interpretatio cum præcedenti Leonis ſententia ſequentem nectere videtur, atque una componere.

De Epiſtola ad Vernonem Brittanniæ Ducem.

Teſtatus eſt Stephanus Baluzius in notis ad canonem 10. cau. 7. qu. 1., inſcriptionem capitis in variis Gratiani editionibus variam fuiſſe; ubi enim vulgares editiones habent *Verneni*, aliæ olim habebant: *Nennoni*, aliæ *Novoni*, aliæ *Nennino*, aliæ *Nonnoni*, aliæ demum *Nemo*: Una etiam animadvertit ubique depravatam eſſe ſcripturam, & legendum potius *Nomenojo*. Revera Nomenojum temporibus Leonis fuiſſe Brittanniæ minoris Ducem plura monumenta demonſtrant. Imo quomodo ſub eo Principe res Eccleſiaſticæ, præſertim Epiſcoporum Sedes, ſe haberent, jam exhibui ad canonem 10. cau. 3. qu. 6., ſive in cap. 50. hujus 2. partis pag. 476., ubi quæ dicta ſunt, huc etiam referre oportebit, utpote plurimum convenientia ad rectam interpretationem canonis 10. cau. 7. qu. 1. Animadvertebam illic Brittonum Epiſcopos fuiſſe a ſuis Sedibus deturbatos, & in locum dejectorum alios fuiſſe ſubſtitutos Nomenoji auctoritate. Hoc factum non improbare non potuit Leo IV., proindeque non dubito ab eodem Pontifice epiſtolam ad Numenojum directam fuiſſe ea de cauſſa, (quamquam integra hujus epiſtolæ exemplaria deperierint), Epiſcopoſque in deturbatorum locum ſubrogatos, atque inter ceteros Gillardum, ſive ut alii ſcribunt, Gislardum, fures ac latrones fuiſſe adpellatos. Ad hanc rem plurimum facere videtur epiſtola 84. Lupi Ferrarienſis, in qua Gallicani Epiſcopi ſcripſerunt ita: *Epiſcopi legitimi Sedibus propriis pulſi: &, ut mitius loquamur, quia dicere noluimus fures & latrones, mercenarii introducti*. Jungi etiam his poſſet epiſt. in recentioribus collectionibus 124. inter epiſtolas Johannis VIII. Papæ ad eoſdem Brittones Epiſcopos directa. Præceteris vero monumentis magis ad hanc ipſam rem pertinet Nicolai I. Pontificis ad Salomonem Brittonum Regem, quæ eſt in Labbeana Veneta editione 22. in appendice; in ea enim hæc leguntur: *De Gislardo autem, & Actardo* (legunt alii *Attardo*. Porro erant ipſi Nannetenſes Epiſcopi, Gislardus ſcilicet in locum Actardi ſuffectus) *Epiſcopis, de quibus ſcripſiſti, multo aliter, quam tua referebat epiſtola, in ſcrinio noſtro reperimus. Licet non bene faciat Actardus, quia denuo conſecrat, quos Gislardus in eo gradu dignoſcitur ordinaſſe, tamen Actardus invenitur ante Gislardum Epiſcopatus officium ſuſcepiſſe. Denique Sanctiſſimus Leo Papa Nomenojo ſcribens, inter cetera præcipuum virum Actardum appellat, & hunc ſanum ſapere, & ſanum docere, vivere, ac permanere denunciat; Gislardum vero tamquam prædicti Actardi ſedulum invaſorem denotat*. Poſt hæc nihil amplius addendum videtur; non ſolum enim hinc fides fit memoratæ Leonis ad Nomenojum epiſtolæ, ſed etiam qualis Gislardi fuerit cauſſa apertiſſime demonſtratur.

Can. 10. cau. 7. qu. 1.

De

Digitized by Google

De Epiſtola ad Ebrunium, & Adelfridum Epiſcopos.

Can. 5. cau. 1. qu. 4. Epiſtola ad Ebrunium, & Adelfridum Epiſcopos, quæ memoratur in canone 5. cau. 1. qu. 4. in aliquibus codicibus Leoni IV., in aliis Leoni III. adſcribitur. Periit illa, nec aliud, præterquam apud Gratianum, ejuſdem monumentum exiſtit. Privata quædam cauſſa, quam diremit ibidem Sanctus Pontifex, non adeo viſa eſt movere Collectores Decretalium, ut de epiſtola illa ſolliciti eſſent. Ex conjecturis, quæ in hanc rem adferri poſſunt, ego arbitror emendandam in primis inſcriptionem, ut legatur non *Ebrunio, & Adelfrido Epiſcopis*, ſed potius *Erpuino, & Hermenfrido Epiſcopis*. Interfuerunt hi duo Erpuinus Silvanectenſis, Hermenfridus Bellovacenſis in Gallia Epiſcopi Concilio Cariſiaco anni 849., ſubſcripſeruntque Synodicæ Concilii Pariſienſis ejuſdem anni ad Numenojum Ducem. Exinde autem cum illorum Epiſcopatus incidat in tempora Leonis IV., jam facile conjicitur cuſtodiendam potius vulgarem Gratiani editionem, quæ exhibet Leonem IV. epiſtolæ auctorem, quam alias, quibus Leo III. laudatur. Et quidem cum ex iis, quæ ſuperius ex ceteris Leonis IV. epiſtolis deducuntur, facile inferatur, in Gallia frequentes fuiſſe Epiſcoporum dejectiones, & ſubſtitutiones aliorum Antiſtitum in locum ac vicem dejectorum, mirum non eſt, ſi eiſdem in Provinciis quædam ſimilia contigerint in Presbyteris, quos hodie Parochos appellaremus, ut unus in locum alterius per vim dejecti ſufficeretur, quemadmodum legitur in dicto canone 5. cau. 1. qu. 4. Sacerdos ille, de quo in eodem canone ſermo fit, forte videri poterit Godelgarius, de cujus cauſſa actum eſt in Concilio Lugdunenſi anno 848., de qua apud Labbeum in tomo 9. Venetæ editionis pag. 1051. & ſequentibus.

De Epiſtola ad Exercitum Francorum.

Can. 9. cau. 23. qu. 8. Temporibus Leonis IV. nemo ignorat Romanam ditionem, ipſam præſertim Urbem, Sarracenorum armis fuiſſe concuſſam, & quidem ea vi, quæ diutius, ac repetito ſæpe ac ſæpius impetu perduravit. Vidit quidem Leo initio ſui Pontificatus liberam ab incurſionibus hoſtium Romam, turpiterque labefactatam reſtituit, ſed poſt aliquot annos pati rurſus debuit minas acres validiſſimæ claſſis eorundem Sarracenorum, adverſus quos propterea impetrato novis ad id editis orationibus divino auxilio, uti refert auctor libri Pontificalis, deinde adjutus Neapolitanorum inſtructis copiis ſibi & ſuis optatam peperit tranquillitatem, licet hanc rurſus turbaverint novo miſſo hoſtes exercitu poſt Leonis obitum, unde Pontificibus Maximis illius ſucceſſoribus novis curis, anxiiſque ſollicitudinibus opus fuiſſe monumenta ferme omnia noni ſæculi abunde teſtantur. Hinc forte dixeris, canonem 9. cau. 23. qu. 8., qui Leoni IV. alloquenti Francorum exercitum adſcribitur, eidem Pontifici convenire, licet de integra Leonis ejuſdem epiſtola non conſtet: nimirum dixeris Leonem IV. concitaſſe Francos milites in ſui ſuorumque auxilium acce-

Digitized by Google

accedentes , ut adverſus Sarracenos alacri contentione pugnarent , cœleſtium præmiorum ſpe propoſita morituris , quod belligeraſſent *pro veritate fidei & ſalvatione Patriæ , ac defenſione Chriſtianorum* . Verum ego plurimum dubito , ne ſatis recto judicio hæc Leoni IV. tribuantur . In primis enim cum non aliunde de monumento hoc conſtet , quam ex Gratiano , aliiſque fere contemporaneis Collectoribus , Ivone nimirum , & Panormiæ auctore ; horum autem Collectorum codices non perpetuo , ac conſtantiſſime hoc ipſum caput Leoni tribuerint , ignoro , quomodo firma conſiſtere poſſit ipſorum auctoritas . Unum ego habeo Gratiani vetuſtum Codicem , in quo idem canon 9. una cum canone præcedenti ſive 8. adſcribitur Gregorio Papæ , reticito prorſus nomine Leonis . Idemmet Gratianus in can. 46. cau. 23. qu. 5. ſimilia recitat ad exercitum Francorum directa nomine Nicolai , licet hæc ipſa verba Nicolao tributa apud Gratianum Ivo æque tribuerit Leoni IV. Francorum exercitum alloquenti in parte 10. cap. 87. Decreti. In Panormia , quam præ manibus habebat Antonius Auguſtinus , videbatur idem canon adſcriptus Alexandro II. , ut ipſe teſtatur in Dialogo 19 lib. 2. de emendat. Gratiani . In Panormia , quam præ manibus habebat Vaneſpen idem canon 9. laudabatur ſub nomine Nicolai Papæ , uti ſcribit idem auctor in brevi Commentario ad 2. partem Gratiani ad quæſtionem 8. cauſſæ 23. Præterea animadverto, nullam potuiſſe ſuboriri occaſionem Leoni IV. ita alloquendi Francorum exercitum ; etenim , ut auctor Pontificalis , aliique ſcriptores enarrant , in Sarracenis conficiendis , non aliis ſubſidium advenientibus uſi fuere Romani , quam Neapolitanis , finimitiſque populis . Itaque melius alii ex Pontificibus , & quidem ejuſdem ſæculi tribuetur : neque enim repugnat ; cum iis aut ſimilibus formulis uſi tunc fuerint Pontifices Maximi in excitandis militibus , ut adverſus Patriæ æque , ac Fidei hoſtes pugnarent . Referam ad hanc rem verba Johannis VIII. ita ſcribentis in epiſtola 21. ad Carolum Imperatorem , quem precabatur , ut auxilium adverſus Sarracenos ſuppeditaret : *Occurrite ſtrenue , ſubvenite celeriter , & manu conſolationis veſtræ ab oculis noſtris tandem abſtergite lacrymas , quatenus ſuper illis & preſentialiter Deo propitio gaudeatis , & in futuro frequenti , ac laudabili relicta fama ſuperſtite cum Chriſto perpetes in cœleſtibus imperetis* . Quoniam vero verba illius canonis videtur Gratianus depromſiſſe ex decreto Ivonis parte 10. cap. 87. , atque apud Ivonem pleniora ſunt , juvabit integra hic referre . Ita legitur ibidem : *Idem* (nimirum Leo IV. ſuperius laudatus) *exercitui Francorum . Omni timore , ac terrore depoſito contra inimicos ſanctæ fidei , & adverſarios omnium regionum* (Gratianus ſcripſit *religionum*) *viriliter agere ſtudete . Item . Ubi uſque nunc Parentes veſtri publicum moverunt procinctum , ſemper victores extiterunt , nullaque eos multitudo populi ſuperare potuit : non enim audivimus , ut aliquando ſine fama victoriæ reverſi fuiſſent . Item . Omnium veſtrum noſſe volumus charitatem , quoniam quiſquis (quod non optantes dicimus) in hoc belli certamine fideliter mortuus fuerit , regna illi cœleſtia minime negabuntur . Novit enim omnipotens , ſi quislibet veſtrum morietur , quod pro veritate fidei , & ſalvatione Patriæ , ac defenſione Chriſtianorum mortuus eſt : ideo ab eo prætitulatum præmium conſequetur* .

Digitized by Google

De epiſtolis ad Lotharium, ſeu ad Ludovicum Auguſtum. Item ad Ritam Comitiſſam.

Jungendas arbitratus ſum epiſtolas, quæ a Leone ad Lotharium Auguſtum ſcriptæ feruntur, cum iis, quæ ſcriptæ eſſe feruntur ad Ludovicum Auguſtum, ſive quod apud Gratianum frequentiſſime duorum hæc Imperatorum nomina in inſcriptionibus capitum promiſcue uſurpantur, ſive quod apud eundem Gratianum laudetur Leonis epiſtola ad utrumque ſcripta, ad Lotharium ſcilicet, & Ludovicum Auguſtos. Non defuerunt, qui aliquot hujuſmodi fragmenta retulerint potius ad Leonem III., etenim Herimannus Conringius canonem 41. cau. 2. qu. 7. Leoni III. adſcribendum voluit, quia ſub Leone IV. ſumma imperii erat penes Lotharium, non autem penes Ludovicum, quia inſuper ex eo canone deducitur quaſdam inter Auguſtum, & Pontificem ſimultates interceſſiſſe, quæ tamen inter Leonem IV., & Lotharium nullæ fuerunt, ſed fuiſſe potius inter Leonem III., & Ludovicum Pium anno 815. Eginhardus in annalibus teſtatur. Alii vero de auctore parum ſolliciti ad ſententias potius accedentes fragmentorum illorum, quæ apud Gratianum eo nomine leguntur, variis interpretationibus ſe divinaſſe ſaltem aliquid crediderunt. Ego laudo ſingulorum curam, ac ſollicitudinem, qui dum carent non authographo tantum, verum etiam exemplari integræ epiſtolæ, ex variis perſonarum, cauſſarum, locorum, ac rerum adjunctis aliquid conjicere conati ſunt. Interea tamen illud puto adſeri poſſe, Leonem IV., & ad Lotharium, & ad Ludovicum Lotharii filium Imperatores epiſtolas ſcripſiſſe, cum uterque Leonis IV. temporibus imperium geſſiſſe facile comprobetur; quod ſi inveroſimile videri laudato Conringio potuit, deceptus forte ipſe fuit, quod dum legeret Ludovici Auguſti nomen, iſtud retulerit non ad Ludovicum Lotharii filium, ſed ad Ludovicum Pium Lotharii patrem, & filium Caroli Magni.

Can. 9. diſt. 10. Ex epiſtola Leonis IV. ad Lotharium Auguſtum depromtus dicitur canon 9. diſt. 10., ubi mendum ſubeſſe notaverunt Romani Correctores ex antiquiore ſane Ivonis collectione corrigendum. Ita ſcripſit Ivo in parte 4. cap. 176. *De capitulis, vel præceptis imperialibus veſtris, noſtrorumque etiam Pontificum Prædeceſſorum irrefragabiliter cuſtodiendis, & conſervandis quanto valuimus, & valemus propitio Chriſto, & nunc, & in ævum conſervaturos modis omnibus profitemur. Et ſi fortaſſe quilibet vobis aliter dixerit, vel dicturus fuerit, ſciatis eum pro certo mendacem.* Non memoro hic quid Gloſſographi tradiderint ad vocem illam *veſtrorumque*, quæ habetur in editione Gratiani, utpote ſupervacaneam poſt factam ex codice Ivonis emendationem. Tantum proferam quid ad eam rem ſcripſit Antonius Auguſtinus in lib. 1. de emendat. Gratiani Dial. 19. ibi: *A. vox* Pontificum, *aut vox* Prædeceſſorum *ſupervacanea eſt. Agitur enim de capitulis, ſive capitularibus Imperatorum, quæ Lotharius poſtulabat a Pontifice Romano ſervari. Quamobrem omiſſa voce* Pontificum, *recte dicetur* veſtrorumque Prædeceſſorum. *Si vero vox* Pontificum *retineatur, de Pontificibus, hoc eſt Epiſcopis, intelligi oportet, qui capitularia in Synodis cum Imperatoribus fecerunt*; *vox* Prædeceſſorum *omitti debet, &c.* Nemini ſane hæc diſplicere poterunt, niſi quiſpiam forte notandum arbitretur, fingi ſine teſte, aut ſine ſcriptis codicibus Lotharium a Romano Pontifice poſtulaſſe, ut Imperatorum Capitularia

Digitized by Google

pitularia cuſtodirentur. Quid enim? Num quia etiam Leo IV. ſcripſiſſe dicitur, capitula, & præcepta Prædeceſſorum Pontificum cuſtodiri debere, ſuſpicari etiam licebit de ea re dubium apud Lotharium fuiſſe? At vero vel ipſa Imperatorum capitula, ac præcepta ipſimet Pontifices Maximi comprobaverant, per Legatos ſaltem ſuos, quemadmodum legitur in capite ultimo libri 7. Capitularium ibi: *Maxime trium ultimorum capitula iſtorum librorum apoſtolica ſunt cuncta auctoritate roborata, quia bis cudendis maxime apoſtolica interfuit legatio.* Ego ſane arbitror nihil aliud Leonem IV. illis loquendi formulis voluiſſe, quam ſignificare, quo animo, & Prædeceſſorum Pontificum, & Imperatorum ſtatuta reciperet ac cuſtodiret, eo nimirum, quo leges ſanctiſſime ſapientiſſimeque editas cuſtodiri decebat. Neque vero admittendum ullo modo videtur, quod aliqui aſſeruerunt, Leonem ita ſcripſiſſe, aut quod nimio timore angeretur, cum Imperatorem alloqueretur, aut quod aſſentiendo capitularibus Imperatoriis facilius obtineret Legum Romanarum receptionem, quod demonſtrari poſſe putant ex can. 13. diſt. 10., aut quod ea ratione facilius impetraturum ſe crederet Romanis liberam Maximorum Pontificum electionem, aut demum quod Leo a præconcepta ſuſpicione de neglectu Capitularium ſe purgandum voluerit, quemadmodum ſcripſit Baluzius in præfatione Capitularium Francorum num. 23. ad ipſam etiam Gloſſographorum auctoritatem confugiens, quam aliis in ſpeciebus facile neglexiſſet. Non aliam video ita ſcribendi cauſſam eſſe potuiſſe Leoni, quam quæ fuit ceteris eccleſiaſticis Patribus, qui eodem ſæculo cuſtodiendas Capitularium leges ſæpe ac ſæpius indixerunt. Sic in Concilio Meldenſi anni 895. cap. 78. ſtatutum legimus: *Ut capitula eccleſiaſtica a Domno Carolo Magno Imperatore, nec non a Domno Ludovico Pio Auguſto promulgata, obnixe obſervari præcipiantur, ſicut & legalia obſervanda eſſe noſcuntur.* Junge his Johannis IX. in Synodo Ravennatenſi anni 904. ſuggeſtionem, qualem exhibet memoratus Baluzius in laudata præfatione Capitularium num. 26., adde etiam leges Longobardorum lib. 3. tit. 37.

Ad eandem epiſtolam Leonis Lothario Auguſto ſcribentis vulgo traditur pertinere canonem 13. diſt. 10., imo etiam quandam velut conventionem continere initam inter Pontificem Maximum, & Imperatorem, cujus vi ſicut Pontifex profitebatur, ſe recepiſſe Capitularia Imperatorum, ita ab Imperatoribus recipi Romanas leges poſtularet. Sunt iſtæ meo judicio divinationes, ne levibus quidem conjecturis innixæ. Qui animadverſiones in hunc canonem Gratianeæ editioni adjecerunt, aſſeruere, Lotharium viſum eſſe populo Romano, quod Leo hic petierat, conceſſiſſe, eoque argumento comprobarunt, quod in legibus Longobardicis habeatur, ſtatuiſſe Lotharium, ut interrogaretur populus Romanus, qua vivere lege vellet. Conſtitutio Lotharii habetur in legibus Longobardorum lib. 2. tit. 57. Sed hujuſmodi obſervationem manifeſto argumento Baluzius improbat in præfatione ad Capitularia Francorum num. 24. ita ſcribens: *Porro decretum Lotharii, quod Correctores Romani, ac poſt eos Baronius, exiſtimarunt datum eſſe ad poſtulationem Leonis IV., quodque illi deſcripſerunt ex codice legis Longobardorum, diu ante promulgatum fuerat, quam idem Leo locaretur in ſede B. Petri. Conditum enim a Lothario fuit anno 824. tempore Eugenii II., ut legitur in veteri Codice MS. Bibliothecæ Thuanæ, & in Collectione canonum Cardinalis Deusdedit, ex qua Holſtenius Capitulare edidit, in quo caput iſtud continetur. Itaque etiam ex hoc capite corruit opinio Baronii de pactis initis inter Leonem Papam, & Imperatores Lotha-*

Can. 13. diſt. 10.

rium, *& Ludovicum*. Edita habemus Capitula quædam ſub nomine Lotharii Imperatoris in tom. 2. Capitularium Baluzianæ editionis pag. 317. Romæ conſtituta ſub Eugenio II. Pontifice, ubi tit. 1. cap. 5. hæc leguntur: *Volumus etiam, ut omnis Senatus, & populus Romanus interrogetur, quali vult lege vivere, ut ſub ea vivat, eiſque denuntietur, quod procul dubio ſi offenderint contra eandem, eidem legi, qua profitebuntur ex diſpoſitione Domni Pontificis, & noſtra omnimodis ſubjacebunt*. In titulo autem 2. eadem fere verba leguntur cap. 4., ad quæ Baluzius in notis ita animadvertit: *Vetus nota marginalis in uno codice Regio: non eſt putandum populum Romanum ulterius eſſe interrogandum, quandoquidem Romana lege confeſſi ſunt ſe vivere eo tempore*. Hæc ſi vera ſunt, forte ſuberit dubitatio, num canon ille 13. diſt. 10. Leoni IV. tribui merito poſſit; ſi enim jam ante tempora Leonis ſupponitur Romanum populum ex Lotharii conſtitutione potuiſſe Romanis legibus vivere, fruſtra Leo idem inducitur Lotharium exorans, ut Romanis concederetur vivere lege Romana. Ivo Carnotenſis plura retulit ſub nomine Leonis IV. ad Lotharium Auguſtum ſcribentis, quam habeantur apud Gratianum, nimirum in parte 4. cap. 181. ibi: *Habetis de hoc apud Deum retributionem non modicam, ſi antiquæ legis dogmata minime obſervantes veſtra imperiali cenſura pro viribus caſtigatis, atque corrigitis. Item: Veſtram flagitamus clementiam, ut ſicut hactenus Romana lex viguit, abſque univerſis procellis, & pro nullius perſona hominis reminiſcitur eſſe corrupta, ita nunc ſuum robur, propriumque vigorem obtineat*. Imo & ſub nomine ejuſdem Leonis ſcribentis ad Vvidonem Comitem ſimile fragmentum legitur in capite ſequenti 182. his verbis: *Valde indignum eſt, futuris gentibus etiam contrarium tam glorioſam legem, quam multi retro cuſtodierunt Imperatores, nunc ſuam vim perdere, ac injuſte damnari*. Sed illud unum pro certo haberi debet in hac re, Romanas leges ſemper vim obtinuiſſe ſuam, etiam ubi Romanum imperium variis viciſſitudinibus fuit obnoxium, aliamque regiminis formam accepit; & licet novæ leges in medium prodierint in Europa, inter ipſas tamen veterem Romanorum ſapientiam perpetuo præluxiſſe, quod in ipſa primigenia juris optimi ſemina ineſſe dignoſcerentur. Hinc Longobardi, qui ſeptimo labente ſæculo Italiam invaſerant, facile inducti ſunt, ut ex ceteris, quæ perdere voluerunt, unam juris Romani prudentiam Italis omnibus incolumem, perpetuamque relinquerent. In legibus ipſis Longobardorum lib. 2. tit. 7., & tit. 56. cautum, ut ſi mulier Longobarda nupſerit Romano juxta Romanas leges ipſa etiam viveret; item ut Romani juxta leges ſuas ſucceſſiones haberent, & conventiones inter vivos celebrarent. Carolus Calvus in Capitulari Piſtenſi anni 864. cap. 20. ita ſanxit: *In illis autem regionibus, in quibus ſecundum legem Romanam judicantur judicia, juxta ipſam legem committentes talia judicentur, quia ſuper illam legem, vel contra ipſam legem nec anteceſſores noſtri quodcumque capitulum ſtatuerunt, nec nos aliquid conſtituimus*; & in cap. 28. *De illis autem, qui ſecundum legem Romanam vivunt, nihil aliud, niſi quod in eiſdem continetur legibus, definimus*. Hieronymus Bignonius in notis ad Marculfum lib. 1. cap. 40. memorat Conſtitutionem Chlotarii Regis nondum editam, ſibique communicatam ab Jacobo Sirmondo, in qua inter cetera hæc legebantur: *Inter Romanos negotia cauſſarum Romanis legibus præcipimus terminari*. Paſſim vero ſubſequentium ſæculorum monumenta plurima ſuperſunt, ex quibus liquet, veteres Romanorum leges coli perpetuo conſueviſſe, uſque donec illarum ſtudium vigere deinde cœpit alacrius erectis Academiis celeberrimis, quemadmodum unicuique compertum eſt.

Jus-

Jungendam ideo volui epiſtolis Leonis ad Lotharium, & Ludovicum Auguſtos epiſtolam, quam Gratianus tribuit eidem Leoni ſcribenti ad Ritam Comitiſſam, quia in hac epiſtola ad Ritam agitur de electione cujuſdam Coloni Epiſcopi Reatinæ Eccleſiæ, de qua etiam agitur in epiſtola ad Imperatores. Id liquet perſpicue ex canonibus 17., & 18. diſt. 63., quos jungere juvabit accuratum interpretem. In his autem canonibus expendendis videtur emendanda ſcriptura; etenim pro vocibus illis *Colono*, & *Colonum*, uti in utroque canone legitur, potius ſcribendum erat, *Coloni*, & *Colonem*, quam emendationem facile quiſquis eruet ex actis Conciliorum ſub Leone IV., & Nicolao I. celebratorum, in quibus, ideſt in Concilio Romano anni 853., & in Concilio Romano anni 861. inter Epiſcopos, qui ſubſcripſerunt, ſubſcripſit etiam *Colo Reatinus*. Pithœus in ſuis adnotationibus ad Gratiani Codicem animadvertit pro illis verbis canonis 17. *dixerunt, ut Colonum Reatinæ* legendum eſſe *direxerunt, ut Colonem in Reatinæ*. Imo etiam in inſcriptione ejuſdem canonis ad nomen *Ritæ Comitiſſæ*, ad quam ſcribens Leo exhibetur, legendum voluit *Ittæ Comitiſſæ*. Cum vero ibi commemoret Metropolim Crantzii pag. 141., longe a veritate recedit; etenim apud Crantzium mentio quidem fit Idæ cujuſdam Dominæ Sveviæ neptis ex fratre Henrici III., & neptis ex ſorore Leonis IX. Papæ, quæ ſane cum viveret ſub finem undecimi ſæculi, nihil commune habere videtur cum Itta, vel Rita, ad quam ſcribebat medio nono ſæculo Leo IV., deinde non video quid intereſſe potuerit Comitiſſæ Sveviam regentis, Colonem potius Epiſcopum Reatinæ Eccleſiæ, quam alium quempiam conſtitutum fuiſſe. Quidquid tamen ſit de hac re, ego non facile moverer, ut eoſdem canones tanquam ſolida Leonis IV. monumenta reciperem, ſive quod unius Gratiani teſtimonium non ſatis firmum mihi eſſe videtur, ſive quod invicem non bene conſonant; cum in can. 16. petere exhibeatur Leo ab Auguſtis, ut Colo Epiſcopus Reatinæ Eccleſiæ deſignetur; in can. 17. profiteatur, ſe eundem ordinaviſſe Epiſcopum Imperatore, & Imperatrice poſtulantibus; cum præterea in can. 16. ab Auguſtis Ludovico, & Lothario deſignatio Epiſcopi expectata videatur; & in can. 17. non Ludovicus, & Lotharius, ſed Imperator, & Imperatrix conſecrationem Colonis faciendam propoſuerint. *Can. 18. & 17. diſt. 63.*

Superius in cap. 73., ubi agerem de Stephano IV., ſeu V., & ad canonem 28. diſt. 63. memoravi canonem 11. Romani Concilii anni 863. qualis editus eſt apud Muratorium, & tributus Nicolao I. Pontifici. Is idem canon tribuitur apud Manſium in tom. 1. ſupplementi Labbeani pag. 929. Romano Concilio anni 853. cum hac inſcriptione depromta ex Anſelmo Lucenſi in tractatu contra Vvibertum lib. 2. *Ex Concilio Leonis IV. Epiſcoporum L. cap. V.* Verba canonis hæc ſubſequuntur: *Siqui Sacerdotibus, ſeu primatibus nobilibus, ſeu cetero Clero hujus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ electionem Romani Pontificis contradicere præſumſerit, ſicut in Concilio B. Stephani legitur ſtatutum, anathema ſit. Item, quod electio Pontificis non pertineat Laicis tantum.* In Synodo Romana Eugenii II. anni 826. ſimilia quædam de canonicis Epiſcoporum electionibus ſunt conſtituta in can. 5. ibi: *Epiſcopum enim conſecrare non convenit, niſi a Clericis, & populo fuerit poſtulatus.* Quam Synodum cum Leo IV. confirmaverit anno 853., incertus ſcriptor de vitis Romanorum Pontificum in ſuo Breviario ita quintum canonem ejuſdem Concilii Leonis exhibuit: *Confirmavit, quæ Cæleſtinus, & Magnus Leo* *Can. 31. diſt. 63.*

de Epiſcopis conſtituerunt, videlicet, ut non conveniat Epiſcopum conſecrari, niſi a Clericis, & populo fuerit conſecratus; quia nulla ratio ſinit, ut aliter conſecrati inter Epiſcopos habeantur. Hæc, quæ de Epiſcoporum electionibus in Conciliis ejus ætatis pertractabantur, renovando confirmandoque generalem illarum diſciplinam, veroſimilem fidem faciunt canonis 31. diſt. 63., qui non ſolum apud Gratianum, ſed etiam apud Ivonem tribuitur Leoni IV. alloquenti Imperatores Lotharium, & Ludovicum. Maxime autem decuit, tunc temporis nonnulla definiri de electione Romani Antiſtitis data occaſione celebranda, cum identidem illam difficilia temporis adjuncta quoquomodo turbare potuiſſent. Cum enim Romanorum Imperatorum ſingularia quædam & propria jura viderentur in electione explicanda, velut illorum, qui vel in fideli populo præcipuam haberent dignitatem, vel populi ejuſdem jura ad ſe pertraxerant, facile proficiſcebatur, vix electionem Papæ in generali omnium concordia poſſe celebrari, ſeu quod Imperatores a Romana urbe ut plurimum diſſiti eſſent, ſeu quod Romana urbs hoſtili impetu identidem concuſſa non tuto Imperatoris ſententias, & ſuffragia expectaret. Demonſtrat id manifeſtiſſima ejuſdem Leonis IV. electio, qualem deſcribit auctor libri Pontificalis. Poſtquam enim enarravit, Romanos omnes Cives concordi ſuffragio in Leonem IV. conſenſiſſe, ſubdidit: *Romani quoque novi electione Pontificis congaudentes, cœperunt iterum non mediocriter contriſtari, eo quod ſine imperiali non audebant auctoritate futurum conſecrare Pontificem, periculumque Romanæ Urbis maxime metuebant, ne iterum, ut olim, aliis ab hoſtibus fuiſſet obſeſſa. Hoc timore, & futuro caſu perterriti, eum ſine permiſſu Principis Præſulem conſecraverunt, fidem quoque illius, ſive honorem poſt Deum per omnia, & in omnibus conſervantes.* Singula hæc temporum, rerum, & cauſſarum adjuncta me dubitare non ſinunt, quominus de memorato canone 31. ita concludam, ut ad germana Leonis IV. monumenta jure optimo referatur; nihil enim tunc aptius inter Leonem ipſum, & Ludovicum ac Lotharium Auguſtos definiri poterat, quam modus, quo electio Pontificis Maximi ſine alicujus controverſia celebraretur.

Quod Leoni IV. ſcribenti ad Ludovicum Auguſtum tribuitur in can. 41. cau. 2. qu. 7., Nicolao Papæ tributum videtur apud Ivonem in parte 5. cap. 22. quemadmodum jam adnotaverunt Romani Correctores: nimirum apud Ivonem hæc præponitur canonis inſcriptio: *Quod in præſentia Legatorum Imperatoris Leo Papa cauſſam ſuam examinari voluerit. Idem Nicolaus Imperatori. Nos ſi incompetenter &c.* Deinde ubi Gratianus legit, *& ſubditis . . . corrigere peccata, pejora . . . quod ab eis indiſcuſſum, vel diffinitum remaneat*, Ivo hæc exhibet: *Et in ſubditis . . . corrigere, pejora . . . quod ex his indiſcuſſum, vel indefinitum remaneat.* Ceterum vel in monumentis Leonis IV., vel in monumentis Nicolai II. hæc deſiderantur. Imo, ne Leoni IV. hæc tribuantur, prohibere videtur Ivonis auctoritas, qui refert quidem Leonem Papam voluiſſe cauſſam ab Imperatoris Legatis examinari, ſed non indicat nominatim Leonem IV., unde ſuboritur ſuſpicio, Gratianum ex eo erraviſſe, quia in capite præcedente Ivonis, nimirum in cap. 21. partis 5., nomen erat adſcriptum Leonis IV. ſcribentis ad Carolum Regem. Cum ergo Ivo nomen Leonis Papæ cauſſam ſuam examinari poſtulantis pronunciavit, potius eo nomine deſignatum arbitror Leonem III., cujus purgatio cum Ivonis etiam ſæculo eſſet famigeratiſſima, ejuſdem Leonis indicandi gratia ſufficiebat Leonem Papam nominare, quin adderetur agnomen tertii. Hinc mihi diſplicere non poteſt, quod ex

Can. 41. cau. 2. qu. 7.

Her-

Digitized by Google

Hermanno Conringio adnotavit Baluzius ſive in notis ad Gratianum ad hunc canonem, ſive in præfatione ad Capitularia Francorum num. 21. 28., & 29. Ait ille ex Conringio Leone IV. Pontificatum gerente ſummam imperii fuiſſe non penes Ludovicum, ſed penes Lotharium, quamobrem ad Lotharium potius, quam ad Ludovicum dirigendam fuiſſe epiſtolam Leonis, ſi Leoni IV. tribuenda eſſet. Addit, apud neminem veterum ſcriptorum reperiri, interceſſiſſe ſimultates aliquas inter Leonem IV., & Lotharium; verum liquere commotum adverſus Leonem III. fuiſſe Ludovicum Pium anno 815., de qua re ego nonnulla ſuperius tradidi in cap. 72. ad canonem 18. cau. 2. qu. 5. Cum igitur memoratus Gratiani canon aptius Leoni III. conveniat, cum alias minime conſtet pertinere ad Leonem IV., cui tantum Gratianus voluit tribuendum, non erit, cur non Leoni III. potius adſcribatur. Quod ubi fiat, facilem quoque obtinebit interpretationem idem Gratiani fragmentum, dummodo ad ipſum referatur memoratus canon 18. cau. 2. qu. 5. cum iis omnibus, quæ fuerant ad eundem canonem obſervanda.

Can. 7. & 8. cau. 23. qu. 8.

Quod dixi ad canonem 9. cau. 23. qu. 8., idipſum fere dici poſſe videtur ad canones 7., & 8. eadem cauſſa, & quæſtione, ex eo præſertim quod memoratus canon 8. in uno, quem habeo, vetuſto edito Gratiani codice non Leoni Papæ, ſed potius Gregorio tribuatur. Verum a canonibus 7., & 8. non adeo abſona ſunt adjuncta temporis Leonis IV., quem ſcimus plurimum adverſus barbaras gentes elaboraſſe, ut præcipuam Italiæ partem, Romam ipſam præſertim, ab illarum impetu vindicaret. Cum autem eo collineare videantur duo iſta fragmenta, nihil eſt, quod me morari poſſit, ne Leoni IV. eadem adſcribam, licet huc uſque in integris Leonis monumentis edita non adpareant. Vim addit non levem Ivonis auctoritas, qui hæc ipſa deſcripſit in cap. 83., & 84. partis 10. ibidem memorans Regiſtrum Leonis IV., quod ſane indicat, tunc temporis epiſtolas Leonis IV. in volumen digeſtas fuiſſe ſub *Regiſtri* nomine, quemadmodum factum eſt de epiſtolis Gregorii Magni, & Gregorii VII. Pontificum, licet volumen illud epiſtolarum Leonis non ad noſtram uſque ætatem pervenerit. Tantum adjiciam, apud Ivonem non omnes Codices æque indicare, ad quem nam Leonis epiſtola directa fuerit, aliqui enim Codices ad Lotharium, aliqui ad Ludovicum Auguſtum ſcriptam epiſtolam exhibent.

De ceteris canonibus Leoni IV. adſcriptis.

Can. 45. cau. 16. qu. 1.

Aliquot ſuperſunt monumenta Leoni IV. apud Gratianum adſcripta. Primus eſt canon 45. cau. 16. qu. 1., cujus verba iterum ſub nomine Leonis IV. integra referuntur poſt canonem 1. verſ. *Item Leo IV.* cau. 13. qu. 1. Ego jam animadverti ad canonem 25. cau. 12. qu. 2., eadem verba ab Ivone in parte 3. cap. 151. tribui Gelaſio Papæ ſcribenti ad Juſtinum Archidiaconum, & Fauſtum defenſorem; ceterum obſervavi perperam Gelaſio tributa fuiſſe, ac potiore jure Leoni IV. Pontifici adſcribenda, utpote quæ Leonis ejuſdem temporibus valde ſunt accommodatiora. Revera Paſchalis II. ſub finem ſæculi 11. ad Baldricum Epiſcopum de Leone IV. ita ſcribit: *Idem etiam Leo Epiſcopis Brittanniæ ſcribens, illis tantum Eccleſiis, quæ plebes vocantur, deberi decimas indicat, ubi ſacroſancta dantur baptiſmata.* Ex his facile eſt colligere, memoratum Gratiani monumentum refe-

Digitized by Google

referendum eſſe ad illam epiſtolam Leonis, quam ſcriptam fuiſſe ad Epiſcopos Brittanniæ ſuperius animadverti; quod clarius etiam hodie demonſtraretur, ſi integra eadem epiſtola ad noſtram uſque perveniſſet ætatem. Ceterum & ſententia, & ſtilus Leoni IV. maxime congruit. Scimus enim illius temporibus baptiſmales Eccleſias plebium nomine appellatas fuiſſe; quemadmodum inter cetera colligitur ex canone 8. Synodi Romanæ ſub Eugenio celebratæ, & a Leone IV. confirmatæ. Scimus præterea, eiſdem temporibus caveri debuiſſe pluribus in Conciliis, ut decimæ baptiſmalibus Eccleſiis perſolverentur, quemadmodum liquet ex canone 10., & 11. Concilii Moguntini anni 847., ex Capitulari ad Salta anni 804. cap. 2., apud Reginonem lib. 1. cap. 52., ex Capitulari Ludovici II. anni circiter 855. cap. 12., & cap. 13. Capitularis Caroli Calvi apud Piſtas anni 869. Quid plura? Rem hanc conficere videtur famigerata, quæ vulgo ſub Leonis IV. nomine præfertur, homilia, in ea enim inter cetera legimus, decimas non eſſe facile recipiendas ab eis, ad quos pertinere non dignoſcitur.

Can. 3. cau. 21. qu. 1. Pithœus ad canonem 3. cau. 21. qu. 1. aſſerit eundem tribuendum eſſe Leoni IV. ad Epiſcopos Brittanniæ ſcribenti. Quonam vero monumento fretus vir eruditus id aſſerat, mihi non liquet. Baluzius in notis ad Gratianum ita de hoc ipſo canone ſcribit: *Verum eſt, iſtam conſtitutionem Leoni IV. tribui in vetuſtis Gratiani libris, ſed tamen ego puto dubitari poſſe, an ſit Leonis IV.* Ego etiam facile in eandem dubitationem adducor; nam ſcio in Concilio Romano ſub Eugenio II. celebrato, & confirmato a Leone IV. curam iſtorum Pontificum Maximorum fuiſſe præcipuam, ut vita communis a Clericis reſtauraretur, ruſumque in communionem quandam revocarentur bona Eccleſiarum Clericis conceſſa titulo beneficii ſingularis, uti deducitur ex can. 3. cau. 12. qu. 1., quod quidem propoſitum ſcimus executioni fuiſſe demandatum in Eccleſiis Cathedralibus; in Eccleſiis autem minoribus iidem Pontifices ſolertiſſimi fuerunt, ut Clerici conſtituerentur, nec illæ vacarent diu interea Clericis aliis conceſſæ ſub titulo commendæ, quemadmodum perſpicue colligitur ex cap. 24. ejuſdem Concilii. Quamobrem non video, quæ eſſe occaſio potuerit Leoni IV., ut uni Clerico duo beneficia, vel duas Eccleſias concederet generali quadam conſtituta regula, dummodo una Eccleſia daretur in titulum, altera in commendam: idipſum confirmari poteſt eo, quod legitur apud Krantzium lib. 3. cap. 37. in Metropoli, ſive Hiſtoria eccleſiaſtica Saxonum; nimirum tempore Othonis III. Imperatoris, ac propterea multo poſt tempora Leonis IV. Pontificis, dicitur Giſelerus Merſburgenſis Epiſcopus translatus ad Epiſcopatum Magdeburgenſem retento priore Epiſcopatu in commendam. Subdit autem Krantzius: *Id vero ætas noſtra jam deſiit pro frequentia mirari, quod paſſim cernimus, alteram alteri Eccleſiæ in una perſona accedere, ut habeat alteram in titulum, alteram in commendam. Sed non potuere tum pro rei novitate placari homines.* Quomodo vero contingere potuiſſet eam novitatem plurimos conturbaviſſe, ſi jam edita fuiſſet memorata Leonis IV. Pontificis definitio? Forte hoc fragmentum proferri in medium, imo edi etiam a quibuſdam recentioribus potuit, qui dum pluribus beneficiis locupletari vellent, diſtinctionem illam invenerunt inter titulos, & commendas, quæ reprobari tandem debuit in Concilio Tridentino, quo decretum eſt, nequis duo beneficia ſive in titulum, ſive in commendam poſſideat ſeſ. 24. de ref. cap.

Digitized by Google

cap. 17. Quicumque autem hunc edidit canonem, forte etiam potuit ideo Leonis IV. meminiſſe, quod in ea homilia, quæ Leoni eidem tribuitur, aliqua legantur ad hanc ipſam materiam pertinentia, ibi in editione Labbeana: *Nullus plures Eccleſias teneat ſine adjutorio aliorum presbyterorum*. Quod ſi quiſquam adhuc detineatur auctoritate quadam Gratianei fragmenti, in primis velim animadvertat, quantum ſit inter recentiores, & vetuſtas Eccleſiarum commendationes diſcrimen, ne forte illius fragmenti ſententia recentioribus commendis accommodari poſſe videatur. Siquidem recentiores commendæ adinſtar fere beneficiorum redactæ ſunt, quando veteres non aliud erant, quam ſimplicia rerum Eccleſiaſticarum depoſita certo tempore circumſcripta, ex quibus commendatarius nihil omnino commodi, atque utilitatis hauriret argumento legis 24. ff. depoſiti. Deinde ad rem erit obſervare hunc canonem forte, ſi tanquam germanus habendus ſit, explicandum eſſe juxta eos, qui in memorata Romana Synodo Eugenii, & Leonis editi deprehenduntur. In canone 10. decretum eſt, Sacerdotes nonniſi in Eccleſiis, aut Monaſteriis eſſe conſtituendos, ne in ſæcularibus domibus habitarent; deinde in canone 21., qui eſt canon 33. cau. 16. qu. 7., decretum fuit conſtructoribus monaſteriorum licere cum conſenſu Epiſcopi *commendare* presbytero, cui voluerint, ipſamet monaſteria, ita tamen ut presbyter in monaſterio conſtitutus *ad placita, & ad juſtam reverentiam ipſius Epiſcopi obedienter recurrat*. Quæ verba clarius explicans auctor Breviarii ejuſdem Concilii, cui nomen Luitprandi, ait, presbyterum, cui monaſterium *commendetur*, fretum eſſe *bonæ auctoritatis dimiſſoria cum conſenſu Epiſcopi*. Colligitur ex his tempore Leonis IV. clericos omnes in Eccleſiis conſiſtere debuiſſe, quaſi erecto in Eccleſiis collegio clericorum, interea vero, ubi monaſteria ſacerdotis officio indigerent, mitti conſueviſſe a clericali collegio Sacerdotem, cui *commendari* monaſterium dicebatur; ac proinde ordinationem quidem ſuſceperat clericus ille titulo Eccleſiæ, cujus collegio adſcriptus fuerat, & cujus collegii adhuc jura retinebat, utpote ad quod revocari ab Epiſcopo poterat; & præterea commendatum ſibi monaſterium Eccleſiaſticis officiis juvabat. Hæc plane mihi videtur aptior interpretatio, quæ affingi memorato canoni poſſit, quoties a Leone IV. non ſit abjudicandus, niſi intelligendum forte velis de commendationibus, quibus non Eccleſia Clerico, ſed potius Clericus Eccleſiæ commendaretur, juxta ea, quæ traduntur in can. 5. & 6. eadem cauſſa, & quæſtione.

Quod ſub nomine Leonis IV. habetur in can. 16. cau. 25. qu. 1. decerptum fuit ex Ivone in parte 4. Decreti cap. 186., ubi hæc habetur monumenti ejuſdem inſcriptio. *Leo IV. Colorodo Archiepiſcopo, & Bertuſo*. Quis nam fuerit ſive Colorodus ille Archiepiſcopus, ſive Bertuſus, facile conjici non poteſt, cum neminem hujus nominis Epiſcopum Conciliis illius ætatis vel interfuiſſe, vel ſubſcripſiſſe liqueat. Ceterum non eſt, cur fragmentum illud a Leonis IV. ſententiis abjudicemus, cum ſimilia quædam in illis legantur; hinc in fine epiſtolæ Leonis ad Epiſcopos Brittanniæ hæc habentur. *Quam ob cauſſam luculentius, & magna voce pronunciare non timeo, quia qui illa, quæ diximus, Sanctorum Patrum ſtatuta, quæ apud nos canones prætitulantur, ſive ſit Epiſcopus, ſive Clericus, ſive Laicus, non indifferenter receperit, ipſe ſe convincit, nec catholicam, & apoſtolicam fidem, nec ſancta vera Chriſti Evangelia quatuor utiliter, & efficaciter ad effectum ſuum retinere, vel credere*. Ego ſuſpicor, ea Gratiani verba depromta fuiſſe ex quadam homilia nomine Leonis IV. vulgata, in qua omnibus Epiſcopis proponitur ſervanda generalis

Can. 16. cau. 25. qu. 1.

Digitized by Google

ralis Eccleſiaſtica diſciplina; quæ ſane homilia tanti aliquando habita fuit, ut paſſim initio cujuſque Synodi prælegeretur Epiſcopis, eamque ob rem homilia ſynodica appellaretur. Initio autem ipſius generaliter traditur, Epiſcopos Apoſtolorum vice fungi, & eſſe ſummo Paſtori rationem de animabus reddituros, ac propterea ſingularem eſſe ab illis adhibendam ſollicitudinem, ut ſemel conſtituti ſalubriter canones conſtantiſſime ſerventur. Quoniam vero eadem homilia non eiſdem omnino verbis in omnibus exemplaribus edebatur, ſed retenta generali Leonis ſententia in aliquibus immutabatur, modo breviore, modo fuſiore ſtilo, quemadmodum liquet ex collatione exemplaris Labbeani cum exemplari Martenii, aut cum exemplari Lucenſi apud Manſium, facile evenire potuit, ut Ivo, vel Gratianus eum præ manibus habuerint codicem, in quibus ea ipſa legerentur verba, quæ illi in ſuis collectionibus deſcripſerunt.

Can. 11. de conſ. diſt. 3. Pithœus ad canonem 11. de conſ. diſt. 3. fidenter adſerit, illum eſſe tribuendum Leoni IV. ad Epiſcopos Brittanniæ ſcribenti. Quibus ex codicibus, aut monumentis id tradiderit, prorſus ignoro. Ego ſane cum nullum habeam argumentum, ex quo canon idem Leoni IV. tribui poſſit, alias autem non deſtituar conjecturis graviſſimis, quibus ille ab eodem Pontifice abjudicetur, non dubitabo concludere, falſo Leoni IV. Pontifici tributum fuiſſe. Sententia canonis paucis perſtringitur: nimirum inducitur Leo ſtatuens, ut ſive quarta, ſive ſexta feria a carnibus abſtineatur juxta veterem Eccleſiæ conſuetudinem. Cujus Eccleſiæ conſuetudo memoretur ibidem, anceps eſt diſquiſitio propter varietatem codicum, quorum alii exhibent *apud vos*, alii *apud nos*, proindeque dubietas eſt, num ea referenda ſint ad conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ, an potius ad conſuetudinem illius Eccleſiæ, cui erant adſcripti illi, ad quos Leo ſcripſiſſe fertur. Verum quæcumque Eccleſia memoretur ibidem, ſive Romana, ſive Brittannica iuxta opinionem Pithœi, facile eſt demonſtrare, temporibus Leonis IV. dici non potuiſſe, aut apud Brittones, aut apud Romanos veterem fuiſſe jejunii quartæ, & ſextæ feriæ diſciplinam. Forte prioribus Eccleſiæ ſæculis eam fuiſſe Græcorum conſuetudinem demonſtrari poſſet ex conſtitutionibus Clementis lib. 7. cap. 24., ubi laudatur jejunium quartæ feriæ, & Paraſceves, improbaturque jejunium Sabbati, ac Dominici diei, excepto tamen annuo die Sabbati Dominicæ ſepulturæ, quem hodie ſanctum Sabbatum appellamus; demonſtrari etiam poſſet ex canone 67. ex iis, qui Apoſtolici nuncupantur, ubi jejunium generaliter obſervandum præcipitur tempore Quadrageſimæ, quartæ, & ſextæ feriæ, niſi tamen hæc monumenta parum auctoritate ſua conſiſterent, & tamquam apocrypha haberentur. Nihilominus tamen cum aliquando hæc decreta apud Græcos nonnihil valerent, recipi in aliquibus provinciis potuerunt, uti tradit Balſamon, & Zonaras ad eundem Apoſtolicum canonem, Eutychius Alexandrinus Annalium tom. 1. pag. 522. & Johannes Antiochenus in collectione canonum tit. 31., at in Latina Eccleſia nunquam ea invaluit conſuetudo; ſed potius quædam jejunii ſpecies obſervata fuit feria ſexta, & ſabbato per hebdomadas ſingulas, quemadmodum colligitur ex Innocentio I. in epiſt. ad Decentium Eugubinum cap. 4. Non diffiteor tamen aliquibus indictum eſſe non ſolum feriæ ſextæ, ſed etiam ſecundæ, & quartæ jejunium, ſed hoc tantummodo onus impoſitum pœnitentibus, qui graviſſimorum criminum rei eſſent agniti, uti habetur in cap. 7. epiſt. Gregorii III. ad Bonifacium, quæ incipit *Magna nos*. Ceterum regulariter ſæculo 9., atque ipſis temporibus Leonis IV. jejunium, ſive abſti-

abſtinere a carnibus præceptum erat diebus ſabbati, & feriæ ſextæ. Sic in Francorum Capitularibus lib. 6. cap. 187. Baluzianæ editionis poſt commemoratum jejunium adventus, quadrageſimæ Paſchalis, & quadrageſimæ poſt Pentecoſten, ita legitur: *Præter hæc autem legitima tempora jejuniorum, omnis ſexta feria propter paſſionem Domini jejunetur. Sed & ſabbati dies a pleriſque, propter quod in eo Chriſtus jacuit in ſepulchro, jejunio conſecratus habetur.* Præterea Nicolaus I. in reſponſis ad conſulta Bulgarorum cap. 4. & 5. memorat quidem jejunium ſextæ feriæ, quod obſervandum ab omnibus eſſe definit; feria autem quarta liberum ſtatuit unicuique eſſe a carnibus abſtinere, vel non abſtinere, quod ſane non ſtatuiſſet, ſi a prædeceſſore ſuo Leone IV. ſciviſſet eandem habitam fuiſſe & quartæ, & ſextæ feriæ rationem. Quæ cum ita ſint, jure concludere poterimus, falſo tributum eſſe Leoni IV. memoratum canonem 11., & forte confictum ab eo fuiſſe, qui Græcorum diſciplinam ab apocryphis, ut prænotatum eſt, fontibus derivatam voluerit ad Latinos recentiore ætate traducere.

CAPUT LXXVII.

De Nicolao.

Nicolai I. Pontificis nomine quamplurima ſunt apud Gratianum, quæ ſane in ordinem certum dirigi commode minime poſſunt, cum turbata admodum ſint ejuſdem Pontificis monumenta, quemadmodum teſtantur, quotquot in illis edendis ſingulari ſtudio adlaborarunt. Sunt autem quæ ſequuntur.

Ex monumentis Concilii Romani.	*Can.* 21. *cau.* 2. *qu.* 1.	*ad integra Concilii monumenta exigendus.*
	Can. 10. *cau.* 11. *qu.* 3.	*ex integro Concilii canone emendandus.*
	Can. 18. *cau.* 25. *qu.* 2.	*paullo varius in diverſis exemplaribus.*
Ex epiſtolis ad Adonem, vel Albinum Viennenſem Archiepiſcopum, vel Alvinum Januenſem.	*Can.* 4. *diſt.* 32.	*ex integra epiſtola ſupplendus.*
	Can 22. *cau.* 12. *qu.* 2.	*ex integra epiſtola ſupplendus.*
	Can. 6. *diſt.* 27. *Can.* 7. *diſt.* 27.	*ſimul jungendi, & ex codice Reginonis emendandi.*
	Can. 1. *diſt.* 34. *Can.* 4. *cau.* 7. *qu.* 1.	*ſimul jungendi, & ad Ivonis codicem, aliave Nicolai Papæ monumenta exigendi.*
	Can. 6. *cau.* 33. *qu.* 2.	*referendus ad epiſtolam ad Carolum Epiſcopum Moguntinum.*
Ex epiſt. ad Carolum Moguntinenſem Archiepiſcopum, & ejus ſuffraganeos.	*Can.* 33. *diſt.* 50. *Can.* 34. *cau.* 27. *qu.* 1.	*falſo tributi Nicolao Papæ, & potius tribuendi Vormacienſi Concilio.*
	Can. 25. *cau.* 32. *qu.* 7.	*referendus ad Paulli jureconſulti ſententias.*
	Can. 6. *cau.* 33. *qu.* 2.	*falſo tributus Nicolao.*

Digitized by Google

Ex epiſt. ad Lotharium Regem.	*Can. 4. diſt. 63. ex aliis Nicolai monumentis illuſtrandus.*
	Can. 3. cau. 11. qu. 3. ex integra epiſtola ſupplendus.
	Can. 96. cau. 11. qu. 3. / *Can. 19. cau. 24. qu. 3.* — *ſimul jungendi, atque ad alia Nicolai monumenta exigendi.*
Ex epiſt. ad Carolum Regem.	*Can. 22. cau. 2. qu. 5. ex integra epiſtola emendandus.*
	Can. 6. cau. 6. qu. 4. conſonat cum integris epiſtolæ exemplaribus.
	Can. 19. cau. 23. qu. 8. conſonat cum integris epiſtolæ exemplaribus.
	Can. 26. cau. 27. qu. 2. ex integris Nicolai epiſtolis ſupplendus.
	Can. 3. cau. 33. qu. 2. ſpectat potius ad Iſidorum Mercatorem.
	Can. 4. cau. 33. qu. 2. ex integra epiſtola emendandus.
Ex epiſt. ad Ludovicum Regem.	*Can. 16. cau. 2. qu. 1. conſonat cum integris epiſtolæ exemplaribus.*
	Can. 8. diſt. 96 referendus ad epiſtolam Nicolai ad Michaelem Imperatorem.
Ex epiſt. ad omnes Epiſcopos in Regno Ludovici.	*Can. 4. cau. 20. qu. 3. incertæ admodum auctoritatis.*
Ex epiſt. ad Epiſcopos apud Convicinum congregatos.	*Can. 1. diſt. 10. ex integra epiſtola ſupplendus.*
Ex epiſt. ad Hincmarum Rhemenſem Archiepiſcopum.	*Can. 3. diſt. 8. ex integra epiſtola ſupplendus.*
	Can. 5. diſt. 12. jungendus cum can. 30. cau. 17. qu. 4.
	Can. 13. cau. 2. qu. 6. paullo varius in diverſis codicibus.
	Can. 21. cau. 3. qu. 9. convenit cum pluribus Nicolai monumentis.
	Can. 102. cau. 11. qu. 3. ex optimis exemplaribus emendandus.
	Can. 30. cau. 17. qu. 4. ex integra epiſtola ſupplendus, & emendandus.
Ex epiſt. ad Epiſcopos Galliæ.	*Can. 1. diſt. 17. ex integra epiſtola ſupplendus, atque explicandus.*
	Can. 2. cau. 15. qu. 6. incertæ admodum auctoritatis.
Ex epiſt. ad Gallionem Epiſcopum Senenſem.	*Can. 12. cau. 3. qu. 9. ſpectat potius ad epiſtolam ſcriptam ad Epiſcopos Silvanectenſes.*
	Can. 14. cau. 3. qu. 9. ex integris monumentis explicandus.
Ex epiſt. ad Girardum Epiſcopum Turonenſem.	*Can. 10. cau. 2. qu. 2. ex aliis Nicolai monumentis explicandus.*

Ex

Ex epiſt. ad Rodulfum Archiepiſcopum Bituricenſem.

- *Can.* 12. *diſt.* 23. *conſonat cum integris epiſtolæ exemplaribus.*
- *Can.* 8. *cau.* 9. *qu.* 3. *aliter editus in aliis exemplaribus.*
- *Can.* 6. *cau.* 30. *qu.* 1. *conſonat etiam Conciliis illius ætatis.*
- *Can.* 5. *cau.* 33. *qu.* 2. *paullo varius in diverſis codicibus.*
- *Can.* 56. *de conſ. diſt.* 1. *conſonat cum integris epiſtolæ exemplaribus.*

Ex epiſt. ad Rhadoaldum Portuenſem, & Johannem Ficolenſem Epiſcopos.

- *Can.* 4. *cau.* 31. *qu.* 2. *ex integris codicibus emendandus.*

Ex epiſt. ad Francorum exercitum.

- *Can.* 46. *cau.* 23. *qu.* 5. *incertæ auctoritatis.*

Ex epiſt. ad Photium.

- *Can.* 14. *diſt.* 16.
- *Can.* 2. *diſt.* 20.
  - *ſimul jungendi, atque ex integra epiſtola explicandi.*

Ex epiſt. ad Clerum Conſtantinopolitanum.

- *Can.* 36. *cau.* 24. *qu.* 1.
- *Can.* 37. *cau.* 24. *qu.* 1.
  - *ſimul jungendi, referendique potius ad epiſtolam Nicolai ad Michaelem Imperatorem.*

Ex epiſt. ad Michaelem Imperatorem.

- *Can.* 5. *diſt.* 10. *ex integra epiſtola explicandus.*
- *Can.* 8. *diſt.* 10. *omnino conſonat cum integris exemplaribus.*
- *Can.* 2. *diſt.* 11.
- *Can.* 3. *diſt.* 12.
  - *ſimul jungendi, & referendi ad epiſtolam Nicolai ad Photium Conſtantinopolitanum.*
- *Can.* 4. *diſt.* 21.
- *Can.* 5. *diſt.* 21.
- *Can.* 6. *diſt.* 21.
- *Can.* 7. *diſt.* 21.
- *Can.* 8. *diſt.* 21.
- *Can.* 9. *diſt.* 21.
  - *ſimul jungendi, & ad integram epiſtolam exigendi.*
- *Can.* 5. *diſt.* 43. *conſonat etiam cum epiſtola Gelaſii Papæ ad Anaſtaſium Imperatorem.*
- *Can.* 4. *diſt.* 96. *jungendus cum can.* 5. *diſt.* 10.
- *Can.* 5. *diſt.* 96.
- *Can.* 6. *diſt.* 96.
- *Can.* 7. *diſt.* 96.
  - *ſimul jungendi, atque ex integra epiſtola ſupplendi.*
- *Can.* 8. *diſt.* 96. *ex integris epiſtolæ exemplaribus emendandus.*
- *Can.* 86 *cau.* 1. *qu.* 1. *cum integris epiſtolæ exemplaribus conſonat.*
- *Can.* 123. *cau.* 1. *qu.* 1. *ex integra epiſtola ſupplendus.*

Digitized by Google

Ex eadem epiſtola ad Michaelem.	*Can.* 15. *cau.* 3. *qu.* 5. / *Can.* 2. *cau.* 4. *qu.* 1. *ſimul jungendi, atque ex integra epiſtola ſupplendi.* *Can.* 3. *cau.* 4. *qu.* 4. *conſonat cum integris epiſtolæ exemplaribus.* *Can.* 10. *cau.* 9. *qu.* 3. *ex integra epiſtola emendandus.* *Can.* 21. *cau.* 9. *qu.* 3. *idem eſt cum can.* 123. *cau.* 1. *qu.* 1. *Can.* 35. *cau.* 24. *qu.* 1. *jungendus cum can.* 36. *cau.* 24. *qu.* 1. *Can.* 6. *cau.* 35. *qu.* 9. *jungendus cum can.* 10. *cau.* 9. *qu.* 3.
Ex reſponſis ad conſulta Bulgarorum.	*Can.* 17. *diſt.* 28. *paullo varius in editis epiſtolæ exemplaribus.* *Can.* 5. *cau.* 15. *qu.* 8. *paullo varius in editis epiſtolæ exemplaribus.* *Can.* 15. *cau.* 23. *qu.* 8. *ex integris epiſtolæ exemplaribus ſupplendus.* *Can.* 2. *cau.* 27. *qu.* 2. *jungendus cum can.* 3. *cau.* 30. *qu.* 5. *Can.* 1. *cau.* 30. *qu* 3. *ex integra epiſtola ſupplendus.* *Can.* 3. *cau.* 30. *qu.* 5. *jungendus cum can.* 2. *cau.* 27. *qu.* 2. *Can.* 22. *cau.* 32. *qu.* 5. *ex integra epiſtola ſupplendus.* *Can.* 11. *cau.* 33. *qu.* 4. *ex integra epiſtola ſupplendus.* *Can.* 24. *de conſ. diſt.* 4. *ex integra epiſtola ſupplendus, atque explicandus.*
Ex epiſt. ad Epiſcopos omnes.	*Can.* 6. *cau.* 17. *qu.* 4. / *Can.* 25. *cau.* 24. *qu.* 3. *pertinent potius ad Nicolaum II.*
Ex epiſt. ad Epiſcopum Salonitanum.	*Can.* 3. *cau.* 30. *qu.* 1. *conſonat cum aliis Nicolai monumentis.*
Ex epiſt. ad Frontarium Archiepiſcopum Burdegalenſem.	*Can.* 17. *cau.* 12. *qu.* 2. *incertæ auctoritatis.*
Ex epiſt. ad Humifridum Epiſcopum Morinenſem.	*Can.* 5. *diſt.* 50. *ex Ivonis decreto ſupplendus.* *Can.* 47. *cau.* 7. *qu.* 1. *ex adjunctis noni ſæculi explicandus.*
Ex epiſt. ad Johannem Ravennatem.	*Can.* 13. *diſt.* 63. *referendus ad Concilium Romanum anni* 861.
Ex epiſt. ad Mediolanenſes.	*Can.* 1. *diſt.* 22. *potius tribuendus Petro Damiani Sedis Apoſtolicæ Legato temporibus Nicolai II.*
Ex epiſt. ad Nonenſem electum, & Clerum.	*Can.* 8. *de conſ. diſt.* 1. *incertæ auctoritatis.*

Ex

Digitized by Google

Ex epiſt. ad Osbaldum Corepiſcopum Quadrantinum.	*Can.* 6. *diſt.* 50. *Can.* 39. *diſt.* 50.	*Nicolai I. temporibus, ac ſententiis conſentanei.*
Ex epiſt. ad Rhazoldum Epiſcopum Argentoratenſem.	*Can.* 15. *cau.* 33. *qu.* 2. *melius Wormacienſi Concilio tribuendus.*	
Ex epiſt. ad Salomonem Epiſcopum Conſtantienſem.	*Can.* 2. *cau.* 15. *qu.* 5. *non diſſonat a Nicolai I. temporibus.*	
Ex epiſt. ad Thadonem Archiepiſcopum Mediolanenſẽ.	*Can.* 23. *cau.* 17. *qu.* 4. *ex Ivonis decreto emendandus.*	

Adjiciuntur:

Can. 4. *diſt.* 33. *conſonat cum aliis eccleſiaſticis monumentis.*
Can. 49. *diſt.* 50. *potius ad Wormacienſe Concilium referendus.*
Can. 3. *diſt.* 97. *non diſſonat a ceteris Nicolai monumentis.*
Can. 2. *cau.* 2. *qu.* 2. *pertinet ad Iſidori Mercatoris monumenta.*
Can. 3. *cau.* 6. *qu.* 3. *inter dubia Nicolai monumenta recenſendus.*
Can. 4. *cau.* 12. *qu.* 1. *referendus ad Concilium Saligunſtadienſe.*
Can. 1. *cau.* 16. *qu.* 5. *pertinet potius ad Concilium Arauſicanum I.*
Can. 3. *cau.* 26. *qu.* 7. *referendus ad epiſtolam Nicolai ad Rodulfum Biturícenſem.*
Can. 1. *cau.* 30. *qu.* 2. *facile referendus ad reſcripta Nicolai ad Bulgaros.*
Can. 57. *de conſ. diſt.* 4. *non diſſonat a Nicolai I. temporibus.*

DE Benedicto III., qui ab anno 855. ſub finem Septembris Romanam Sedem tenuit uſque ad annum 858. ſub initium Aprilis, nihil ſingulare obſervandum apud Gratianum occurrit. Quamobrem gradum feci ad Nicolaum Benedicti Succeſſorem, qui eodem anno 858., dum Romæ præſens eſſet Ludovicus II. Imperator, ad Maximum Pontificatum evectus eſt, quem geſſit uſque ad annum 867. Aſſiduis cauſſarum eccleſiaſticarum curis fatigari debuit Nicolaus, ac præſertim reſpectu habito ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam, a qua dejectus tum fuerat Ignatius, Photio ſubrogato. Verum hæc, ſicut & cetera graviſſima negotia, quæ Sanctum Pontificem detinuerunt, magis ac magis in expendendis Gratiani monumentis declarabuntur. Tantum dixero, varias eſſe Nicolai epiſtolarum collectiones; nam apud ipſum Labbeum in recentiſſimis codicibus in primis adparent epiſtolæ numero ſeptuaginta; deinde ſubjicitur Appendix I. continens alias epiſtolas quatuordecim; ſubſequuntur ſex fragmenta, & poſt ea libellus reſponſorum ad conſulta Bulgarorum in centum, & ſex capita diſtributus. Hinc deſcribuntur decreta alia, ſive brevia reſcripta in unum collecta per Johannem Cochlæum, & in

in viginti titulos diſpartita. Rurſum referuntur duæ Appendices; varias continentes epiſtolas, & monumenta, præter epiſtolas alias, quæ adſutæ ſunt actis Conciliorum eodem tempore celebratorum. Manſius in ſuo Labbeano ſupplemento non ſolum alia Labbeanis adjecit monumenta Nicolai; ſed etiam utile æque ac laborioſum edidit *Laterculum Chronologicum epiſtolarum*, in quo ſingulas Nicolai epiſtolas per ordinem temporis digeſſit. Ego in præſentia primum locum concedo capitibus illis, quæ nomen Romani Concilii ſub Nicolao celebrati præſeferunt, cetera deinde ita perſecuturus, ut, quoad fieri poſſit, invicem illa jungantur, in quibus eadem materies pertractari quodammodo videatur.

De monumentis Concilii Romani.

Con. 21. cau. 2. qu. 1. Lotharius Lotharii Imperatoris filius, & Ludovici Pii nepos regnum ſortitus in ea Galliæ parte, quæ deinde ex ejuſdem nomine Lotharingia appellata fuit, circa annum 860. captus amore Waldradæ cujuſdam pellicis, repudium Theutbergæ conjugis meditabatur. Ut Principi morem gererent, non defuerunt, qui Reginam de inceſtu cum Hucberto fratre accuſarent; quæ cauſſa ut ſolemniter diſcuteretur, celebratum eſt duplex Concilium Aquiſgranenſe, convenientibus in primo Epiſcopis duobus, totidem Archiepiſcopis, & totidem rurſum Abbatibus; in ſecundo ſeptem Epiſcopis, utrobique autem Theutberga quaſi criminis rea pœnitentiæ addicta, & digna Principis repudio declarata. Imo iidem Epiſcopi & epiſtolas, & legatos ad Nicolaum Pontificem miſerunt, quem de re geſta redderent certiorem. Poſt hæc anno 862. aliud convocatum eſt Aquiſgranenſe Concilium ab octo Epiſcopis, quorum primi erant Guntharius Agrippinenſis, & Theutgaudus Trevirenſis Archiepiſcopi, ibidemque conceſſum Lothario poſtulanti, libere novum cum alia contrahere matrimonium, quamobrem non dubitavit Lotharius Waldradam ſibi conjugio ſociare. Id ubi intellexit Nicolaus Papa, Metenſe Concilium petente etiam Rege ipſo Lothario celebrari juſſit anno 863. miſſis Apoſtolicis legatis Rodualdo Epiſcopo Portuenſi, & Johanne Epiſcopo Ficoclenſi, ſed ibidem confirmata fuit Aquiſgranenſis Concilii ſententia. Hæc fuit cauſſa alterius celebrandi Concilii in urbe Roma, ipſomet præſente Nicolao Pontifice, quod Concilium Romanum III. dicitur, & anno 863. celebratum. Auditis ibidem duobus Gallicanis Archiepiſcopis Gunthario, & Theutgaudo ſuperius memoratis ad tuendam & Concilii Metenſis ſententiam, & Lotharii factum Romam miſſis, Nicolaus Concilii ſententiam revocavit, imo etiam Archiepiſcopos illos depoſuit, ac communione privavit, conſciosque deinde reddidit Synodalis definitionis Epiſcopos omnes per Galliam, Italiam, ac Germaniam conſtitutos. Acta illius Romani Concilii a Sirmondo edita hæc omnia perſpicue demonſtrant. Conſtant hæc ex epiſtola Nicolai Pontificis, quæ eſt inſtar præfationis; ſubſequuntur deinde quinque capita quæ ad cauſſas in Concilio pertractatas pertinent. Supplementum addidit Muratorius, quod ſeptem aliis capitibus conſtat in tom. 2. parte 2. rerum Italicarum pag. 127. Ad epiſtolam Nicolai referendus eſt canon 21. cau. 2. qu. 1. his verbis deſcribendus: *Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverentiſſimis, ac ſanctiſſimis Fratribus noſtris Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Galliam, Italiam, & Germaniam conſtitutis. Scelus, quod Lotharius Rex, ſi tamen Rex veraciter dici poſſit, qui*

nullo

Digitized by Google

nullo ſalubri regimine corporis appetitus refrænavit, ſed lubrica enervatione magis ipſius illicitis motibus cedit, in duabus feminis, Theutberga ſcilicet, & Waldrada, commiſit, omnibus manifeſtum eſt. Sed & dudum Epiſcopos Theutgaudum, & Guntharium in tali facto eum habuiſſe tutores, & fautores pene totus orbis undique ad limina, ſeu Sedem Apoſtolicam confluens referebat, abſentibus quoque idipſum ſcribentibus noſtro apoſtolatui. Quod nos tanto credere renuimus, quanto de Epiſcopis tale, quid audire nullatenus ſperabamus; donec ipſi Romam tempore Concilii venientes coram nobis, & ſancta Synodo tales inventi ſunt, quales fuerant a multis ſæpiſſime prædicati, ita ut ſcriptura, quam ſuis ſtipulaverant manibus, quamque volebant, ut noſtro roboraremus chirographo, caperentur: & dum muſcipulam innocentibus apponere ſatagerent, inſidiis ſuis illaqueati ſunt ipſi. Sicque completum eſt Deo auctore, quod in proverbiis legitur: fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum. Siquidem ipſi obligati ſunt, & eeciderunt: nos vero, qui in hoc flagitium falſo cecidiſſe dicebamur, favente Domino, cum juſtitiæ propugnatoribus reſurreximus, & erecti ſumus. Igitur decernente nobiſcum Sancta Synodo in præſentia depoſiti, & ab officio ſacerdotali excommunicati, atque a regimine Epiſcopatus alieni indubitanter exiſtunt. Unde veſtra fraternitas canonum normam cuſtodiens, & decretorum ſanctiones obſervans, caveat, ne hos, quos nos abjecimus, recipere in Sacerdotum catalogo præſumat. Depoſitionis autem ſententia, quam in prædictos Theutgaudum, & Guntharium protulimus, cum ceteris capitulis, quæ ſancto Concilio nobiſcum ſanciente promulgavimus, inferius adnexa monſtratur.

Poſt integram hanc Nicolai epiſtolam, ex qua ſuppleri poteſt Gratiani canon, ſequuntur decreta ipſa Synodi Romanæ, quorum in primo caſſata legitur Metenſis Concilii conſtitutio, imo & ipſa Metenſis Synodus damnata, ac potius *proſtibulum* appellata. In capite 2. eadem propemodum verba legimus, quæ habentur in can. 10. cau. 11. qu. 3. ibi: *Theutgaudum Trevirenſem Primatem Belgicæ Provinciæ, & Guntharium Agrippinæ Coloniæ Archiepiſcopos, nunc coram nobis, & Sancta Synodo, ſub geſtorum inſinuatione, qualiter cauſſam Lotharii Regis, & duarum* Can. 10. cau. 11. qu. 3. *mulierum ejus Theutbergæ ſcilicet, & Vvaldradæ recognoverint, & judicaverint, ſcriptum ſuper hoc propriis roboratum manibus offerentes; nihilque ſe plus, vel minus, aut aliter egiſſe ore proprio multis coram poſitis affirmantes; & ſententiam, quam a Sede Apoſtolica in Ingeltrudem uxorem Boſonis Sanctiſſimus Frater noſter Mediolanenſis Archiepiſcopus Tado, & ceteri Coepiſcopi noſtri petierant emittendam; & nos divino ſuccenſi zelo ſub anathematis obteſtatione canonice protuleramus, publice viva voce ſe violaſſe confitentes, in quibus omnibus invenimus eos Apoſtolicas, atque canonicas ſanctiones in pluribus exceſſiſſe, & æquitatis normam nequiter temeraſſe; ab omni judicamus Sacerdotii officio permanere penitus alienos. Et ideo Spiritus Sancti judicio, & B. Petri per nos auctoritate, omni Epiſcopali exutos regimine conſiſtere definimus. Quod ſi juxta præcedentem conſuetudinem tamquam Epiſcopi auſi fuerint aliquid de ſacro miniſterio contingere, nullo modo liceat eis nec in alia Synodo reſtitutionis ſpem, aut locum habere ſatisfactionis, ſed communicantes eis omnes abjici ab Eccleſia, & maxime ſi poſteaquam didicerint adverſus memoratos prolatam fuiſſe ſententiam, eis communicare tentaverint.* Hinc nemo non videt emendandum eſſe Gratiani canonem, præſertim in poſterioribus verbis. Quanta vero fuerit duorum eorundem Epiſcoporum contumacia, nemo non colligit; ſiquidem non conienti faviſſe Lotharii libidini, ſimilem cujuſdam Ingeltrudis cauſſam defendere conati ſunt, parum ſolliciti de Synodalibus decretis jam editis cuſtodiendis. Erat Ingeltrudis, ut ex quarto hujus

Concilii

Concilii capite deducitur, filia Mattefredi quondam Comitis nupta Boſoni, & jamdiu a ſeptennio a marito diverterat huc atque illuc *vagabunda diſcurrens*; quemadmodum etiam deducitur ex epiſtola Hincmari Rhemenſis ad Guntharium eundem Colonienſem Epiſcopum directa. Sive igitur quod illi Epiſcopi faverent Lotharii admiſſo in uxorem, ſive quod faverent Ingeltrudis admiſſo in maritum, in Romana Synodo damnati fuerunt, atque depoſiti.

Quintum Romani Concilii caput ita exprimitur: *Siquis dogmata, mandata, interdicta, ſanctiones, vel decreta pro Catholica fide, pro Eccleſiaſtica diſciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione ſceleratorum, vel interdictione imminentium, vel futurorum malorum, a Sedis Apoſtolicæ Præſide ſalubriter promulgata contemſerit, anathema ſit*. Verba hæc, quæ veluti generalis quædam ſanctio præcedentibus Concilii definitionibus adjecta ſunt, habentur integra in can. 18. cau. 25. qu. 2. Admonet Antonius Auguſtinus lib. 2. de emend. Grat. Dial. 13. eorundem verborum aliam haberi formulam apud Reginonem in Chronicis ad annum 865., nimirum pro illis verbis: *pro Catholica fide &c.* Reginonem ſcripſiſſe: *Pro Catholicæ fidei diſciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione ſceleratorum, vel interdictione imminentium, ſeu futurorum malorum &c.* In Appendice 2. epiſtolarum Nicolai, quæ habetur apud Labbeum, eadem Gratiani verba leguntur ſub epiſtola 3., ubi nonnulla colliguntur ſub hoc themate: *De ſententiis atque interdictis Sedis Apoſtolicæ ad ſupradictum Archiepiſcopum*. Directa igitur ea proponuntur ad Adonem Viennenſem in Gallia Archiepiſcopum, quem Nicolaus Papa certiorem etiam fecit de auſu memoratorum Epiſcoporum, quos Synodus Romana damnaverat.

Can. 18. cau. 25. qu. 2.

De epiſtolis ad Adonem, vel Albinum Viennenſem Archiepiſcopum.

Quum nuper memoraverim Adonem Archiepiſcopum Viennenſem in Gallia, non abs re eſſe videtur huc referre Nicolai epiſtolas ad eundem. Inter ceteras recenſentur quatuor in 2. appendice Labbeana, quarum prior incipit *Conſultationis veſtræ* ſub hoc titulo: *Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Reverentiſſimo, & Sanctiſſimo Confratri noſtro Adoni Sanctæ Viennenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo*. Hujus epiſtolæ initio egit Nicolaus de conjugio Lotharii Regis, cujus cauſſa, quemadmodum dictum modo fuit, univerſi Galliarum Antiſtites turbabantur. Deinde ita proſecutus eſt: *Interea de illo Clerico, Alvico nomine, quem per ordines eccleſiaſticos uſque ad Diaconatum caſte vixiſſe dicitis, cur noſtra auctoritate uxorem duxerit, miramur, & eo quod nulli unquam exceptis illis, quos eccleſiaſtica regula habere permittit, uxorem ducendi licentiam dedimus. Nam exemplar epiſtolæ, quod miſiſtis, neque recognovimus, ſed nec illius ſtylum a nobis directum fuiſſe meminimus. Quocirca veſtra fraternitas ſollicita inveſtigatione perquirat, ut quis auctor illius epiſtolæ fuerit valeat inveniri, quatenus cum apoſtolica auctoritas mittitur, non fuſcetur, & ſi veſtros legatos deſtinaveritis, per eos ut ipſam epiſtolam nobis dirigatis, optamus, quo cum illam contemplati fuerimus, vos de hac cauſſa certiſſimos reddere poſſimus*. Ex his perſpicue liquet, Alvicum quendam Diaconum voluiſſe Epiſcopo ſuo Adoni illudere, falſo quodam ſub Pontificis Maximi nomine edito privilegio, ſeu diſpenſatione, quam ubi perſpectam habuit Ado, nihil æquius duxit, quam eundem Pontificem Maxi-

Can. 4. diſt. 32.

Maximum de ejuſdem privilegii cauſſis, & de re ipſa geſta interrogare. Hinc porro & ſupplebis, & interpretaberis commodiſſime canonem 4. diſt. 32., quem Ivo Carnotenſis perperam in parte 6. decreti cap. 119. tribuit Stephano, quoniam Adonem Viennenſem temporibus Nicolai I. vixiſſe ſcimus ex monumentis Conciliorum, non autem vixiſſe liquet temporibus Stephani, ſive intelligamus Stephanum Leonis III., ſive Stephanum Hadriani III. ſucceſſorem.

Alia eſt Nicolai ad Adonem epiſtola, quæ incipit *Quia ſanctitatis veſtræ* num. 69., ubi proponitur de quibuſdam eccleſiaſticæ diſciplinæ capitibus Nicolaus ab Adone interrogatus; & in cap. 3. hæc leguntur: *Si hi, qui ſacras res eccleſiis datas, & a fidelibus oblatas, quaſi a Principibus ſibi indultas invadunt, vaſtant, diripiunt, retinere præſumunt, auctoritate Epiſcopali excommunicandi, & anathematizandi ſunt. De his quidem rebus, quæ ſemel Deo contributæ, atque dicatæ ſunt, & poſtea ſub occaſione conceſſionis Principum a quibuſdam invaduntur, ſancimus, ut prius conſulto Principe, ad reſecandam tam præſumtivam factionem, cognoſcendum utrum illius ſit conceſſio, an invaſoris præſumtio. Quod ſi Principis inordinata fuerit largitio, ipſe ſit Princeps pro emendatione redarguendus, ſi autem invaſoris declaratur præſumtio, uſque ad emendationem excommunicationis ſit vindicta coercendus.* Hæc eadem verba relata ſunt apud Gratianum in can. 22. cau. 12. qu. 2., & ſub eodem Nicolai ad Adonem ſcribentis nomine apud Ivonem parte 3. cap. 152. In ea autem epiſtola obſervatur nonnulla deeſſe, a Collectore identidem omiſſa; eamque ob rem non repugnabit, quædam apud Collectores alios deſcripta fragmenta huc referri commode poſſe, etiamſi in vulgatis epiſtolæ codicibus deſiderentur.

In canone 6., & 7. diſt. 27. tribuuntur duo fragmenta Nicolao Papæ ſcribenti ad Albinum Viennenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum. Fallax ſane inſcriptio, in qua *Can.6.*
facile arbitrareris pro nomine Albini ſcribendum eſſe Adonem, utpote quem Vien- *& 7.*
nenſi tunc Eccleſiæ præfectum fuiſſe ſcimus, nec reperimus alteri Albino con- *diſt.27.*
cedendum in Viennenſi Eccleſia locum. Siquidem & ante Pontificatum Nicolai regebat Viennenſem Eccleſiam Agilmarus, qui deinde interfuit Concilio Lingonenſi apud Saponarias anno 859. temporibus Nicolai Pontificis celebrato; anno vero ſequente, ſcilicet 860, jam ſucceſſerat Ado, utpote quem interfuiſſe ſcimus in Concilio Tullenſi ejuſdem anni; cum autem Ado ipſe ſubſcripſerit anno 873., ac propterea poſt obitum Nicolai, Concilio Cabilonenſi, nulla poſſunt tempora demonſtrari, quibus locus fiat Albino Viennenſi Epiſcopo. Emendationem hanc non improbavit Manſius in ſuo ſupplemento Labbeano tom. 1. pag. 977., ubi refert *Fragmentum epiſtolæ Nicolai I. ad Albuinum, (forte Adonem Archiepiſcopum) Viennenſem, ut eſt apud Gratianum diſt. 27. ex reſcripto Laodicenſium ad Trajectenſem in Codice Udalrici tom. 2 col.* 318. Verba fragmenti ibidem deſcripta ſunt hæc: *Quod interrogaſti de femina, quæ poſt obitum viri ſui velamen ſuper caput impoſuit, & finxit ſe ſub eodem velamine ſanctimonialem eſſe; poſtea vero ad nuptias rediit, bonum, & canonicum nobis videtur, quod per hypocriſim eccleſiaſticam regulam conturbare voluit, & non legitime in voto ſuo permanſit, ut pœnitentiam de illuſione nefanda agat, & revertatur ad id, quod ſpopondit, & in ſacro miniſterio inchoavit. Nam ſi conſenſerimus, quod omnia eccleſiaſtica ſacramenta quiſquis, prout vult, fingat, & non vere faciat, omnis ordo eccleſiaſticus conturbatur, nec Catholicæ fidei jura conſiſtunt, nec ſacri ordines rite obſervantur. Tales ergo, niſi reſipiſcant, ſpirituali gladio percutere cenſemus; non enim fas eſt Spiritui Sancto mentiri.* Animadvertit deinde Manſius in

 codicibus

Digitized by Google

codicibus editis addi nonnulla, quæ facile quiſquam intelliget, quoties cum his conferet, quæ apud Gratianum leguntur. Verum ego a Gratianea inſcriptione magis recedendum putarem, nec inveſtigandum crederem Albinum inter Vienneſes Archiepiſcopos, cum non ad Albinum, vel ad Adonem ſcriptam Epiſtolam eſſe arbitrarer; quamobrem ita cenſeo immutandam Gratiani inſcriptionem: *Nicolaus Papa ad Adalvvinum Juvavenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum*. Revera id perſpicue demonſtratur ex codice Reginonis, qui ſcripſit labente ſæculo 9., ac propterea fuit Nicolao I. fere coævus. Sane in Appendice 1. ejuſdem cap. 57. hæc leguntur: *Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverentiſſimo, & ſanctiſſimo confratri noſtro Adalvvino ſanctæ Juvavenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo. Quod autem interrogaſtis de femina, quæ poſt obitum mariti ſui.... ſanctimonialem feminam eſſe... bonum videtur... & in ſacro miniſterio inchoavit. Nam ſi conſenſerimus... & non vere fiat, omnis ordo Eccleſiaſticus conturbatur; nec... per Apoſtolum fraus ejus detecta, quid ſibi... Deum, ut forte &c.* Quæ hoc in loco deſcripſi, ea ſunt, quæ a Gratiani editione diſſonant; alia, quæ omiſi, omnino cum Gratianeo monumento concordant. Juvavenſis igitur, ſeu Salzburgenſis Epiſcopus erat Adalvvinus, ad quem Nicolaus epiſtolam ſcripſit, quod licet una probare poſſet Reginonis auctoritas, confirmari adhuc poteſt ex actis Concilii Colonienſis anni 870., cui Adalvvinus interfuit, quemadmodum animadvertit Baluzius in notis ad Reginonem. Erratum Gratiani ex Codicibus Ivonis, & Burchardi profluxit: nam Burchardus in lib. 8. cap. 47. tribuit monumentum illud Nicolao ſcribenti *Adalvvino Sanctæ Vivenenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo*. Ivo tribuit Nicolao ſcribenti in parte 8. cap. 65. *Adalvvino Sanctæ Viennenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo*, & in cap. 152. ejuſdem par. 8. *Alumino Junarienſi Epiſcopo*. His autem præhabitis parum ſollicitus ſum de ſententia canonis Gratianei exigenda ad editiones ſive Burchardi, ſive Ivonis, cum ſufficiat retuliſſe Reginonis editionem, utpote ceteris antiquiorem, & magis integram.

Can. 1. diſt. 34. & can. 4. cau. 7. qu. 1.

Eadem ſane ratione emendandus erit canon 1. diſt. 34., quemadmodum etiam Baluzius animadvertit in notis ad Gratianum, ubi enim Gratianus habet *ad Albinum*, legendum erit *ad Adalvvinum*. Præterea ſimiliter in can. 4. cau. 7. qu. 1. pro vocibus illis *Aluino Januenſi Archiepiſcopo* legendum erit: *Adalvvino Juvavenſi Archiepiſcopo*. Inſcriptionis enim Gratianeæ falſitatem agnovit Antonius Auguſtinus in lib. 2. de emendat. Gratiani dial. 15. ſcribens temporibus Nicolai nondum apud Januenſes conſtitutum fuiſſe Archiepiſcopum. Utriuſque autem canonis eundem eſſe fontem, unde Gratianus derivaverit, Ivo Carnotenſis aperte demonſtrat; nam in parte 5. poſtquam in cap. 352. ſub hac inſcriptione *Nicolaus Aluino Jovanenſi Epiſcopo* retulerit Ivo memoratum canonem 4. cau. 7. qu. 1., deſcripſit deinde in capite ſequente, ſeu 353., verba canonis 1. diſt. 34. ſub hac epigraphe: *Idem ad eundem*. Imo cum apud Ivonem eadem monumenta magis integra, quam apud Gratianum, legantur, & penes alios Collectores deſiderentur, juvabit hoc in loco illa ex Ivone ipſo deſcribere. In cap. 352. hæc leguntur: *Pontifices, qui aliqua occupantur infirmitate, vel ægritudine, abjiciendi non ſunt, nec alios in locum eorum conſecrari oportet, niſi ex hac fuerint luce ſubtracti. Quod ſi de miniſterio ſibi conceſſo conqueruntur, quæ licita ſunt, Sacerdotes expleant. In his vero, quæ eis præſumere non licet, vicinorum uſque ad recuperandam ſanitatem Epiſcoporum auxilia ſubrogentur; & hoc cum cautelæ ſtudio peragatur, ne per neceſſitatis occaſionem præſumtionis*

pullulet

pullulet ambitio. Epiſcopi vero, qui dominici gregis ſuſceperunt curam, atque ſollicitudinem, ab adminiſtratione eorum diſcedere non oportet, ut accepti talenti pulchritudo non deleatur, ſed certamine eorum ſalubriter augeatur, & triplicetur. Quod autem in hoc canone continetur, non eſt ſane alienum a germanis Nicolai I. ſententiis, qui alias profeſſus eſt, Epiſcopos aliqua infirmitate correptos non eſſe ab officio deponendos, ſed potius humanitate, ac benevolentia ſublevandos, quemadmodum perſpicue colligi poteſt ex canone 14. cau. 3. qu. 9., dummodo ad integra Nicolai ejuſdem monumenta exigatur; item ex Capitulis reſponſionum Nicolai Papæ ad legationem Salomonis Epiſcopi miſſi a Rege Ludovico Germanico cap. 5. in Appendice III. Epiſtolarum ejuſdem Pontificis. Atque hæc pertinent ad dictum canonem 4. cau. 7. qu. 1. Verba canonis 1. diſt. 34. ita leguntur apud Ivonem in cap. 353. *Quorundam relatione fidelium auribus noſtris intimatum eſt, quod Lanfredus Epiſcopus, qui & juvenis eſſe dicitur, venationi ſit deditus. Quod vitium plurimos etiam de clericali catalogo genere dumtaxat Germanos & Gallos irreverentes implicat. Verum iſte, ſi ita eſt, ut audivimus, merito juvenis dicitur, qui juvenilibus deſideriis occupatus nulla ſenum gravitate conſtringitur. Item*: O *miſeram vitam hominum, & maxime Sacerdotum, qui dum lucrandis fidelibus debent inſiſtere, venandis feris incumbunt, & quos capere oportet homines, capiunt aves, & beſtias, qui dum mortibus ſtudent animantium, vitam ſuarum amittunt animarum*: O *infelicem vitam ſuper omnem vitam! Nam in quo magis quiſque carnalis apparet, quam in tali vita? Venatorum enim vita nil præter carnes capit, in qua dum quiſque permanſit, nunquam probatus eſt. Nam, ut B. dixit Hieronymus, venatorem nunquam legimus ſanctum. Væ hujuſmodi Præſulibus, qui dum debent Petrum, Andream, Jacobum, & Johannem, quibus a Domino dictum eſt; Venite poſt me, faciam vos Piſcatores hominum, ad imitationem ſuam eligere, quorum & diſcipuli ſunt, magis Nemrod & Iſmahelem, atque Eſau reprobos imitantur, qui hujuſmodi adinventionibus incubuiſſe referuntur. Nihilominus autem de hoc Epiſcopo relatum eſt Apoſtolatui noſtro, quod cum quadam filia ſua immoderatam teneat familiaritatem, & ob id mala fama ei orta ſit; pro qua re a Sanctitate tua, ceteriſque Coepiſcopis ſuis commonitus, ac correptus eſt, ſed nullatenus emendatus. Quæ res in hoc maxime diſplicet, & magis ac magis de ſe deteriorem reddit opinionem. In quo beatitudini tuæ, & Coepiſcoporum ſuorum rationibus non obedit, & per inobedientiam in culpam Protoplaſti relabitur. Oportet ergo fraternitatem tuam Synodale cum Epiſcopis, & ſuffraganeis tuis convocare Concilium, & hunc ſalutaribus eloquiis Epiſcopum convenire, atque illi paſtorali auctoritate præcipere, quatenus & ab omnium beſtiarum, & volucrum venatione penitus alienus exiſtat, atque immoderata filiæ ſuæ familiaritate ſemetipſum omnino coerceat. Quod ſi parere contemſerit, & tam pro venationis declinatione, quam pro immoderata filiæ ſuæ vitanda converſatione, vobis admonentibus obedire diſtulerit, a veſtro Collegio excommunicatus abſcedat. Quod ſi in hoc contumax adhuc apparuerit, a miniſterio ceſſare debebit*. Hæc quoque ſententia minime diſſonat ab aliis Nicolai monumentis; etenim eiſdem fere rationibus, quibus hoc in loco Nicolaus ait Epiſcopum a venationibus abſtinere debere, aſſerit etiam a venationibus eſſe abſtinendum tempore Quadrageſimæ, ita ſcribens ad Conſulta Bulgarorum cap. 44. *Nulla ratio ſit* (forte legendum *ſinit*) *in Quadrageſimali tempore venationibus uti, venantes enim nihil præter carnes captant: ut ergo nihil carnale ſectari videamini, decenter a carnibus captandis in Quadrageſimali præcipue tempore vobis eſt abſtinendum*;

Digitized by Google

quanto enim jejunii tempore arctius eſt divinis cultibus inſiſtendum, tanto eſt in cunctis mundi nocivis oblectamentis longius recedendum, præſertim cum neminem niſi reproborum venationes exercuiſſe ſacra deſignet hiſtoria. Conſonant quoque cum hoc Nicolai monumento plures canones editi nono ſæculo, qui præſertim habentur inter Francorum Principum Capitularia, quorum unum demonſtrare ſufficiet, canonem nimirum 8. Concilii Turonenſis III., qui refertur in additione 3. eorundem Capitularium cap. 73.

Can. 6. cau. 33. qu. 2. Baluzius in notis ad Gratianum non dubitat aſſerere pertinere etiam canonem 6. cau. 33. q. 2. ad Epiſtolam Nicolai I. ad Adaluvinum Juvavenſem, ſive Saltzburgenſem ſcribentis. Iſtud idem fragmentum ab Ivone deſcribitur in parte 8. decreti ſive capite 124., ſive cap. 333. eiſdem omnino verbis, quibus legitur apud Gratianum, ſed ſub diverſa inſcriptione: nam in cap. 124. habetur: *Nicolaus Carolo Archiepiſcopo, & ejus ſuffraganeis*, & in cap 333. legitur: *Nicolaus Aluino Archiepiſcopo*. Quænam potius ſit recipienda inſcriptio, tuto definiri olim non potuit, præſertim cum inter editas Nicolai Epiſtolas fragmentum illud non haberetur. In hac re admodum dubia tantum huc referri potuiſſent, quæ in propoſita ſpecie a Nicolao I. ſtatuta, vel etiam a Conciliis noni ſæculi definita fuerunt, ut cum his ſanctionibus Gratiani canon conferretur. Obſervanda ſane in primis, quæ Nicolao eidem tribuuntur in can. 5. cau. 33. qu. 2., ubi Summus Pontifex tum demum voluit interfectores ſuarum conjugum tamquam homicidas haberi, cum conjuges non proponantur adulteræ. Deinde obſervandum etiam, quod Nicolaus idem Bulgaris conſulentibus reſcripſerit in cap. 96. ibi: *Quidquid mulier tua contra te cogitaverit, aut fecerit, vel ſi te accuſaverit, non eſt, excepta cauſſa fornicationis, rejicienda, vel odio prorſus habenda; quæ eſt, Apoſtolo præcipiente, ſicut a Chriſto Eccleſia, diligenda; quantum autem hæreticorum ore Chriſtus & accuſatur, & in gentibus blaſphematur, ſed hos interim perverſa prædicantes tolerat, & reſipiſcentes a miſericordiæ gremio non repellit*. In Concilio autem Triburienſi celebrato anno 895. can. 46. ita definitum legimus: *Si cujus uxor conſtuprata fuerit, & propterea maritus capitali ſententia delere illam machinaverit; ipſa vero, urgente mortis periculo, ad Epiſcopum confugerit, & auxilium quæſierit, operoſiori, ſi poteſt, Epiſcopus labore deſudet, ne occidatur. Si vero non poteſt, nullo modo liceat ei requirenti eam reddere viro ad occidendum, quæ ſe ei obtulit ad defendendum, ſed ſolerti cura tranſmittet eam ad locum, quem ipſa delegerit, ut ſecura vivere poſſit. Si vero interdum maritus eam invenerit, & repetierit, ſecundum ſæculum poteſtatem habeat, quid agere ei velit &c.* Nomine legum ſæculi, quæ in Eccleſiaſticis noni ſæculi monumentis indicantur, ego intelligo legem Rotharis, quæ habetur in cap. 2. lib. 1. tit. 33. legum Longobardarum his verbis expreſſa: *Si quis cum uxore ſua liberum, aut ſervum fornicantem invenerit, poteſtatem habeat eos ambos occidendi, & ſi eos occiderint, non requirantur*. Hæc autem omnia invicem collata demonſtrant, Nicolaum, ſacroſque Antiſtites humanius agendum eſſe ſuaſiſſe maritis erga delinquentes uxores, licet legibus Principum in illas ulciſci aliquando permitteretur, ideſt nulla indicta pœna in ulciſcentes, quod maritis juſta de cauſſa iratis indulgendum videretur; ac propterea aut abjudicandum a Nicolao I. quod in dicto canone 6. legitur, ſi ceteris hujuſmodi monumentis adverſetur; aut ſi abjudicandum penitus nolles, ita debere interpretari, ut cum ceteris, & Nicolai ejuſdem, & Conciliorum noni ſaltem ſæculi monumentis convenire quoquo modo poſſit. Verum, cum memo-

Digitized by Google

memoratum Gratiani fragmentum referendum hodie ſit ad epiſtolam directam ad Carolum Moguntinum, ideo inferius de eodem nonnulla ſubjicienda putavi.

De Epiſtolis ad Carolum Archiepiſcopum Moguntinenſem, & ejus ſuffraganeos.

can. 33. diſt. 50. can. 34. cau. 27. qu. 1. can. 25. cau. 32. qu. 7. & can. 6. cau. 33. qu. 2.

Cum nuper obſervaverim, canonem 6. cau. 33. qu. 2. apud Ivonem in cap. 123. partis 8. ita laudari, ut tribuatur Nicolao Papæ ſcribenti ad Carolum Archiepiſcopum, & ejus Suffraganeos, ſtatim hoc in loco ſubjicienda putavi tria alia Gratiani fragmenta, quæ Nicolao eidem Papæ tributa ſunt ad Carolum Archiepiſcopum Moguntinum ſcribenti, præter canonem 6. cau. 33. qu. 2. quem Ivo, ut ſuperius jam dixi, ad hanc epiſtolam retulit. Temporibus Nicolai fuit Carolus Eccleſiæ Moguntinæ Epiſcopus, ſucceſſor Rabani, qui in eadem Eccleſia ſedit uſque ad annum 856.. Poſt Carolum ex actis Concilii Sueſſionenſis III. anni 866., & ex epiſtola ejuſdem Concilii ad Nicolaum Pontificem dignoſcitur ſediſſe Liutbertum Epiſcopum. De Carolo habetur mentio in monumentis illius ætatis, nimirum in actis Concilii Moguntini anni 857. ſub Ludovico Imperatore, & Benedicto Pontifice. In poſtrema Labbeana editione ad calcem ejuſdem Concilii habetur epiſtola Nicolai Papæ ad Epiſcopos Germaniæ, qui ad illud idem Concilium convenerant, videlicet ad Carolum Archiepiſcopum Moguntinum, ejuſque ſuffraganeos, Altfridum, Salomonem, Hiltiſſimum, Theodoricum, Guntonem, Cebehardum, Arn. Wingarium, Egibertum Epiſcopos, atque Grimaltum, Egilberhttum Thiotoniamalem, & Adalgarium Abbates. Plura in hac epiſtola coacervantur diſciplinæ Eccleſiaſticæ capita, præter facta nonnulla, quæ Nicolai auctoritate diſcuſſa, ac diremta videntur. Agitur in primis de cauſſa cujuſdam Abbonis, qui inceſtum iniverat conjugium; deinde de Epiſcopo quodam Salomone de crimine accuſato, hinc de epiſtola, quam Nicolaus negat a ſe fuiſſe miſſam per Abbatem Grimoldum, licet Concilio nomine Pontificis oblata fuiſſet. Rurſum autem auctor epiſtolæ ad Abbonis inceſtuoſi cauſſam regreditur, aſſeritque, nemini licere in quarta generatione conſtitutas ſibi jungere conjuges, ſtatimque addit: *Sacerdotes vero ſi in fornicationis inciderint laqueum, & criminis, & manifeſtus, ſive oſtenſus fuerit actus, Sacerdotii non poſſunt habere honorem ſecundum Canonicæ Inſtitutionis auctoritatem*. En canonem 33. diſt. 50. apud Gratianum. Poſt hæc idem de Diaconis ferendum judicium eſſe concludit, quod de Sacerdotibus dixerat; feminas autem ſemel ſacro velamine conſecratas, nec ſi fornicatæ fuerint, nunquam velamen illud poſſe deponere, ſed pœnitentiæ potius ſubjacere. Deinceps definit, quænam eſſe debeat Parricidarum pœnitentia, quæque ſervanda ſit diſciplina in illis, qui vel cum duabus fornicati proponuntur, vel cum matre, aut filia ſpirituali, ſive quæ in baptiſmate, ſive quæ in confirmatione ſuſcepta fuerit, maculati: Et ſtatim: *Inter hæc veſtra ſanctitas addere ſtuduit, ſi cujus uxor adulterium perpetraverit, utrum marito ipſius liceat ſecundum mundanam legem eam interficere. Sancta Dei Eccleſia mundanis nunquam conſtringitur legibus, gladium non habet, niſi ſpiritualem, ac divinum, non occidit, ſed vivificat*. Iſthæc ſunt, quæ Gratianus deſcripſit in can. 6. cau. 33. qu. 2., & demum poſt pauca, quæ ad homicidia non ſponte commiſſa pertinent, ita concluditur: *Vidua quidem, quæ ſacrum capiti velamen impoſuerit, & inter ceteras*

velatas feminas in Eccleſia oraverit, & oblationem cum illis obtulerit, ſi profeſſa eſt in eodem habitu permanere, ſpondens nunquam religionis deponere velamen, religionis obſervantia diſcedere non præſumat. Optamus ſanctitatem veſtram in Chriſto bene valere. Poſtrema hæc ſententia legitur in can. 34. cau. 27. qu. 1. Ego vero de hac epiſtola plurimum dubito, ne forte cujuſquam deceptoris figmentum habenda ſit, vel quod ſtilus minime conſonet cum ceteris Nicolai monumentis, vel quod ſententiæ ſint ibidem inordinate digeſtæ, quodque jam ab initio dictum eſt, poſt intermedia quædam ab illa materie aliena, repetatur in fine, quemadmodum obſervatur, ubi nonnulla traduntur de continentia feminarum, quæ ſacro jam velamine ſe Deo conſecraverant. Huc advocari commode poteſt, quod ad eandem Synodum Moguntinam adnotavit Manſius in ſuo ſupplemento, ſcribens, ea nullo modo poſſe congruere Concilio Moguntino anni 857., iſtud enim celebratum eſt adhuc in vivis agente Benedicto Papa, ac propterea non Nicolaus, ſed Benedictus ab eadem Synodo de propoſitis diſciplinæ capitibus fuiſſet interrogatus. Nec fingi ullo modo poſſet epiſtolam a Concilio Moguntino directam ad Benedictum, & Benedicto vita functo reſpondiſſe Nicolaum; nam auctor hujus epiſtolæ perſpicue indicat, ſe jamdiu mittere epiſtolas potuiſſe ad Concilium, antequam diſſolveretur, dum negat a ſe ſcriptas epiſtolas fuiſſe, quas Concilio Grimoldus Abbas obtulerat. Quæ igitur in hanc epiſtolam relata ſunt, videntur potius hinc illinc collecta ab auctore ex variis eccleſiaſticis monumentis, ſub Nicolai nomine; nam, ut in fragmentis Gratiani conſiſtam, canon 33. diſt. 50. pertinet potius ad canonem 11. Concilii Wormacienſis anni 868., ibi: *Sacerdotes igitur, ſi in fornicationis laqueum ceciderint, & criminis manifeſtus, ſine oſtenſus fuerit actus, Sacerdotii non poſſunt habere honorem, ſecundum canonicæ inſtitutionis auctoritatem.* Item canon 34. cau. 27. qu. 1. legitur in can. 21. ejuſdem Concilii, ibi: *Vidua quidem, quæ ſacrum capiti velamen impoſuerit, & inter ceteras velatas feminas in Eccleſia oraverit, & oblationem cum illis obtulerit, ſi profeſſa eſt in eodem habitu permanere, ſpondens nunquam religionis deponere velamen, a Religionis obſervantia diſcedere non præſumat. Quod ſi præſumſerit, & ad id, quod ſpoponderat, revocari non poteſt, a liminibus ſanctæ Eccleſiæ ſegregetur, donec ad emendationis remedia confugiat.* Idem iſte canon legitur apud Reginonem in cap. 50. Appendicis 1. ſub nomine Concilii Africani cap. 89. Non igitur Nicolaus potuit hæc ex Wormatienſi Concilio deſcribere, cum Concilium illud ſit Nicolao recentius, neque præſumendum eſt, Concilium Wormacienſe voluiſſe ſibi vindicare Nicolai epiſtolam, atque ejus ſententias in canones diſtribuere, quin Nicolai ejuſdem faceret mentionem, præſertim quod illud proxime Nicolai ipſius ætatem attingeret, nec potuiſſet quiſquam anno 868. Nicolai epiſtolam, ſi extitiſſet, ignorare. Dicendum adhuc ſupereſt de canone 25. cau. 32. qu. 7., ſed hunc fruſtra aut in Concilio Moguntino, aut in memorata Nicolao Pontifici tributa epiſtola quæreres. Falſa ea primum inſcriptio legitur apud Burchardum, qui primus in lib. 9. cap. 28. fragmentum illud laudavit ex epiſtola Nicolai ad Carolum Moguntinum Epiſcopum ſcribentis; ceterum alia eſt capitis inſcriptio in vetuſtioribus collectionibus. Reginonem memoro, qui tempora Nicolai Pontificis attigit; nam ipſe in lib. 2. de Eccleſ. diſcipl. poſtquam in cap. 129. verba deſcripſit quædam Romanæ Legis nomine (illa ipſa, quæ ſub nomine Fabii Papæ Gratianus retulit in can. 26. cau. 32. q. 7.) ita proſequitur in cap. 130. *Ex eodem*; nimirum ex Lege Romana:

Siqui

Siqui matrimonium ſani contraxerunt, & uni ex duobus amentia, aut furor, aut aliqua infirmitas acceſſerit, ob hanc infirmitatem conjugia talium ſolvi non poſſunt. Similiter ſentiendum de his, qui ab adverſariis cæcantur, aut membris detruncantur. Verba illa *aut a barbaris exſecti fuerint*, quæ legimus apud Gratianum, deſiderantur in Codice Reginonis, quemadmodum etiam apud Ivonem in parte 8. cap. 166. Baluzius in notis ad Reginonem jam viſus eſt indicare, unde nam Gratiani fragmentum ſit repetendum; ait enim apud Paullum Jureconſultum lib. 2. ſentent. tit. 19. caput iſtud ſic expreſſum haberi: *Neque furioſus, neque furioſa matrimonium contrahere poſſunt, ſed contractum matrimonium furore non tollitur*; cui ſententiæ hanc interpretationem ſubjunxit Anianus: *Siqui matrimonium ſani contraxerint, & uni ex duobus amentia, aut furor acceſſerit, ob hanc infirmitatem conjugia talium ſolvi non poſſunt.*

De epiſtolis ad Lotharium Regem.

Quæ ſuperius de Lothario, ejuſque conjugio diſſerui, facilem ſternere videntur viam ad interpretationem nonnullorum canonum, qui apud Gratianum tribuuntur Nicolao I. ad Lotharium eundem Regem ſcribenti. Primus eſt canon 4. diſt. 63., ubi Pithœus pro illis verbis *faventem tibi* legendum ſcripſit *favente te*, contra quam tamen legatur apud Ivonem in parte 5. cap. 357., ex quo potius emendanda videntur priora illa Gratiani verba: *Porro ſcias, quia relatum &c.*; nam legit Ivo: *Porro, quia relatum &c.* Hæc ſane epiſtola, ex qua decerptus eſt canon, integra non habetur in Collectionibus Pontificiarum epiſtolarum, licet ibidem exhibeantur aliquot aliæ ad Lotharium ſcriptæ epiſtolæ; neque habetur inter alia eccleſiaſtica a nonnullis edita monumenta. Verum ego minime dubito, quominus quod legitur in dicto canone 4. jure ſit Nicolao tributum, cum ex aliis integris Nicolai epiſtolis nonnihil ſimile, & eidem rei accommodatum legatur, ex quo propterea etiam liceat Gratianeum canonem interpretari. Eſt inter epiſtolas Nicolai numero 55. ſcripta ad Ludovicum Germaniæ Regem, penes quem Sanctus Pontifex de Lothario conqueritur, tamquam de eo, qui Vvaldradæ pellici nimium indulgeret, etiam ubi ageretur de eligendis Epiſcopis; ubi enim vacaverat Trevirenſis, & Colonienſis Eccleſia, curavit Lotharius, ut illi conſecrarentur Antiſtites, quibus Vvaldrada faviſſet, atque conſecrarentur non a Metropolita, ſed ab aliis Epiſcopis Theutgualdo, & Gunthario Vvaldradæ adhærentibus. En verba Nicolai in laudata epiſtola: *Hinc etiam, ut novi Treverenſi, & Colonienſi Eccleſiis Antiſtites darentur, injunximus; videlicet qui nec per Theutgualdi, & Guntharii dudum Epiſcoporum, ſed nec per jam fatæ Vvaldradæ favorem proveherentur, ſed canonice a filiis, & de filiis jam nominatarum Eccleſiarum electi, ab his, qui earundem Eccleſiarum Antiſtites ſoliti ſunt conſecrare, regulariter ordinarentur.* Et infra pollicetur Nicolaus, non aliter ſe recepturum Lotharium pœnitentem, niſi Reginam Theutbergam velut conjugem ſuam habeat, *& niſi de proprio Clero in Aggrippinenſi Colonia, atque Treverenſi Eccleſiis Epiſcopos ordinari permiſerit, eos ſcilicet, qui nec Vvaldradæ, nec Guntharii, nec Theutgualdi favore vel eligantur, vel etiam conſecrentur.* Rurſum idem Nicolaus in epiſt. 63. ſcribens ad Epiſcopos in Regno Lotharii conſtitutos ait: *Præcipimus vobis, ut ſuggeratis filio noſtro Lothario glorioſo Regi,*

Can. 4. diſt. 63.

Regi & ei, ut nullum Eccleſiæ Camaracenſi præjudicium inferat, ſummopere ſuadere curetis, quatenus Hilduino ſubmoto, ex ſe eligendi juxta ſacros canones Epiſcopum Clero, & plebi ipſius Eccleſiæ licentiam tribuat. His jungi poſſent ſequentes epiſtolæ, nimirum 64. ad Lotharium Regem, & 65. ad Hilduinum Clericum, qui a Lothario electus fuerat Cameracenſis Epiſcopus. Quæ cum ita ſit, facile percipitur ſententia canonis 4. diſt. 63. Cum enim agnoſceret Lotharius ab Epiſcopis definitionem cauſſæ ſuæ pendere, quam amore pellicis, & odio conjugis ſuſceperat, curabat eos eligere Epiſcopos, qui ſibi, ſuæque voluntati indulgerent, quod ſane Nicolaus probare non potuit.

Can. 3. cau. 11. qu. 3. Epiſtola Nicolai ad Lotharium, ex qua depromtus eſt canon 3. cau. 11. qu. 3., quamque Romani Correctores aſſerunt extitiſſe Romæ in monaſterio Dominicanorum, hodie edita eſt inter epiſtolas num. 51. Incipit *Audito reverente miſſo noſtro.* Ejuſdem epiſtolæ argumentum in eo conſiſtit, quod Nicolaus Lotharium Regem moneat, ut repudiatam conjugem recipiat, demonſtretque, non aliter diſſociari illud conjugium poſſe, quam ſi uterque monaſticam vitam profiteatur; & prope finem hæc leguntur, ex quibus Gratianeus canon emendandus erit, atque ſupplendus. *Igitur conſilium noſtrum accipe, & monita noſtra tamquam affectuoſi Patris amplectere, atque ab omni pravitate mentem, linguam, corpuſque refræna, præcipue Waldradæ* (Antonius Auguſtinus in dialogo 14. de emendatione Gratiani lib. 2. improbat Contii editionem, in qua legitur *Præcipuæ Waldradæ*, quaſi eidem mulieri nomen eſſet Præcipuæ; quin tamen ullum hujus nominis extet veſtigium) *pellicis tuæ, & dudum a te repudiatæ communionem declinans, & ejus conſortium perpetuæ oblivioni contradens. Excommunicata eſt enim, & uſque ad præſentiam noſtram ab omni Chriſtianorum contubernio ſequeſtrata; ſicut totus jam novit Occidens, & jam jamque per miſſos noſtros minime cum plagis ceteris Oriens ignorabit. Quamobrem cavendum eſt, ne cum ea pari mucrone percellaris ſententiæ, ac pro unius mulieris paſſione, & breviſſimi temporis deſiderio, vinctus, & obligatus ad ſulphureos fœtores, & ad perenne traharis exitum. Deterius quippe in populis Prælati delinquunt, ac per hoc ipſi crudelius, quam cæteri puniuntur. Sed ut manifeſtius vera nos dicere ſcias, B. Papam Gregorium audi, qui ait: Scire etenim Prælati debent, quia ſi perverſa unquam perpetrant, tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmittunt. Unde neceſſe eſt, ut tanto ſe cautius a culpa cuſtodiant, quanto per prava quæ faciunt, non ſoli moriuntur.*

Can. 96. cau. 11. qu. 3. & can. 19. cau. 24. qu. 3. Ivo Carnotenſis in parte 8. cap. 227. ſimul jungit ea, quæ a Gratiano relata ſunt in canone 19. cau. 24. qu. 3. cum iis, quæ relata ſunt in canone 96. cau. 11. qu. 3. ſub nomine epiſtolæ Nicolai ad Lotharium Regem. Verba Ivonis hæc ſunt, ex quibus ſane codex Gratiani erit emendandus: *Ita corporis tui motibus cedere conſenſiſti, & relaxatis habenis voluptatum te ipſum in lacum miſeriæ, & lutum fæcis pro libitu dejeciſti, ut qui poſitus fueras ad gubernationem populorum, effectus ſis ruina multorum. Probat hoc Teugaldi, & Guntharii Epiſcoporum dudum legitimus caſus, qui pro eo, quod te minime competenter erudierunt, quinimmo quia prævaricationem tuam tegere argumentis ſuis ſub quadam juſtitiæ ſpecie fuſcatis, quibuſdam & exquiſitis adinventionibus æquitatem obruere ſtuduerunt, noſtra ſunt auctoritate depoſiti, & ab omni Epiſcopatus regimine regulariter ſequeſtrati. Item infra: an non diſtricta ultione feriendus es, qui in duobus uxoribus adulterium Lamech, & flagitium imitatus dignoſceris eſſe? Quod Dominus nonniſi poſt 77. generationes ſuo ſalutifero adventu delevit, cum Cain fratri-*

Digitized by Google

fratricidium ſeptima generatione aquis abolitum ſit cataclisſmi. Antonius Auguſtinus de emendatione Gratiani lib. 2. dial. 14. ſcribit, de his duobus capitibus nihil ſe certi accepiſſe. Ego non dubito, quin jure optimo tribuantur Nicolao, cum in aliis germanis ejuſdem monumentis plura his ſimilia perſpicue exhibeantur. Nam de Theutgaudo, & Gunthario depoſitis in Romano Concilio ſatis conſtat ex epiſtola Nicolai præpoſita Concilio Romano, ex qua depromtum diximus canonem 21. cau. 2. qu. 1., cui addi poteſt canon 10. cau. 11. qu. 3. Præterea acres epiſtolas miſſas a Nicolao in cauſſa Lotharii fuiſſe deprehendimus ex epiſtolis ad eundem Regem miſſis, & editis, quæ fere conſonant cum iis, quæ nuper ex Ivone, & Gratiano relata ſunt; demum quæ legimus in dicto canone 19. cau. 24. qu. 3., eadem fere ſcripſit Nicolaus ad Bulgaros nuper ad fidem converſos cap. 51. ibi: *Si liceat uno tempore habere duas uxores exquiritis, quod ſi non licet, ſcire cupitis, apud quem inventum fuerit, quid exinde facere debeatis. Duas tempore uno habere uxores nec ipſa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Chriſtianorum ulla permittit . . . . . Denique hoc tam immane ſcelus eſt, ut homicidii quidem peccatum, quod Cain in Abel fratrem ſuum commiſit, ſeptima generatione cataclisſmo vindicatum fuerit; adulterii autem flagitium, quod Lamech omnium primus in duabus uxoribus perpetravit, nonniſi ſanguine Chriſti abolitum extiterit, qui ſeptima & ſeptuageſima generatione ſecundum Evangelium luxerit in mundum.*

De epiſtolis ad Carolum Regem.

Antonius Auguſtinus in lib. 2. de emendat. Gratiani dial. 15. principio inquirit, quinam ſit Carolus ille Rex, ad quem Nicolaus ſcripſiſſe fertur, concluditque non alium eſſe, quam Carolum Calvum, qui Rex Francorum poſt mortem Ludovici Imperatoris ſalutatus erat, eratque memorati Regis Lotharii Patruus. Ad hunc itaque Nicolaus epiſtolam miſit de cauſſa Lotharii, Carolum precatus, ut nepotem Regem ad meliora capeſſenda conſilia adduceret, & rejectam uxorem revocaret. Eſt hæc numero 50. in editionibus recentioribus Conciliorum, atque incipit: *Nunquam dolorem generat*. Initio laudat Sanctus Pontifex Caroli Regis pietatem, ac religionem, quod eo uſque dimiſſæ Theutbergæ cauſſam tueretur; deinde vero lugere ſe profitetur, quod accepiſſet, Carolum Regem nonnihil indulſiſſe nepoti adverſus Theutbergam ipſam, eamque ob rem Reginæ cauſſam videri pene deſperatam, quod tamen Nicolaus ne eveniat, Principem obteſtatur: & ſubdit: *Excellentiam veſtram nolumus ignorare, adeo Lotharium Regem Theutbergam conjugem ſuam diverſis afflictionibus ſubdidiſſe, & innumeris preſſuris contra præſtita juramenta ſubegiſſe, ut nobis coacta nunc ſcriberet, Regia ſe velle exui dignitate, ſeu copula, & ſola privata vita fore contentam deſiderare. Cui nos ſcripſimus non aliter hoc fieri poſſe, niſi eandem vitam conjux ejus Lotharius elegerit*. Hinc ſupplere juvabit priora verba canonis 26. cau. 27. qu. 2. Quæ vero ſequuntur in eodem canone, pertinent ad epiſtolam Nicolai ad memoratum Lotharium, quæ eſt in recentioribus collectionibus num. 51., in qua Nicolaus Lotharium monet, ne ſibi facile perſuadeat, libere alteram uxorem ducere, quoties conjux dimiſſa monaſticam vitam profiteretur; non aliter enim permittitur conjugium juſtum diſſociari, quam ſi uterque conjux pari vitæ monaſticæ profeſſione obligetur; & ait ad eam rem: *Nam licet ſcriptum ſit: quod*

Can. 26. cau. 27. qu. 2.

Deus conjunxit, homo non ſeparet, Deus tamen, & non homo ſeparat, quando divini amoris intuitu ex conſenſu utriuſque conjugis matrimonia diſſolvuntur. Si ergo hoc modo vis, nos grato permittimus animo, celeremque præbemus aſſenſum; aliter autem fieri mutuam veſtram ſeparationem prohibemus.

Can. 6. Proſequitur Nicolaus in epiſtola ad Carolum, & refert Lotharium meditatum
cau. 6. fuiſſe nova judicia, novaſquè contentiones, accuſantem in his adulterium conjugis,
qu. 4. cujus cauſſa eandem jure dimitteret. Diſcuſſam jam, diremtamque fuiſſe cauſſam, & Theutbergam fuiſſe innoxiam declaratam ait Sanctus Pontifex, nec amplius re definita novis judiciis fieri locum poſſe. Huc pertinet canon 6. cau. 6. quæſt. 4., cujus verba integræ epiſtolæ omnino reſpondent. Heic vero ſubdit non conſtitiſſe Lotharium, qui ut conjugem magis, ac magis torqueret, ad ſingularem monomachiam cauſſam voluit provocandam, juxta mores illius ætatis, qua receptum erat aliquando, ut in mallo, ſeu in campo, ut ajebant, congrederentur accuſatores, & accuſati, teſtes utriuſque litigatoris, aut qui delegati ab illis eſſent, &
Can. 22. objecti criminis probatio ab exitu pugnæ penderet. Improbandam aſſeruit Nicolaus
cau. 2. hujuſmodi judiciariam formulam in cauſſa jam definita Theutbergæ, inquiens: *Mo-*
qu. 5. *nomachiam vero in legem aſſumi nuſquam præceptum fuiſſe reperimus; quam licet quoſdam iniiſſe legerimus, ſicut Sanctum David, & Goliam ſacra prodit hiſtoria, nuſquam tamen ut pro lege teneatur, alicubi divina ſancit auctoritas, cum hoc & hujuſmodi ſectantes Deum ſolummodo tentare videantur.* His emendabis Gratianeum canonem 22. cau. 2. qu. 5. Hunc eundem canonem refert Regino in lib. 2. de eccleſiaſ. diſcipl. cap. 77. cum hoc ſuperadſcripto breviario: *De pugna duorum, quod noſtri campum adpellant, quod pro imputato adulterio ſolet exerceri. Ex epiſtola Nicolai Papæ ad Ca-*
Can. 4. *rolum Regem.* Huc etiam pertinet canon 4. cau. 33. qu. 2.; etenim eandem ma-
cau. 33. teriem proſequens Nicolaus poſt pauca ita ſcribit, unde emendandus erit Gratia-
qu. 2. nus: *Præterea ſive de conjugii fœdere, ſive de adulterii crimine judicium ſit agitandum, nulla ratio patitur, Theutbergam cum Lothario poſſe legalem inire conflictum, vel legitimum controverſiæ ſubire certamen, niſi prius ad tempus fuerit ſuæ poteſtati reddita, & conſanguineis propriis libere ſociata. Inter quos etiam locus providendus eſt, in quo nulla ſit vis multitudinis formidanda, & non ſit difficile teſtes producere, vel ceteras perſonas, quæ tam a ſanctis canonibus, quam a venerandis Romanis legibus in hujuſmodi controverſiis requiruntur.*

Can. 19. Alia eſt Nicolai epiſtola per paria exemplaria miſſa ad Ludovicum Germaniæ,
cau. 23. & Carolum Calvum Reges, quæ incipit *Credimus ex Dei dono*, atque eſt 27. in
qu. 8. recentioribus Collectionibus. Erat autem Ludovicus Caroli frater, & memorati Lotharii patruus. Utrumque Nicolaus exoravit, ut Lotharium in meliorem frugem revocarent. Eodem tempore conqueſtus eſt apud ipſos, quod cum Sanctus Pontifex Concilium Romæ celebraturus eſſet, nemo ex Epiſcopis in regno tum Caroli, tum Ludovici, tum Lotharii conſiſtentibus Romam conveniſſet, licet vocati, licet etiam non breve tempus fuiſſet illis conſtitutum, neque omnes ita detineri poſſent, ut ſaltem ex ſingulis Provinciis bini non accederent. Et poſt hæc ita inquit: *Reprehenſibile denique valde eſſe conſtat, quod ſubintuliſti, dicendo majorem partem Epiſcoporum omnium die noctuque cum fidelibus tuis, contra piratas maritimos invigilare, ob idque Epiſcopi impediantur venire, cum militum Chriſti ſit Chriſto ſervire, militum vero ſæculi ſæculo; ſicut ſcriptum eſt: Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus. Quod ſi ſæculi milites ſæculari militiæ ſtudent, quid ad epiſcopos, & milites Chriſti,*

Chriſti, niſi ut vacent orationi? Hæc ſunt, quæ habentur in can. 19. cau. 23. qu. 8.

Quod legimus in can. 3. cau. 33. qu. 2. perperam tributum eſt apud Gratianum Nicolao Papæ ad Carolum Regem ſcribenti, quemadmodum jam animadverterunt Correctores Romani, ſuſpicati ex canone ſequente inſcriptionem irrepſiſſe. Facilius huic conjecturæ parendum videretur, ſi nonnulla ſimilia non retuliſſet Gratianus ſub nomine Nicolai Papæ in can. 2. cau. 2. qu. 2. Porro hæc verba ſunt Iſidori Mercatoris, qui in præfatione ſuæ collectionis multa tradens de iis, qui per calumniam accuſantur juxta ea, quæ commentus eſt in epiſtolis vetuſtiſſimis Pontificibus adſcriptis, hæc habet inter cetera. *Unde & eccleſiaſtica hiſtoria ab Euſebio Cæſarienſi Epiſcopo confecta de muliere quadam, quæ pro caſtitate a marito accuſabatur, ait: Præceptum, vel interdictum eſt ab Imperatore lege lata, ut primo permitteretur ei rem familiarem libere diutius ordinare, tum deinde reſpondere objectis. Hæc omnes leges tam eccleſiaſticæ, quam & vulgares, publicæque præcipiunt.* Et poſt nonnulla ex Sanctis Patribus, & canonibus Conciliorum depromta concludit: *Si enim de mulieribus, & ſæcularibus hominibus hæc conſtituta ſunt, multo magis eccleſiaſticis viris, & ſacerdotibus ſunt conceſſa.* Quis fuerit in his Iſidori ſcopus, nemo non videt; cum enim ſibi agendum præcipue propoſuiſſet de Epiſcopis accuſatis, quemadmodum in omnibus fere a ſe confectis epiſtolis recinit, nihil antiquius habuit, quam eo etiam referre aliquot vetuſta monumenta, quale erat quod ex Euſebio deſcripſit. Ceterum hujuſmodi exemplum parum, aut nihil valere poterat, ut Gratianeo propoſito accommodaretur. Narrat Euſebius lib. 4. hiſtor. eccleſ. cap. 17., duos fuiſſe conjuges laſciviæ pari, & intemperantiæ deditos, uxorem deinde ſacro baptiſmate Deo ſacratam curaviſſe, ut maritum a vitio revocaret. Maritus e contrario pervicax Alexandriam perrexit, ibidemque eo etiam gravioribus vitiis animum inquinavit. Religioſa uxor verita, ne peſſimo viri exemplo maculam & ipſa contraheret, a marito divertit; quamobrem iratus maritus eandem apud publicos Ethnicos Magiſtratus accuſavit, quod Chriſto nomen dediſſet. Ipſa uxor interea ſupplici libello Imperatorem obteſtata eſt, ut prius rei familiari procurandæ, atque adminiſtrandæ ſibi facultas daretur, ac deinde rebus domeſticis conſtitutis accuſationi ſe reſponſuram eſſe pollicita, cui annuit Imperator. Quid vero commune habet cum hoc exemplo, quod apud Gratianum agitur de uxore dimiſſa a viro abſque cauſſæ cognitione? Qui conferet ſententiam memorati canonis 3. cum ceteris ſententiis canonum in eadem cauſſa, & quæſtione deſcriptorum, facile intelliget, quam procul in hac parte Gratianus a propoſito conſilio aberraverit.

Can. 3. cau. 33. qu. 2.

De epiſtola ad Ludovicum Regem.

Ludovicus Germaniæ Rex, & Lotharii Regis Patruus, de quo ſuperius actum eſt ad can. 19. cau. 23. qu. 8. is idem eſt, ad quem Nicolaus epiſtolam ſcripſit num. 55. quæ incipit *Syllabarum veſtrarum*, unde depromtus eſt canon 16. cau. 2. qu. 1. Ibidem ſane nihil aliud exhibetur, quam cauſſa Lotharii Regis, a Nicolao Pontifice Ludovico Patruo etiam commendata. Verba dicti canonis 16. cum epiſtola ipſa optime conſonant. Tribuitur quoque Nicolao ad Ludovicum Regem ſcribenti canon 8. diſt. 96. Sed cum iſte canon potius referendus ſit ad epiſtolam

Can. 16. cau. 2. qu. 1.

Can. 8. diſt. 96.

Nicolai ad Michaelem in Oriente Imperatorem, commodius de eodem ſermo in ferius erit inſtituendus.

De epiſtola ad omnes Epiſcopos in Regno Ludovici.

Can. 4. *cau.* 20. *qu.* 3. Refert Gratianus in can. 4. cau. 20. qu. 3. epiſtolam Nicolai ad omnes Epiſcopos in Regno jam memorati Ludovici conſtitutos; & quidem Gratianus Ivonem ſecutus videtur, qui in parte 6. decreti cap. 356. eandem epiſtolam exhibet ſub hac inſcriptione: *Nicolaus Papa I. omnibus Epiſcopis in Regno Ludovici*; Cum vero apud Ivonem nunnulla ſint aliter edita, juvabit eadem hic adnotare: *Præſens Clericus . . . . nomine Atho . . . ut poſt ſuum diſceſſum præſens filius ejus Lambertus in locum ei ſuccederet . . . inter octavum, & undecimum annum . . . voluntatem illius cucullam induit .... Epiſcopus eum cum quibuſdam aliis eidem Lamberto abſque .... benedictione monaſticum illum induere fecit habitum, ut fertur, invitum . . . permanere voluit. Super . . . ſed idem Clericus Atho . . . . ut ſuus filius verus Monachus fuiſſet, & in locum ei ſucceſſiſſet. Sed ſub teſtificatione jurejurando firmabat, quod . . . Monachico habitu violenter indutus fuerit, aſſerens, quia nunquam regulam aliquando promiſit . . . palla altaris involutum illum obtuli . . . regulæ unquam ſubactum fuiſſe Monachum. Super his . . . Clericus Atho . . . Quod enim quis non elegit . . . Quapropter conſultius agitur . . . materna illud (quod abſit) hereditate privare . . . regulis ſe ſubdat &c.* Apud alios Collectores, ne in ipſis quidem ampliſſimis recentiorum Collectionibus, hoc ipſum monumentum minime legitur. Ego vero plurimum de eo dubito, ne forte falſo tributum illud fuerit Nicolao. Nam quoties conferatur cum aliis Nicolai epiſtolis, ac præſertim cum epiſtola ſcripta ad Epiſcopos in Regno Ludovici conſtitutos numero 58. apud Labbeum, quæ incipit *Gaudemus quidem*, perſpicue liquebit, omnium ſtylum a ſtylo illius plurimum diſſonare, ut nulla ſit epiſtola, quæ cum iſta quoquo modo conveniat. Præterea non video, quæ ratio eſſe potuerit Nicolao, cur in cauſſa privati cujuſdam Monachi, in qua quæreretur, num quis in Monaſterio conſiſtere neceſſario deberet, an poſſet relinquere monaſterium, univerſos in Regno Ludovici ſive in Germania conſtitutos Epiſcopos excitaret; neque enim conſueverunt leviores iſtæ controverſiæ in majoribus Synodis, & plurium Epiſcoporum diſcuti; quod magis magiſque confirmatur ex eo, quod in Conciliis illius ætatis, quæ ſane plura celebrata feruntur, nihil hujuſmodi geſtum adparet, quamquam in illorum actis nonnullas alias cauſſas diremtas perlegamus; veroſimile autem non eſt, in eiſdem Conciliis nihil omnino exhiberi de hac controverſia, quoties eadem fuiſſet Germanicis Epiſcopis auctoritate Nicolai Pontificis commendata. Demum ſi canonis Gratianei integram ſententiam conſideres, ne illam quidem invenies dignam Pontifice Maximo: Siquidem proponitur ibidem quidam adoleſcens invitus, & paterna auctoritate impellente addictus Monaſterio: declaratur is ſolutus ab omni vinculo, quod ejuſdem voluntas defecerit, interea tamen teneri videtur ad vitam communem ducendam inter Canonicos regulares. At jure quæreres ab auctore canonis, cur ille profiteri debeat Canonicorum regularium vitam, de qua nunquam cogitavit, quando Monaſterio non obligatur, cui paterna voluntate fuit addictus? Imo nec ſatis quidem conſtat, utrum paterna voluntate fuerit adoleſcens

Digitized by Google

ſcens idem Monaſterio addictus, cum in principio epiſtolæ, auctor aſſerat ita Monaſteria ædificata fuiſſe, ut Patre decedente, ut legit Gratianus, aut diſcedente, ut legit Ivo, filius in Patris locum ſuccederet. Qui ergo dicet obſtrictum Monaſterio filium, oportet etiam ſupponat obſtrictum Patrem, contra quam ex ipſo contextu epiſtolæ deducatur.

De epiſtola ad Epiſcopos in Concilio apud Convicinum congregatos.

Cum Rothadus Sueſſionenſis Epiſcopus in Concilio habito in Convicino villa prope Silvanectum circa annum 863, accuſatus fuiſſet de variis criminibus; ac præſertim quod ipſe Presbyterum injuſte depoſuiſſet, bona diſſipaſſet Eccleſiæ, & Hincmari Rhemenſis Archiepiſcopi, ſuique Metropolitani præceptis obſtitiſſet, dum agnoſceret brevi ſe in eadem Synodo, cui Hincmarus præerat, eſſe damnandum, forte etiam deponendum ab Epiſcopatu, Romam ad Maximum Pontificem ante ſententiam Concilii appellavit. Hæc interpoſita appellatio Hincmarum, & ſuffraganeos ejuſdem Epiſcopos a propoſito non dimovit, qui Rothadum damnaverunt, depoſuerunt, eidemque dejecto ſucceſſorem dederunt. Id ægre admodum tulit Nicolaus, qui objurgatis Epiſcopis Silvanectenſibus tandem poſt plura geſta in Romano Concilio Rothadum in priſtina jura reſtituit. Quid ſcripſerit Nicolaus ad memorati Concilii Antiſtites, exhibetur in epiſt. 32., quæ incipit *Scriptis dilectæ fraternitatis*, ad quam pertinet can. 1. diſt. 10. Inter cetera Silvanectenſes Antiſtites, ut juſtam ſententiam depoſitionis aſſererent, ajebant ex juris Imperialis principiis non poſſe interponi appellationem, antequam ſententia abs judice inferiore dicatur; quod fecerat Rothadus ad Apoſtolicam Sedem provocans, antequam ſententia in Provinciali Concilio pronunciaretur; deinde ajebant etiam ex principiis Imperialis juris non eſſe recipiendam appellationem a ſententia illorum, qui electi velut arbitri fuerint; Epiſcopos autem in cauſſa Rothadi judicaturos electos ſpecialiter fuiſſe. Nicolaus e contrario ab his principiis recedendum eſſe contendens ita ſcripſit: *Inſuper autem, & ad imminutionem Apoſtolicæ, & ſummæ Sedis privilegiorum, quibus veſtrarum quoque Eccleſiarum privilegia firmare depoſcitis, Imperatorum leges preponitis, quibus quaſi prohibentibus, adſtruere non habuiſſe appellationis vocem Rothadum nitimini, cum conſtet conſtitutionibus mundanarum legum, & Imperatorum non omnibus eccleſiaſticis controverſiis utendum eſſe, præſertim cum inveniuntur eccleſiaſticæ, ac canonicæ ſanctioni obviare. Ad quod oſtendendum duorum heroum, Innocentii ſcilicet, & Gregorii ſatis ſufficiunt teſtimonia. Sanctus Innocentius quidem in decretali epiſtola ſua ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum ait: Nam quod ſciſcitaris, inquiens, utrum diviſis imperiali judicio provinciis, ut duæ metropoles fiant, ſic duo metropolitani Epiſcopi debeant nominari. Non ergo viſum eſt, ad mobilitatem neceſſitatum mundanarum Dei Eccleſiam commutari, honoreſque, ac diviſiones perpeti, quas pro ſuis cauſſis faciendas duxerit Imperator. Beatus autem Gregorius ſcribens ad Theoctiſtam Patriciam inter cetera, ſi enim, inquit, religionis cauſſa conjugia debere diſſolvi dicunt, ſciendum eſt, quia etſi hoc humana conceſſit lex, tamen divina prohibeat. Ecce quemadmodum Imperiali judicio non poſſint eccleſiaſtica jura diſſolvi; ecce qualiter quod lex humana conceſſit, lex divina prohibeat. Non quod Imperatorum leges, quibus ſæpe Eccleſia*

Can. 1. diſt. 10.

cleſia circa hæreticos utitur, ſæpe circa tyrannos, atque circa pravos quoſque defenditur, dicamus penitus renuendas; ſed quod eas evangelicis, apoſtolicis, atque canonicis decretis, quibus poſtponendæ ſunt, nullum poſſe inferre præjudicium adſeramus. Poſt hæc ad ſuam rem laudat Nicolaus ſtatuta Concilii Sardicenſis, quæ habentur in can. 7. cau. 6. qu. 4. Interea ex his omnibus ſupplere poteris memoratum canonem 1. diſt. 10., quem ut commode interpreteris, te juvare admodum poterunt alia monumenta, ſeu nonnullæ Nicolai epiſtolæ in eadem cauſſa modo ad Epiſcopos, modo ad Principes, modo ad Rothadum ipſum directæ, ſeu nonnullæ epiſtolæ Epiſcoporum, ac præſertim Hincmari Rhemenſis ad Nicolaum, ſeu acta Conciliorum illius ætatis, in quibus diſcuſſa videtur ejuſdem Rothadi controverſia, junctis iis, quæ Interpretes numero multi in eandem rem abunde ſcripſerunt.

De epiſtolis ad Hincmarum Rhemenſem Archiepiſcopum.

Ex iis, quæ ſuperius de Rothadi Sveſſionenſis cauſſa diſſerui, ſatis liquet ſubortas
Can. 3. aliquas fuiſſe ſimultates inter Nicolaum Pontificem, & Hincmarum Rhemenſem
diſt. 8. Archiepiſcopum, qui contra Rothadum Suffraganeum ſuum acerrime pugnavit, quemadmodum & adverſus alios Clericos, qui deinde ad Nicolaum Pontificem appellaverunt. Cum vero Sanctus idem Pontifex agnoſceret, Hincmarum poteſtate ſua vividius, quam par eſſet, uti, ac Metropolitani privilegio, ita eundem redarguit in epiſtola, cuius initium eſt *Epiſtolam Beatitudinis tuæ*, edita inter acta Concilii Sveſſionenſis 3. anni 866.: *Quamvis hæc ne nos arbitreris ad diſcrimen quodlibet tuæ ſanctitatis, vel dignitatis exaggeraſſe, cum meliora eſſe vulnera diligentis, quam fraudulenta odii oſcula non neſcias: ſed ne adeo in privilegiorum tuorum defenſionem, vel elationem immoderatius erigaris, ut Apoſtolicæ Sedis jura quoquomodo temere tetigiſſe videaris. Nam mala conſuetudo, quæ non minus, quam pernicioſa corruptela, vitanda eſt, niſi citius radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab improbis aſſumitur, & incipiunt prævaricationes, & variæ præſumtiones celerrime non compreſſæ pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuo celebrari.* Ex his ſupplebis verba canonis 3. diſt. 8.

Alia eſt Nicolai epiſtola ad Hincmarum Rhemenſem, & ceteros Archiepiſcopos,
Can. 5. & Epiſcopos in Regno Caroli Regis Eccleſias conſtitutas regentes, quæ incipit:
diſt. 12. *Omnium nos portare onera*, atque eſt numero 70. in Labbeana collectione. Ibidem
& *Can.* 30. Nicolaus conſcios eos Epiſcopos reddit de ambitu, ac perfidia Græcorum, qui
cau. 17. cum nuper Photium, expulſo Ignatio, in Sedem Conſtantinopolitanam intruſiſſent,
qu. 4. moliebantur a Romana Eccleſia divertere, imo & doctrinam Romanæ Eccleſiæ, diſciplinamque damnare. Adverſus eoſdem Græcos Nicolaus Hincmari, aliorumque Antiſtitum animos inflammavit, quorum alacri ſtudio futurum ſperabat, ut Orientalium auſus cohiberentur: ex hac epiſtola depromtus eſt canon 5. diſt. 12., quo exhibetur Nicolaus urgere, ne quiſquam quæ a Sanctis Patribus tradita ſunt, patiatur infringi. Inter cetera vero, cum Græci libellum fidei a Legatis Sedis Apoſtolicæ Conſtantinopolim accedentibus poſtulaviſſent, ut Romana exhibita dogmata libere, perſpicueque damnarent, non potuit id non ægre ferre Nicolaus, ita inquiens in eadem epiſtola: *Libellos autem nos ab illis & exigere, & ſuſcipere, non autem*

illos

illos a noſtris requirere ſolere, conſuetudo huc uſque cuſtodita demonſtrat. *Cum enim Chriſti munere, propter Primatum Eccleſiæ Romanæ in Beato Petro conceſſum nemini ſit de Sedis Apoſtolicæ judicio judicare, aut illius ſententiam retractare permiſſum; conſtat nimirum eos ab his nullum jus poſſidere libellos exigendi, quos habere fas judicandi nullo jubentur canone, nullo probantur exemplo.* Hæc eadem fere ſunt, quæ Gratianus retulit in can. 30. cau. 17. qu. 4., quem propterea ex integra epiſtola non tam ſupplere, quam emendare juvabit.

Ad memoratam Rothadi cauſſam, quam Hincmarus diſcuſſerat, non obſtante [Can. 13.] introducta appellatione ad Sedem Apoſtolicam, pertinet alia Nicolai epiſtola ad [cau. 2.] Hincmarum, quæ incipit *Si coram tuæ prudentiæ oculis*; ibidem enim Nicolaus [qu. 6.] totus eſt, ut redarguat Hincmarum quaſi veterum canonum violatorem, atque eo ſpectat ex illa epiſtola depromtus canon 13. cau. 2. qu. 6., cui jungendæ ſunt Romanorum Correctorum notæ, quas non univerſi probant; etenim in editis epiſtolæ exemplaribus poſtrema canonis verba ita exhibentur, *& canonica Patrum deliberatione priſtino tandem, & proprio decorarentur honore.*

Antonius Auguſtinus in lib. 2. de emendat. Gratiani dial. 12. inter incerta Ni- [Can. 21.] colai monumenta recenſet canonem 21. cau. 3. qu. 9.; verum licet eadem ipſa [cau. 3.] Gratiani verba in editis Nicolai epiſtolis deſiderentur, nonnulla tamen ſimilia paſ- [qu. 9.] ſim apud Nicolaum leguntur. In epiſtola ad Hincmarum Rhemenſem 29., quæ incipit *Sanctitatem veſtram*, loquens de cauſſa Rothadi Epiſcopi Sveſſionenſis ad Summum Pontificem appellationis cauſſa devoluta, ita ſcribit Nicolaus: *Siqui videntur illius eſſe calumniatores cum presbytero illo, qui dejectionis ipſius cauſſa extitit, Romam pariter cum ſæpe memorato Rothado omni remota occaſione, indeſinenter occurrant. Hoc autem expreſſe decernimus, ut poſt xxx. dies, poſtquam hæc noſtra epiſtola ad vos delata fuerit, aut præfatum virum Rothadum omnino reſtituatis priſtinæ dignitati, aut ſi juſte vos in eum egiſſe putatis, Romam cum eodem vos, vel veſter legatus veſtram vicem in omnibus ferens, ut utriuſque partis cauſſam ad liquidum ſciamus, adveniat*. De eadem Rothadi damnatione ſcribens in epiſtola 32. ad Epiſcopos Synodi Silvanectenſis, aſſerit ſe nihil definire ullo modo poſſe, incognitis rebus, priuſquam univerſa, quæ geſta eſſent, veraciter audiviſſet; imo ſe ſcripturis ex partibus miſſis non ſatis credere, proindeque ſe judicare non poſſe, quouſque nemo partis illius, qui objectis annueret, vel renueret, Pontificem adiviſſet, addens: *Nam accuſatores, quodcumque voluerint, dicunt, & ſcimus juſtum mediatorem non eſſe, qui ſic unam partem audit, ut alteri parti nihil reſervet*. Addere his poſſumus ſimilem Nicolai ſententiam, quæ legitur in canone 12. cau. 3. qu. 9., ex quibus omnibus cum perſpicue liqueat, tradi ſæpiſſime apud Nicolaum, nullam poſſe proferri ſententiam, niſi coram Judice præſentes adſint & accuſatores, & is, qui de crimine accuſatur, quid aliud elaborandum ſupereſt, ut inveſtigetur curioſius, num memoratus canon 21. ſit Nicolai nomine recipiendus?

Rurſum Antonius Auguſtinus expendens canonem 102. cau. 11. qu. 3. in dial. [Can. 102.] 15. lib. 2. de emendatione Gratiani nihil aliud concludit, quam illum inter incerta [cau. 11.] capitula eſſe recenſendum. [qu. 3.] Hodie vero edita eſt epiſtola Nicolai ad Hincmarum Rhemenſem in recentioribus collectionibus in appendice 1. num. 18., cujus verba cum paullo aliter deſcribantur, quam ſint apud Gratianum, juvabit hic integra referre. Scribit Nicolaus: *Excellentiſſimus Rex Carolus apoſtolatum noſtrum conſuluit, quid agendum ſit de his, qui cum Ingeltrude ſæpe damnata communicant femina,*

quoniam

Digitized by Google

quoniam eos cum excommunicatis, & fautoribus ſimul prius vinculo anathematis retineri conſtat adſtrictos. Quapropter nunc Beatitudini tuæ injungimus, ut ſuper hoc noſtra auctoritate freta curam de his ſumere audeat. Et quia dicta divinitus Sanctitas tua valde novit, aliud eſſe ex neceſſitate, aliud ex ignorantia, atque aliud, quod ex ſtudio delinquitur, iſtudque poſterius duobus prioribus ſtrictius eſſe puniendum, idcirco ſolerter invigilet, & cauta diſcretione ſingulorum mores dijudicet, quatenus hi, qui ex neceſſitate, vel ignorantia delinquunt, auctoritate noſtra per te abſolvantur, ſi tamen ipſa eorum ignorantia, & neceſſitas vera, & non ſimulata, vel non ex voluntate proceſſerit, qualiter bene noſti. Plerique ſunt, qui poſſunt quidem, ſed nolunt recta noſſe. Unde Pſalmiſta in hujuſmodi: Noluerunt, inquit, intelligere, ut bene agerent. Illos autem, qui ſtudio ſuo obligantur, & contemptu interdicta noſtra poſtponunt, nonniſi digna ſatisfactione præveniente, volumus a te prorſus abſolvi. Erat Ingeltrudis Mattefredi quondam Comitis filia nupta Boſoni etiam Comiti, relictoque viro in regno Lotharii cum peſſima ſui nominis fama vagabatur. Iniquum hoc exemplum minime ferens Nicolaus, propterea ad Carolum Regem epiſtolas ſcripſit, ut Lotharium nepotem ſuum Regem moneret, ne diutius ſineret in Regno ſuo libere adulteria perpetrari, quemadmodum liquet ex Synodo Tullenſi anni 860., & ex Hincmaro de divortio Lotharii; imo & idem Nicolaus in Romano Concilio 3. anni 863. can. 4. eandem Ingeltrudem ſe anathematizaviſſe cum fautoribus ſuis profeſſus eſt. Videantur ad hanc ipſam rem epiſtolæ Nicolai 53. ad Ludovicum Regem Germaniæ, 54. ad Epiſcopos in Regno Caroli conſtitutos, una cum epiſtola Arſenii Epiſcopi Hortenſis, & Legati Apoſtolicæ Sedis ad omnes Epiſcopos, & Fideles Galliæ, Germaniæ, ac Neuſtriæ, item epiſtola 1. appendicis 1. ad Carolum Regem in Veneta Labbei editione.

De epiſtolis ad Epiſcopos Galliæ.

Can. 1. diſt. 19. Vix eſt, qui non noverit, quam acres ſub Nicolao I. fuerint Gallicanorum Epiſcoporum contentiones invicem ſubortæ, quibus occaſionem primum dedit Rothadi Sveſſionenſis jam ſuperius memorati cauſſa, quaſque fervidiores etiam reddiderunt nova diſſidia concitata inter duos Hincmaros Rhemenſem, & Laudunenſem Epiſcopos, patruum, ac nepotem. Agebatur de accuſatis Epiſcopis, & eorum cauſſa in provinciali Concilio diſcutienda, non ſolum uſque ad definitivam ſententiam, ſed etiam uſque ad ſententiæ executionem, non obſtante introducta ad Sedem Apoſtolicam provocatione. Rothadus in primis temporibus Nicolai in Concilio provinciali damnatus appellaverat, poſtulabatque, ne quidpiam, appellatione pendente, innovaretur; neque deerant ipſius cauſſæ patroni: deinde Hincmarus Laudunenſis in Concilio apud Attiniacum damnatus temporibus Hadriani II. eadem fere Rothadi veſtigia preſſerat, ac nonniſi ſerius pacati Gallicanorum animi quieverunt. Emerſerant tunc epiſtolæ decretales, auctore Iſidoro Mercatore, vetuſtiſſimis, ac ſanctiſſimis Romanis Pontificibus adſcriptæ, quibus cauſſæ Epiſcoporum præſertim criminales, quaſi cauſſæ majores, ita reſervatæ Sedi Apoſtolicæ demonſtrabantur, ut locus Provincialium Epiſcoporum judicio fieri vix poſſet: hinc tam Rothado, quam Hincmaro Laudunenſi nihil antiquius fuit, ut ſuæ cauſſæ firmum aliquod patrocinium quærerent, quam eas epiſtolas producere, quibus ſuorum Metropo-

tropolitarum, & Provincialium Synodorum juriſdictionem aut in totum, aut in parte ſaltem eluderent. Conſtant hæc perſpicue ex actis memorati Concilii apud Attiniacum, & ex capitulis Hincmari Rhemenſis adverſum Hincmarum Laudunenſem ſcriptis. Inter cetera vero argumenta, quibus Hincmarus Rhemenſis, & cum eo plures Gallicani Antiſtites utebantur, ad vindicandam pleniſſimam ſuorum Conciliorum auctoritatem, duo hæc potiſſima producebantur. Primum, quod illæ epiſtolæ ita ſingulares erant, & cauſſis, pro quibus ſcriptæ fuerant, ſpeciali jure accommodatæ, ut generalem diſciplinam perpetuo, & in unaquaque provincia ſervandam minime conſtituerent. Alterum, quod eædem epiſtolæ in codicibus canonum ad uſum Eccleſiarum editis non continerentur. Nicolaus, qui Rothadi cauſſam jam ſuſceperat, e converſo adverſus Gallicanorum Epiſcoporum ſententias ſcribens, probare non potuit rationes illas; hinc poſtquam demonſtravit cauſſas Epiſcoporum velut majores referendas eſſe ad Apoſtolicam Sedem, oſtendit præterea, quam infirma eſſent objecta Gallicanorum adverſus epiſtolas Iſidorianas, quas non quidem Nicolaus idem produxerat, ſed ab Epiſcopis provocantibus ad Sedem Apoſtolicam, præſertim ab Hincmaro Lugdunenſi, productas acceperat. Huc ſpectat epiſtola, quæ incipit *Quamvis ſingularum Eccleſiarum*, Nicolai ad univerſos Epiſcopos Galliæ, & refertur inter acta Concilii Romani VII. anni 865. in recentioribus Conciliorum editionibus. Ex eadem depromtus eſt canon 1. diſt. 19., cujus priora verba ita legenda erunt. *Si enim ipſorum* (ſubaudiendum eſt Romanorum Pontificum, de quibus antea inſtitutus erat ſermo, quod Gratianus expreſſit) *decreto ceterorum opuſcula tractatorum approbantur, vel reprobantur, ita ut quod Sedes Apoſtolica probat, hodie teneatur acceptum, & quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur, & quanto potius, quæ ipſa pro catholica fide, pro profanis dogmatibus repellendis &c.* Poſt illa verba *eſſe perhibeant* ita ſequitur in epiſtola Nicolai: *Nam nonnulla eorum ſcripta penes Nos habentur, quæ non ſolum quorumcumque Romanorum Pontificum, verum etiam priorum decreta in ſuis cauſſis præferre noſcuntur. At nunc, ubi ſuis animis reſultare, & privilegia tanto nos, ut in ſui ſtatus incolumitate perſiſtant, elaborare non ceſſamus, quanto univerſæ Eccleſiæ profuiſſe, prodeſſe, ac profutura ſemper eſſe probantur. Dignum ergo eſt, ut ubi univerſa fabricæ moles innititur, ibi firmum, validumque habeatur in omnibus fundamentum. Porro ſi ideo non eſſe decretales epiſtolas priſcorum Pontificum Romanorum admittendas dicunt &c.* In verſ. *Ergo doctrinam* nonnulla Gratianus adjecit, pro quibus ita erit legendum: *Ergo doctrinam eorum, & ſanctiones de codicibus ſuis eradant, ut quid &c.* Ex hac integra epiſtola liquet, Nicolaum quidem Sedi Apoſtolicæ reſervatas dixiſſe cauſſas illas eccleſiaſticas, in quibus ageretur de deponendis Epiſcopis, at ad id demonſtrandum non quidem argumentis uſum fuiſſe, quæ ex Iſidorianis epiſtolis depromerentur, ſed potius aliunde hauſiſſe, & quidem graviſſima argumenta. Quod ſi de vetuſtorum Pontificum epiſtolis nonnihil attigit, non eo mentem convertit, ut illas velut indubias prorſus, & firmiſſimas habendas cenſeret, ſed quod noſſet Gallicanos Epiſcopos generaliter omnes decretales Maximorum Pontificum genuinas etiam, & germanas contemnerent, quoties in Codice canonum non legerentur. Licet autem parum intereſſet, aut nihil Chriſtianæ Reipublicæ ad epiſtolas Iſidorianas veluti eccleſiaſticæ diſciplinæ præſidium confugere, cum incertis, aut falſis monumentis nunquam Eccleſia ob ſtabilitatem ſui opus habuerit, intererat tamen quammaxime præjudicium illud

ab animis fidelium, ac potiſſimum Epiſcoporum averruncare, qui putabant, nihil recipiendum eſſe, niſi quod in canonum Codice expreſſum contineretur. Quis enim non noverit, exinde etiam nonnihil videri potuiſſe detractum non ſolum ſanctiſſimis eccleſiaſticorum virorum monumentis, verum etiam ipſis ſacris literis, quemadmodum egregie Nicolaus argumentabatur. Videantur ad hanc rem, quæ inferius traduntur ad canonem 14. cau. 3. qu. 9.

Antonius Auguſtinus in Dialogo 13. lib. 2. de emendatione Gratiani expendens canonem 2. cau. 15. qu. 6. ita ſcribit: *Ex epiſtola ad Epiſcopos Galliæ eſſe dicitur; apud Petrum Ciaconium in incertis collocatur. B. Nuſquam extare adſcripſerunt*
Can. 2. cau. 15. qu. 6. *Romani Correctores, qui notant ex ea probari auctoritatem epiſtolæ primæ Alexandri primi. A. Debuiſſent prius, cujus eſſet hoc caput, probare, nam ex incertis incerta probatio elicitur. Nicolaum relatas epiſtolas ab Iſidoro Mercatore non improbare dubium non eſt.* Tria hoc in loco pronunciat vir eruditus. Primum inter incerta Nicolai monumenta illum canonem recenſeri: deinde Correctores Romanos ex eo perperam probare auctoritatem epiſtolæ 1. Alexandri I., demum Nicolaum I. Pontificem non improbaviſſe epiſtolas ab Iſidoro Mercatore editas. Quod ſpectat ad primam Antonii Auguſtini obſervationem, non repugno; imo & dubitationi tum ejuſdem Antonii Auguſtini, cum Ciaconii vires adduntur, ſive ex eo, quod inter monumenta huc uſque edita ſub Nicolai nomine idem canon locum non habeat, ſive ex eo, quod quæ de Epiſcopo Treverenſi ibidem traduntur, non ſatis congruere poſſunt Theutgaudo tunc temporis Epiſcopo Treverenſi, utpote qui ſuis negotiis ita implicabatur, cum paſſim in Synodis, & epiſtolis Pontificiis una cum Gunthario Epiſcopo damnaretur, ut non poſſet alio ſe, ſuoſque Clericos divertere una cum illis, qui proponuntur eodem obligationis genere colligati, ſive demum ex eo potiſſimum quod veroſimile non eſt, Nicolaum ad Epiſcopos Galliæ ſcribentem inniti voluiſſe auctoritate Alexandri I. juxta illas epiſtolas, quæ ex Iſidori Mercatoris officina prodierant; noverat enim perquam abunde, Gallicanos Antiſtites parum, nihilque deferre hujuſmodi monumentis; ſi enim in graviſſimis cauſſis, ac controverſiis, quæ apud Gallicanos Antiſtites concitatæ fuerant, ipſe Nicolaus abſtinuiſſe dignoſcitur a referendis ſingularibus Iſidorianarum Decretalium capitulis, quod de illorum auctoritate dubitare noſſet Gallicanos Antiſtites, quid comminiſcitur Gratianus, aut quiſquis Gratiano auctor extitit, epiſtolam ad Gallicanos Antiſtites ſcriptam, in qua Nicolaus demonſtrat ſe Alexandri Papæ decretis adhærere, illis inquam decretis, quæ edita fuerant a Mercatore, & quorum vi Gallicani Antiſtites ſe minime premi candide profitebantur? Non aliud in hac ſua epiſtola Nicolaus obtinuiſſet a Gallicanis, quam ad veterem quæſtionem acrius Gallicanorum animos concitare, ſuaſque, quas proponebat ſententias, novis ambagibus involvere. Quod ſpectat ad alteram Antonii Auguſtini notam, qua tradit Romanos Correctores ex hoc Nicolai monumento velle probare auctoritatem epiſtolæ 1. Alexandri I. Pontificis, atque in hac parte in eo peccare, quod ex incerto fragmento velint probationem certam elicere, non poſſum viro erudito adſentiri, cum nihil tale ex Romanorum eorundem Correctorum obſervationibus colligi poſſit. Ajunt illi tantum, *Nicolaum citare epiſtolam Alexandri I., de qua notaverant ſupra diſt. 19. can. ſi Romanorum*. An vero in his verbis voluerint iidem Correctores aſſerere, Nicolaum revera probaviſſe Alexandri I. epiſtolam, ego ſatis non video; cum aliud ſit a Nicolao epiſtolam Ale-

xandri

Digitized by Google

xandri citari; aliud Alexandrinæ epiſtolæ firmari auctoritatem; deinde Romani Correctores non definiverunt ibidem a Nicolao I. revera laudari epiſtolam Alexandri I., tantum indicaverunt, quænam eſſet epiſtola Alexandri I., quæ hoc in loco ſub Nicolai nomine laudabatur. Demum quod attinet ad poſtremam Antonii Auguſtini notam, aſſerentis Nicolaum non improbaviſſe epiſtolas Iſidori Mercatoris, quouſque conſiſtamus in eo, quod Nicolaus nihil adverſus earum auctoritatem definiverit, non obſiſto; at ſi eo uſque redigenda res ſit, ut tradatur, Nicolaum probaviſſe, ac confirmaviſſe auctoritate ſua epiſtolas Iſidorianas, nullomodo adſentiri poſſum; etſi enim improbaverit, confeceritque graviſſimis argumentis Gallicanorum Antiſtitum ſententias, qui Iſidorianas epiſtolas ideo rejiciebant, quia in Codice canonum non habebantur, non tamen exinde ea omnia confirmaſſe intelligitur monumenta, quæ poſita erant extra Codicem canonum, ſive germana eſſent, ſive commentitia; cujus rei graviſſimo argumento eſt, quod Nicolaus nunquam dignoſcitur inter contentiones, quas graviſſimas habuit adverſus Gallicanos Antiſtites, earum epiſtolarum propoſuiſſe auctoritatem, & ex illis depromſiſſe ſententias, quæ ceteroqui ſæpiſſime ejuſdem propoſito fuiſſent accommodatæ.

De epiſtola ad Gallionem Epiſcopum Senenſem.

Quæ apud Gratianum memoratur epiſtola Nicolai ad Gallionem, aliis in collectionibus melius dicitur ſcripta ad Wenilonem, ſeu Wanilonem Archiepiſcopum Senonenſem, quemadmodum habetur in integra epiſtola edita a Cordeſio in Appendice opuſculorum Hincmari Rhemenſis, & in recentioribus Labbei editionibus in 1. Appendice epiſt. 23., & in actis Concilii Senonenſis anni 862. Epiſtolæ argumentum hoc eſt. Herimannus quidam Nivernenſis Epiſcopus Wenilonis Senonenſis Metropolitæ ſuffraganeus tali identidem & corporis, & animi infirmitate corripiebatur, ut rebus eccleſiaſticis non tam parum conſulere, quam graviſſimum detrimentum adferre palam diceretur. Deducta cauſſa fuit ad Concilium Sveſſionenſe 2. anni 853., in quo cautum eſt, ut Metropolitanus quaſi Viſitatoris officio fungens ad Nivernenſem Civitatem accederet, ibidem negotia omnia eccleſiaſtica peracturus, atque interea Herimannus in urbe Senonenſi maneret, donec infirmitas perſeveraret. Poſt aliquot menſes celebrato eodem anno Concilio Vermerienſi 2. decretum eſt, ut Herimannus æſtivo lapſo tempore, quo nimirum magis ægritudine premebatur, ad ſuam Civitatem reverteretur, ibidem paſtorale officium iterum ſuſcepturus. Sed Wenilo anno 862. una cum ſuffraganeis ſuis Concilium celebrans hanc ipſam Herimanni cauſſam retractavit, requediſcuſſa ſuo, & Concilii nomine ita ad Nicolaum Pontificem ſcripſit, quemadmodum edidit Petrus Delalande ex Codice Floriacenſi. *Suggerimus manſuetiſſimæ Paternitati veſtræ, in noſtra Diœceſi in oppido, quod Nevernum dicitur, eſſe quendam Epiſcopali officio præditum nomine Herimannum, qui frequenter admonitus, & diu expectatus, ut revaleſceret, implere non ſufficit ipſum officium mente non integra. Dicitur autem Melchiades Papa decreviſſe, nequis unquam Pontifex ſine conſenſu Papæ Romani deponeretur. Unde ſupplicamus, ut ſtatuta illius integra, ſicut penes vos habentur, nobis dirigere dignemini, ut hinc dictis ipſius confirmati, aut ſicut B. Gregorius doctor fecit de Ariminenſi Epiſcopo ſimili incommodo laborante ſequamur, aut* Can. 14. cau. 3. qu. 9.

ſicut S. Gelaſius docet, removendus ſit mente percuſſus. Quo verum abſque dubietate ſciamus, expetimus, & expectamus veſtrum judicium, ne in temeritatis calumniam aliquatenus incidamus, ſed veſtro inſtituti moderamine veritatis, & rectitudinis tramitem nullatenus deſeramus. Optamus ſanctitatem veſtram in Chriſto bene valere. His reſpondit Nicolaus in primis laudans Wenilonem, ejuſque ſuffraganeos, quod non, ſicut quamplurimi ex Gallicanis Antiſtitibus fecerant, Apoſtolicæ Sedis auctoritatem contemnerent, ſed ad illam potius confugerent, ubi cauſſa deponendi cujuſdam Epiſcopi verſaretur. Deinde ad Herimanni cauſſam veniens, monuit Epiſcopos, ne illum dejicerent, ſed potius infirmum adjuvarent, ſublevarentque, ne pondus ponderi ſuperadderent; ac tandem ita concluſit: *Indicatis autem illum ſuper quibuſdam exceſſibus fuiſſe frequenter accuſatum: pro quibus quia ex parte ipſius perſonæ deeſt, nos uni parti ad alterius diſcrimen credere procul dubio non poſſumus, quamvis nec uſque adhuc qui fuerint illi exceſſus dixeritis, nec utrum ſana erat mente idem Antiſtes, nec ne, cum ipſe exceſſus perpetrabat, evidenter oſtenderitis; ſatiuſque arbitramur, quamlibet interim infirmitatem ad pœnam peccati, quam ad ipſum pertinere peccatum, cui magis conſulendum ſit, & compatiendum, quam puniendum, vel aliquo modo feriendum &c.* Ita exhibet Labbeana editio, contra quam in aliquibus verbis ediderit Cordeſius in Appendice Hincmari Rhemenſis; nam pro illis verbis: *Credere procul dubio non poſſumus, quamvis nec uſque adhuc qui fuerint illi exceſſus . . . . nec ne cum ipſe exceſſus . . . arbitramur . . . vel aliquo modo feriendum &c.*, ſcripſit Cordeſius: *Cedere procul dubio non poſſumus, quamvis nec quique adhuc illi fuerint exceſſus . . . nec cum ipſos exceſſus . . . . arbitremur . . . . vel etiam aliquo modo ferendum &c.* Hinc ſupplendus erit, emendanduſque Gratiani canon 14. cau. 3. qu. 9. Atque ex his ita deſcriptis firmiſſimum argumentum deducitur ad oſtendendum, quod ſuperius jam adſtruxi ad canonem 1. diſt. 19., nimirum Epiſcopos quidem Gallicanos contendentes de auctoritate Synodorum Provincialium propoſuiſſe in Conciliis Mercatoris epiſtolas, de quarum vi inter ipſos diſputabatur; nunquam tamen harum auctoritate ſe fretum crediſſe Nicolaum. Videmus enim Senonenſis Provinciæ Antiſtites ſub Wenilone congregatos non auſos fuiſſe ſententiam ferre in cauſſa Herimanni Epiſcopi, veritos ne adverſus decretalem epiſtolam Papæ Melchiadis aliquid facerent, imo & epiſtolam ipſam Melchiadis a Nicolao poſtulaviſſe. At Nicolaus quamquam illos laudaverit, quamquam eiſdem quid agendum eſſet in cauſſa Herimanni reſcripſerit, de epiſtola tamen Melchiadis ne verbum quidem fecit, facturus ſane, ſi in ea firmum agnoviſſet exercendæ diſciplinæ præſidium; neque enim commodior alia ei offerri occaſio potuiſſet, qua Melchiadis ſententiam in medium proferret, & executioni demandandam pronunciaret, quam ubi de ea proferenda fuerat requiſitus, & ab iis, qui ad exequenda Melchiadis mandata paratiſſimi videbantur.

Can. 12. cau. 3. qu. 9. Quod Gratianus retulit in canone 12. cau. 3. qu. 9. minime legitur in memorata ad Wenilonem epiſtola, ſed potius nonnihil ſimile legitur in epiſtola ad Epiſcopos Synodi Silvanectenſis apud Convicinum congregatos, ex qua ſuperius dixi depromtum eſſe canonem 1. diſt. 10. Agitur ibi de cauſſa Rothadi, quem, poſtquam ad Sedem Apoſtolicam provocaverat, inauditum damnandum eſſe volebant. Eam ob cauſſam ſcribit Nicolaus de Odone Epiſcopo, qui nihil adverſus Rothadum objecerat: *Quamquam ſi objeciſſet, nihil ad damnationem jam dicti Rothadi proficeret, cum neminem partis illius, qui objectis vel annueret, vel renueret, noſtram conſtaret*

conſtaret adiiſſe præſentiam (nam accuſatores quæcumque voluerint dicunt), & ſciamus juſtum mediatorem non eſſe, qui ſic unam partem audit, ut alteri parti nihil reſervet. Ceterum hæc etiam conſonant cum ſententia epiſtolæ Nicolai ad Wenilonem, quemadmodum perſpicue liquet, ſi canones 12. & 14. cau. 3. qu. 9. invicem conferantur; ac proinde hinc occaſio eſſe potuit Collectoribus, ut dicto canoni 12. etiam Nicolai epiſtolam ad Wenilonem inſcriberent. Quod vero in eodem canone legitur in verſ. *His ita præmiſſis* uſque in finem, cum pertinere nequeat ad cauſſam Herimanni, qui nunquam Apoſtolicam Sedem adire propoſuerat (nec enim id moliri gravis ejus ſinebat infirmitas), proinde referri non poteſt ad epiſtolam Nicolai ad Wenilonem, & ſuffraganeos ejus. Potius a Collectore hæc adjecta fuerunt ex aliis Nicolai ſententiis, qui paſſim in ſuis epiſtolis ad Gallicanos Epiſcopos ſcribit, non eſſe impediendos Sacerdotes, ne appellationem ad Sedem Apoſtolicam interponant, ſuaſque cauſſas demum apud eandem Sedem definiendas proclament.

De epiſtola ad Girardum Epiſcopum Turonenſem.

Canonem 10. cau. 2. qu. 1., quem Gratianus deſcripſit ex epiſtola Nicolai ad Girardum Turonenſem Archiepiſcopum, Ivo Carnotenſis in parte 6. decreti cap. 429. laudavit ex epiſtola Nicolai ad Airardum Archiepiſcopum Turonenſem. Baluzius in notis ad Gratianum adjectis Antonio Auguſtino ait, in Codice Victorino legi nomen *Airardi*, in alio Codice Victorino recentiore legi nomen *Archaldi*, in Sangermanenſi *Arardi*, & in Colbertino *Ayrardi*. Nullam ex his editionibus probandam eſſe jure optimo ſubdit vir eruditus, arbitratus legendum potius eſſe nomen Herardi, utpote quem certiſſimum eſt fuiſſe Turonenſem Archiepiſcopum temporibus Nicolai, & perſpicue demonſtrant ejuſdem temporis monumenta; Subdit autem, Flodoardum in lib. 3. hiſtoriæ Rhemenſis cap. 21. memoraſſe varias Hincmari epiſtolas Epiſcopis ſcriptas, atque inter ceteras *Herardo Turonenſium Antiſtiti de quibuſdam Apoſtatis ad Eccleſiam redeuntibus, & aliis pœnitentibus ſuſcipiendis*. Sed hæc parum prodeſſe videntur ad inveſtigandam auctoritatem epiſtolæ Nicolai ad Herardum, unde depromtus dici poteſt memoratus canon 10. Sane inter epiſtolas, quæ huc uſque ſub Nicolai nomine editæ ſunt, deſideratur iſta; ac tantummodo inter acta Concilii Sueſſionenſis III. anni 866. alia legitur epiſtola Nicolai ad Herardum Archiepiſcopos, ſeu ad omnes Epiſcopos Provinciæ Turonenſis, quæ incipit *Multorum a partibus Galliarum*. Ex hac vero epiſtola nonnulla facile deduces ad interpretationem memorati canonis 10. cau. 2. qu. 1., quum integrum ejus archetypum non habeamus. Refert Nicolaus, ſe a Gallicanis pluribus Romam confluentibus accepiſſe, Hincmarum Rhemenſem dejeciſſe quoſdam Clericos ab Ebbone ordinatos. Item ſe ab Hincmaro conſcium factum fuiſſe, quibus de cauſſis iidem Clerici jure dejecti haberi deberent, imo & acta Concilii, in quo dejecti fuerant, perlegiſſe. Deinde ſubdit prudentiſſimus Pontifex, ſe quidem paratum eſſe ad ſubveniendum oppreſſis, attamen non poſſe facile adduci, ut ſtatim dejectos Clericos reſtitueret in gradum ſuum, niſi primum Hincmarum audiviſſet, a quo dejecti proponebantur. Ait Nicolaus inter cetera: *Verum nos nec hos interim juſtificamus, nec pro hoc quemlibet condemnamus; nec facile vocem*

Can. 10. cau. 2. qu. 1.

iſtorum

iſtorum ſpernimus, nec reverentiam jam dicti fratris improvide reprehendimus. Illud quidem, ne obturare aures ad clamores pauperum, id eſt humilium, dignoſcamur; hoc vero, ne de incognitis immature judicare quispiam videamur. Hinc & Herardum, & Hincmarum hortatus eſt, ut rurſum cauſſas dejectorum Clericorum diſcuterent, & clementer de illis ſententiam reformarent. Quoties igitur ſententia canonis 10. cau. 2. qu. 7. eam interpretationem accipiat, quæ maxime congruat cum ſententia memoratæ epiſtolæ Nicolai ad Herardum, ego non dubitaverim, quominus idem canon Nicolao recte ſit tribuendus; quoties vero ita canon intelligatur, ut a ſententia memoratæ epiſtolæ procul recedat, ego non facile eo devenero, ut in diverſis ad Herardum ſcriptis epiſtolis contrarias Nicolai ſententias agnoſcam. Hinc autem intelliges, quid ſignificent ea Gratiani verba *Presbyter pauper*, nec non illa *ſuæ paupertatis cauſſa*; etenim ſicut in memorata epiſtola Nicolaus eos appellaviſſe *pauperes* profitetur, qui *humiles* eſſent, ita *paupertatem* dixit *humilitatem*, ſive animi demiſſionem. Pro illis Gratiani verbis: *Cleri emendatione* legit Ivo: *celeri emendatione*.

De epiſtola ad Rodulfum Archiepiſcopum Bituricenſem.

Primum abs Johanne Cordeſio in Appendice opuſculorum Hincmari Rhemenſis, deinde a Binio, Sirmondo, ac recentioribus Collectoribus edita eſt epiſtola Nicolai, quæ incipit: *Suſceptis ſanctitudinis tuæ literis* directa ad Rodulfum Bituricenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum. Eum in primis laudat Nicolaus, quod erga Sedem Apoſtolicam maximam devotionem exhibeat, brevibuſque deinde verbis ejuſdem interrogationi ſatisfacit ſeptem ſubjectis capitibus. Caput primum pertinet ad officia Corepiſcoporum, de quibus tunc præſertim in Gallia crebras ſcimus ſubortas fuiſſe diſputationes. Caput ſecundum aliter habetur in Labbeana Collectione, aliter apud Cordeſium; nam in editione Veneta Labbeana in prima Appendice epiſt. 19. eadem omnino habentur, quæ legimus apud Gratianum in can. 8. cau. 9. qu. 3., dummodo pro illis Gratiani verbis *provocaverint, vel ſi &c.* legamus *provocaverint per appellationes, vel ſi &c.* At apud Cordeſium hæc tantummodo verba leguntur: *Primates autem nihil privilegii habere præ ceteris, niſi quantum ſacri canones concedunt, & priſca conſuetudo illis antiquitus contulit, diſinimus, ita ut ſecundum Nicænas regulas ſuis privilegia ſerventur Eccleſiis; præter ſi Apoſtolica Sedes aliquam Eccleſiam, vel Rectorem ipſius quolibet ſpeciali privilegio decreverit honorare.* Apud Ivonem in parte 5. cap. 56. eadem omnino leguntur verba, quæ ſunt apud Gratianum; neque omnino illa repugnant cum adjunctis temporis illius, & provinciarum Gallicanarum, cum non ignotum ſit, Bituricenſem Eccleſiam jura Primatus ſuper plures Gallicanas Eccleſias explicaviſſe. Videatur ad hanc rem epiſtola Philippi Principis ad Innocentium III., quam edidit Baluzius in lib. 4. de concord. Sacerd. & Imper. cap. 13.

Can. 8. cau. 9. qu. 3.

Can. 12. diſt. 23. In capite 3. eadem leguntur verba, quæ habentur apud Gratianum in can. 12. diſt. 23., ubi ſane notanda eſt diſciplina Romanæ Eccleſiæ, quæ nono ſæculo vigebat, juxta quam ſicut non Diaconorum, ita nec Presbyterorum manus ſacro Chriſmate inungebantur. Ceterum in Ordinatione Epiſcoporum erat in uſu, ut manus novorum Antiſtitum Chriſmate conſecrarentur, quemadmodum deducitur ex Concilio Cari-

Cariſiaco anni 858. can. 15. Hinc autem forte illud evenit, quod Græci temporibus Nicolai occaſionem arriperent, dicendi ſe auctores eſſe quodammodo ſacri Chriſmatis, & ab ipſis per totum mundum tribui, quemadmodum idem Nicolaus conqueſtus eſt in Reſponſis ad conſulta Bulgarorum cap. 94.

Quæ habentur in capite 5. apud Nicolaum, leguntur eiſdem verbis apud Gratianum in can. 6. cau. 30. qu. 1., dummodo animadvertatur, poſtrema verba ſive apud Labbeum, ſive apud Cordeſium ita haberi: *delicta ignorantiæ meæ ne memineris*. Temporibus Nicolai plures matrimonio juncti, ut occaſionem nanciſcerentur a conjugibus recedendi, uxores ſuas cogebant, ut primæ uxoris filias in Sacramento Confirmationis exciperent, quemadmodum viceverſa uxores maritos ad idem peragendum inducebant, ut prætextu ſpiritualis initæ cognationis ab illis diverterent, & nova conjugia contraherent., uti colligi poteſt ex Flodoardo, qui in lib. 3. cap. 21. refert, Hincmarum Remenſem ſcripſiſſe ad Lupum Epiſcopum Catalaunenſem *pro quodam, qui dolo deceptus fuerat, ut infantem proprium ad catechizandum teneret, item quid de hac re Synodus decreverit*. Jam olim in Concilio Compendienſi anni 757. cautum fuerat, ut ſiquis privignum, vel privignam in Sacramento Confirmationis ſuſcepiſſet, a congreſſu conjugis abſtineret, non tamen novas nuptias contraheret; item in Concilio Cabilonenſi II. anni 813. ſtatutum fuit, ut ſiqua mulier filium deſidia, aut fraude ſuſceperit in Sacramento Confirmationis, ageret pœnitentiam, quamdiu viveret, non tamen a marito diverteret. Hanc ob rem Nicolaus Gallicano Antiſtiti ſcribens illud potiſſimum voluit, ut quæ in Conciliis Provincialibus ſtatuta fuerant prudentiſſime, ſine diſcrimine ſanctiſſime cuſtodirentur. *Can. 6. cau 30. qu. 1.*

In cap. 6. ejuſdem epiſtolæ leguntur verba canonis 5. cau. 33. qu. 2., dummodo tamen deleas verba illa *ſine judicio*, quæ tum in editione Labbei, tum in editione Cordeſii deſiderantur, quamquam habeantur apud Ivonem. Forte pertinent illa ad cujuſdam ignoti Gloſſographi additamentum. Quod autem in eodem canone laudatur ex regula decretalium Leonis Papæ, referendum eſt ad canonem 14. cau. 33. qu. 2., quemadmodum alii jam recte animadverterunt. Demum in capite 7. epiſtolæ ita legimus in editione Labbeana: *Porro Gloria in excelſis Deo ab Epiſcopis in Cœna Domini inter Miſſarum ſolemnia more noſtro dicenda eſt. Pallio vero Apoſtolico eadem die uti illis ſolis eſt licitum, quibus ſolis ab Apoſtolica Sede permiſſum*. His conſonat editio Cordeſii, dummodo pro poſtremis verbis iſta ſubſtituas: *Quibus eſt ab Apoſtolica Sede permiſſum*. Gratianus hæc eadem retulit in canone 56. de conſecr. diſt. 1. *Can. 5. cau. 33. qu. 2.* *Can. 56. de conſ. diſt. 1.*

De epiſtola ad Rhadoaldum Portuenſem, & Johannem Ficolenſem Epiſcopos.

Cum Lotharii & Theutbergæ dimiſſæ conjugis controverſia Francorum Eccleſiam maxime turbaret, illius cauſſa miſit Nicolaus legatos Apoſtolicæ Sedis duos, Rhadoaldum Epiſcopum Portuenſem, & Johannem Epiſcopum Ficolenſem. Non ſunt hæc nomina in Eccleſiaſticis monumentis obſcura; nam ſcimus, Rhadoaldum, (nominant alii Rodoaldum) Epiſcopum Portuenſem ſubſcripſiſſe Concilio Romano anno 853., nec non Johannem Epiſcopum Ficolenſem (alii legunt Ficoclenſem) *Can. 4. cauſ. 31. qu. 2.*

ſem) ſubſcripſiſſe alteri concilio Romano anno 861. Antonius Auguſtinus in Dial. 18. lib. 2. de emendat. Gratiani mendoſum eſſe Johannis Epiſcopi nomen aſſeruit, & pro Johanne legendum ſcripſit Haganonem, emendationem neceſſariam deducens ex Chronicis Reginonis his verbis: *Anno Dominicæ Incarnationis 865. miſſi ſunt Hagano, & Rodoaldus Apoſtolicæ Sedis Legati in Galliam &c.* Cum vero alias de Haganone iſto non conſtet, ego dubito, emendandum forte eſſe potius Codicem Reginonis, quam alium quemcumque, ubi in aliis Codicibus perſpicue de Johanne Ficolénſi liquet. Sed hæc leviſſima eſſe videntur. Itaque memoratos Antiſtites miſſurus Nicolaus ad Francos Lotharii diſſidia compoſituros, commonitorium eiſdem dedit, tamquam formulam, juxta quam actus ſuos omnes formarent. Editum nunc iſtud habemus in Appendice 1. Epiſtolarum Nicolai apud Labbeum, ad quod referre plurimum juvabit Gratiani canonem 4. cau. 31. qu. 2. Ea hic deſcribam verba, quæ minime conſonant cum verbis Gratianeis. Poſtquam Nicolaus data ad laudatos Epiſcopos epiſtola eos monuit, ut quamprimum Metenſem Synodum convocarent, ibidemque, ſi fieri poſſet, controverſias componerent, eoſdem ita de re gerenda conſcios in commonitorio reddidit: *Lotharius profitetur Waldradam ſe a patre accepiſſe, & ſororem poſtmodum admiſiſſe Huckerti..... admiſiſſe ſe dicit, vos illud Evangelicum recolite, quo Dominus, nolite, inquit, timere eos, qui corpus occidunt, & iterum ait: Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur. In quibus dominicis ſententiis conſiderandum eſt, quod ſi occiſores corporum timendi non ſunt contra juſtitiam hominem impellentes, & lucrum totius mundi non proſit homini anima perdita, quanto minus metu unius hominis tantus Rex debuit, contra divinum praeceptum in immane præcipitium mergi? In hoc certe ſe magis reprehenſibilem oſtendit, in quo amori mundi amorem Dei poſtpoſuit. Ubi nihil vobis aliud præcipimus, manifeſtatione ſua eodem Rege convicto... reconciliari uxorem: nec in hoc carnis voci obtemperet, ſed potius divinis præceptis obediens, pudeat eum, imo pertimeſcat in luxuriæ ſtercore putreſieri, & voluntatem propriam ſequendo ante tribunal Chriſti ſtrictam ponere rationem. Præterea vos ſcire volo, &c.* Sic emendatus erit Gratiani canon, quem ob gloſſam ſe non emendaviſſe Romani Correctores profitentur.

De epiſtola ad Francorum Exercitum.

Quod ſub nomine Nicolai ad Francorum Exercitum ſcribentis legitur in can. 46. cau. 23. qu. 5. eidem Pontifici nullo modo congruit, cum ne leve quidem
Can. 46. cau. 23. qu. 5. veſtigium extet, ex quo deduci poſſit occaſionem Nicolao ſubortam fuiſſe, Francorum exercitum concitandi ad arma capeſſenda adverſus hoſtes Chriſtianæ fidei, unde morituris in certamine æterna præmia polliceretur. Imo ex iis, quæ ſuperius dicta ſunt, facile colligitur, diu elaborandum fuiſſe Pontifici, ut plurium Francorum Principum animos inter ſe diſſidentes conciliaret, tantum abeſt, ut Principes iidem junctis armis fidei cauſſa exercitum inſtruxiſſent. His accedit, hujuſmodi monumentum in collectionibus epiſtolarum Nicolai penitus deſiderari; proindeque qui illud Nicolao adſcribendum cenſeret, neminem alium ſibi fidejuſſorem adduceret, quam Gratianum. At vero Gratiani ipſius in hac re fides, & auctoritas parum probatur, ſi licet ex vetuſtioribus Collectoribus, illis etiam

quibus

Digitized by Google

quibus idem Gratianus uſus fuiſſe dignoſcitur, contradicere. Nam Ivo Carnotenſis, ex quo Gratianus canones derivare conſuevit, in parte 10. decreti cap. 87. eundem canonem referens, tribuit Leoni IV. Exercitum Francorum adloquenti, & quidem una cum verbis canonis 9. cau. 23. qu. 7. Leoni etiam Papæ per Gratianum adſcripti, uno fere, eodemque contextu verborum. Teſtatur præterea Antonius Auguſtinus in Dialogo 19. lib. 2. de emendat. Gratiani, eundem canonem in Panormia videri adſcriptum Alexandro II., qui deinde concludit: *illud quidem certe conſtat, melius, & plenius apud Ivonem in utraque eſſe collectione, quam apud Gratianum, niſi tibi aliud videatur. B. Hoc ipſum probo, nihilque habeo, quod his addam*. Quamobrem ego in hac parte nihil certo definiri poſſe crediderim, cum adeo varii collectorum codices ſint in indicando canonis auctore, cum præterea neque inter monumenta Nicolai, neque demum inter monumenta Alexandri II. canon ille reperiatur. Hinc etiam fruſtra ejuſdem quæreretur interpretatio, donec emergat monumentum, ad quod commode exigatur.

De Epiſtola ad Photium Conſtantinopolitanum.

[*Can. 14. diſt. 16. & can. 2. diſt. 20.*]

Celebratiſſima eſt in Eccleſiaſtica hiſtoria Photii cauſſa, unde graviſſimum Eccleſiæ Orientalis emerſit ſchiſma ab Eccleſia Romana, quod Romani Antiſtites improbaviſſent dejectionem Ignatii Patriarchæ Conſtantinopolitani, quem non crimina ulla, ſed improborum quorundam odia e Patriarchali Sede dejecerant, una etiam improbaviſſent acta omnia, quibus Photius dudum laicus homo repente in dejecti locum ſuffectus fuerat. Videantur ad hanc rem, quæ tradidi de Synodo octava & nona in cap. 56. prioris partis, & appendice, ubi de Pſeudo-Synodo Photiana. Eam ob rem ad ſuam curam pertinere arbitratus eſt Nicolaus Pontifex Maximus, ut Photium tamquam alienæ Sedis invaſorem corriperet, quod pluribus ad eum miſſis epiſtolis perfecit. Inter ceteras epiſtola laudanda eſt, quæ habetur numero 6., atque incipit *Poſtquam Beato Petro*, ex ea enim excerpti ſunt duo Gratianei canones, nimirum canon 14. diſt 16., & can. 2. diſt. 20., licet in vetuſtis Gratiani codicibus potius tribuantur Nicolao ſcribenti ad Clerum Conſtantinopolitanum. In memorata epiſtola ad Photium Nicolaus tradit in primis venerabilem omnibus eſſe debere Romanæ Sedis auctoritatem, atque cenſuram, tamquam illius, quæ ſuper ceteras Epiſcopales Sedes obtineat principatum ex ipſa Chriſti Domini inſtitutione. Atque ita præfari maxime opportunum erat, ubi res agebatur cum viro ad ſchiſmata, & contentiones prono, & qui parvi pendebat Romani Antiſtitis monita, ac præcepta, quoties in Epiſcopatus, quem inique uſurpaverat, periculo verſaretur. Deinde idem Nicolaus propius ad cauſſam accedens Photium objurgat, quod propere de laico factus Epiſcopus fuerit, aſſerens id quidem aliquando contigiſſe in Nectario, & Taraſio Conſtantinopolitanis, nec non in Ambroſio Mediolanenſi, verum factum id fuiſſe ſingularibus temporum, cauſſarum, vel perſonarum adjunctis, at in Photii cauſſa nihil occurrere ſingulare, unde diſpenſatione opus fuiſſet adverſus generalem canonum diſciplinam, præſertim quod in Conſtantinopolitana Sede conſtitutus eſſet Ignatius Vir religioſiſſimus, & vere dignus Epiſcopatu. Tribus autem potiſſimum argumentis adverſus Photium ibidem diſſerit Nicolaus; opponit enim in primis naturale illud præceptum, *quod tibi non vis, alii ne feceris*; item

opponit auctoritates Conciliorum, nec non Sanctiſſimorum Pontificum decreta. Deinde ita ſubjicit: *Quod vero dicitis, neque Sardicenſe Concilium, neque decretalia vos habere Sanctorum Pontificum, vel recipere, non facile nobis facultas credendi tribuitur, maxime cum Sardicenſe Concilium, quod penes vos in veſtris regionibus actum eſt, & omnis Eccleſia recipit, qua ratione convenerat, ut hoc Sancta Conſtantinopolitana Eccleſia abjiceret, &, ut dignum eſt, non retineret? Decretalia autem, quæ a Sanctis Pontificibus primæ Sedis Romanæ Eccleſiæ ſunt inſtituta, cujus auctoritate, atque ſanctione omnes Synodi, & Sancta Concilia roborantur, & ſtabilitatem ſumunt, cur vos non habere, vel obſervare dicitis? Niſi quia veſtræ ordinationi contradicunt, & ex laico ſubito ad culmen Patriarchatus tranſvolare reſiſtunt contra illud Apoſtolicum, nemini cito manum impoſueris. Quod ſi ea non habetis, de neglectu, atque incuria eſtis arguendi; ſi habetis, & non obſervatis, de temeritate eſtis corripiendi, & increpandi.* Ita jungendi erunt memorati Gratiani canones 14., & 2., quibus junctis commoda affingetur interpretatio. Etenim nihil magis ſtudendum erat Nicolao, quam ut Photium, & cum eo Orientales omnes ad obedientiam, ac reverentiam erga Sedem Apoſtolicam exhibendam traheret, quorum animos ab Apoſtolica Sede multum alienos eſſe ſciebat. Quid aliud porro aptius ad eam rem eſſe poterat, quam ut, ubi improbitas Photii, quæ aperte proſiliebat, eſſet redarguenda, adverſus illam opponerentur ii canones, eaque decreta, quibus ſuprema Romanæ Eccleſiæ dignitas confirmabatur? Hujuſmodi erant ſtatuta potiſſimum Concilii Sardicenſis, nec non veterum Romanorum Pontificum decretalia, ad quorum lectionem Photii animum prudentiſſime Nicolaus duxit concitandum; atque ut eoſdem canones, & decretalia veneratione digniſſima prædicaret, & velut talia intimo Photii animo inſinuaret, propoſuit eadem, & naturali juri *quod tibi non vis, alteri ne feceris*, & præcepto Paulli Apoſtoli *nemini cito manum impoſueris* eſſe conſentanea; his enim poſitis non poterat Photius decretalibus contradicere, quin etiam aut naturali, aut Apoſtolico juri contradicere deprehenderetur. Quod vero Photius opponebat, in Eccleſia Græca, aut Sardicenſis Concilii canones, aut decreta veterum Romanorum Antiſtitum deſiderari, veroſimile non eſſe replicavit Nicolaus, vel quod Sardicenſe Concilium in partibus Orientalium celebratum fuiſſet, vel etiam quod veteres Romanorum Antiſtitum decretales fuiſſent ſatis pervagatæ. Deinde eundem Photium de neglectu, & incuria redarguit, ſi forte ſe non habere eoſdem canones fateretur: noverat enim prudentiſſimus Pontifex ad Antiſtitem pertinere curam canonum in Archivis Eccleſiæ cuſtodiendorum, ac propterea Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ non utiliter præeſſe, qui recte cuſtodiri, ſervarique, qui olim erant, canones non ſategiſſet.

De Epiſtola ad Clerum Conſtantinopolitanum.

Quæ ſub nomine Epiſtolæ Nicolai ad Clerum Conſtantinopolitanum referuntur
Can. 36. in can. 36. & 37. cau. 24. qu. 1. habentur in Epiſtola 8. Nicolai ad Michaelem
& 37. in Oriente Imperatorem, quæ incipit *Propoſueramus quidem*; atque ideo in inſcriptio-
cau. 24. nem mendum iſtud irrepſit, quod in Epiſtola ad Michaelem memoratur Epiſtola
qu. 1. Cœleſtini Papæ ad Clerum Conſtantinopolitanum ſcripta; quamobrem inſcriptio Epiſtolæ Cœleſtini ex Collectoris oſcitantia proſilivit in inſcriptionem Epiſtolæ apud Gratianum. Verba ibidem faciebat Nicolaus de injuſta Photii ordinatione, & dejectione

Digitized by Google

jectione Ignatii, quam depoſiti, & extra communionem ſacrorum conſtituti Antiſtites fecerant contra Leges Eccleſiaſticas, atque auctoritate Cœleſtini Papæ demonſtrabat, neminem dejectum ab Epiſcopatu, & poſitum extra communionem ſacrorum alium Antiſtitem poſſe dejicere, ita ſcribens: *Item idem* (nimirum Cœleſtinus) *ad Clerum Conſtantinopolitanum aperte inquit: Sedis noſtræ ſanxit auctoritas, nullum ſive Epiſcopum, ſive Clericum, ſive profeſſione aliqua Chriſtianum, qui a Neſtorio, vel ejus ſimilibus, ex quo talia prædicare cœperunt, vel loco ſuo, vel communione dejecti ſunt, vel dejectum, vel excommunicatum videri, ſed hi omnes in noſtra communione, & fuerunt, & huc uſque perdurant, quia neminem vel dejicere, vel removere poterat, qui prædicans talia titubabat. Intellexiſtiſne Imperator ex ſuperius memoratis non potuiſſe, ut non dicamus Prælatum ſuum, ſaltem quemlibet removere, qui fuerant olim ipſi remoti, nec dejicere quemquam jam ante proſtrati? Ad infirmandam quoque ſententiam damnatorum, etiam illud valere credimus, quod Sancta Synodus ad præfatum Papam, quæ apud ſe geſta ſunt, referens, pro Johannis Antiocheni amputanda Antiſtitis exaggerata præſumtione, quoſdam eorum, qui contra Sanctum Cyrillum, & Memnonem latrabant, ſive Civitatibus vacantes autem, & Eccleſias non habentes: alios vero ante multos annos pro acerbis cauſſis depoſitos a ſuis Metropolitis, inter alios plurimos fuiſſe ſuggeſſit. Quibus per omnia veſtrates, ut ita dicamus, depoſitores Ignatii comparari plurima ex parte non immerito poſſunt; ibi namque & ſine ſedibus, & vagi atque pro ſuis acerbis facinoribus a propriis Metropolitis inventi ſunt Epiſcopatu privati. Ibi etiam communione extorres, & anathematis damnationis conſortes fuiſſe probantur. Unde miramur, quomodo excommunicati ad judicandum recepti ſint, cum ſecundum Apoſtolicos canones ſine commendatitiis literis in communione ſola recipi prohibeantur. Abſurdum etenim eſt, ut cui non licet etiam cum minimis juxta ſacras regulas communicare, liceat penes vos etiam de majoribus judicare.* Ex his ſupplendi erunt laudati Gratiani canones, in quibus potiſſimum agi videtur de Gregorio Syracuſano Epiſcopo ſchiſmatico viro, & jamdiu damnato, qui quemadmodum Ignatium acerrime oderat, omnique contentione curaverat, ut ille dejiceretur, ita eo progreſſus eſt, ut Photio in Epiſcopum conſecrando manus imponeret.

De Epiſtolis ad Michaelem Imperatorem.

Multæ ſunt Nicolai Papæ ad Michaelem Imperatorem Conſtantinopolitanum Epiſtolæ, quæ tamen ejuſdem fere ſunt argumenti. Nimirum, cum Michael Photio adverſus Ignatium e Sede Patriarchali dejectum faveret, nihil antiquius hærebat Summi Pontificis animo, quam ut Imperatoris flecteret voluntatem, ita ut tandem reſtitueretur Ignatius in gradum ſuum, atque uſurpator Photius damnaretur. Sed Gratianus vix unam ex illis epiſtolis memoravit, quæ eſt numero octava in Labbeana editione recentiſſima, & incipit *Propoſueramus quidem*. Non amplius memoro canones 36. & 37. cau. 24. qu. 1., qui licet revera habeantur in Epiſtola Nicolai ad Michaelem, ſuperius jam explicandi fuerunt, quia Gratianus mutavit inſcriptionem epiſtolæ, atque ita deſcripſit, quaſi depromti eſſent ex epiſtola Nicolai ad Clerum Conſtantinopolitanum. Exordior potius a canone 5. diſt. 10., cui ſane jungendus erit canon 4. diſt. 96., uterque enim canon eodem velut ſpiritu legendus erit decerptus ex memorata epiſtola 8. Nicolai ad Michaelem Impe- *Can. 5. diſt. 10. & can. 4. diſt. 96.*

Imperatorem. Conqueritur ibidem Nicolaus, quod Imperator ita faverit Photio, viriſque ſchiſmaticis adverſus Ignatium Patriarcham contendentibus, ut ipſe & Ignatium deponendum, & Photium promovendum curaverit convocata Synodo ſchiſmaticorum, quorum, ut diximus, acerrima erant adverſus Ignatium odia, his verbis: *Congregaſtis concilium adverſus eum, & ad Imperii veſtri nutum cuncti ſunt famulati minores, & ad votum ſæcularium (ut cum pace veſtra dicamus) de ſolio Imperiali deſcendentes, cathedram præſularem, ut ita fateamur, aſcendiſtis, & pro deſiderio hoſtium ejus auguſtalium obliti ſceptrorum, quemdam Regem Iſrael imitantes, adverſus illum ſacerdotalis miniſterii arripuiſtis officium: præſertim cum imperium veſtrum* (verba hæc ſunt dicti canonis 5. diſt. 10.) *ſuis publicæ rei quotidianis adminiſtrationibus debeat eſſe contentum, nec uſurpare, quæ Sacerdotibus Domini ſolum conveniunt. Dicite, quæſumus, ubinam legiſtis, Imperatores* (verba hæc ſunt dicti canonis 4. diſt. 96.) *anteceſſores veſtros in Synodalibus conventibus interfuiſſe? Niſi forſitan in quibus de fide tractatum eſt, quæ univerſalis eſt, quæ omnium communis eſt, quæ non ſolum ad Clericos, verum etiam ad Laicos, & ad omnes omnino pertinet Chriſtianos? Vos autem non ſolum Synodo in cauſſa Sacerdotis collectæ interfuiſtis, verum etiam numeroſa ſæcularium millia ad videndum ejus opprobrium aggregaſtis; cum magis debueratis in hoc &c.* Ex his ita deſcriptis facilis admodum redditur eorundem Gratianeorum canonum interpretatio. His præterea jungendus erit canon 8. diſt. 96., ita enim ſubſequitur Nicolaus in eadem Epiſtola: *Cum magis debueratis in hoc imitari Conſtantinum Pium*

Can. 8. diſt. 96. *Auguſtum, de quo ſcriptum eſt, quod dixerit: Quia ſi vidiſſem aliquem eorum, qui Religioſo circumacti ſunt habitu, turpitudinem aliquam operantem, chlamydem meam explicaſſem, & cooperuiſſem eum, ne videretur a quoquam. Sed in viro hoc omnia hæc oblivioni traduntur: fit plauſus de Domini Sacerdote ſcurris, & hiſtrionibus.* Superius vero de eadem Ignatii cauſſa, quem improbi accuſaverant illius ceteroquin juriſdictioni ſubjecti, ita ſcripſerat: *Si Cham videns Patris verenda riſit potius, quam, ut ceteri, cooperuit, maledictionem in filio percepiſſe legitur, quanto potius hi, qui verecundiam Patris non ſolum, ſi qualibet fuit, minime cooperuerunt, ſed & riſerunt, & falſo ad ſubſannationem ſui moris homines provocaverunt: atque, quod eſt deterius, patenter contra ipſum de pharetra iniquitatis ſuæ ſagittam judicii produxerunt? Non ſic e contra filii ſobrii, non ſic, ſed averſi operuerunt. Quod moraliter egregius Doctor Papa Gregorius interpretatus ait: Averſari dicimus, quod reprobamus. Quid eſt ergo, quod filii verenda Patris ſuperjecto dorſis pallio averſi venientes operiunt, niſi quod bonis ſubditis ſic præpoſitorum ſuorum mala diſplicent, ut tamen hæc ab aliis occultent? Operimentum averſi deferunt, quia dijudicantes factum, & venerantes magiſterium nolunt videri, quod tegunt.* Hæc ſi conferantur cum memorato canone 8., nemo dubitabit, quin plurimum cum illo conveniant, & ex hujus Epiſtolæ ſententiis congeſta videantur, alias autem perperam adſcripta Epiſtolæ Nicolai ad Ludovicum Imperatorem ſcribentis.

Prope finem ejuſdem Epiſtolæ leguntur verba canonis 8. diſt. 10., ubi Nicolaus
Can. 8. diſt. 10. in eo ſemper perſtitit, docens irregularem fuiſſe depoſitionem Ignatii, & Photii ſubſtitutionem, utpote quæ non legitimi ſuperioris auctoritate facta proponeretur.

Canon 2. diſt. 11. non tantum a Gratiano, ſed & ab Ivone in parte 4. decreti
Can. 2. diſt. 11. cap. 211. depromtus dicitur ex Epiſtola Nicolai ad Michaelem Imperatorem. Verum licet paſſim ſententiæ eidem canoni conſonæ legantur in Epiſtolis Nicolai ad Michaelem, tamen eadem ipſa canonis verba ſunt in epiſtola Nicolai ad Photium

Con-

Digitized by Google

Conſtantinopolitanum, quæ habetur inter acta Concilii Conſtantinopolitani IV. anni 869. ſub Hadriano II. actione 4., incipit autem *Poſtquam B. Petro*. Ibidem Nicolaus reprehendit Photium, quod dejecto Ignatio a ſchiſmaticis hominibus Sedem Conſtantinopolitanam invadere non detrectaſſet, eundemque propterea monet, ut Apoſtolicæ Sedis præceptis inſtitutionibuſque cuſtodiendis operam det, & eidem Sedi Apoſtolicæ obtemperet, inter cetera ita ſub initium ſcribens: *Conſtat enim Sanctam Romanam Eccleſiam .... omnium Eccleſiarum caput eſſe, & ab ea rectitudinem, atque ordinem .... requirere ac ſectari. Et ideo conſequens eſt, ut quod ab hujus Sedis Rectoribus plena auctoritate ſancitur, nullius conſuetudinis præpediente occaſione, proprias tantum ſequendo voluntates removeatur, ſed firmius, atque inconcuſſe teneatur.* Quod hoc in loco de conſuetudine aliarum Eccleſiarum non ſervanda viſus eſt tradidiſſe Nicolaus, ſpectat ad conficienda Photii objecta, is enim cum reprehendi ſe dignoſceret, quod de laicorum ordine ſtatim in Epiſcopatum aſcendiſſet, oppoſuerat Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ conſuetudinem, allegans eadem fere ratione electos fuiſſe Nectarium, & Taraſium Epiſcopos; quibus ſane exemplis, quemadmodum nec exemplo Ambroſii Mediolanenſis, a propoſito dimoveri non potuit Summus Pontifex, agnoſcens in illis ſingularia quædam, quibus generalibus legibus nihil derogaretur, hinc poſt nonnulla ita proſecutus eſt Nicolaus: *De conſuetudinibus quidem, quas nobis opponere viſi eſtis, ſcribentes per diverſas Eccleſias diverſas eſſe conſuetudines, ſi illis canonica non obſiſtit auctoritas, pro qua eis obviare debeamus, nil judicamus, vel eis reſiſtimus, tamen cavere volumus, ne hæc veſtra conſuetudo, quæ omnium Sanctorum Patrum promulgatione convincitur, ut ex Laico non ſubito ordinetur Epiſcopus, vires accipiat; aut in veſtra Eccleſia magis pullulet, operam dare minime ceſſamus.* Conferri hæc poterunt cum canone 3. diſt. 12., non enim aliud monumentum laudare voluit Gratianus, quum canonem illum ſub nomine Nicolai deſcripſit. *Can. 3. diſt. 12.*

Revertor nunc ad memoratam Nicolai ad Michaelem Epiſtolam, quæ incipit *Propoſueramus*; ad eam enim ſpectant canones 4. 5. 6. 7. 8. 9. diſt. 21. hoc ordine. Prior eſt canon 5., cum enim Nicolaus improbaſſet illorum geſta, qui adverſus Antiſtites velut parentes ſuos crimina objeciſſent cauſſa illorum dejiciendorum e gradu ſuo, quod adverſus Ignatium Orientales fecerant, ſtatim ait: *Sed hæc dicentes nolite nos æſtimare, cujuſcumque proximorum noſtrorum, quæ ſunt digna reprehenſione, velle defendere &c.* Quæ in eodem canone apud Gratianum ſequuntur, conſonant cum Epiſtola Nicolai, cujus tamen in editis exemplaribus legitur *dicamus*, ubi legerat Gratianus *dicam*. Poſt nonnulla, ſequuntur verba canonis 7. *Num autem divina inſpiratione .... non judicabitur a quoquam: Hinc etiam ſuperius memoratus Confeſſor Chriſti Silveſter fecit gradus in medio Synodi, ut non presbyter adverſus Epiſcopum, non diaconus adverſus presbyterum, non ſubdiaconus adverſus diaconem, non acolytus adverſus ſubdiaconem, non exorciſta adverſus acolytum, non lector adverſus exorciſtam, non oſtiarius adverſus lectorem det accuſationem aliquam, neque Præſul ſummus a quoquam judicabitur, quoniam ſcriptum eſt: non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum. Sed & cum quidam tempore quodam contra Sixtum Papam tentaſſent &c.*, quemadmodum apud Gratianum, cujus fragmentum ex iis, quæ modo adjecta ſunt, ſupplere commode poteris. Poſt pauca ad eandem omnino rem ſequuntur verba canonis 6., prout jacent apud Gratianum, poſt cujus canonis poſtrema verba *jus ullum penitus obtineant*, hæc ſtatim ſequuntur in Epiſtola Nicolai: *Et revera, ut ſuperius ex Evan-* *Can. 4. 5. 6. 7. 8. & 9. diſt. 21.*

Evangelio, Beato Silveſtro commemorante jam diximus, non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum, ſi ad benedicendum non, quanto minus ad maledicendum? In tantum hanc præſumptionem &c., quemadmodum leguntur in canone 9. uſque in finem, ubi tamen pro verbis illis, *utrum juſte, an injuſte ipſam Dioſcorus excommunicationem dictaſſet*, in editis Epiſtolæ exemplaribus legitur: *utrum juſte, an injuſte ipſam jam ſatum Dioſcorum excommunicationem dictaſſe?* Hanc ipſam rem, ſeu diſciplinam proſequens Nicolaus, oſtendit primum ex Africanis canonibus, deinde ex decretalibus Gelaſii Papæ, neminem ex inferioribus poſſe ſuperiorem Epiſcopum damnare; utiturque auctoritate Gelaſii etiam in Epiſtola ad Orientales ita ſcribens: *Et item idem in tomo ad Orientales Epiſcopos, præcipue, inquiens, cum de ſecundæ Sedis ageretur Antiſtite; Nec ab inferiore qualibet, ſed a prima Sede jure poſſit abſolvi; inferior quippe potiorem abſolvere non poteſt, ſola ergo potior inferiorem convenienter abſolvit. Hinc liquido pervidetur, quia quem non poteſt abſolvere, non poteſt judicio inferior potiorem ligare.* Hæc retulit Gratjanus initio canonis 4., ſed quæ ibidem ſubjiciuntur in verſ. *Unde Propheta*, habentur in ſequentibus Nicolai ſententiis, in quibus propoſitæ quæſtioni, num ab inferiore judicari & damnari ſuperior poſſet, finem impoſuiſſe videtur. Rurſum poſt aliqua legimus illa, quæ deſcripſit Gratianus in canone 8., qui conſonat cum editis Epiſtolæ exemplaribus, dummodo pro illis Gratiani verbis *judicia actio dirigatur*, item *poſtulandum ſit* hæc legantur: *judicia dirigatur*, & *præſto ſit*.

Con. 5. *diſt.* 43. Ad eandem Nicolai ad Michaelem epiſtolam pertinet canon 5. diſt. 43. prope finem, ubi Nicolaus preſſius apud Imperatorem urget, traditque, quanta fuerit deceſſorum Imperatorum erga Sedem Apoſtolicam reverentia, ut ad ſimilem exhibendam Michaelem ipſum concitaret, ac ſcribit: *Verum ſi vos non eſſe ſpernendos ducitis, nos tamen non poſſumus ea, quæ Dei ſunt, ſpernere, & negligere, quominus & ſaluti veſtræ conſulamus, & de acceptatione talenti crediti noſtrum periculum declinemus, diſpenſatione nobis cœleſtis ſeminis injuncta. Væ ſi non ſparſerimus, væ ſi tacuerimus: quod cum electionis vas &c.* Similia quædam etiam ſcripſerat Gelaſius Papa in epiſtola ab Anaſtaſium Imperatorem, quem hortabatur, ut Apoſtolicæ Sedi in damnatione Acacii Epiſcopi morem gereret, inter cetera his verbis locutus: *Diſpenſatione etenim mihi divini ſermonis injuncta, væ mihi eſt, ſi non evangelizavero. Quod cum vas electionis Beatus Paullus Apoſtolus formidet, & clamet, multo magis mihi exiguo metuendum eſt, ſi divinitus inſpiratum, & paterna devotione transmiſſum ſubtraxero miniſterium prædicandi.* Et poſt pauca: *Proinde ſicut non leve diſcrimen incumbit Pontificibus, ſiluiſſe pro divinitatis cultu, quod congruit; ita his (quod abſit) non mediocre periculum eſt, qui, cum parere debeant, deſpiciunt.*

Con 5. 6. & 7. *diſt.* 96. Poſt pauca in eadem Nicolai epiſtola leguntur verba canonis 5. diſt. 96., poſt cujus poſtrema verba illa *penitus ignoramus*, ita proſequitur Nicolaus: *Fuerunt hæc ante adventum Chriſti, ut quidam typice Reges ſimul & ſacerdotes exiſterent, quod Sanctum Melchizedech fuiſſe ſancta prodit hiſtoria, quodque in membris ſuis Diabolus imitatus, utpote qui ſemper quæ divino cultui conveniunt, ſibimet tyrannico ſpiritu vendicare contendit, ut Pagani Imperatores iidem, & Maximi Pontifices dicerentur. Sed cum ad verum ventum eſt, eundem Regem, atque Pontificem, ultra ſibi nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex, &c.* quemadmodum leguntur in canone 6. diſt. 96. uſque ad verba illa, *qui eſſet negotiis ſæcularibus implicatus*; poſt quæ ſtatim hæc in epiſtola ipſa ſubſequuntur: *ut & modeſtia utriuſque ordinis curaretur, ne extolle-*

retur

Digitized by Google

retur utroque ſuffultus, & competens qualitatibus actionum ſpecialiter profeſſio aptaretur.
Quibus omnibus rite collectis, ſatis evidenter oſtenditur, &c. ſicuti leguntur in canone
7. diſt. 96. uſque ad verba illa *intermiſceri tractatibus*, quibus ſtatim adjectum legi-
mus: *Quid præterea hinc Romani Præſules ſentiant, quid Latini, Græcique doctores*
hinc exponant; quid denique Maximus venerabilis Monachus, & in illo tempore apud
vos pæne ſolus catholicus in diſceptatione ſua perhibeat; quoniam longum eſt ſcribere, in-
terrogate ſeniores, qui tamen moribus ſeniores ſunt, & dicent vobis. His itaque ma-
nifeſte repertis, &c. uſque in finem memorati canonis 7. Non eſt omittendum ſimi-
lia quædam legi in tractatu Gelaſii Papæ, qui dicitur de Anathematis vinculo eiſ-
dem fere verbis.

Quæ habentur in canone 86. cau. 1. qu. 1. eiſdem omnino verbis leguntur in me- *Can.* 86.
morata epiſtola ſub initium, ubi Nicolaus Michaelem Imperatorem hortatur, ut *cau.* 1.
Romani Antiſtitis monitis obſecundet. *qu.* 1.

Ad eandem etiam epiſtolam pertinet canon 123. cau. 1. qu. 1., cujus hæc eſt
ſententia. Conqueſtus fuerat Michael Imperator apud Nicolaum Pontificem, quod *Can.* 123.
Romam ſeſe contuliſſet Theognoſtus quidam olim Monachus, deinde ſuper quaſdam *cau.* 1.
Provincias conſtitutus Exarchus ab Ignatio Conſtantinopolitano, nec non alii etiam *qu.* 1. *& can.*
Monachi, quos omnes fama erat cauſſæ Ignatii adverſus Photium patrocinari. Hi 21. *cau.*
ut Conſtantinopolim redirent Michael exoptabat, quod & a Pontifice Maximo 9. *qu.* 3.
poſtulavit. Reſpondit autem Nicolaus, Monachos illos & Theognoſtum in fidem
ſuam, & B. Petri ſe recepiſſe, proindeque non debere illos Roma abjici, & Con-
ſtantinopolim mitti forte mactandos una cum Ignatii fautoribus; idque probat
Nicolaus exemplo propoſito Imperatoris, qui olim recuſaverat Agarenorum Prin-
cipi poſtulanti conſentire, dum ab eo quidam venerabilis vir in Imperatoris fidem
receptus expoſceretur his verbis: *Denique cum quidam Anteceſſorum veſtrorum quen-*
dam venerabilem virum ab Agarenorum Principe multis oblatis muneribus ſibi mitti
popoſcerit, non ſolum minime impetravit, verum etiam, ut fertur, ab eo, quem quæ-
rebat, pudorem conferentia ſcripta recepit. Quamvis Deo gratias, & per principalem
Beatorum Apoſtolorum Petri, ac Paulli (de qua ſupra partim expoſuimus) poteſtatem,
& jus habeamus, non ſolum Monachos, verum etiam quoslibet Clericos de quacumque
Diœceſi, cum neceſſe fuerit, ad nos convocare, atque Eccleſiaſticis exigentibus oppor-
tunitatibus invitare. Hoc quidem noſtrum: veſtrum autem & piorum Imperatorum non
eſt ullum penitus quærendi Monachos miniſterium, niſi ad miſerendum, & orationes
eorum ſubmiſſe poſcendum. Quod ſi forſitan opinamini, Theognoſtum apud nos Photio de-
trahere, Ignatiumque jugiter commendare, ſcitote veraciter, quia nihil ipſe de utroque
loquitur, niſi quod in propatulo eſt &c. His ſupplere juvabit memoratum canonem
123., ad quem referendus etiam eſt canon 21. cau. 9. qu. 3.

Jungendi ſimul ſunt canones 15. cau. 3. qu. 5., & 2. cau. 4. qu. 1. ex eadem epiſtola
depromti in ea parte, in qua Nicolaus conqueritur, quod Synodus adverſus Igna- *Can.* 15.
tium celebrata fuiſſet ab iis ipſis, qui Ignatio erant infenſi, imo & ejuſdem accu- *cau.* 3.
ſatores, de quibus ita Nicolaus ait: *Igitur quia ſuſpecti* (ex his ſupplebis memo- *qu.* 5.
ratum canonem 15.) *& inimici judices eſſe non debeant & ipſa ratio dictat. . . . pro-* *& can.* 2. *cau.*
hibere capitulo, quod tamen non apud nos inventum, ſed apud vos haberi perhibetur. 4. *qu.* 1.
Verum novimus nos Apoſtolicis imbuti documentis, etiam ſententiis uti Paganorum, quan-
to magis Chriſtianorum, atque Catholicorum? Et contra ipſos, quorum nec vitam ſequi-
mur, nec mentem erroneam imitamur. Denique Apoſtolus Paullus de libris Paganorum

aliqua

aliqua in ſuis ſcriptis poſuit, ut eſt illud ad Titum: Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri, cupidi. Et iterum in Actibus Apoſtolorum de Deo ait: in quo vivimus, movemur, & ſumus: numquid ideo etiam cuncta recipienda ſunt, quæ cum his pariter ſunt prolata? Ait autem prædictus canon: Quoniam multi Eccleſiaſticum ordinem confundere, ac ſubvertere volentes amore inimicitiæ, & calumnioſe cauſſas quaſdam contra diſpenſatores Eccleſiarum Orthodoxos Epiſcopos confingunt, nihil aliud, quam fœdare Sacerdotum exiſtimationes, & turbationes peccatorum populorum conficere conantes: propter quod placuit ſanctæ Synodo Epiſcoporum, qui Conſtantinopolim concurrerunt, ne ſine diſcuſſione admittantur accuſatores, nec omnibus præcipiatur accuſationes facere contra diſpenſatores Eccleſiarum. Veniamus ergo & ad ſanctam Chalcedonenſem Synodum.... & niſi manifeſta ſibi officiant crimina.... renuit intrare collegium. Quinimmo hinc Pſalmiſta David, & Elias eximius Prophetarum Saulis, vel Achab refugiunt prorſus inſaniam. Quod autem hi, qui &c., quemadmodum legitur in memorato canone 2. cau. 4. qu. 1. De canone Concilii Conſtantinopolitani, qui hoc in loco a Nicolao laudatur, nihil ego adjicio, quum jam ſatis de eo animadverterint Romani Correctores.

Can. 3. cau. 4. qu. 4. In eadem epiſtola legitur eiſdem verbis canon 3. cau. 4. qu. 4. in ea parte, in qua Nicolaus improbat acta Concilii adverſus Ignatium celebrati.

Can. 10. cau. 9. qu. 3. Canon 10. cau. 9. qu. 3., qui in eadem epiſtola legitur, aliis omnino verbis deſcribendus erit juxta fidem exemplarium optimorum. Optabat Nicolaus, ut Ignatii cauſſa apud Sedem Apoſtolicam retractaretur, & Romæ ſingulorum jura dirimerentur. Eam ob rem ita ſcribebat. *Quoniam cum ſecundum canones, ubi eſt major auctoritas judicium inferiorum ſit deferendum, ad diſſolvendum ſcilicet, vel ad roborandum, patet profecto, Sedis Apoſtolicæ, cujus auctoritate major non eſt, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo ſit appellare permiſſus. Juxta quod & Bonifacius, atque Gelaſius ſanctiſſimi Præſules non ſuis adinventionibus, ſed Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem non ignorantes dicunt: Bonifacius quidem Rufo, & ceteris Epiſcopis per Theſſaliam, & alias provincias conſtitutis ſcribens: Nemo, ait, unquam Apoſtolico culmini, de cujus judicio non licet retractare, manus obvias audacter intulit. Nemo in hoc rebellis extitit, niſi qui de ſe voluit judicari. Gelaſius autem in commonitorio Fauſto magiſtro fungenti legatione Conſtantinopolim dato; nobis, inquit, opponunt canones, dum neſciunt quid loquantur; contra quos hoc ipſo venire ſe produnt, quod primæ Sedi ſana; rectaque ſuadenti parere fugiunt. Ipſi ſunt canones, qui appellationes totius Eccleſiæ ad hujus Sedis examen voluere deferri. Ab ipſa vero nuſquam prorſus appellari debere ſanxerunt, ac per hoc illam de tota Eccleſia judicare, ipſam ad nullius commeare judicium. Nec de ejus unquam præceperunt judicio judicare, ſententiamque illius conſtituerunt non oportere diſſolvi; cujus potius ſequenda decreta mandarunt.* His ſane verbis non emendari tantum debuit Gratiani editio, ſed etiam Gratianeus canon recta interpretatione donandus exhiberi.

Can. 35. cau. 24. qu. 1. Quæ traduntur in can. 35. cau. 24. qu. 1. jungenda fuiſſent cum iis, quæ ſuperius obſervabam ad canonem 36. eadem cauſſa, & quæſtione, niſi Gratianus ſub diverſa inſcriptione eoſdem canones exhibuiſſet, qui tamen ad hanc eandem epiſtolam pertinent omnes in ea parte, in qua Nicolaus ait, neminem fuiſſe ex iis, qui Ignatium damnaverant, in Chriſtiana communione libere confiſten-

ſtentem, ſed ut plurimum omnes aut hæreſi, aut ſchiſmate ab Eccleſia receſſiſſe; quamobrem tradit ab hujuſmodi hominibus Ignatium rite non potuiſſe dejici a Sede Conſtantinopolitana, inter cetera ita ſcribens: *Sed iterum videte Romanæ Sedis Pontificem a vobis quidem derogatum, ſed a totius Chriſtianitatis unanimitate veneratum, & magnæ Synodi Epheſinæ Præſulem Cæleſtinum, quid cenſeat de his, qui depoſiti, & excommunicati a Neſtorio fuerant, poſtquam depoſitus coram oculis ſummi arbitri jam eſſe credebatur. Et multo magis hoc de fratre, & conſacerdote noſtro Ignatio eſſe cenſendum arbitramini, qui non a Prælato quolibet, ſicut iſti, ſed a ſe dejectis talia pertulit. Ait enim Epiſcopis Orientalibus ſcribens: Siquis vero aut ab Epiſcopo Neſtorio, aut ab aliis, qui eum ſequuntur, ex quo talia prædicare cœperunt, vel excommunicatus, vel exutus eſt, ſeu Antiſtitis, ſeu Clerici dignitate, hunc in noſtra communione & duraſſe, & durare manifeſtum eſt. Nec judicamus eum remotum, quia non poterat quemquam ejus removere ſententia, qui ſe jam præbuerat ipſe removendum. Item idem ad Clerum Conſtantinopolitanum aperte inquit: Sedis noſtræ &c.*, quemadmodum ſuperius exhibui ad memoratum canonem 36., qui eſt ſuperiori jungendus, unde integra Nicolai ſententia colligatur.

Demum ex eadem epiſtola depromta ſunt verba canonis 6. cau. 35. qu. 9., qui ſane jungendus erit cum canone 10. cau. 9. qu. 3. jam ſuperius exhibito; etenim poſt illa canonis ejuſdem 10. verba, *cujus potius ſequenda decreta mandarunt*, ita legitur illico in epiſtola Nicolai: *Ergo de judicio Romani Præſulis non retractando, quia nec mos exigit, quod diximus comprobato: non negamus ejuſdem Sedis ſententiam poſſe in melius commutari, cum aut ſibi ſubreptum aliquid fuerit, aut ipſa pro conſideratione ætatum, vel temporum, ſeu gravium neceſſitatum, diſpenſatorie quiddam ordinare decreverit. Quoniam & egregium Apoſtolum Paullum quædam feciſſe diſpenſatorie legimus, quæ poſtea reprobaſſe dignoſcitur. Quando tamen illa Romana videlicet Eccleſia diſcretiſſima conſideratione fieri delegerit, non quando ipſa, quæ pene* (legunt alii *bene*) *ſunt definita, retractare voluerit*. Quoties iſta jungantur cum verbis memorati canonis 10., & quaſi uno ſpiritu omnia legantur, ſtatim integra Nicolai ſententia deprehendetur. *Can. 6. cau. 35. qu. 9.*

De reſponſis ad Conſulta Bulgarorum.

Jamdiu ante ſæculum Eccleſiæ nonum Idololatriæ tenebris detinebatur, quod dixerunt Bulgariæ Regnum, licet olim dum Græcorum Imperio pareret, Chriſtianæ fidei nomen dediſſet; etenim Bulgari populi Idololatræ eas Provincias bello partas in ſuas traxerunt ſuperſtitiones, donec Michael Rex Bulgarorum ſub Nicolao Pontifice non ſolum Chriſti fidem amplexus eſt, ſed & populis ſibi ſubjectis dedit exemplum, atque incitamentum, ut veram Religionem amplecterentur. Baptizatus Rex Legatos ad Nicolaum Pontificem miſit, poſtulans, ut in eas partes Epiſcopi, ac Presbyteri mitterentur, quorum opera Evangelica doctrina, atque Apoſtolica recentium fidelium animis insereretur. Annuit libentiſſime Nicolaus, ibidemque plures Epiſcopos conſtituit, quamquam deinde concitaverit magis invidiam Græcorum, ac præſertim Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui facile ſibi perſuadebat, Bulgarorum Provincias ad ſuum ſpectaſſe, aut ſpectare debuiſſe Patriarchatum, allegans olim Græcos Epiſcopos ibidem fuiſſe deſignatos, refragan-

tibus tamen Romanis Antiſtitibus, qui triplici jure viſi ſunt ſibi adſeruiſſe in illo Regno jus etiam Patriarchicum, primo quod Bulgari ipſi ſeſe ſponte Romanæ Eccleſiæ ſubdidiſſent, & ejus juriſdictioni; ſecundo quod non conſtarer veteres Bulgariæ Provincias, dum Chiſtianæ eſſent, a Græcorum dependiſſe Patriarchatu, tertio demum, quod Romanus Patriarchatus jam ab aliquot annis in poſſeſſione ibidem eſſet jurium Patriarchalium. Qui plura ad hanc rem deſiderat, adeat auctorem libri Pontificalis in vita Hadriani II. & Nicolai I., item epiſtolam Hadriani II. ad Baſilium Imperatorem, quæ incipit *Lectis excellentis Imperii veſtri literis*, quæ habetur in fine actorum Concilii 8. generalis interprete Anaſtaſio Bibliothecario.

His quaſi per brevem hiſtoriam prajactis, ſtatim intelligimus, quo pertineant vulgata Nicolai Papæ reſponſa ad conſulta Bulgarorum. Nimirum Bulgari recens ad fidem converſi nonnulla a Romano Pontifice, de quibus ipſi dubitabant, dirimenda poſtulaverunt, uti liquet ex ipſomet Nicolai reſcribentis exordio, ibi: *Ad conſulta veſtra non multa reſpondenda ſunt, nec duximus per ſingula diutius immorari, qui Deo Auctore non ſolum libros divinæ Legis, verum etiam & miſſos noſtros idoneos, qui vos, prout tempus & ratio dictaverit, de ſingulis inſtruant, ad patriam veſtram, & ad glorioſum Regem veſtrum dilectum filium noſtrum deſtinavimus, quibus & libros, quos prævidimus neceſſarios illis nunc eſſe, commiſimus*. Quibus ex verbis conſtat in primis, Nicolaum reſcribentem non in animo habuiſſe, generalem Bulgaris exhibere doctrinam fidei, eiſdemque omnia tradere, quæ eſſent recens ſuſceptæ religionis neceſſaria adjumenta, ſed tantum voluiſſe nonnullis propoſitis quæſtionibus ſatisfacere; etenim generalem fidei doctrinam aſſeruit aut in ſacris libris, qui miſſi fuerant, apertiſſime contineri, aut ſi dubia quædam de ſacrarum literarum interpretatione emerſiſſent, doctrinam eandem fidei commode poſſe ab illis addiſci, quoties legatos Sedis Apoſtolicæ illuc ab eam rem miſſos conſulerent. Deinde etiam conſtat, reſponſa Nicolai non ad Regem Bulgarorum directa fuiſſe, neque ad Epiſcopos eo miſſos ab Urbe Roma; fruſtra enim Nicolaus reſcribens mentionem feciſſet de *miſſis idoneis deſtinatis*, ac de *glorioſo Rege* illorum, ſed potius directa fuiſſe ad ſingulares quoſdam recentes Catholicos, & quidem non de trivio homines, qui optaverint ſibi per ipſummet Pontificem Maximum in quibuſdam quæſtionibus ſatisfieri. Centum & ſex capitibus reſponſa continentur, poſt quæ ita Nicolaus epiſtolæ finem impoſuit: *Hæc quidem ſuggeſtionibus, ſive quæſtionibus veſtris, prout dominus dedit, reſpondimus, non quantum potuimus, ſed quantum ſufficere poſſe prævidimus. Cum autem Epiſcopum Deo concedente per Præſulatus noſtri miniſterium habueritis, ille vos docebit omnia, quæ ad officium ſuum pertinent, & ſiquæ ſunt, quæ non capiet, ab Apoſtolicæ Sedis auctoritate ſuſcipiet. Deus autem, qui in vobis ſalutem maximam operatus eſt, hanc perficiat, conſolidet, & uſque in finem ſtabiliat, & corroboret. Amen.*

Can. 17. diſt. 28. Ex poſtremis his epiſtolæ verbis Romani Correctores ad canonem 17. diſt. 28. animadverterunt, nondum fuiſſe apud Bulgaros interrogantes, qui Epiſcoporum, aut Presbyterorum munere fungerentur, præſertim cum in cap. 106., quod potremum eſt, dicatur varios fuiſſe ex Græcis, aut Armenis Chriſtianis, qui diverſa populum docerent. Hinc ſane liquet, apud Bulgaros Presbyteros extitiſſe Apoſtolico ita dixerim more vagantes, nondum inſtitutis Parochiis, & Parochiarum limitibus; imo etiam evenire potuit, ut non tam Latini illuc petiiſſent ex mandato

dato Pontificis , quam Græci ex mandato Photii , ſeu Patriarchæ Conſtantinopolitani , qui Provincias illas recens converſas ſuæ juriſdictioni vindicare ſtudebat , quemadmodum Nicolaus inſinuare videtur in epiſtola 70. ad Hincmarum Rhemenſem, alioſque Epiſcopos in Regno Caroli conſtitutos, quæ incipit *Omnium nos portare onera*. Porro ubi Græci , ac Latini Sacerdotes eo confluerent, & quidem ſinguli eo animo , ut dum diſciplinam Eccleſiaſticam ſtabilirent, Græci ad Græcos, Latini ad Latinos mores Bulgarorum animos converterent , nihil facilius evenire potuit, quam ut Latini Sacerdotes Græcis Sacerdotibus conjugiorum uſum objicerent , proindeque Bulgarorum animos a Græcis Sacerdotibus averterent . Prudentiſſime Nicolaus nec penitus interea abigendos voluit Sacerdotes matrimonio copulatos, ne omnino Græcos læderet adjutores ; alias vero reprehenſibiles dixit, ut ab illorum diſciplina , ad quorum Patriarchatum non pertinebant , Bulgarorum animos alienos redderet ; ſimul autem voluit , ne Laici viri in hac Sacerdotum improbandorum vel abſolvendorum ſpecie ſententiam ullam ferrent , ſed ſententiam deſignandorum Epiſcoporum potius expectarent, ſperabat enim Nicolaus brevi eo acceſſuros fore Epiſcopos Latinos , qui Latinæ Eccleſiæ diſciplinam rejectis Græcorum moribus inſtaurarent . Verba Gratianei canonis eadem ſunt cum iis , quæ in editis epiſtolæ exemplaribus habentur , exceptis ſequentibus , quæ in editis epiſtolæ exemplaribus leguntur : *Conſulendum ... quo reſpondemus .... vos tamen dominum imitari convenit , qui ſolem ſuum , ut Evangelium teſtatur , oriri facit ſuper bonos , & malos , & pluit ſuper juſtos , & injuſtos . Dejicere ... de Presbyteris , qualeſcumque ſint , vobis &c.*

Amplius pergit Nicolaus in capite ſequenti, ſeu 71. , & ait ne ab adulteris quidem Sacerdotibus Sacramenta divina pollui poſſe ; quod Gratianus retulit in *Can. 5. cau. 15. qu. 8.*
can. 5. cau. 15. qu. 8. , ubi pro illis verbis : *Quæ purgatoria cunctarum contagionum exiſtunt* : item , *dicente B. Hieronymo : ad credendum in anima omni baptiſmus eſt perfectus , & in omni Sacerdote Corpus Chriſti eſt perfectum* ; ita potius legitur in editis integræ epiſtolæ exemplaribus : *Quæ purgatoria cunctarum remedia contagionum exiſtunt* ; item : *Docente Sancto Hieronymo , ad credendum in omni anima baptiſmum eſſe perfectum , & in omni Sacerdote Corpus Chriſti eſſe perfectum* . Ex hoc canone nonnulla derivata eſſe videntur in Capitulum 7. de cohabit . Cleric. & mulier. ſub nomine Lucii III. , ubi ſane nemo non animadvertet, emendandam eſſe vocem illam *cogitationum* , & pro ea legendum eſſe *contagionum* .

Quæ traduntur in canone 15. cau. 23. qu. 8. fuſius deſcribuntur in capite 46. *Can. 15. cau. 23. qu. 8.*
epiſtolæ Nicolai his verbis : *Jam vero ſi Quadrageſimali tempore liceat , ſi neceſſitas exigit , vel ſi non exigit ulla neceſſitas , ad bella procedere , non vobis eſt neceſſarium exponendum , cum ex priorum propoſitionum ſolutionibus , quid vos conveniat agere , etiam nobis tacentibus jam ipſi colligitis . Bellorum quippe , ac præliorum certamina , nec non omnium jurgiorum initia diabolicæ fraude ſunt artis profecto reperta , & dilatandi regni cupidus , vel iræ , vel invidiæ , vel alius cujuſpiam vitii dilector tantum his intendere , ſeu delectari convincitur , & ideo ſi nulla urgeat neceſſitas , non ſolum Quadrageſimali tempore , ſed omni eſt præliis abſtinendum . Si autem inevitabilis urget opportunitas , nec Quadrageſimali eſt tempore pro defenſione tam ſua , quam patriæ , ſeu legum paternarum , bellorum procul dubio præparationi parcendum ; ne videlicet Deum videatur homo tentare , ſi habet quod faciat , & ſuæ , ac aliorum ſaluti conſulere non procurat , & ſanctæ Religionis detrimenta non præcavet . Porro muri Jericho*

Digitized by Google

filiis Iſrael, qui ſabbatum jam obſervandum ſuſceperant, etiam ſabbato urbem circumeuntibus & tubis clangentibus ad terram protracti ſunt.

Can. 2. cau. 27. qu. 2. & can. 3. cau. 30. qu. 5.

Ex capite 3. reſcriptorum Nicolai depromti ſunt canon 2. cau. 27. qu. 2. & canon 3. cau. 30. qu. 5., quos propterea ſimul jungi debere arbitror, imo & ad integram epiſtolam exigi, atque ex illa ſuppleri: Ita reſcripſit Nicolaus: *Conſuetudinem, quam Græcos in nuptialibus contuberniis habere dicitis, commemorare, prolixitatem ſtyli vitantes, carptim morem, quem ſancta Romana ſuſcepit antiquitus, & hactenus in hujuſmodi conjunctionibus tenet Eccleſia, vobis monſtrare ſtudebimus. Noſtrates ſiquidem tam mares, quam feminæ, non ligaturam auream, vel argenteam, aut ex quolibet metallo compoſitam, quando nuptialia fœdera contrahunt, in capitibus deferunt: ſed poſt ſponſalia, quæ futurarum ſunt nuptiarum promiſſa fœdera, quæque conſenſu eorum, qui hæc contrahunt, & eorum, in quorum poteſtate ſunt, celebrantur & poſtquam arrhis ſponſam ſibi ſponſus per digitum fidei a ſe annulo inſignitum deſponderit, dotemque utrique placitam ſponſus ei cum ſcripto pactum hoc continente coram invitatis ab utraque parte tradiderit, aut mox, aut apto tempore, ne videlicet ante tempus lege definitum tale quid fieri præſumatur, ambo ad nuptialia fœdera perducuntur. Et primum quidem in Eccleſia Domini cum oblationibus, quas offerre debent Deo per Sacerdotis manum ſtatuuntur, ſicque demum benedictionem, & velamen cæleſte ſuſcipiunt, ad exemplum videlicet, quos Dominus primos homines in Paradiſo collocans benedixit, eis dicens, creſcite, & multiplicamini &c. Siquidem & Tobias antequam conjugem conveniſſet, oratione cum ea Dominum oraſſe deſcribitur. Verumtamen velamen illud non ſuſcipit, qui ad ſecundas nuptias migrat. Poſt hæc autem de Eccleſia egreſſi coronas in capitibus geſtant, quæ ſemper in Eccleſia ipſa ſunt ſolitæ reſervari. Et in feſtis nuptialibus celebratis, ad ducendam individuam vitam Domino diſponente de cetero diriguntur. Hæc ſunt jura nuptiarum, hæc ſunt præter alia, quæ nunc ad memoriam non occurrunt, pacta conjugiorum ſolemnia: peccatum autem eſſe, ſi hæc cuncta in nuptiali fœdere non interveniant, non dicimus, quemadmodum Græcos vos aſtruere dicitis, præſertim cum tanta ſoleat arctare quoſdam rerum inopia, ut ad hæc præparanda nullum his ſuffragetur auxilium; ac per hoc ſufficiat ſecundum leges ſolus eorum conſenſus, de quorum conjunctionibus agitur. Qui conſenſus ſi ſolus in nuptiis forte defuerit, cetera omnia cum ipſo coitu celebrata fruſtrantur, Johanne Chriſoſtomo Magno Doctore teſtante, qui ait: matrimonium non facit coitus, ſed voluntas. Jam vero ſciſcitamini, ſi muliere propria defuncta poſſit vir alteram ducere, ſcitote per omnia poſſe, Paullo egregio prædicatore conſilium dante, qui dicit: Dico autem nonnuptis, & viduis: bonum eſt illis, ſi ſic maneant, ſicut & ego, quod ſi ſe non continent, nubant; & iterum: Mulier, inquit, alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, cui vult nubat, tantum in Domino. Quod enim de muliere ſanxit, & de viro intelligendum eſt, quia e contra ſæpe ſancta Scriptura de viro loquitur, ſed & de muliere nihilominus dicere ſubintelligitur. Ecce enim dicimus: Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum &c., & iterum: Beatus vir, qui timet Dominum, ubi non ſolum virum, ſed & feminam, quæ non abiit in conſilio impiorum, & quæ timet Dominum, beatam eſſe non immerito credimus.*

Integrum hoc epiſtolæ caput non ſolum aptum eſt ad ſupplendum, quidquid deeſt Gratiani fragmentis, ſed etiam plurimum valet, ut dignoſcatur, quænam fuerit Nicolai temporibus ſolennitas Romanæ Eccleſiæ in celebrandis connubiis, item quænam fuerit ſolennitas, quæ adhiberi conſueverat apud Græcos, ſemper tamen

præ

præ oculis habito Nicolài propoſito, cujus mens erat Bulgaros a Græcorum diſciplina diſtrahere, & ad diſciplinam Romanorum amplectendam concitare.

Supplendus etiam erit ex integra Nicolai epiſtola cap. 2. canon 1. cau. 30. qu. 3. *Can. 1.*
his verbis: *Ita diligere debet homo eum, qui ſe ſuſcipit ex ſacro fonte, ſicut patrem;* *cau. 30.*
quinimo quanto præſtantior eſt ſpiritus carne, quod illud ſpiritale eſt patrocinium, & ſecundum Deum adoptio, tanto magis ſpiritalis pater in omnibus eſt a ſpiritali filio diligendus. Marcus enim Evangeliſta Petri diſcipulus, & ex ſacro fuit ejus baptiſmate filius, quem niſi dilexiſſet ut Patrem, ei non in omnibus obediſſet ut filius: nulla vero inter eos, & filios eorum conſanguinitas eſt, quoniam ſpiritus ea, quæ ſanguinis ſunt, neſcit; caro enim ſecundum Apoſtolum concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, hæc enim invicem adverſantur. Eſt tamen alia inter eos gratuita, & ſancta communio, quæ non eſt dicenda conſanguinitas, ſed potius habenda ſpiritalis proximitas. Unde inter eos non arbitramur eſſe quodlibet poſſe conjugale connubium; quandoquidem nec inter eos, qui natura, & eos, qui adoptione filii ſunt, venerandæ Romanæ leges matrimonium contrahi permittunt. Siquidem primus inſtitutionum liber, cum de nuptiis loqueretur inter cetera, inter eas, inquit, perſonas, quæ parentum, liberorumve locum inter ſe obtinent, nuptiæ contrahi non poſſunt, veluti inter patrem, & filiam, vel avum, & neptem, vel matrem, & filium, vel aviam, & nepotem, & uſque ad infinitum: & ſi tales perſonæ inter ſe coierint, nefarias, atque inceſtas nuptias contraxiſſe dicantur: & hæc adeo ſunt, ut quamvis per adoptionem parentum, liberorumve loco ſibi eſſe cœperint, non poſſint inter ſe matrimonio jungi. Itaque eam, quæ mihi per adoptionem filia, aut neptis eſſe cœperit, non potero uxorem ducere: & infra: ſiquis per adoptionem ſoror eſſe cœperit, quamdiu quidem conſtat adoptio, ſane inter me, & eam nuptiæ conſiſtere non poſſunt. Si ergo inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio jungit, quanto potius a carnali oportet inter ſe contubernio ceſſare, quos per cæleſte Sacramentum regeneratio Sancti Spiritus vincit? Longe igitur congruentius filius Patris mei, vel frater meus appellatur is, quem gratia divina, quam quem humana voluntas, ut filius ejus, vel frater meus eſſet, elegit; prudentiuſque ab alterna corporis commixtione ſecernimur, quoniam Spiritus Sanctus ſua nos charitate coadunavit, quam ſi vel carnalis neceſſitudo, vel invicem nos mutabile cujuſdam corruptibilis hominis arbitrium copulaſſet.

Romani Correctores jam ſuppleverunt aliqua, quæ deerant canoni 22. cau. 32. *Can. 22.*
qu. 5: ex capite 96. ejuſdem epiſtolæ Nicolai; integrum autem caput retuliſſent, *cau. 32.*
ſi poſtrema hæc verba addidiſſent: *Sicut a Chriſto Eccleſia diligenda; quantum au-* *qu. 5.*
tem hæreticorum ore Chriſtus & accuſatur, & in gentibus blaſphæmatur, ſed hos interim perverſa prædicantes tolerat, & reſipiſcentes a miſericordiæ gremio non repellit.

Poſtulaverant Bulgari a Nicolao, quidnam fieri tempore quadrageſimali liceret, *Can. 11.*
quid vero prohiberetur. Atque eo pertinent capita 44., 45., 46., 47., & 48. *cau. 33.*
hujus epiſtolæ. In capite 44. ſcripſit Nicolaus abſtinendum eſſe a venationibus. *qu. 4.*
In capite 45. de modo judiciorum publicorum exercendorum reſcripſit: quid ſcripſit in capite 46. jam indicavi ad canonem 15. cau. 23. qu. 8. In capite 47. reſpondit, nunquam Chriſtiano homini jocis eſſe vacandum, potiore autem ratione non eſſe vacandum tempore quadrageſimali, quemadmodum nec vaniloquio, aut ſcurrilitati, vaniſque rebus quibuſcumque; quia eo potiſſimum tempore Deo per pœnitentiam ſatisfacere pro viribus homines debent. Subdit autem in cap. 48. *Unde nec uxorem ducere, nec convivia facere in quadrageſimali tempore convenire poſſe nullatenus arbitramur.* Quæ verba retulit Gratianus in can. 11. cau. 33. qu. 4., ubi

Digitized by Google

ubi notanda ſane ſunt, quæ prudentiſſime in ea materie proſecutus eſt Sanctus Pontifex: *Iterum quid hic ſacri canones dicant, Epiſcopo veſtro docente ſcietis.* Quod ipſum fere tradidit in capite 50. his verbis. *Quid de eo, qui de quadrageſimali tempore cum uxore ſua coierit, ſit judicandum, Epiſcopi veſtri, & ſacerdotis, qui ab eo conſtituetur, arbitrio conſiderandum, ac definiendum committimus, qui ſingulorum mores agnoſcere poterunt, & uniuſcujuſque veſtrum cauſſas libratis perſonis, ac temporibus diſcernere, ſeu moderari debebunt &c.* Prudens ſane Nicolai conſilium, qui per epiſtolam non æque, ac per miniſtrorum ſuaſiones temporibus, ac perſonis induſtri ſollicitudine accommodatas rem illam definiri recte poſſe cenſuit.

Can. 24. de conſ. diſt. 4. Juvat etiam redigere ad integra epiſtolæ exemplaria, nimirum ad caput 104., canonem 24. de conſ. diſt. 4. ibi: *A quodam Judæo, neſcitis utrum Chriſtiano, an Pagano, multos in Patria veſtra baptizatos aſſeritis, & quid de his ſit agendum, conſulitis. Hi profecto, ſi in nomine Sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Chriſti, ſicut in actibus Apoſtolorum legimus, baptizati ſunt (unum quippe, idemque eſt, ut Sanctus exponit Ambroſius) conſtat eos non eſſe denuo baptizandos: ſed primum utrum Chriſtianus, an Paganus ipſe Judæus extiterit, vel ſi poſtmodum factus fuerit Chriſtianus, inveſtigandum eſt, quamvis non prætereundum eſſe credamus, quid beatus de baptiſmo dicat Auguſtinus: jam ſatis, inquit, oſtendimus, ad baptiſmum, qui verbis Evangelicis conſecratur, non pertinere cujuſquam vel dantis, vel accipientis errorem, ſive de Patre, ſive de Filio, ſive de Spiritu Sancto aliter ſentiat, quam doctrina cæleſtis inſinuat: & iterum: ſunt etiam quidam ex eo numero, qui adhuc nequiter vivant, aut etiam in hæreſibus, vel gentilium ſuperſtitionibus jaceant, & tamen etiam illic novit Dominus, qui ſunt ejus. Namque in illa ineffabili præſcientia multi, qui foris videntur, intus ſunt; & alio loco: & jam corde tardiores, quantum exiſtimo, intelligunt baptiſmum Chriſti nulla perverſitate hominis ſive dantis, ſive accipientis poſſe violari; & rurſus: poteſt tamen, ait, tradere ſeparatus, ſicut poteſt habere ſeparatus, ſed quam pernicioſe tradere; ille autem, cui tradit, poteſt ſalubriter accipere, ſi ipſe non ſeparatus accipiat.* Romani Correctores animadverterunt, apud Algerum legi pro illis verbis *a quodam Judæo* ita, *a quodam, ut audio.* Antonius Auguſtinus in Dialogo 18. lib. 2. de emend. Gratiani refert, ſe in libro Cæſarauguſtano legiſſe *a quodam viro*, quam lectionem ſibi vehementer placuiſſe profitetur, ea ratione, quod non poterat dici Judæus, de quo dubitabatur, an Chriſtianus eſſet, an Paganus. Verum & Romani Correctores, & Baluzius in notis ad Gratianum probare non potuerunt, emendandum eſſe Codicem Gratiani, præſertim quod in integro Nicolai capite, quale ſuperius nuper exhibui, ita omnia facta traduntur, quaſi ille qui baptizaverit Judæus eſſet, de quo tamen dubitaretur, an Chriſtianus eſſet, an Paganus; Judæus forte origine, ſive parentibus Judæis progenitus, de quo tamen minime conſtaret, an eſſet Idololatriæ deditus, an eſſet potius jam fide Chriſtiana imbutus. Quæcumque vero editio ſit recipienda, præterire non debeo, torqueri quamplurimos in interpretatione hujus capitis in ea parte, in qua traditur, baptiſma collatum valere in nomine Chriſti, æque ac valeret, ſi conferretur in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis juxta vulgarem eccleſiaſticorum Ritualium formulam; imo eo graviorem difficultatem emergere, quo validioribus Nicolaus uſus fuerit ad ſuam probandam ſententiam monumentis, nimirum & ſacrarum Scripturarum, ſive Actuum Apoſtolicorum auctoritate, & Sancti Ambroſii teſtimonio. Sunt eam ob rem ex Theologis, ac canonum Cultoribus non pauci,

quos

quos adeo movit Nicolai I. ſuperius expoſita ſententia, ut cenſuerint valere baptiſma tantum in nomine Chriſti collatum, etiamſi expreſſa non fieret mentio Sanctiſſimæ Trinitatis. Verum viri graviſſimi adhuc in contrariam abire opinionem minime dubitaverunt, animadvertentes in reſcripto Nicolai tria exhiberi, quæ ſejungi neceſſario debeant: in primis actuum Apoſtolicorum monumenta, deinde Sancti Ambroſii teſtimonium, demum Nicolai ejuſdem Pontificis ſententiam.

Fatentur in primis in Actibus Apoſtolorum ſæpe fieri mentionem baptizatorum *in nomine Chriſti*, ſed ad horum interpretationem verborum in duplicem dividuntur claſſem: Ajunt aliqui, forte id factum ab Apoſtolis fuiſſe prima illa Fidei propemodum naſcentis ætate, quadam velut diſpenſatione recedentibus, Deo ipſo inſpirante, a generali Chriſti mandato, quo baptizandas gentes eſſe *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* acceperant, idque ex eo factum, ut Chriſti nomen gentibus inclareſceret magis, ac facilius illæ Chriſti Fidem profiterentur. Alii e converſo id ab Apoſtolis factum denegant, & non aliter in nomine Chriſti baptizatum fuiſſe volunt, quam juxta formulam a Chriſto præſtitutam, quod idem eſt, ac in expreſſo nomine Trinitatis. Revera frequentiſſime verba illa *in nomine* non ita ſonant, quaſi nomen aliquod ſit pronunciandum, ſed quaſi quod fit, illius fiat auctoritate, ac mandato, in cujus nomine fieri dicitur, quemadmodum cum de Apoſtolis dictum eſt: *In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, &c.* Neque eſt, cur quiſquam forte ſacrum Scriptorem ita loquentem redarguere poſſet, quaſi verba ambigua poſuiſſet; nam mens ſacri Scriptoris non erat, indicare verba formulæ, quibus Apoſtoli baptizando uterentur, utpote de qua ſatis conſtabat in Evangelio juxta generale mandatum Domini; ſed potius indicare, quo baptiſmate quidam baptizarentur, num baptiſmate Chriſti, num baptiſmate Johannis, cum tunc duo hæc baptiſmata miniſtrata adparerent. Poſterior hæc opinio mihi magis placet, quæ congruit in primis verborum formulis a Scriptore ſacro adhibitis: congruit deinde, quod potiſſimum ſpectandum eſt, cum expreſſo Chriſti Domini mandato de baptiſmate miniſtrando expreſſo nomine Sanctiſſimæ Trinitatis; prior autem opinio, quæ ad diſpenſationes contra jus divinum confugit, quandam aut injuriam Apoſtolis infert, quaſi Chriſti mandata non ſervaverint, aut ſupponit diſpenſationem, de qua non conſtat, adverſus jus divinum nuper Chriſti ipſius ore firmatum, dum eſſet Cœlos adſcenſurus. Ego ſane reor, non facile hujuſmodi diſpenſationes præſumendas eſſe, niſi forte talis emergeret caſus, quo aliter interpretari ſanctiſſimorum Virorum acta non poſſemus. Nec forte dicas, cauſſam fuiſſe graviſſimam diſpenſandi, quod Chriſti nomen magis inclareſcere videretur; nam ſi Chriſtum a Filio Dei non diſtinguit fides noſtra, non video, cur æque non inclareſceret Chriſti nomen, ubi baptizaretur etiam in nomine Filii, una cum Patre, & Spiritu Sancto; imo cum potiſſima Chriſti claritas ſit ipſa Divinitas, quid aptius ad eam demonſtrandam, quam ita baptizare, ut Chriſtus, ſive Filius Dei a Patre, & Spiritu Sancto minime ſejungeretur?

Veniunt deinde ad expendendum Sancti Ambroſii teſtimonium, & ajunt ad hanc quæſtionem Ambroſii ſententias vix pertinere. Sane prænotare juvat, ibidem nullum aliud Ambroſii monumentum referri, quam quod habetur in lib. 1. ejuſdem Sancti Doctoris de Spiritu Sancto cap. 3., ubi totus eſt Vir eximius, ut demonſtret ex ſacris literis Spiritum Sanctum eſſe Deum, quemadmodum eiſdem fere

fere rationibus demonſtrabat S. Baſilius in libro etiam de Spiritu Sancto in cap. 10. 11. & 12., ita ut dixeris, Ambroſium de divinitate Sancti Spiritus ſcribentem habuiſſe præ oculis librum Baſilii, ex quo plura in librum ſuum derivaret. Inter cetera Sanctus Antiſtes ea profert Scripturæ, ſeu novi Teſtamenti fragmenta, ex quibus conſtat tacite etiam intelligi Spiritum Sanctum, ubi Pater, vel Filius nominarentur, quemadmodum intelligebatur Pater, aut Filius, ubi nomen pronunciaretur Spiritus Sancti; exinde enim facile conſequebatur, ſive Patris, ſive Filii, ſive Spiritus Sancti eandem eſſe naturam. Ad hanc rem pertinebat, quod in Actibus Apoſtolorum dicitur cap. 8., Eunuchum Reginæ Candacis Æthiopum baptizatum fuiſſe a Philippo, poſtquam profeſſus eſt, ſe credidiſſe *Filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum*, ad quod ait Ambroſius, tacite Eunuchum crediſſe etiam in Spiritum Sanctum ex eo, quod expreſſe in Chriſtum crediderat; eodem modo, quo ubi in Evangelio dicitur, Chriſtum baptizaturum eſſe *in Spiritu Sancto*, eadem Spiritus Sancti virtus indicabatur, quæ Patris erat, & Filii. Itaque huc ſpectat, quod ait Ambroſius, idem eſſe in ſacris literis nominare Chriſtum, aut Filium Dei, item Patrem Deum, ac nominare Spiritum Sanctum; nemo vero non videt, quam parum conveniat hoc propoſitum cum ea diſputatione, utrum ſufficiat baptizare in nomine Chriſti, non expreſſo aliarum Perſonarum Divinarum nomine. Non loquebatur Ambroſius de formula Sacramenti pronuncianda, ſed potius de vi verborum ſacræ Scripturæ, quæ identidem de Filio prædicavit, quod etiam voluit de Sancto Spiritu prædicatum, quemadmodum, ubi dicitur per Filium omnia eſſe creata, virtutem Sancti Spiritus minime excluſit. Sane ubi de formulis ſenſibilibus Sacramentorum agitur, non eſt inveſtigandum, quid tacite intelligatur, ſed potius quid expreſſum voce ſit, cum Sacramenta ſigna ſint ſenſibilia, quæ verbis, & rebus conſtant; ſecus enim ex Ambroſii ſententia concludere etiam oporteret, valere Sacramentum baptiſmi tantum in nomine Spiritus Sancti collatum, non expreſſo nomine Patris, vel Filii, quod non arbitror dicturos eos, qui aſſerunt valere ex Ambroſii ſententia baptiſmum in nomine Chriſti collatum. Propoſitum autem exemplum Eunuchi a Philippo baptizati plurimum ad rem hanc explicandam facere videtur; etenim cum ſacræ literæ doceant, non quidem Philippum baptizaſſe in nomine Chriſti, ſed potius baptizaſſe, poſtquam Eunuchus credidit Chriſtum eſſe Filium Dei, perſpicue liquet non agi apud Ambroſium de formula a baptizante pronuncianda, ſed potius de formula fidei, quæ proferenda ſit a baptizato; & quamvis verum ſit, ſatis fuiſſe Philippo, quod Eunuchus crediderit Chriſtum eſſe Deum, quia hac fidei formula etiam tacite credidit Deum Spiritum Sanctum, non tamen ſatis eſſe Philippo potuit Eunuchum baptizare in nomine Chriſti, qui ex Chriſti ipſius mandato baptizare debebat etiam in nomine Patris, & Spiritus Sancti. Adde his omnibus animadverſiones Maurinorum Monachorum, qui Ambroſii libros ediderunt; ſiquidem ipſi demonſtratum ſcripſerunt, Ambroſium aliis in locis docuiſſe, non aliter valere poſſe baptiſmatis Sacramentum, niſi quum expreſſo Sanctiſſimæ Trinitatis nomine collatum fuerit; quamobrem concludere exinde licebit, Ambroſii loca ad propoſitam quæſtionem pertinere vix poſſe.

Ita expoſitis & ſacrarum Literarum, & Sancti Ambroſii monumentis una ſupereſt expendenda Nicolai Papæ doctrina, perſpicue concludentis, idem eſſe & in nomine Trinitatis, & in nomine Chriſti tantummodo Sacramentum baptiſmi conferre. Verum qui neceſſariam aſſerunt expreſſam Sanctæ Trinitatis invocationem,

recte

recte animadvertunt in Nicolai reſcripto duas eſſe partes, quarum prior explicat, quomodo etiam ab ignoto, nec chriſtiano viro Sacramentum baptiſmatis collatum valere dicatur juxta vetuſtam Eccleſiæ traditionem; poſterior explicat parum referre, utrum Sacramentum baptiſmatis collatum ſit ſub ea formula, qua ſolum invocetur Chriſti nomen, an ſub ea, qua nomen Sanctiſſimæ Trinitatis exprimatur. In prima reſcripti parte jus eſſe dicunt, at in ſecunda privatam Nicolai opinionem, cui non ſit juris auctoritas. Revera, uti ex toto ſuperius deſcripto contextu patet abunde, non fuit a Bulgaris Nicolaus interrogatus de formula, aut formulæ qualitate, ſed potius de miniſtro, ſeu miniſtri conditione. Regula autem eſt reſcriptorum, quæ poſtulat, ut reſcripta in ea tantum parte vim juris obtineant, in qua vere reſcripta dici poſſunt, ſive in qua interrogationi reſpondent.

De epiſtolis ad Epiſcopos omnes.

Sub nomine Nicolai Papæ ad omnes Epiſcopos ſcribentis duo habemus fragmenta apud Gratianum. Primum legimus in can. 6. cau. 17. qu. 4., quem in primis exigere juvabit ad decretum Ivonis, ex quo videtur excerptus, deinde quid de eo ſenſerint Viri eruditi indicare. Itaque Ivo in parte 3. decreti cap. 104. ita habet: *Nicolaus Papa omnibus Epiſcopis: De confiniis cæmeteriorum, ſicut antiquitus a Sanctis Patribus ſtatutum eſt, ſtatuimus: ita ut major Eccleſia per circuitum ſexaginta paſſus habeat, Capellæ vero, vel minores Eccleſiæ xxx. Qui autem confinium eorum confringere tentaverit, aut perſonam hominis, vel bona ejus inde abſtraxerit, niſi publicus latro fuerit, quouſque emendet, & quod rapuerat, reddat, excommunicetur.* Hinc ſane adparet non ſermonem inſtitui de Eccleſiarum confinibus, quod videtur apud Gratianum, ſed potius de confinibus cæmeteriorum non violandis; ſi enim cæmeteria ſuapte natura, ſive ex ipſa Romanorum etiam veterum lege, tanquam loca religioſa habita ſemper fuerunt, omnique humano commercio exemta, deinde ubi eccleſiaſtica illis benedictio acceſſit, ſacra quodammodo loca evaſerunt, nulla ratio eadem violari permittit; religionis enim ſpecies ſemper fuit apud homines defunctorum cineribus nullam injuriam, quocumque tandem modo injuria fieri dicatur, inferri. Antonius Auguſtinus in dialogo 17. lib. 2. de emendat. Gratiani adnotat inſcriptionem illam *Nicolaus omnibus Epiſcopis*, memorato canoni adjectam, haberi quidem apud Gratianum, Ivonem, & in libro Tarraconenſi, ſed in Panormia duplicem eſſe inſcriptionem, nimirum & Agathenſis Concilii cap. 29., & Nicolai, quamquam nihil tale in Agathenſi Concilio reperiatur. Item adnotat, quod etiam Romani Correctores obſervaverunt, legi in veteribus codicibus *LX paſſus* pro *XL.*, & *confinia earum*, pro *confinio eorum*. Ego hunc canonem agnoſco pertinere potius ad Nicolaum II., cum legatur eiſdem omnino verbis, quibus apud Ivonem exhibitus eſt, in epiſtola ejuſdem Pontificis ad Epiſcopos Galliæ, Aquitaniæ, & Vaſconiæ, in qua referuntur decreta Concilii Romani anni 1059. edita in recentioribus Conciliorum collectionibus ex apographo Sirmondi, ubi tamen pro illis verbis *vel minores Eccleſiæ*, legitur, *ſive minores Eccleſiæ*. Quum vero in eodem canone legatur, *ſicut antiquitus a Sanctis Patribus ſtatutum eſt*, arbitror id referendum eſſe ad illa, quæ conſtituta fuerunt in Capitulari 2. anni 803., in Capitulis legi Salicæ adjectis, editiſque ſub Carolo Magno, de illis, qui ad Eccl ſias

Can. 6. cau. 17. qu. 4.

Digitized by Google

confugientes ſeſe in atria illarum recipiunt; nam in cap. 3. hæc leguntur: *Siquis ad Eccleſiam confugium fecerit, intra ipſius atria Eccleſiæ pacem habeat, nec ſit ei neceſſe Eccleſiam ingredi, & nullus eum inde per vim abſtrahere præſumat, ſed liceat ei confiteri, quod fecit, & inde per manus bonorum hominum ad diſcuſſionem in publicum perducatur*. Relata hæc ſunt in librum I. Capitularium Francorum cap. 134., & in librum 2. legum Longobardarum tit. 40. cap. 5., atque ad hoc ipſum caput reſpicientes, ut arbitror, Epiſcopi Hiſpani in Concilio Coyacenſi anno 1050., una cum Ferdinando Rege, accedente etiam Sancia Regina, ita conſtituerunt communi ſuffragio in can. 12. *Duodecimo quoque titulo præcipimus, ut ſi quilibet homo pro qualicumque culpa ad Eccleſiam confugerit, non ſit auſus aliquis eum inde violenter abſtrahere, nec perſequi infra dextros Eccleſiæ, qui ſunt triginta paſſus*, (dextrorum mentionem fecit, qui edidit appendicem formularum Marculfi formula 17., quaſi menſuræ cujuſdam agri, ſeu ſoli) *ſed ſublato mortis articulo, & corporis deturbatione, faciat quod lex Gothica jubet. Qui aliter fecerit, anathema ſit, & ſolvat Epiſcopo mille ſolidos puriſſimi argenti.*

Can. 25. cau. 24. qu. 3. Alterum fragmentum habemus in can. 25. cau. 24. qu. 3., quod tamen nec tribuere poſſumus Nicolao I., ſed potius adſcribendum videtur Nicolao II., quemadmodum jam animadvertit Baluzius in notis ad Gratianum, eam potiſſimum adferens rationem, quod in eo canone *agatur de treuga, & pace, quæ iſtius tantum Nicolai ſæculo reperta eſt, Nicolai I. ævo audita nondum fuerat*. Revera inter decreta Nicolai II., quæ Baluzius idem edidit in tomo 7. Miſcellaneorum diſtributa in capita 15. hæc habentur num. 1. *Primum quidem, ut pax, & treuga Domini a fidelibus chriſtianis reperta, & laudata, ſicut ſcriptura habentur, ita firmiter teneantur, infractores vero anathemate feriantur*. Hæc ſane verba eadem ſunt cum iis, quæ Gratianus retulit in memorato canone 25. in fine. Qui plura deſiderat de modo treugæ ſervandæ, animadvertat canones numero plurimos Concilii Narbonenſis a Baluzio editos anni 1054. Priora autem ejuſdem canonis verba leguntur in nuper memorata epiſtola Nicolai II. ad Epiſcopos Galliæ, Aquitaniæ, & Vaſconiæ, ubi Sanctus Pontifex tradit nonnulla edita in Concilio Romano anni 1059., inter cetera hunc canonem deſcribens: *Illi etiam, qui peregrinos, vel oratores cujuſcumque Sancti, ſive clericos, ſive monachos, vel feminas, ſeu inermes pauperes deprædati fuerint, vel bona eorum rapuerint, vel in malum eis obviaverint, anathematis vinculo feriantur, niſi digne emendaverint.*

De epiſtola ad Salonitanum Epiſcopum.

Can. 3. cau. 30. qu. 1. Ex iis, quæ ſuperius tradidi ad epiſtolam Nicolai ad Rodulfum Epiſcopum Bituricenſem, atque ad canonem 6. cau. 30. qu. 1., facile liquet non injuria tribui eidem Nicolao Pontifici canonem 3. cau. 30. qu. 1., cujus eadem fere ſententia eſt, licet ea, quæ ibidem memoratur epiſtola, inter eas, quæ uſque nunc editæ ſunt, non reperiatur; neque vero inanis eſſe potuit hujuſmodi conſtitutio, quum diximus temporibus Nicolai gravem fuiſſe, & inferendum abuſum illorum conjugum, qui religionis prætextu conjugiorum diſſolutionem meditabantur. Tantum heic dixero, non in omnibus codicibus eandem eſſe hujus canonis inſcriptionem; quemadmodum enim jam adnotavit Antonius Auguſtinus in lib. 2. de emend. Gratiani

Digitized by Google

tiani dial. 19., apud Ivonem in decreto legitur: *Idem*, nimirum Nicolaus, *Salemonio Epiſcopo*, & in Panormia edita *Salomonitano*, in libro Cæſarauguſtano *Salemirio*, & in Tarraconenſi: *Nicolaus ad Salemoniam*.

De epiſtola ad Frontarium Archiepiſcopum Burdegalenſem.

Frontarium, ſive Frotarium, aut etiam, ut alii ſcribunt, Froterium fuiſſe Burdegalenſem Archiepiſcopum temporibus Nicolai I. facile deducitur tum ex ſubſcriptione privilegii monaſterio Atrebatenſi conceſſi anno 866. apud Baluzium de concord. Sacerd. & Imper. lib. 3. in fine, tum ex ſubſcriptionibus Concilii Tullenſis 2. anni 860. apud Labbeum, tum ex ſubſcriptionibus Concilii Pontigonenſis anni 876. apud eundem Labbeum, in quo Concilio idem Frontarius, quidquid plurimi in contrarium molirentur Galliæ Antiſtites, morem illico geſſit tum Imperatori Carolo Calvo, tum Johanni Pontifici Maximo in cauſſa Anſegiſi Senonenſis Primatis conſtituendi. Verum quis fuerit vir ille *nefandus Burgandus nomine*, & *rabie inſana commotus*, de quo mentio fit in can. 17. cau. 12. qu. 2. adſcripto Nicolao Pontifici adloquenti memoratum Frontarium, admodum eſt in obſcuro, ac propterea quoquo modo dubitare viderer de auctoritate canonis, niſi generaliter liqueret, temporibus Nicolai plurimos fuiſſe rerum eccleſiaſticarum invaſores, ac deprædatores. Dubitationem forte augere poſſet, quod nimis ſubtiliter obeundæ injungantur variæ pœnitentium ſtationes, & gradus, quæ diſciplina paullo aſperior videri poſſet illis, qui norunt, quam irrequieti fuerint tunc temporis Francorum animi variis diſputationibus concuſſi, quemadmodum liquet ex pluribus epiſtolis Nicolai Papæ; cum illis propterea mitius agi decebat, ut ſuavius ad diſciplinam ſacram cuſtodiendam traherentur. In hac dubitatione, ipſe ſuſpicor, eum canonem forte tribuendum eſſe alicui auctori, & quidem incerto, libri Pœnitentialis, cujus generis volumina plurima olim fieri poterant, atque ita compoſita, ut quod codicis auctor tradebat, ſub nomine cujuſdam Pontificis Maximi, vel eccleſiaſticorum Patrum ederet. Proinde evenire potuit, ut auctor libri Pœnitentialis, quem Gratianus, aut quiſquis Gratianum manuduxit, ſequeretur, eundem canonem compoſuerit, & Nicolai Papæ ad Frontarium ſcribentis nomine inſigniverit. Revera in Pœnitentiali Romano edito ab Antonio Auguſtino eadem omnino verba leguntur in titulo 8. cap. 19. ſub nomine Nicolai.

Can. 17. cau. 12. qu. 2.

De epiſtola ad Humifridum Epiſcopum Morinenſem.

Ex Ivonis Carnotenſis decreto ſupplenda eſt inſcriptio canonis 5. diſt. 50., etenim in parte 6. ad caput 120., ubi eadem fere Gratiani verba leguntur, ita legitur: *Nicolaus Wilfredo Morinenſis Eccleſiæ Epiſcopo*; proindeque nil dubito, quin ad eandem epiſtolam ſit canon iſte referendus, ad quam referendus etiam ſit canon 47. cau. 7. qu. 1., utpote qui apud Gratianum tribuitur Nicolao ad Humifridum Epiſcopum Morinenſem ſcribenti. Fateor nomen hujus Morinenſis Epiſcopi paullo aliter in variis, quæ Conciliorum nono ſæculo celebratorum actis, quæ Col-

Can. 5. diſt. 50. & Can. 47. cau. 7. qu. 1.

lectorum codicibus legi, modo enim Humifridus, modo Huntfredus, modo Hunifridus, modo Hunilfredus, modo Guifredus, modo Wilfredus, modo Vinfridus, vel Vinfredus appellatur. Quæcumque tamen ſit nominis variatio, quæ ſane leviſſima eſſe videtur, conſtat Epiſcopum illum Morinenſem unum ex illis fuiſſe, quos alias diximus ejectos a Nomenojo Brittonum Rege, qui Nortmannorum auxilio fretus ſicut regno potitus eſt, ita ſui regni Epiſcopatus, atque Epiſcopos defatigavit, plurimos etiam ex iſtis deturbavit. Videantur, quæ dicta ſunt ad canonem 10. cau. 7. qu. 1., ubi de Leone IV., ex quibus ſane commode interpretari unuſquiſque poterit canonem 47. cau. 7. qu. 1. Verum de canone 5. diſt. 50., quoniam integra Nicolai epiſtola, ad quam exigendus eſſet, deperiit, nihil aliud dicam; tantummodo huc referam, quod apud Ivonem legitur, apud quem plura ſunt quam penes Gratianum. Habet Ivo in parte 6. cap. 120. *Clericum autem, qui paganum occiderit, non oportet ad gradum majorem provehi, qui carere debet etiam acquiſito, homicida enim eſt. Nam cum diſcreti ſint milites ſæculi a militibus Eccleſiæ, non convenit militem Eccleſiæ ſæculo militare, per quod ad effenſionem ſanguinis neceſſe ſit pervenire. Denique ſicut turpe, ac pernicioſum ſit, laicum Miſſas facere, Sacramenta Corporis, & Sanguinis Chriſti conficere, ita ridiculum eſt, & inconveniens, clericum arma ſuſtollere, & ad bella procedere, cum Paullus Apoſtolus dicat: Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, ac ſi liquido verſa vice dicat: Nemo militans mundo implicat ſe negotiis ſpiritualibus.* Hæc ad adjuncta illius ætatis, uti decet, exacta, nemo non interpretabitur de illis Clericis, qui Nortmannis, & Nortmannorum adjutoribus Paganis arreptis armis reſtitiſſent, atque ut ſuas tuerentur Eccleſias, milites adverſarios occidiſſent.

De epiſtola ad Johannem Epiſcopum Ravennatem.

Can. 13. diſt. 63. Dubitare viſus eſt Antonius Auguſtinus in lib. 2. de emend. Gratiani dial. 15., num canon 13. diſt. 63. adſcribendus ſit Nicolao I. Pontifici, an Nicolao minori, ſive II. Ait ille: *Ad Nicolaum minorem pertinere in quodam Michaelis Thomaſii libro inveni. B. In Pontificali de vitis Pontificum libro certius eſt, Nicolaum I. in Concilio Romæ habito in domo Leoniana de cauſſa hujus Johannis cognoviſſe, eique reſtituto dixiſſe, ut Epiſcopos per Æmiliam, niſi poſt electionem de eis Cleri, & populi, atque per epiſtolas Apoſtolicæ Sedis Præſulis, non habeas conſecrandi licentiam. A. Hæc meliora ſunt, quam quæ Gratianus refert.* Hodie vero res eſt in clariore lumine poſita, poſtquam in editione Labbeana edita ſunt acta Concilii Romani ſub Nicolao I. celebrati anno 871. in cauſſa Johannis Epiſcopi Ravennatenſis, qui poteſtate ſacra abutens qua in conſecrandis, qua in dejiciendis ſuæ Provinciæ Epiſcopis, poſtquam citatus eſt, ut ad Synodum veniret, obedire detrectans, ſynodali ſententia damnatus eſt, deinde vero poſt exhibita obedientiæ argumenta, peractamque pœnitentiam, in ſedem ſuam reſtitutus, datis tamen ipſi aliquot capitulis cuſtodiendis, ne forte rurſus auctoritate ſua abuteretur. Eorum capitulorum exemplar primus edidit ex Cathedralis Mutinenſis tabulario Bacchinius in appendice ad Agnellum Ravennatem; numero autem 1. hæc leguntur: *Epiſcopos per Æmiliam non conſecres, niſi poſt electionem cleri, & populi*; quæ ſane verba eadem omnino ſunt cum memorato Gratiani monumento.

De

De epiſtola ad Mediolanenſes.

Veteres Gratiani editiones in inſcriptione canonis 1. diſt. 22. ita exhibebant: *Nicolaus Papa ſcribit Mediolanenſibus*. Verba hæc, quæ potius de Nicolao II. erant intelligenda, neſcio quis recentior Gratianei operis editor nomen Nicolai I. expreſſit. Illum canonem derivaverat Gratianus ex codice Anſelmi, qui eundem referens in lib. 1. cap. 63., uti animadvertit Antonius Auguſtinus dial. 13. de emend. Gratiani lib. 2., ſub hac epigraphe adpoſuit: *Ex epiſtola Nicolai Papæ junioris Mediolanenſibus miſſa*. Verum ne Nicolao quidem II. adſcribendus erit canon, ſed potius Petro Damiani Nicolai II. apud Mediolanenſes Legato. Turbabatur Mediolanenſis Eccleſia ob turpem avaritiam, & incontinentiam plurium clericorum, apud quos veteres & Simonis, & Nicolaitarum hæreſes renovabantur, atque ita, ut, quod peſſimum erat, forent in erroribus pervicaciſſimi, atque ipſis etiam Pontificibus Maximis pertinaciter obſiſterent, illorumque juriſdictionem excutere conarentur, in pernicioſam morum, diſciplinæque libertatem proclamantes. Inter cetera ajebant Mediolanenſes Clerici, Eccleſiam ſuam eſſe a Romana diſtinctam, ſuo ſe Antiſtite regi, nec Romano Epiſcopo ſubjici. In his cauſſarum, & locorum adjunctis Pontificia legatione ſuſcepta Mediolanum acceſſit Petrus Damiani, qui initio in ipſum vitæ diſcrimen adductus, tandem plurimos removit a ſchiſmate, & ad unitatem Romanæ Eccleſiæ revocavit. Inter Sancti Viri opera, ubi recenſentur Acta Mediolanenſia, opuſculo 5. habetur ſermo habitus ad Mediolanenſes, cujus priora verba hæc ſunt: *Noverit charitas veſtra, Dilectiſſimi, non me pro Romanæ Eccleſiæ huc honore veniſſe, ſed veſtram gloriam quærere, vobis ſalutem, & gratiam, quæ in Chriſto eſt, cum ejus auxilio, ſi permittitis, providere. Quo enim pacto honore indiget parvuli hominis, quæ laudes, atque præconia ex ipſius ore ſortita eſt Salvatoris? Quæ autem provincia per omnia Regna terrarum ab ejus ditione extranea reperitur, cujus arbitrio ipſum quoque Cælum & ligatur, & ſolvitur? Omnes autem ſive Patriarchivi cujuslibet apicem, ſive Metropoleon Primatus, aut Epiſcopatuum cathedras, vel Eccleſiarum cujuſcumque ordinis dignitatem, ſive Rex, ſive Imperator, ſive cujuslibet conditionis homo purus inſtituit, & prout voluntas, aut facultas erat, ſpecialium ſibi prærogativarum jura præfixit; Romanam autem Eccleſiam ſolus ipſe fundavit, & ſuper petram fidei mox naſcentis erexit, qui Beato vitæ æternæ Clavigero terreni ſimul, & cæleſtis imperii jura commiſit. Non ergo quælibet terrena ſententia, ſed illud verbum, quo conſtructum eſt cælum, & terra, per quod denique omnia condita ſunt elementa, Romanam fundavit Eccleſiam. Illius certe privilegio fungitur, illius auctoritate fulcitur; unde non dubium, quia quiſquis cuilibet Eccleſiæ jus ſuum detrahit, injuſtitiam facit; qui autem Romanæ Eccleſiæ privilegium ab ipſo ſummo omnium Eccleſiarum Capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in hæreſim labitur, & cum ille notetur injuſtus, hic eſt dicendus hæreticus. Fidem quippe violat, qui adverſus illam agit, quæ mater eſt fidei, & illi contumax invenitur, qui eam cunctis Eccleſiis prætuliſſe cognoſcitur*. Poſt pauca ſubdit Petrus, Ambroſium Sanctiſſimum, ac vetuſtiſſimum ejuſdem Eccleſiæ Mediolanenſis Antiſtitem de Nicolaitarum hæreſi conſuluiſſe Siricium Papam, atque ejus inſtitutis adhæſiſſe, ita concludens: *Unde & ipſe Sanctus Ambroſius in omnibus ſequi ſe magiſtram Sanctam Romanam profitetur Eccleſiam*. Quicumque ſane verba

Can. 1. diſt. 22.

verba iſthæc omnia conferet cum memorato canone 1. diſt. 22. non ſolum agnoſcet, qualis illius habendus auctor ſit, ſed etiam quænam ſit integra auctoris ſententia, & qua ratione verba ejuſdem canonis juxta optimos codices ſint emendanda.

De epiſtola ad Nonenſem Electum, & Clerum.

Can. 8. de conſ. diſt. 1. Canonem 8. de conſ. diſt. 1. aliter Gratianus, aliter Anſelmus deſignarunt; etenim apud Anſelmum hæc inſcriptio legitur: *Nicolaus Epiſcopus Clero, & Plebi Nonenſis Eccleſiæ*; ſed apud Gratianum in vetuſtis codicibus ita legebatur: *Nicolaus Papa Clero, & Plebi Viennenſis Eccleſiæ*. Antonius Auguſtinus in lib. 2. de emend. Gratiani dial. 13. teſtatur in quodam Veronenſi libro ita exhiberi: *Electo, & Clero Eccleſiæ Nonenſis*, una ſubdens hoc caput inter incerta Nicolai I. monumenta eſſe recenſendum. Hinc plane ego non video, cur recentiores veterem Gratiani editionem corrigendam crediderint in duplici parte, primum addendo nomen *Electi*, & excludendo nomen *Plebis*, deinde pro *Viennenſi* Eccleſia *Nonenſem* deſignando. Vel enim ſequendus erat Anſelmus; tum vero non erat adjiciendum nomen *Electi*, neque nomen *Plebis* detrahendum; vel recedendum fuerat ab Anſelmo; tum vero deſignandum non erat pro *Viennenſi* nomen Eccleſiæ *Nonenſis* eo prætextu, quod Anſelmus non Viennenſis feciſſet, ſed Nonenſis Eccleſiæ mentionem. Fuit iſthæc nimis ampla emendandi licentia, ubi præſertim certa eſſe nequeunt emendationum argumenta. Ego potius dubitarem de auctoritate ejus epiſtolæ, utpote cujus non conſtat fuiſſe Nicolaum auctorem, cum inter ceteras Nicolai epiſtolas apud quoſcumque etiam recentiſſimos Collectores deſideretur; cum præterea nulla fuiſſe videatur occaſio Nicolao porrecta ita ſcribendi, ſive ad Viennenſem Eccleſiam in Gallia, ſive ad Nonenſem Eccleſiam in Dalmatia; cum demum primus eam epiſtolam in medium produxerit Anſelmus, cujus fides in educendis reconditis monumentis non eſt ſine diſcrimine probata, præſertim in iis, quæ quoquo modo poſſent propoſito ejuſdem Anſelmi ſervire. Non omittam tamen advertere, nonnulla ſimilia haberi in epiſtola tributa Nicolao eidem I. reſcribenti ad conſulta Arduici Archiepiſcopi Veſontionenſis apud Dacherium in tom. 1., in ea enim in cap. 5. hæc leguntur adverſus Chorepiſcoporum ambitum conſtituta: *De Chorepiſcopis, de quibus conſulis, utrum Presbyteros, & Diaconos valeant conſecrare, ſacri te canones ſatis poterunt edocere. Quomodo autem Chorepiſcopos poſſe dicimus Eccleſias conſecrare, quas nulli Epiſcoporum licet ſine noſtro præcepto ſecundum ſanctas regulas dedicare? Non ergo Chorepiſcopis dabimus.*

De epiſtola ad Osbaldum Chorepiſcopum Quadrantinum.

Can. 6. & 39. diſt. 50. Osbaldus, qui Chorepiſcopus, aut Coepiſcopus in can. 6. & 39. diſt. 50. juxta quædam exemplaria dicitur Quadrantinus, apud Antonium Auguſtinum in lib. 2. dial. 16. de emend. Gratiani creditur idem eſſe, ac Oſualdus quidam Epiſcopus, primum Vintonienſis, poſtea Eboracenſis in Britannia, auctor libelli cujuſdam Martyrologii. Incerta admodum hæc ſunt, cum opportunis deſtituamur monumentis, quæ in hac potiſſimum parte, quæ privata negotia, & omnino ſingularia facta conti-

continet, vix ob vetuſtatem tupereſſe recentioribus potuerunt. Interea vero jure dicere poſſum ea, quæ traduntur in memoratis canonibus 6. & 39., neque a Nicolai temporibus, neque ab aliis Nicolai ſententiis diſſonare. In primis ſi de temporibus loquamur, nemo ignorat qualis eſſet tunc, præſertim in Gallia, Chorepiſcoporum diſciplina, quorum nimirum officio paſſim Epiſcopi in adminiſtrandis rebus eccleſiaſticis utebantur; proinde eſſe occaſio potuit Osbaldo, ſi Chorepiſcopus, ut fertur, Quadrantinus extitit, Sedem Apoſtolicam in cauſſa Clericorum delinquentium conſulendi. Item non ignoramus, temporibus Nicolai Paganos fuiſſe Chriſtianis maxime infenſos, eamque ob rem facile contingere potuiſſe Paganorum occiſiones, ſive a Clericis, ſive a Laicis propriæ defenſionis cauſſa perpetratas. Fuerant autem hæ Paganorum cædes jamdudum præſertim viris Eccleſiaſticis vetitæ, quemadmodum colligitur ex Capitulari Caroli Magni anni circiter 769. cap. 2.. & lib. 7. Capitularium cap. 124. ibi: *ut Sacerdotes neque Chriſtianorum, neque Paganorum ſanguinem fundant*. Hinc Nicolaus potuit ſacerdotali officio jure ſpoliare Clericos in ejuſmodi homicidia pronos, quemadmodum ex laudatis canonibus edocemur; imo & ita eoſdem exuere, ut nulla ſupereſſet ſpes in priſtinum gradum revertendi; firmum enim erat apud Nicolaum veteris Eccleſiaſticæ diſciplinæ principium, juxta quod ſemel jure remoti a ſacerdotali gradu nuſquam in illum omnino reſtituerentur. Similis plane ſententia legitur in capite 6. epiſtolæ Nicolai ad conſulta Arduici Archiepiſcopi Veſontionenſis apud Dacherium in Tomo 1. Spicilegii ibi: *Porro de presbytero, quod non poſſit reſtaurationem poſt lapſum recipere, ut multa prætereamus, Beatus Papa declarat Gregorius ad Sabinianum inter cetera ſcribens Jadertinum Epiſcopum, Presbyterum vero, inquiens, de quo nos fraternitas tua latoris præſentium relatione conſulit, nulla ratione in ſacro ordine poſt lapſum aut permanere, aut revocari poſſe cognoſcas.*

De Epiſtola ad Rhatoldum Epiſcopum Argentoratenſem.

Non ſunt contemnendæ Baluzii adnotationes ad canonem 15. cau. 33. qu. 2., qui hodie inſcribitur in vulgatis Gratiani Codicibus Nicolao Papæ Rhatoldo Epiſcopo Sanctæ Eccleſiæ Argentoratenſis ſcribenti, ait enim ille, in libro Sangermanenſi inſcriptionem canonis hanc fuiſſe: *Item Nicolaus Papa Rodulpho Epiſcopo Sanctæ Argenteæ retenſis*, in Regio libro: *Item Nicolaus Papa Radulpho Epiſcopo ſanctæ argenteæ retenſis Eccleſiæ*; olim vero ſcriptum fuiſſe *tretenſis*, poſtea prima litera *t* jugulata, in antiquo Codice Victorino: *Item Nicolaus Papa Rodulpho Epiſcopo ſanctæ Argenteæ utenſis*, in recentiore *ſanctæ Argenteæ erecenſis Epiſcopo*; in Codice Colbertino *ſanctæ Argenteæ recenſis*; in antiquis editionibus Moguntina, & Veneta *ſanctæ Eccleſiæ argenteæ retenſis*, ſive, ut ego lego in edito Codice vetuſtiſſimo, *Rhetenſis*. Burchardus, ex quo primum ceteri Collectores fragmentum derivaſſe videntur, ita inſcripſit in lib. 6. cap. 46. *Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Reverendiſſimo & Sanctiſſimo Radoldo Epiſcopo ſanctæ Argenteæ Retenſis Eccleſiæ*. Addit præterea Baluzius, teſtari B. Rhenanum in admonitione de Tertulliani dogmatis eandem lectionem reperiri in omnibus, quos ipſe vidit, Gratiani Codicibus, non excuſis

Can. 15. cau. 33. qu. 2.

Digitized by Google

excuſis modo, verum etiam manu. ſcriptis; reperiſſe ſe porro epiſtolam illam in veteri Codice adjunctam conſtitutionibus Provincialis Synodi, quam Magunciaci habuit Rhabanus Archiepiſcopus, in editione autem Rhenani ita legi: *Nicolaus &c. Ratholdo Epiſcopo ſanctæ Argentoratenſis Eccleſiæ*, quo poſtea modo apud Gratianum Demochares, & Contius emendaverunt; hinc recte Democharem, Contium, Romanoſque Correctores Ratholdi nomen pro Radulphi nomine repoſuiſſe, præſertim quod Radoldum nominet Burchardus memoratus, & ea tempeſtate vixerit Radoldus Argentoratenſis, ſeu Argentinenſis Epiſcopus, ſi fides eſt Jacobo Vvympheling in Catalogo Epiſcoporum Argentinenſium. Huc uſque Baluzius. Ego cum viderim Burchardi Codicem in pluribus a Gratiano diſſonare, imo ibidem integram epiſtolam exhiberi, hic deſcribendam cenſui, ut emendetur Gratianus aut ſuppleatur his verbis: *Dum univerſis mundi partibus credentium agmina Principis Apoſtolorum liminibus properant, quidam vir nomine Thiothart venit veſtræ beatitudinis epiſtolam gerens, quam noſtro contulit Præſulatui, cujus paginam prælegentes, matricidam illum eſſe cognovimus, quo facto multis fletibus, lacrymiſque profuſis valde doluimus. Idcirco præcipimus, & patrum almorum cenſuris ſtatuimus, ut ſub pœnitentiæ jugo permaneat, ita ut unum per annum Eccleſiam non ingrediatur, ſed ante fores Baſilicæ orans, ac deprecans Deum perſeveret, qualiter tanto eripiatur piaculo. Completo vero anni circulo introeundi in Eccleſiam licentiam habeat, tamen inter audientes ſtet, & nondum communicet. Completis autem trium annorum circulis, ſacræ communionis illi gratia concedatur. Oblationes vero non offerat, niſi poſtquam aliorum ſeptem annorum curricula expleantur. In his autem omnibus annis, atque temporibus carnem non manducet, nec vinum bibere præſumat, exceptis feſtis diebus, atque Dominicis, & a Paſcha uſque Pentecoſtes, & quocumque ire voluerit, nullo vehiculo deducatur, ſed pedibus proficiſcatur, armat non ſumat, niſi contra Paganos. Jejunet autem tres dies per hebdomadam uſque ad veſperum. A propria quidem, ac legitima ſua conjuge non ſeparetur, ne fornicationis voragine corruat, quod ne fiat optamus. Si autem ante trium annorum curſum finis vitæ illius adpropinquaverit, Corporis, & Sanguinis Domini Noſtri Jeſu Chriſti particeps fiat; ſin autem, ut ſupra ſtatuimus, efficiatur, tamen ſi illius converſationem, & lacrymarum fontem in omnibus videritis floridis actionibus, & optimis operibus pullulare, humanius circa eum veſtra ſollicitudo pervigil adpareat, mitiſque omnibus demonſtretur. Optamus vos in Chriſto bene valere.* Similis propemodum pœnitentia a Nicolao Pontifice præſtituta fuit cuidam Wimaro, qui tres ſuos liberos peremerat, quemadmodum liquet ex epiſtola ejuſdem Pontificis ad Rivoladrum (legunt alii Ronolardum) Epiſcopum 17. in priore Appendice. Addere his potes ſimilem fere impoſitam pœnitentiam rerum Eccleſiaſticarum invaſoribus, quemadmodum colligitur ex canone 17. cau. 12. qu. 2. Eadem fere verba Nicolai, qualia ſunt apud Burchardum, & Gratianum, edidit Baluzius in tom. 5. Miſcellaneorum, ſub nomine Decretorum Nicolai Papæ. Ceterum non eſt inveroſimile, quod jam adnotaverunt Romani Correctores, canonem eundem tribuendum potius eſſe Concilio Wormacienſi anni 868. ſive poſt annum ab obitu Nicolai Pontificis, a Burchardo primum adſcriptum Nicolao, quod inſcriptiones canonum transformare ſoleret, & Pontificibus Maximis ut plurimum coævis tribuere, quæ edita in particularibus Conciliis fuiſſent. Itaque in can. 30. Wormacienſis Synodi hæc leguntur. *Statuimus, ut parricidæ, & fratricidæ per unius anni curriculum ante fores Baſilicæ orantes Domini clementiam perſeverent. Completo autem anni curriculo, introducan-*

Digitized by Google

troducantur in Eccleſiam: tamen inter audientes, uſque dum unius anni ſpatium finiatur, ſtent, cum Miſſarum ſolemnia, vel alia ſacra audire officia venerint. His ita peractis ſi pœnitentiæ fructus in eis conſpicitur, Corporis, & Sanguinis Domini Noſtri Jeſu Chriſti participes fiant, ut deſperantiæ non indurentur caligine. Carnem non manducent omnibus diebus vitæ illorum, & jejunent uſque ad nonam horam diei quotidie, exceptis feſtis diebus, atque Dominicis. Abſtineant a vino, medone, atque cervisia mellita tres dies per hebdomadam. Arma gerere non audeant, vel ſumere, niſi contra Paganos. Et ubicumque ire maluerint, nullo vehiculo deducantur, ſed pedeſtri more proficiſci ſtudeant. Tempus autem hujus pœnitentiæ in Epiſcoporum ponimus arbitrio, ut ſecundum converſationem illorum aut extendere, vel minuere valeant. Ab uxoribus, ſi habuerint, non ſeparentur. Si autem non habuerint, & ſe continere non valuerint, legitimas accipiant in conjugio feminas, ne in fornicationis voraginem incidere videantur. Et ſi finis vitæ illorum venerit, antequam duorum prædictorum annorum finiantur curricula, viaticum illis non negetur. Addi his poteſt epiſtola Nicolai ad Epiſcopos Germaniæ, quæ habetur inter acta Concilii Moguntini anni 857. ubi eadem fere verba leguntur.

De Epiſtola ad Salomonem Epiſcopum Conſtantienſem.

Veteres Gratiani editiones canonem 2. cau. 15. qu. 5. tribuerunt Nicolao Papæ ſcribenti ad Solonem Epiſcopum Conſtantienſem. Sed recte recentiores emendaverunt pro Solone Salomonem ſcribentes, potiſſimum Ivonis auctoritate, qui non ſolum in Decreto parte 6. cap. 122., ſed etiam in epiſtola 206. ad Hildebertum Cenomanenſem Epiſcopum idem monumentum retulit ſub nomine Nicolai ad Salomonem Conſtantienſem. Sed præterea Baluzius in tom. 5. Miſcellaneorum ejuſdem Salomonis Epiſcopi mentionem fecit referens quædam capitula reſponſionum Nicolai Papæ ad legationem Salomonis Epiſcopi miſſi a Rege Ludovico Germanico. His addi poſſunt acta Concilii Triburienſis anni 895., quibus Salomon Conſtantienſis Epiſcopus ſubſcripſiſſe adgnoſcitur. Fateor tamen, hanc ipſam Nicolai epiſtolam demtis Ivonis in memoratis locis, nec non Gratiani fragmentis, inter cetera ejuſdem Pontificis monumenta deſiderari. Non inde vero ea erit rejicienda, ſive quod a ceteris Nicolai ſententiis minime diſſonet, ſive quod diſciplinæ illius ætatis congruere videatur. Conferantur cum his canones 6. & 39. diſt. 50. junctis iis, quæ ſuperius tradidi ad illorum interpretationem. Forte huc quiſquam referendam arbitrabitur (neque ego repugno) epiſtolam Nicolai ad Epiſcopos Germaniæ, quæ habetur inter acta Synodi Moguntinæ anni 857. Ibidem Nicolaus ita ſcribit inter cetera: *Sacerdotes illi, qui in crimine fornicationis fuerint accuſati, & crimen illis non fuerit comprobatum, aut ipſi non manifeſtaverint, quid aliud agendum eſt, niſi quod in Neocæſarienſis Sancti Concilii capitulo legitur, ac demonſtratur? Tamen ſi ipſi juramento ſe voluerint purificare, licentiam habeant. Similiter autem & Diaconi, ſi fuerint accuſati, peragant.* Notatu dignum eſt, inter eos Germaniæ Epiſcopos, ad quos hæc directa fuit epiſtola, recenſeri Salomonem Conſtantienſem; quamobrem non inveroſimiliter aget, qui Gratiani canonem cum deſcripto hujus epiſtolæ fragmento conciliabit.

Can. 2. cau. 15. qu. 5.

De Epiſtola ad Thadonem Archiepiſcopum Mediolanenſem.

Can. 23. cau. 17. qu. 4. Thadonem, ſive, ut alii ſcribunt, Tadonem fuiſſe temporibus Nicolai Eccleſiæ Mediolanenſis Epiſcopum facile demonſtratur, tum ex epiſtola ſcripta ab Epiſcopis conſtitutis in Regno Lotharii ad Epiſcopos conſtitutos in Regno Ludovici, quæ habetur apud Labbeum in recente Veneta editione tom. 10. pag. 230., tum ex Concilio Romano III. anni 863. can. 2., ubi fit mentio Thadonis Archiepiſcopi Mediolanenſis. Sed & fuiſſe præbitam illis temporibus occaſionem cædum, in odium præſertim virorum Eccleſiaſticorum apud Mediolanenſes, non obſcure indicatur ex iis, quæ ſuperius præjacta ſunt ad interpretationem canonis 1. diſt. 22., ubi nonnihil dicendum fuit de Petro Damiani ad Mediolanenſes Pontificia auctoritate Legato. Hæc ſane me plurimum movent, ut Nicolao ad Thadonem ſcribenti jure tributum agnoſcam canonem 23. cau. 17. qu. 4., ex quo ſane liquet humane admodum cum Mediolanenſibus rem fuiſſe a Nicolao geſtam; erant enim apud illos Schiſmatici numero plurimi ad unitatem Eccleſiaſticam leniter adducendi. Cum vero apud Ivonem in cap. 20. partis 10. Decreti idem Gratiani canon deſcribatur, aliquibus immutatis verbis, juvabit lectionem Ivonis hoc in loco exhibere, ut Codex Gratianeus emendetur apud eos, quibus major eſt Ivonis vetuſtioris, quam Gratiani recentioris exiſtimatio. Scripſit Ivo: *De Presbyterorum flagellatoribus, & occiſoribus, prædonibus ſcilicet, qui ſeculari brachio minime coercentur, juxta præceptum Domini, placet fraterno amore conveniantur ſecundo, ac tertio. Quique ſi te non audierint, conveniente Eccleſia eos Euchariſtia privare, atque ſi in ſua obſtinatione parvipendentes Sacerdotalia monita forte permanſerint, ab Eccleſiæ compage ſub anathematis interdictione reſecare licentiam tribuimus. Quos etiam reſipiſcentes, tandem digna ſatisfactione præmiſſa, in gremio Sanctæ Matris Eccleſiæ revocari noveris poſſe.*

De ceteris canonibus Nicolao I. Pontifici adſcriptis.

Can. 4. diſt. 33. Quæ ſuperſunt expendenda Gratiani monumenta adſcripta Nicolao I. Pontifici incerta admodum ſunt. Ex illis eſt in primis canon 4. diſt. 33., de quo Antonius Auguſtinus in lib. 2. de emend. Grat. Dial. 19. jam adſervit: *Id in incertis numerant ſelecti viri*. Si danda fides eſt Ivoni, ipſe in cap. 104. partis 11. ita eundem canonem exhibet. *Nicolaus Alvvino Jovavenſi Archiepiſcopo: Clerici, qui in adoleſcentia a Dæmonibus cognoſcuntur obſeſſi, ad ſuperiorem ſacri regiminis gradum accedere non poſſunt*. Plane jam ſuperius adnotaveram, quædam ſupereſſe fragmenta epiſtolarum Nicolai Papæ ad Adalvvinum Epiſcopum Juvavenſem; atque ad has epiſtolas facile referri poſſet memoratus can. 4., quoties integræ hodie extarent. Verum cum interierint, ſolæque ſuperfuerint breves quædam laciniæ, non erit inutile curare, ut iſtæ, qualeſcumque ſint, Nicolao tributæ ſententiæ, ſi fieri poteſt, ad generales ſacrorum canonum regulas exigantur. Jam Romani Correctores adnotaverunt, ſimilia quædam conſtituta fuiſſe in Concilio Arauſico 1. cap. 16. ibi: *Qui palam a Dæmone arrepti ſunt, aliquando non ſolum non adſumendi ad ullum ordinem clericatus, ſed etſi aliqui jam ordinati ſunt, ab impoſito officio repellendi*. Addi poterat canon 13. Concilii Toletani XI. ibi: *Bene majorum regulis definitum eſt, ut*

dæ-

dæmoniacis, aliiſque paſſionibus irretitis miniſteria ſacra tractare non liceat. Præ ceteris clarius id proſequitur Gelaſius Papa I. ita ſcribens in epiſtola ad univerſos Epiſcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam conſtitutos cap. 19. *Uſque adeo ſane comperimus illicita quæque prorumpere, &c.*, quæ habentur in can. 5. diſt. 33. quem integrum jam edidi ſuo in loco.

Incertæ etiam auctoritatis eſt canon 49. diſt. 50., & nuſquam illum repertum *Can. 49.*
eſſe teſtatur Antonius Auguſtinus in lib. 2. dial. 17. de emend. Grat. Ego puto *diſt. 50.*
tributam Nicolao eam ipſam Concilii Wormacienſis ſententiam, quæ legitur in can. 50. eadem diſt. 50., licet alia verborum ſpecie inducta; neque enim id novum eſt Collectoribus, cum ejuſdem ſæculi monumenta alia aliis interſerere ſolerent, vel ſubjicere non deſignato nomine auctorum; alias autem ſcimus, Concilium Wormacienſe celebratum fuiſſe anno circiter poſt obitum Nicolai. Quod ſi evidens in hanc rem mavis exemplum, illud exhibeo ſtatim in can. 15. cau. 33. qu. 2. qui licet Nicolao Pontifici tribuatur, idem tamen, uti ſuo loco diximus, videtur eſſe cum canone Concilii Wormacienſis. Quod ſi adhuc nonnihil ex monumentis Nicolai velis huc referre, in medio ego exhibere potero Nicolai ejuſdem epiſtolam, quæ adjicitur actis Concilii Moguntini ſcripta ad Epiſcopos Germaniæ, ubi inter cetera hæc leguntur: *De his, qui non ſponte homicidium commiſerunt, in vigeſimo ſecundo capitulo Ancyrani Concilii, qualiter agere debeant, definitum habetis*. Capitulum hoc Ancyrani Concilii habes in can. 42. diſt. 50.

Johannes Cochlæus in ſua collectione decretorum Nicolai Papæ, quod habetur *Can. 3.*
in canone 3. diſt. 97. ſcripſit pertinere ad epiſtolam miſſam ad Ludovicum Imperatorem, deinde paullo aliter canonis ſententiam delineavit, his verbis: *Licet* *diſt. 97.*
nunquam Apoſtolicæ Sedis modus fuerit, abſque ſignatis apicibus undecumque legationem ſuſcipere, nos tamen ſublimitatem veſtram in nobiliſſimo viro, ac ſtrenuo legato veſtro honorantes, ejuſque gravitatem, & eloquiorum illius veridicas cognoſcentes aſſertiones, nihilominus eum abſque epiſtola veſtra ſuſcepimus. Nonnulla his in Gratiani Codice addidit Pithœus, teſtatus hæc eidem canoni 3. eſſe ſubjicienda: *Illud vero, quod idem Auguſtus dicebat, fuiſſe conſuetudinis deceſſorum noſtrorum tempore, ut ex quocumque regno aliqua legatio ad Sedem Apoſtolicam veniret, Optimates Romani intereſſent, modo vero nullus interſit præter Arſenium, ita non eſt. Verumtamen quid intereſt, utrum in ſuſcipienda legatione omnes in unum Optimares Romani, an tres ex iis, vel duo, vel certe unus conveniat, dum tamen nihil reprehenſibile, nihil properum, Deo cuſtode, nos penitus ignoramus. Nam ſi reprehenſione aliquid dignum geritur, non tantum de non convocata turba a vobis, quantum a Domino de hoc, quod male geritur, potius redarguemur*. Unde vero hæc Pithœus depromſerit, non ſatis indicat, imo mihi non videntur cum ipſo Gratiani monumento ſatis conſonare, cum Gratianeus canon verba contineat epiſtolaria ad Principem directa, at verba Pithœi ita concepta ſint, ut ad tertium quendam de Principe ſcripta videantur. Ceterum quæ ibidem traduntur a Nicolao, generali diſciplinæ conveniunt etiam recentioribus temporibus confirmatæ in Extrav. 1. de electione verſ. *aſſerenti namque*. Ipſe etiam Nicolaus in epiſtola 2., quæ habetur in 1. Appendice epiſtolarum, Rhadoaldum, & Johannem Epiſcopos mittens in Franciam legatos, potiſſimum illud ſuaſit, ut non aliter ſuam perficerent legationem, quam ſolemnibus inſtructi Epiſtolis; & in epiſtola quam ſcripſit ad Salomonem Brittanorum Regem, ejuſque conjugem, apud Manſium tom. 1. Supplementi pag. 973. profeſſus, eſt ſe plurimum dubitare de ſug-

Digitized by Google

gemonibus nomine Principis ad ſe delatis, quod ex litteris quædam ſuſpiciones falſitatis emergerent. Quod ſi Nicolaus cum Ludovici Principis legato minus ſcrupuloſe agendum voluit, ex eo potiſſimum, quod legati fides per ſe ipſam extabat, nihil videtur, quod proponi poſſit adverſus monumentum illud, utpote quod exceptiones certis in caſibus admiſſæ generalibus regulis non officiant, ac diſciplinis.

Can. 2. cau. 2. qu. 2. De canone 2. cau. 2. qu. 2. nihil eſt, quod ego ſingulari animadverſione adjicere poſſum, poſtquam Romani Correctores, & cum illis univerſi eruditi viri obſervaverint, non debuiſſe eundem Nicolao Pontifici adſcribi, ſed potius Iſidoro Mercatori in Præfatione Conciliorum, eodem modo, quo perperam apud Gratianum laudatus eſt nomine Nicolai etiam canon 3. cau. 33. qu. 2., qui habetur in eadem Mercatoris præfatione. Abſtineo a referendis Pſeudo-Iſidori verbis, ſive quod parum habeant apud prudentiſſimos viros auctoritatis, ſive quod infinitus propemodum eſſem, ſi hujuſmodi, ſeu ſimiles ſententias facile ex omnibus fere Iſidorianis Epiſtolis apocryphis eruendas in medium proferrem.

Can. 3. cau. 6. qu. 3. Antonius Auguſtinus in dial. 15. lib. 2. de emendat. Grat. ad canonem 3. cau. 6. qu. 3. aſſerit, in ejus inveſtigatione divinum ſupereſſe implorandum auxilium, cum deſtituti ſimus humano. Clariſſimus Pithœus ad eundem canonem adjecit, illum referendum eſſe ad epiſtolam Nicolai ad Ludovicum Imperatorem, quod etiam adnotavit recentior Labbeanæ Collectionis editor Venetus in tom. 9. pag. 1533. ad marginem, ubi plura referuntur monumentorum Nicolai Papæ fragmenta. Gratianus paucis eandem ſententiam perſtrinxerat in can. 13. diſt. 50. ibi: *Sophronium Placentinum Epiſcopum merito reprobatum Nicolaus Papa ambos reconciliavit*. Mendum ſane in alterutro Gratiani loco notatur, cum qui in can. 13. appellatur Sophronius, deinde in can. 3. appelletur Suffredus. Quidquid tamen ſit, ego facile adduci non poſſum eo, ut canonem iſtum habeam tanquam certum & genuinum Nicolai Pontificis monumentum. Me enim plurimum movet altum, quod in omnibus Nicolai I. actis ſervatur, ſilentium; quamquam enim ut plurimum hoc argumentum a ſilentio deductum non ſatis firmum per ſe ſit, quouſque aliis non juvatur conjecturis, in hac tamen re apud me graviſſimum eſt. Nimirum novi temporibus Nicolai, plures non ex Epiſcopis tantum, ſed etiam ex Presbyteris fuiſſe Epiſcopali, ſeu Synodali auctoritate depoſitos, dejectoſque, eoſque ferme omnes ad Sedem Apoſtolicam appellatione interpoſita confugiſſe, plurimos etiam in priſtinam Sedem, & Dignitatem reſtitutos. At novi præterea, quot fuerint in hac materie concertationes Epiſcoporum, & quot illarum adhuc in præſentia monumenta ſuperſint. Sufficit in hanc rem evolvere acta Codicum, quæ a Collectoribus ſub Nicolai temporibus congeſta ſunt, & paſſim occurrent præ oculis Epiſcopi, Presbyterique dejecti, pluribus dejectione confirmata judiciis, ac tandem non ſine maxima animorum hinc illinc contendentium exagitatione reſtituti. Cum vero frequentiſſima ibidem ſit ceterorum qua dejectorum, qua reſtitutorum, & quidem pluries iterata mentio; nullibi autem ne verbum quidem de Suffredo, ſive Sofronio fiat, qui a Gratiano Placentinus Epiſcopus dicitur, non video, qua de cauſſa Gratiano ſit adhærendum. Unum forte quemquam morari poſſet Anaſtaſii Bibliothecarii monumentum, videlicet Anaſtaſius Nicolao Papæ coævus in ejuſdem Pontificis vita ita ſcribit: *Nihilominus Seufredum Placentinæ Sedis Antiſtitem, a Sede propria cujuſdam Paulli diaconi perfidia pulſum, per Legatos ſuos idem Papa Sedi ſuæ reſtituit, & eundem Diaconum, qui Sedem illam proprio rectore ſuperſtite præſumſit inva-*

invadere, *competenti cum ſuis ſequacibus increpatione corripuit*. *Pro cujus etiam infauſta*, *nefariaque præſumtione penitus amputanda ſanctitatis ſtudio juſſit*, *& pro pace Dei Eccleſiæ ipſi jam fato præcepit Diacono*, *ut nec tale quid unquam tentaret peragere*, *nec eandem Sedem Placentinam*, *ſive viveret Seufredus*, *ſive moreretur Epiſcopus*, *repetere præſumeret*, *vel recipere*. Sed hæc cum in ipſis Nicolai monumentis deſiderentur, facile quidem occaſionem præbere potuerunt recentiori alicui Collectori, nonnulla ad hanc ipſam rem pertinentia comminiſcendi, non tamen ſatis exinde deduci poteſt, memorata Gratiani verba haberi poſſe tanquam firmum & ſolidum Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtabiliendæ præſidium. Ceterum ſi nihilominus forte quiſquam monumentum iſtud velut germanum velit agnoſcere, ſequi commode poterit Manſium, qui in Supplemento Labbeano tom. 1. pag. 995. illud refert ad Concilium Romanum VII. Nicolai.

Non immemor diu in inveſtigando auctore canonis 4. cau. 12. qu. 1., jam enim ex decreto Ivonis & Burchardi codice collegerunt viri eruditi, canonem illum non ad Nicolaum Papam, ſed ad Saligunſtadinenſe Concilium pertinere. Revera in canone 12. ejuſdem anno circiter 1022. celebrati ita legimus: *Statutum eſt etiam, ut ædificia Laicorum, quæ Eccleſiis adjuncta ſunt, auferantur, & nulla in atrio Eccleſiæ ponantur, niſi tantum Presbyterorum*. (Can. 4. cauſ. 12. qu. 1.)

Neque præterea diu immorandum eſt in inveſtigando auctore canonis 1. cau. 16. qu. 5. falſo tributi Nicolao Pontifici, qui tribuendus potius erat Concilio Arauſicano I., etenim in canone 10. ejuſdem, qui etiam relatus eſt inter canones Concilii Arelatenſis II. num. 36., hæc leguntur. *Siquis Epiſcopus in alienæ Civitatis territorio Eccleſiam ædificare diſponit, vel pro agri ſui, aut Eccleſiaſtici utilitate, vel quacumque ſua opportunitate, permiſſa licentia, quia prohiberi hoc votum nefas eſt, non præſumat dedicationem, quæ illi omnimodis reſervanda eſt, in cujus territorio Eccleſia aſſurgit: reſervata ædificatori Epiſcopo hac gratia, ut quos deſiderat Clericos in re ſua videre, ipſos ordinet is, cujus territorium eſt: vel ſi jam ordinati ſunt, ipſos habere acquieſcat, & omnis Eccleſiæ ipſius gubernatio ad eum, in cujus Civitatis territorio ſurrexit, pertinebit. Et ſiquid ipſi Eccleſiæ fuerit ab Epiſcopo conditore conlatum, is, in cujus territorio eſt, auferendi exinde aliquid non habeat poteſtatem. Hoc ſolum ædificatori Epiſcopo credimus reſervandum*. Addo his ſequentem canonem, qui etiam eſt numero 37. in Concilio Arelatenſi II., cum & iſte non mediocrem poſſit Gratianeo canoni lucem adferre. *Quod ſi etiam quicumque Eccleſiam ædificaverit, & alium magis, quam eum, in cujus territorio ædificat, invitandum putaverit; tam ipſe, qui contra conſtitutionem, vel diſtrictionem gratificari vult, quam omnes Epiſcopi, qui ad hujuſmodi dedicationem invitantur, conventu abſtinebuntur; ſi ordinem exceſſerit, in reatu revocabitur*. Erant ſane hæc prima juriſpatronatus, ſeu juris præſentationum initia, quæ ſi conveniunt aut Arauſicano I., aut Arelatenſi II. Conciliis, quorum tempore nondum jus præſentandi receptum fuerat, ſed libera erat, ſicut ordinatio Clericorum, ita beneficiorum collatio, non potuerunt tamen amplius congruere temporibus Nicolai I., a quo propterea jure optimo memoratus canon eſt abjudicandus. (Can. 1. cau. 16. qu. 5.)

Canon 3. cau. 26. qu. 7. integer legitur in epiſtola Nicolai jam ſuperius memorata ad Rodulfum Archiepiſcopum Bituricenſem edita primum abs Johanne Cordeſio, & ex eo a ceteris recentioribus Collectoribus cap. 4. ibi: *De his vero, qui pro criminibus pœnitentiam gerunt, & ad cingulum militiæ revertuntur, conſtat eos* (Can. 3. cau. 26. qu. 7.)

contra

contra ſacras regulas agere. Verum quia crimina non æqualia ſunt, perhibeſque alios horum propter nimiam hebetudinem in deſperationem adiiſſe, alios ob hoc ad Paganos fugiſſe, tibi hoc committimus decernendum, nimirum qui loca, & tempus regionis illius, modumque culpæ, nec non & pœnitentiam, & gemitus hominum ad confeſſionem venientium, præſens poſitus inſpicere vales.

In lib. 2. de emendat. Grat. Dial. 18. ait Antonius Auguſtinus de canone 1. Can. 1. cau. 30. qu. 2. cau. 30. qu. 2. *Inſcriptionem non aliam inveni, quam hanc, Nicolaus Papa, apud Ivonem, & Gratianum, & Bernardum Papienſem, & Raymundum. Fontem tu nobis oſtendes. B. Nili fontibus obſcurior eſt.* Sane apud Gregorium IX. nonnulla adjiciuntur Gratiani verbis, aliqua etiam immutantur in cap. 2. de deſponſat. impub. Ego in his tantum agnoſco ſententiam quamdam Nicolai Pontificis, quæ habetur in reſcripto ejuſdem ad Bulgaros, deinde apud auctorem Panormiæ, & eum ſecutum Gratianum paullo aliter digeſtam, quemadmodum in more habuerunt Collectores. Porro Nicolaus in memorato reſcripto cap. 3. Bulgaros docens, qua ratione ſint contrahenda ſponſalia, ait: *conſenſu eorum, qui hæc contrahunt, & eorum, in quorum poteſtate ſunt, celebrantur.* Quæ vero apud Gregorium IX., quemadmodum & in prima Decretalium Collectione, adjecta fuerunt, ex recentiorum placitis profluxerunt; etenim ſæculo Eccleſiæ duodecimo cœpit non improbari conjugium etiam inter impuberes, dixerim melius, tolerari, dum graviſſimæ emergerent cauſſæ. Similem conſtitutionem ad hanc rem proferre poſſum ex Manſii Supplemento Labbeano tom. 2. pag. 670., ibidem enim referuntur canones quidam Concilii ſub Ricardo Archiepiſcopo Cantuarienſi habiti anno 1173., atque inter eos num. 35. legitur ita conceptus: *Non contrahatur matrimonium inter aliquos infra annos, niſi ex diſpenſatione inter Principes, vel magnos viros, reconciliationis, vel pacis cauſſa.* Forte ex canone iſto profluere potuit exceptio tradita in dicto cap. 2. de deſponſat. impub., & quoniam Nicolao tributa erant priora canonis verba juxta ea, quæ ediderat Gratianus, facile etiam ſub Nicolai ejuſdem nomine potuit eadem exceptio tradi.

Quod ſub Nicolai nomine deſcribitur in can. 57. de conſ. diſt. 4. legimus apud Ivonem in parte 1. decreti cap. 87. ſub hac inſcriptione: *Nicolaus Papa Johanni* Can. 57. de conſ. diſt. 4. *Archiepiſcopo Ravennæ.* Deinde ſequitur fragmentum his verbis: *Catechiſmi baptizandorum a Sacerdotibus uniuſcujuſque Eccleſiæ poſſunt fieri, ſicut in ſancta hac Romana, cui Deo auctore miniſterium famulatus noſtri exhibemus, Eccleſia, ſolemniter fieri comprobatur.* Hæc ad Johannem Ravennatem epiſtola hodie non ſupereſt; attamen Ravennatenſi Eccleſiæ temporibus Nicolai præfuiſſe Johannem Epiſcopum minime dubito, cum ejus fiat mentio in epiſtola ejuſdem Pontificis ad Adonem Viennenſem Archiepiſcopum, quæ eſt 59. in editione Labbeana. Ejus autem canonis occaſio, qua nimirum quæreretur, an liceret in unaquaque Eccleſia ſingularem catechiſmum baptizandis proponere, non aliena eſt a Nicolai ipſius temporibus; tunc enim non ignoramus rerum divinarum ſtudia inſtaurata in Eccleſiis, quemadmodum deducitur ex canone 10. inter Lingonenſes propoſitos Concilio Tullenſi I. apud Saponarias anni 859., ac proinde facile fuit varias propoſitas in variis Eccleſiis methodos, quibus Catechiſtæ ad baptizandorum inſtitutiones uterentur. Atque id ſufficere poteſt, ut veroſimilis ſaltem in re obſcura laudati canonis fides, atque auctoritas habeatur.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT LXXVIII.

De Johanne VIII.

Hadriani II., qui Nicolao in Romano Pontificatu ſucceſſit, nullum apud Gratianum monumentum extat, dummodo excipias canonem 1. diſt. 63., quem jam expendi in prima operis parte, ubi actum eſt de octavo generali Concilio; quamobrem ad monumenta progredior, quæ Johanni VIII. apud Gratianum adſcribuntur. Sunt autem ſequentia.

Ex epiſtola ad omnes Epiſcopos.	*Can.* 21. *cau.* 17. *qu.* 4. *ex variis variorum monumentis congeſtus.*
Ex epiſtola ad Roſtannum Epiſcopum.	*Can.* 47. *cau.* 27. *qu.* 2. *incertæ admodum auctoritatis.*
Ex epiſtola ad Cenomanticum Epiſcopum Uticenſem.	*Can.* 4. *diſt.* 50. *non diſſonat a germana Johannis doctrina.*
Ex epiſt. ad Anſelmum Epiſcopum Eccleſiæ Lemovicinæ.	*Can.* 7. *cau.* 30. *qu.* 1. *paullo varius in diverſis exemplaribus.*
Ex epiſt. ad Vulibertum Epiſcopum Agrippinenſem.	*Can.* 4. *diſt.* 100. *illius temporis adjunctis maxime conſonat.*
Ex epiſt. ad Clerum, & ordinem Salonitanum.	*Can.* 109. *cau.* 11. *qu.* 3. *paullo varius in diverſis exemplaribus.*
Ex epiſt. ad Paullum Epiſcopum Legatum in Pannonia, & Germania.	*Can.* 14. *cau.* 16. *qu.* 3. *jungendus cum can.* 17. *cau.* 16. *qu.* 3., *& ex adjunctis illius ætatis explicandus.*

Ex

Digitized by Google

Ex epiſt. ad Ludovicum Regem.	*Can.* 17. *cau.* 16. *qu.* 3. *jungendus cum can.* 14. *cau.* 16. *qu.* 3. *& ex adjunctis illius temporis explicandus.*
Ex epiſt. ad Demagum Ducem.	*Can.* 12. *cau.* 23. *qu.* 8. *conſonat cum aliis ejuſdem Papæ ſententiis.*
Ex epiſt. ad Angelbergam Imperatricem.	*Cau.* 1. *cau.* 23. *qu.* 8. *incertæ fidei, atque auctoritatis.*
Adjiciuntur.	*Can.* 10. *diſt.* 10. / *Can.* 3. *diſt.* 86. *ſimul jungendi, & ad Johannis VIII. epiſtolas parum tuto referendi.* *Can.* 11. *diſt.* 96. *non congruit Johannis VIII. temporibus.* *Can.* 12. *cau.* 3. *qu.* 4. *conſonat æque & Nicolai I., & Johannis VIII. monumentis.* *Can.* 26. *cau.* 23. *qu.* 5. *pertinet ad Concilium Ravennatenſe anni* 877.

Difficillima fuerunt tempora, quibus Johannes VIII. Sedem Apoſtolicam tenuit poſt obitum Hadriani II., nimirum ab anno 872. uſque ad finem anni 882. Occidentales Chriſtianæ Provinciæ quatiebantur diuturnis contentionibus, quas mortuo Ludovico II. Imperatore trium in imperio, regnove ſucceſſorum Caroli Calvi, Ludovici Balbi, & Caroli Craſſi diſcidia pepererant: Orientalis Eccleſia adhuc turbabatur Photiano ſchiſmate; Photius enim nullum non lapidem movebat, ut Conſtantinopolitanam Sedem iterum occuparet, quemadmodum tandem occupavit mortuo Ignatio Patriarcha, ipſomet Johanne Pontifice lato ſuffragio conſentiente. Demum graviſſimas moleſtias pati idem Pontifex debuit ob inferendas Sarracenorum incurſiones, qui univerſam Italiam miſerando ſqualore confecerant, adeo ut neceſſarium fuerit libertatem annui cenſus promiſſione quoquo modo redimere. Hæc juvat initio generaliter attigiſſe, in quorum conſpectu ad interpretationem Gratianeorum canonum accederemus.

De epiſtola ad omnes Epiſcopos.

Can. 21. *cau.* 17. *qu.* 4. Fuit quidem Gratiano præbita occaſio, tribuendi Johanni VIII. canonem 21. cau. 17. qu. 4., ſive quod præcipua, quæ in illo exhibetur ſententia, revera habeat Johannem VIII. auctorem, ſive quod ejuſdem Pontificis nomine apud vetuſtiores Collectores laudatus idem canon fuerit; at vero non omnia verba ita captanda ſunt, ut habeantur velut germana illius Papæ decreta. Multa quippe apud Gratianum ſunt immutata, multa abs Johanne traduntur non quaſi propria, ſed quaſi tum a vetuſtis, tum a recentioribus Imperatorum legibus derivata. In editione Conciliorum inter acta Concilii Tricaſſini II. 878. ſub Johanne celebrati hæc epiſtola legitur: *Johannes Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus Epiſcopis, Comitibus, Vice-Comitibus, Centenariis, Judicibus Catholicis in Hiſpania, & Gothia Provinciis degentibus, omni-*

que

que populo occidentali Catholico, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Noveritis, dilectiſſimi Filii, quia nos pro ſtatu ſanctæ Dei Eccleſiæ juſſimus congregari Synodale Concilium apud urbem Trecas. Ubi ſedentibus nobis in corona, venit ante præſentiam noſtram Sigebodus (legunt alii: *Sineboldus*) *primæ Sedis Narbonenſis Epiſcopus, cum ſuis Suffraganeis Epiſcopis, & detulit nobis librum Gothicæ legis, ubi nihil habebatur de ſacrilegiis, & in eiſdem legibus ſcriptum erat, ut cauſſæ, quas illæ leges non habent, non audirentur a judicibus illius patriæ, atque ita jus Sanctæ Eccleſiæ ſuffocabatur ab incolis Galliæ, & Hiſpaniæ Provinciis. Unde noſtra ſerenitas cum præſcriptis Epiſcopis inſpectis legibus Romanis, ubi habebatur de ſacrilegiis, invenimus ibi a Juſtiniano Imperatore legem compoſitionis ſacrilegii conſtitutam in quinque libras auri optimi. Sed nos leniorem legem præcipimus eſſe tenendam, quæ a Carolo eſt conſtituta pio Principe de compoſitione ſacrilegii, videlicet in triginta libras examinati argenti, ideſt ſexcentorum ſolidorum ſummam argenti puriſſimi. Ideoque quiſquis inventus fuerit reus ſacrilegii, iſtam leviorem compoſitionem emendet Epiſcopis ipſis, vel Abbatibus, ſive perſonis, ad quas querimonia ſacrilegii juſte pertinuerit; & ſi ipſe reus ſacrilegii facere noluerit, tamdiu excommunicationi ſubjaceat, uſquequo prædictam compoſitionem ſexcentorum ſolidorum perſolvat. Et ſi in hac obſtinatione mortuus fuerit, corpus ejus cum pſalmis, & hymnis non deferatur ad ſepulturam. Et præcipimus, ut in fine codicis legis mundanæ ſcribatur hæc lex.* Hæc ipſa verba referuntur etiam apud Ivonem in parte 3. decreti. cap. 98. Inſcriptionem aliam ejuſdem monumenti nobis exhibet ex vetere quodam libro Antonius Auguſtinus in dial. 9. lib. 2. de emend. Grat. his verbis: *Lex ſacrilegum edita a Johanne Papa coram ſereniſſimo Ludovico Imperatore, & Epiſcopis LIII. in Concilio Trecacenſi, & eorum auctoritate juncta Gothicæ legi: per defectum ſacrilegii.* Initium autem epiſtolæ his continetur. *Johannes Epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus Epiſcopis per Narbonenſem, atque Hiſpanicas Provincias conſiſtentibus, Abbatibus, Presbyteris, cunctiſque ſimul Ordinibus miniſterio mancipatis, necnon Comitibus, Vice-Comitibus, Vicariis, Centenariis, Judicibus, & omnibus in poteſtatibus conſtitutis, & omni populo, & cunctæ ſimul generali Eccleſiæ ſalutem cariſſimam cum benedictione Apoſtolica. Auctore omnipotenti Deo mediante, Incarnationis Domini Noſtri Jeſu Chriſti an.* DCCCLXXXVIII. *XV. Kalend. Septembris Indict.* 1. *Domno videlicet Ludovico Sereniſs. Rege anno* 1. *actum eſt hoc a nobis apud urbem Trechas pro ſtatu Sanctæ Dei Eccleſiæ Synodale Concilium &c.* Ibidem tamen monet Antonius Auguſtinus erratum eſſe, & pro notis illis *an.* DCCCLXXXVIII. *Indict.* 1. ita legendum putat *an.* DCCCLXXVIII. *Indict.* 11., ut poſſit Johannis VIII. temporibus convenire. Ut interpreteris hanc Johannis epiſtolam actis Tricaſſini Concilii inſertam, obſervare debebis in primis nomine Gothiæ Provinciæ intelligi Galliam Narbonenſem, utpote quæ fuit una cum Hiſpania Gothis obnoxia; illi autem Narbonenſi Provinciæ præfuiſſe Sigebodum, ſeu Sineboldum ſuperius memoratum, qui vehementer optaverat, ut Imperiales leges adverſus ſacrilegos latæ Gothicarum legum codicibus infererentur. Videatur Baluzius in notis ad Capitularia Francorum tom. 2. Capitul. pag. 1118., & 1287. Non poterat præberi occaſio magis opportuna renovandis Imperatorum legibus antiquis adverſus ſacrilegos, quam in eo ipſo Concilio, in quo & Ludovicus Princeps, & Johannes Pontifex Maximus publico Eccleſiæ bono interfuiſſe feruntur, quemadmodum facile demonſtrari poteſt exactis Concilii, prout habentur in tom 2. Capitularium Francorum Baluzianæ editionis pag. 274. & ſequentibus,

ubi inter cetera habetur allocutio Papæ ad Ludovicum Regem. Alias autem operæ prætium erat, ut leges adverſus ſacrilegos latæ utriuſque poteſtatis auctoritate, vel interceſſione reſtaurarentur; etenim cum Sarracenorum vi ſacra omnia turbata fuiſſent in ſcandalum bonorum omnium, per legum ſanctarum reſtaurationem ſacra omnia in priſtinum decus decebat, honoremque reſtitui. Obſervandum præterea erit, duplicis generis leges in medium productas fuiſſe ab Johanne VIII., quarum aliæ ex vetuſto Romanorum Codice, aliæ ex Carolinis libris derivarentur. Ex vetuſto Romanorum Codice, ſive ex Codice Juſtinianeo laudatam voluit Johannes legem Arcadii, & Honorii, quæ habetur in l. 13. Cod. de Epiſc., & Cler. ibi: *Si venerabilis Eccleſiæ privilegia cujuſquam fuerint vel temeritate violata, vel diſſimulatione neglecta, commiſſum hoc quinque librarum auri condemnatione plectetur*. Ex Carolinis legibus voluit laudatam Johannes eam Caroli Magni Imperatoris Conſtitutionem, quæ legitur in lib. 2. legum Longobardarum tit. 39. num. 4. ibi: *Siquis in immunitate damnum aliquod fecerit*, DC. *ſolidos componat; ſi autem homo furtum, aut homicidium, vel quodlibet crimen foris committens, & infra immunitatem fugerit, mandet Comes Epiſcopo, vel Abbati, vel Vice-Comiti, aut qui locum Epiſcopi, vel Abbatis tenuerit, ut reddat ei eum. Quod ſi ille Epiſcopus, ſive Abbas, ſive Cuſtos contradixerit, & eum reddere noluerit, in prima contradictione ſolidos* XV. *culpabilis judicetur. Si autem ad ſecundam requiſitionem eum reddere noluerit, ſolid.* XXX. *culpabilis judicetur. Si nec ad tertiam inquiſitionem conſentire noluerit, quidquid reus damnum fecerit, totum ille, qui infra immunitatem eum retinet, nec reddere vult, ſolvere cogatur. Et ipſe Comes unicus habeat licentiam ipſum hominem infra immunitatem quærendi, ubicumque eum invenire potuerit, Si autem ſtatim in prima inquiſitione Comiti reſponſum fuerit, quod reus infra immunitatem quidem fuiſſet, ſed fuga lapſus eſt, ſic ſtatim juret, ſive Epiſcopus, ſive Abbas, ſive Cuſtos, quod ipſe eum ad juſtitiam cujuslibet diffaciendam fugere non feciſſet, & ſit ei in hoc ſatisfactum. Si autem intraverit in ipſam immunitatem Comes collecta manu, & quislibet reſiſtere tentaverit, Comes hoc factum ad Regem, vel ad Principem deferat, ubi judicetur, ut ſicut ille, qui in immunitate damnum fecerit*, DC. *ſolidos componere debet, ita qui Comiti collecta manu reſiſtere tentaverit, vel præſumſerit*, DC. *ſolid. culpabilis judicetur*. Hanc Caroli Magni legem voluit inſuper habitis veterum conſtitutionibus executioni demandari Johannes Papa, ſubjiciens in Codicibus *mundanæ legis* hanc ipſam Conſtitutionem eſſe adſuendam. Addidit Johannes, excommunicationis pœnæ ſubjectum eſſe eum, qui pœnas indictas minime lueret, quod ſane jam aliis Conciliorum decretis nuper fuerat ſtabilitum, uti liquet ex Capitulari II., quod Baluzius retulit ad annum 814. in tom. 1. Capitul. Francorum pag. 519. cap. 12. præſertim in illis verbis: *Talium vero ſcelerum patratoribus, niſi poſt prædictam ſatisfactionem, nec vivis, nec mortuis communicare debemus*.

Expoſui integram, ac germanam Johannis VIII. ſententiam; nondum tamen iſta ſufficere videntur ad interpretationem memorati canonis 21. cau. 17. qu. 4., nam hujus canonis verba quidem priora uſque ad verſiculum *Sacrilegium committitur* facile ad ea, quæ dicta ſunt, exiguntur; ſed verba, quæ ſubſequuntur a laudato verſiculo uſque in finem canonis, alio referri neceſſario debent. Itaque quæ exhibentur in verſ. *Sacrilegium committitur* ſunt non Johannis VIII. Papæ, ſed Ivonis, qui voluit clarius exprimere in cap. 98. partis 3. decreti, quod ex Johanne

Papa

Papa deſcripſerat; nam ipſe poſtquam exaravit verba Johannis VIII. quæ ſuperius edidi, ſtatim proſequitur Ivo: *Huc uſque lex Papæ*, ac deinde hæc ſubjicit: *Sacrilegium enim committitur, ſiquis infregerit Eccleſiam, vel xxx. eccleſiaſticos paſſus, qui in circuitu Eccleſiæ fuerint, vel in domibus, quæ infra prædictos paſſus fuerint, aliquid inde diripiendo, vel auferendo, ſeu qui injuriam, vel ablationem rerum intulerit, Clericis arma non ferentibus, vel Monachis, ſive Deo devotis hominibus, eccleſiaſticis perſonis. Non enim cappellæ, quæ infra ambitum murorum caſtellorum ſunt, mittuntur, vel ponuntur in hac obſervatione. Similiter etiam ſacrilegium committitur auferendo ſacrum de ſacro, vel non ſacrum de ſacro, ſive ſacrum de non ſacro. Non ſacrum vero de non ſacro, quia non poteſt computari in crimine ſacrilegii, ſecundum mundanarum legum cenſuram debet emendari, vel ſecundum morem patriæ*. Quæ ſequuntur in verſ. *Siquis domum Dei* apud Gratianum, pertinent ad Concilium Ravennæ habitum ab Johanne VIII. convenientibus 136. Epiſcopis anno 877., in quo hæc leguntur can. 5. *Siquis domum Dei violaverit, & aliqua ſine licentia illius, cui commiſſa eſſe dignoſcitur, inde abſtulerit, vel eccleſiaſticis perſonis injuriam fecerit, donec conventus, & admonitus legitime ſatisfaciat, ſciat ſe communione fore privatum. Si vero poſt ſecundam, & tertiam conventionem coram Epiſcopo ſatisfacere detrectaverit, ſacrilegii periculo ab omnibus obnoxius teneatur, ita ut ſecundum Apoſtolum nemini fidelium miſceatur*. Demum quæ legimus a verſ. *Siqui monaſteria* uſque in finem apud Gratianum, referenda erunt ad Concilium Meldenſe anni 845., in quo can. 60. ita decretum agnoſcimus. *Ut hi, qui monaſteria, atque ſacrata loca, vel Eccleſias infringunt, & depoſita, vel alia quælibet exinde abſtrahunt, & Sacerdotes, ac viros eccleſiaſticos non ſolum dehonorant, verum & diverſo, atque adverſo modo affligunt, velut ſacrilegi canonicæ ſententiæ, quæ ex his decreta eſſe dignoſcitur, ſubigantur*.

De epiſtola ad Roſtannum Epiſcopum.

In veteribus Gratiani codicibus hæc erat adjecta inſcriptio canoni 47. cau. 27. qu. 2. *Johannes Chriſoſtomus Roſtanno Archiepiſcopo*. Romani Correctores Gratiani erratum emendaverunt ex Codice Ivonis, qui in parte 14. decreti cap. 64. eadem verba referens, hanc exhibet inſcriptionem: *Johannes VIII. Roſtanio Archiepiſcopo*. Alius eſſe nequit Archiepiſcopus iſte, quam Roſtagnus Arelatenſis, qui pluribus Conciliis Johannis VIII. temporibus celebratis interfuit, atque ſubſcripſit. Ad eundem plures extant Papæ Johannis epiſtolæ, quales exhiberi poſſunt 93. 94., & 103., quibus patet Roſtagnum Arelatenſem vetera Sedis ſuæ privilegia iterum obtinuiſſe ab Apoſtolica Sede, nimirum ut Apoſtolicæ Sedis Vicarius conſtitueretur, quod ſe confirmaviſſe Johannes idem Papa teſtatur in epiſt. 95. ad univerſos Epiſcopos Galliæ. An vero epiſtola illa, quam memorato in canone Gratianus, & ante Gratianum Ivo recenſuit, revera Johanni adſcribenda ſit, plurimum dubito, non tam ex eo, quod eadem inter ceteras epiſtolas a collectoribus editas non reperiatur, quam ex eo, quod veroſimiles in contrarium urgeant conjecturæ, & quæ in eo canone traduntur editis aliis monumentis non bene conveniant. Enarratur ibidem, Athonem conqueſtum fuiſſe uxorem, vel ſponſam ſuam fuiſſe ab alio raptam. Cauſſæ cognitionem Roſtagno mandavit Johannes

Can. 47. cau. 27. qu. 2.

hannes, ut illa diſcuteretur in Concilio Epiſcoporum, quod in vim Apoſtolici Vicariatus a Roſtagno celebraretur, & ibidem raptor, & rapta communione privarentur, quoties primum conjugium quoquomodo turbarent. Scio quidem Arelatenſi Epiſcopo inter cetera Vicariatus privilegia illud potiſſimum fuiſſe conceſſum, ut Gallicanorum Antiſtitum conventus idemtidem celebraret in gravibus cauſſis, quemadmodum ex literis abs Johanne VIII. ad illum datis 93., & 94. facile colligitur; at non video, cur mandari debuiſſet Roſtagno, ut in leviſſima, ac facili quadam cauſſa ſingulorum, in qua de raptu feminæ ageretur, Suffraganeorum ſuorum Concilium convocaret. *Siqua inquiſitio de fide* (ſcribit Johannes ad eundem Arelatenſem Antiſtitem in dicta epiſtola 94.) *vel fortaſſe aliarum rerum inter Epiſcopos cauſſa emerſerit, quæ diſcerni difficilius poſſit, collectis duodecim Epiſcopis ventiletur, atque decidatur &c.* In epiſtola etiam 95. ubi Johannes certiores reddit Gallicanos Epiſcopos de facultate Epiſcopo Arelatenſi conceſſa, ita ſcribit: *Cui etiam injunximus, ut ſi quarundam cauſſarum tale fuerit certamen exortum, in quo aliorum præſentia opus ſit, congregatis ſibi numero competenti fratribus, & Coepiſcopis noſtris, ſalubriter ſervata hoc æquitate diſcutiat, & canonica auctoritate definiat.* Me præterea admodum movet, quod legitur inter acta Concili Tricaſſini anno 878. celebrati, ubi num. 5. legitur monumentum ſub hac inſcriptione. *Statutum Johannis Papæ adverſus laicos, qui viventibus uxoribus alias ducunt, & contra Epiſcopos, qui de minore ad majorem Eccleſiam ambitus cauſſa demigrant.* Verba Johannis VIII. iſta ſubſequuntur. *Inter nonnulla neceſſitatum a ſancta Synodo reclamatum eſt, quod laicorum quidam, ſortitis primo legaliter conjugiis, poſtpoſito Dei timore, ſecundi, vel tertii, adhuc uxore vivente, conjugii copulam contrahant. De quibus Otilo quidam, intra Parochiam Roſtagni Arelatenſis Epiſcopi, & Eooldus intra Ottramni Viennenſis Archiepiſcopi, talia feciſſe multorum fama refertur . . . . Nos quoque eorum, quos veneranter imitamur, atque complectimur, quorumque ſtatutis conſentimus, Eccleſiarumque gubernationem tenemus fulti virtute interdicimus, & inhærendo prohibemus, ne quiſquam catholicorum taliter audeat amodo, & deinceps agere, & ſi, ut non optamus, hactenus quidquam taliter actum eſt, digna pœnitudine eccleſiaſtica corrigatur. Denique hac auctoritate apoſtolica virtute Dei noſtri intercedimus, ut . . . laici redeant ad primum conjugium, ſin autem vinculo anathematis innodentur.* Quicumque conferet monumentum iſtud cum laudato Gratiani canone, facile animadvertet, quantum diſcrepent invicem duo illa fragmenta in ea ipſa, quæ utrobique meo judicio proponitur, cauſſa; ego enim Athonem apud Gratianum non alium eſſe puto, quam Otilonem illum, de quo ſermo inſtitutus eſt in Concilio Tricaſſino, ſive in ſtatuto Johannis Tricaſſini Concilii actis adjecto, niſi dicere malis duplicem ſimilem controverſiam tunc in eadem Roſtagni Diœceſi emerſiſſe, de qua ſeparatim Johannes aut ſcribere, aut ſtatuere voluiſſet. Cum vero id inveroſimile prorſus videatur, alias Athonis, & Otilonis nomina maxime affinem habeant ſonum, unde diverſitas ex una Amanuenſium oſcitantia profecta videatur, mihi facile perſuadeo, canonem 47. Gratianeum confectum fuiſſe ab auctore incerti nominis, qui vellet ſententiam Johannis Papæ paucis perſtringere adverſus raptores, illamque a ceteris ſententiis in eodem ſtatuto contentis adverſus nonnullorum Epiſcoporum inertiam ſeparare; quam dum ſejungeret ſtylum immutando, ſententiam quoque ipſam præcipuam Johannis inflexit, atque a facti veritate detorſit. Quam ob rem quicumque optabit

tabit germanam Johannis doctrinam accipere, poterit potius in nuper exarato Johannis ſtatuto conſiſtere, illud ſequi, & ex illo deducere, qualis eſſet Johannis tempore conſtituta adverſus raptores alienarum conjugum eccleſiaſtica diſciplina.

De epiſtola ad Cenomanticum Uticenſem Epiſcopum.

Quod Johanni VIII. ad Cenomanticum Uticenſem Epiſcopum ſcribens Gratianus adtribuit in can. 4. diſt. 50., apud Ivonem tum in cap. 114. partis 6. decreti, tum in cap. 51. partis 10. adſcribitur Johanni VIII. in epiſtola ad *Cennemocum*, ſeu *Cennomocum Epiſcopum Venetienſem*. Si antiquiores codices in dubio ſemper ſunt præferendi, editio Ivonis vel ob unam vetuſtatis cauſſam erit Gratianeæ editioni antehabenda). Ceterum ipſamet integra epiſtola hodie non ſupereſt, ſed tanquam monumentum quandam privati hominis cauſſam ſpectans facile periit. Quod tamen in eo ipſo canone legitur, conſonat cum germana canonum ſanctorum prudentia, juxta quam & Gratianus idem in can. 29. diſt. 50. concludere non dubitavit, Sacerdotes e gradu ſemel dejectos ne poſt pœnitentiam quidem regulariter eſſe reſtituendos, ita ſcribens adverſus eos, qui lapſos Clericos pœnitentes facile reſtituebant. *Sed forte major eſt in illis pietas, quam in ſupraſcriptis* CCCXVIII. *Epiſcopis? Major in illis miſericordia, quam in Sancto Johanne Apoſtolico Papa? major charitas, quam in reliquis ſanctis Sacerdotibus &c.* Eadem propemodum ſententia expreſſa legitur in canone 5. Concilii Duziacenſis II. anno 854. ſub Johanne VIII. celebrati, quamquam tamen non inficias iverim certis in caſibus a generali ac ſeveriore regula abs Johanne fuiſſe receſſum, ac nonnullos ex Sacerdotibus lapis poſt probatam pœnitentiam fuiſſe in dignitatem ſuam, atque officium reſtitutos, qua in re non regula conſtituta fuiſſe videtur, ſed datus ſingularibus exceptionibus locus, ubi graves quædam cauſſæ, aut ſingularis pœnitentiæ adjuncta id poſtulabant. Hinc in epiſt. 34. directa abs Johanne ad Anſpertum Mediolanenſem Epiſcopum profeſſus idem Pontifex, *ſe in eo periculoſo tempore compelli ad pene cuncta diſpenſatorie moderanda*, nihilominus ſubdidit, homicidam, & homicidæ ſocium ab omni eſſe præpoſitura pellendum fine ſpe reſtitutionis, & in epiſt. 146. ad Odonem Epiſcopum Bellovacenſem ſcribit, non aliter impuberes ipſos inter ſe rixantes deinde ad Eccleſiaſticos ordines promoveri, quam ſi peracta ab ipſis pœnitentia *inculpabiles reperti fuerint . . . ſervatis in omnibus Patrum regulis, & canonum inſtitutis*. Id magis confirmatur ex epiſtola 149. ad Johannem Epiſcopum Ticinenſem, ubi Johannes Papa rogavit, ut reſtitueretur Clericus poſt exactum pœnitentiæ quinquennium, quando tamen Clericus ille non homicidio cauſſam dederat, ſed intererat præſens, dum femina quædam furem interemiſſet; ſubjiciens tamen, ſi id forte impoſſibile viſum fuiſſet, Apoſtolicæ Sedis judicio eſſe cauſſam eandem reſervandam. Item in epiſtola 283. ad Wilibertum Archiepiſcopum Agrippinenſem, ubi agebatur de reſtituendo Clerico, *qui per annos undecim illatam ſibi excommunicationis ſententiam humiliter ſuſtinuerat, & quod ex pollutæ conſortio feminæ venenum adtraxerat, longæ pœnitentiæ ſatisfactione purgaverat*, non aliter eum in priorem dignitatem revocandum voluit, quam *miſericordiæ intuitu*, atque ut *precibus inclinaretur* petentis Epiſcopi. Videatur etiam ad hanc rem epiſtola 294. ad Athanaſium Epiſcopum Neapolitanum,

Can. 4. diſt. 50.

Digitized by Google

num, ex qua deducitur, quanta moderatione etiam cum lapſo & pœnitente Epiſcopo Johannes Papa agendum eſſe decreverit.

De epiſtola ad Anſelmum Lemovicinæ Eccleſiæ Epiſcopum.

Can. 7. cau. 30. qu. 1. Quoad inſcriptionem canonis 7. cau. 30. qu. 1. nihil aptius huc adferri poteſt, quam quod ad eundem canonem tradit Baluzius, ſcribens, in omnibus vetuſtis Gratiani exemplaribus, & editionibus (addere potuiſſet Codicem Ivonis parte 1. cap. 306.) legi *Limozinæ*, vel *Lemozinæ*, excepta prima editione Moguntina, in qua legitur *Lemoviſinæ*; in codice vetere Monaſterii Rivipullenſis, & apud Anſelmum lib. 10. cap. 30. legi *Lemoſinæ*. Addit vir eruditus, Anſelmum Lemovicenſem Epiſcopum, ad quem ſcripta eſt Johannis epiſtola, Synodum ſuam plenam habuiſſe Lemovicas Civitate anno 897. ordinationis ſuæ anno 28., ut patet ex charta edita a Clariſſimo Viro Chriſtophoro Juſtello in probationibus hiſtoriæ Vicecomitum Turennenſium pag. 14.; unde colligitur, factum illum fuiſſe Epiſcopum anno 869., item in Chartulario Eccleſiæ Lemovicenſis extare quandam chartulam Frotarii militis datam anno 871. indictione 4. regnante Ludovico Rege filio Karoli Regis in Aquitanorum Regno anno 5., in qua Anſelmus Epiſcopus nominatur. In editione Conciliorum Veneta Labbeana ad annum 867. legitur Privilegium Monaſterio Atrebatenſi conceſſum, cui inter plures Epiſcopos Anſelmus Lemovicenſis ſubſcripſit, quemadmodum etiam ſubſcripſiſſe legitur actis Concilii Pontigonenſis anni 876. Quid plura? Inter epiſtolas Johannis VIII. in ea, quæ habetur numero 121. ſcripta ad Epiſcopos plurimos pari exemplari ad ſingulos miſſo, adnotatur, ſimile exemplar etiam ad Anſelmum Lemovicenſem fuiſſe directum. Integra autem epiſtola hodie edita eſt inter epiſtolas ejuſdem Johannis Papæ num. 188., quam hic deſcribere juvabit, cum nonnulla ſint apud Gratianum paullo aliter deſcripta; una etiam juvabit adnotare ea, in quibus in Codice Ivonis quoddam diſcrimen agnoſcitur. *Ad limina Beatorum Petri, & Paulli Apoſtolorum Principum hic præſens homo, nomine Stephanus, orationis cauſſa veniens noſtro Præſulatui ſuggerendo innotuit, quod filium ſuum in extremo vitæ poſitum, nec baptiſmatis unda lotum, abſentia ſcilicet Sacerdotum neceſſitate cogente baptizaſſet, eumque ipſe propriis manibus retinendo ſuſcepiſſet; atque pro hujus rei negotio notitiæ tuæ patefacto, reverentia tua quaſi zelo rectitudinis flagrans præfatum hominem a ſua judicaverit conjuge ſeparandum; quod fieri nullatenus debet, dicente ſcriptura a Deo junctam viro eſſe uxorem, & quod Deus conjunxit, homo non ſeparet: Unde & Dominus in Evangelio neminem poſſe dimittere uxorem ſuam, niſi cauſſa fornicationis, apertiſſime jubet* (paullo aliter Ivo: *Unde & Dominus in Evangelio ait: nemo dimittere poteſt uxorem ſuam, niſi cauſſa fornicationis*). *Quapropter & Nos tantæ auctoritatis juſſione præcipue freti, dicimus omittendum eſſe, & inculpabile judicandum, quod neceſſitas intulit. Nam baptizandi hoc opus etiam Laicis fidelibus juxta canonicam ſanctionem, ſi neceſſe fuerit facere, libere conceditur. Unde ſi prædictus genitor filium ſuum corpore morientem adſpiciens, ne animam morte perpetua pereuntem dimitteret, ſacri baptiſmatis unda lavit, ut eum de poteſtate auctoris mortis, & tenebrarum eriperet, & in regnum Chriſti jam regeneratum indubitanter mitteret, bene feciſſe laudatur* (legit Ivo: *& eum de poteſtate .... eripuit, &*

in

in regnum . . . miſit , bene feciſſe laudatur). *Et idcirco eum ſua uxore ſibi jam olim legitime ſociata impune , quamdiu vixerint , judicamus manere conjunctum , nec ob hoc contra præfatas auctoritates divinas aliquatenus ſeparari debere.* (legit Ivo : *Et idcirco ſuam uxorem ſibi jam olim optime ſociatam impune . . . manere conjunctam , neque ob hoc . . . ſeparari debuiſſet*). *Data* VII. *die menſis Junii , indictione* XII.

De epiſtola ad Vulibertum Epiſcopum Agrippinenſem.

Periit quidem epiſt. Johannis ad Vulibertum , ſeu , ut alii ſcribunt, Wilibertum Agrippinenſem,ſive Colonienſem, qualis exhibetur apud Gratianum in can. 4. diſt. 100., verum ex aliis monumentis epiſtolæ illius , ſive canonis argumentum deducitur, & demonſtratur auctoritas . Jam a temporibus Hadriani II. , qui Johannem præceſſit, depoſitus fuerat ab Archiepiſcopali Sede Colonienſi Guntharius , & quidem auctoritate Apoſtolica , ita tamen, ut nondum ejus cauſſa abſoluta fuiſſet , quoniam Hadrianus ſpoponderat ſe iterum controverſiam excuſſurum , iterumque judicaturum . Interea vero in locum dejecti ordinatus fuit Vulibertus neſcio cujus auctoritate , conſentiente quidem Ludovico Germaniæ Rege , de ordinatione autem conquerente Pontifice Maximo , qui in epiſt. 27. ad eundem Ludovicum ita ſcribit . *Miramur præterea gloriam veſtram in præficiendo Epiſcopo Agrippinæ Coloniæ tam indiſcrete præbuiſſe conſenſum ; cum evidentiſſime ſcires , quod Apoſtolicæ Sedis judicio , atque conſultu ibidem debuerit ordinari Antiſtes , cujus cenſura nuper fuerat eadem Eccleſia ſuo privata Rectore . Et quidem quod poſt judicium Sedis Apoſtolicæ factum eſt , dure ſuſcepimus : ſed quod tua ſuper hoc devotio , quam circa nos habere probaris , omnimodis tacuit , durius æſtimamus . Præcipue quia Guntharii dudum Archiepiſcopi cauſſam , antequam in locum illius ſubſtitueretur Epiſcopus , nos iterum audituros , & vocem ejus admiſſuros fore ſpopondimus . Præfatam quippe ordinationem nec confirmamus , nec ratam habere decernimus , quouſque ille , qui ordinatus eſt , noſtræ exhibeatur præſentiæ , & utraque pars coram nobis diſcuſſa , conventus Synodalis perpendatur audientia* . Nondum , ut conjicio , abſoluta fuit hæc eadem cauſſa temporibus Johannis VIII. , qui prudenter conceſſionem pallii novo Epiſcopo in opportunius tempus differre voluit, allegans aliquot cauſſas , quæ in laudato can. 4. deſcribuntur . Erat enim jam tum receptum , ut Archiepiſcopi pallium a Sede Apoſtolica peterent , quemadmodum deducitur ex epiſtolis Johannis VIII. 93. 94. & 95. , quamobrem Vuilibertus nihil magis anxie quærebat, quam pallii uſum, quo obtento , quaſi probata ab ipſamet Apoſtolica Sede ſui conſecratione , facile Epiſcopatum ſuum pacifice poſſideret . Veroſimile tamen eſt, Johannem Papam tandem illius ordinationi morem geſſiſſe , quemadmodum liquet ex epiſtola ejuſdem Pontificis 283. ad Wilibertum Agrippinenſem Epiſcopum ſcripta , ubi Johannes illius Epiſcopi ſollicitudinem Epiſcopalem , & prudentiam Sacerdotali vigilantiæ junctam plurimum laudat ; quemadmodum etiam liquet ex eo , quod poſtea Vulibertus ipſe Epiſcoporum Concilia celebravit , & præſentia ſua , ac ſubſcriptione firmavit , quale demonſtrari poteſt Concilium Colonienſe anni 873. , & aliud Colonienſe anni 888. Ex hoc vero ipſo , quod anno 873. celebraverit Concilium , quo ſane tempore jam pallium obtinuerat , deducitur perſpicue canonem memoratum 4. editum fuiſſe , aut anno ipſo 873. , aut 872. , cum primum Johan-

Can. 4. diſt. 100.

Digitized by Google

Johannes VIII. Pontificiam Sedem conſcendit; ac propterea miramur inde magis Johannis Papæ moderationem, qui in ſui Pontificatus exordio in re gravis momenti, non præcipitem tulit ſententiam, ſed antequam pallium petenti concederet, de pluribus facti adjunctis ſe certiorem fieri poſtulavit.

De epiſtola ad Clerum, & Ordinem Salonitanum.

Can. 109. cau. 11. qu. 3. Emendanda eſt inſcriptio canonis 109. cau. 11. qu. 3. atque legendum: *Johannes VIII. Clero, & Ordini Salernitano*; ita enim legitur apud Ivonem in parte 14. cap. 35., nec non in Collectione epiſtolarum ejuſdem Johannis Papæ, ubi eadem epiſtola habetur numero 311. his verbis: *De illis Presbyteris, qui tempore ſanctiſſimi deceſſoris noſtri Domini Papæ Nicolai excommunicati ſacrum miniſterium contingere præſumſerint, ipſi in ſe damnationis, ſicuti ſancti canones ſtatuunt, ſententiam incurrerunt. Tamen quia miſeratio Apoſtolica veniam ſolet præſtare correctis, ob multitudinem miſericordiæ illis hanc indulgentiam exhibemus, ut ſancta communione ſaginati ſtudeant tribus continuis annis per hebdomadam omni ſecunda, & ſexta feria, aut a vino, aut a cibo* (animadvertendum eſt in aliquibus Codicibus legi *aut a cocto cibo*; apud Ivonem autem habetur, *aut aceto*; ſolus propterea Gratianus habet, *& a carne*) *penitus jejunare, & ultra lugenda nequaquam committere*. Similem, imo benigniorem diſpenſationem conceſſiſſe video Johannem VIII. in epiſtola 196. ad Anſpertum Archiepiſcopum Mediolanenſem, qui non obſtante excommunicatione Sedis Apoſtolicæ auctoritate inflicta, in deſpectum, & injuriam paternorum canonum, ut ibidem legitur, ſacram miniſterium egerat, & Miſſam celebrare præſumſerat, quod ſine pœna dimiſſum voluit prudentiſſimus Pontifex, dummodo in proxima Synodo apud Sedem Apoſtolicam celebranda ſe Mediolanenſis Epiſcopus purgaret.

De epiſtola ad Paullum Epiſcopum in Pannonia, & Germania Legatum, & de epiſtola ad Ludovicum Regem.

Can. 14. & 17. cau. 16. qu. 3. Jungere juvat duas epiſtolas apud Gratianum relatas in can. 14., & 17. cau. 16. qu. 3., quarum prior abs Johanne VIII. ſcripta dicitur ad Paullum Epiſcopum, & Sedis Apoſtolicæ in Germania, & Pannonia legatum, poſterior ad Ludovicum Regem; etenim in utraque eadem ſententia eiſdem etiam fere verbis exprimitur, alias autem iſtæ ad Paullum Legatum, & Ludovicum Regem epiſtolæ adhuc in latebris delitescunt. Vix unam ex illis indicavit Baluzius, qui in lib. 1. cap. 5. de concord. Sacerd., & Imperii Petri de Marca ita adnotavit, ad num. 4. *Eam præterea confirmat epiſtola nondum edita Johannis VIII. ad Paullum Epiſcopum Anconitanum fungentem legatione in Germania, & Pannonia. Non ſolum*, inquit, *intra Italiam, & ceteras Heſperiæ Provincias, verum etiam intra totius Illyrici fines, conſecrationes, ordinationes, & diſpoſitiones Apoſtolica Sedes patrare antiquitus conſuevit. Iſtius epiſtolæ fragmentum habetur apud Gratianum 16. qu. 3. cap. 14.* Sunt ſane inter editas Johannis epiſtolas aliquæ ad Ludovicum Regem, aliquæ ad Paul-

Paullum Anconitanum Epiſcopum, & in Germania, ac Pannonia Legatum, ſed ad illas non pertinet Gratiani fragmentum. Is idem Paullus interfuit tamquam Sedis Apoſtolicæ Legatus Synodo Photianæ anni 880., quemadmodum ex actis illius Concilii conſtat. Extat etiam commonitorium Johannis Papæ eidem Paullo Legato datum, quod inſertum eſt in actis Concilii Romani III. anni 879., ſed iſtud ſuiſſe a Photio corruptum Collectores ipſi teſtantur. Quid ergo agendum erit, ut laudati canones ad germanas Johannis ſententias exigantur? Cum deſint epiſtolarum propoſitarum exemplaria edita, mihi curandum videtur, ut ex veroſimilibus illorum temporum, locorum, ceteriſque id genus adjunctis, quoad fieri poſſit, Papæ ſententiam ſi non omnino adſequar, ſaltem attingam.

Quod in primis attinet ad canonem 17., cujus verba ad Ludovicum Regem diriguntur, puto eo referendum illum eſſe, quo ſtudium Johannis VIII. apud Ludovicum Principem ferebatur. Videlicet cum plures eſſent, præſertim ex Paganorum numero, qui res Italiæ variis incurſionibus, atque deprædationibus vexabant, eamque ob rem plura in Romanam Eccleſiam incommoda emergerent, ac fierent detrimenta, nihil ſollicitius perſequebatur Johannes, quam Ludovici Regis animum, & probatam erga Romanam Eccleſiam benevolentiam excitare, ut pius Rex Eccleſiam tueretur, reſque Eccleſiaſticas ab impiorum invadentium manu diriperet, quod ſtudium maxime liquet ex epiſtola 197., quæ habetur inter Labbeanas in recentiore editione. Hinc cum adverſus Eccleſiam potuiſſet a poſſeſſoribus opponi numerus annorum, ſive diuturna præſcriptio, commode potuit Johannes replicare, aſſerendo *Eccleſiæ privilegia nullis temporibus anguſtari, nullis regnorum portionibus præjudicari*; atque in eam rem confirmandam plurimum facere poterat allegare veterum ipſorum Imperatorum conſtitutiones, quibus centenaria tantum præſcriptio Eccleſiæ Romanæ nocere poſſe probatur. Res ita explicata ſatis indicat, quænam ſit germana ejuſdem canonis interpretatio; neque enim ſatis firma videtur mihi eſſe nonnullorum opinio, qui ſcripſerunt, centenariam tantum præſcriptionem adverſus Romanam Eccleſiam nocere poſſe non ſolum poſt tempora Bonifacii VIII. vi capituli 2. de præſcript. in 6., ſed etiam a temporibus Johannis VIII., quaſi ejus diſciplinæ Johannes, non Bonifacius auctor fuerit. Etenim verba Johannis in dicto can. 17. non eo tendebant, ut indicaretur, qualis præſcriptio demum Romanæ Eccleſiæ noceret, ſed ut indicaretur ab invaſoribus Ethninis & Eccleſiam vi armorum vexantibus nullam poſſe præſcriptionem, ac poſſeſſionem opponi, eo velut adminiculo accedente, quod Imperatores Romani veteres ne ipſi quidem ordinariam adverſus Eccleſiam poſſeſſionem, ſeu præſcriptionem admiſiſſent. Quod ſi ad Romani juris capita quæcumque controverſia exigatur, liquet ex l. 23. Cod. de ſacroſ. Eccleſ. Juſtinianum habuiſſe eam mentem, qua definiret res eccleſiaſticas nulla unquam temporis meta circumcludi; ſed deinde ſanxiſſe omnibus generaliter Eccleſiis, piiſve cauſſis ſolam obeſſe poſſe præſcriptionem centenariam, quod confirmatum præterea fuit in Novella 9. Juſtiniani ad Pontificem Romanum directa; Tandem vero Juſtinianus idem voluit etiam quadragenariam admittendam præſcriptionem in Eccleſiis omnibus in Nov. 111., & 131. cap. 6., neque videtur renovata vetus diſciplina unius centenariæ præſcriptionis, niſi temporibus Bonifacii VIII. favore Romanæ Eccleſiæ; quin ad verba dicti canonis 17. reſpectus habeatur, quibus non illum præſcriptionis legitimum eſſe terminum volebat Johannes, ſed tantum exemplo veterum Imperatorum, qui

qui ſingularibus privilegiis res eccleſiaſticas tuebantur, ne ab aliis vindicarentur, voluit ſtimulos addere Ludovico religioſo Regi, ut & ipſe utilitatibus Eccleſiæ ſtuderet, nec diutius ſineret, Eccleſiaſtica bona a Paganis occupari, & detineri.

Quod vero adtinet ad canonem 14., cujus verba ad Paullum Anconitanum Epiſcopum & Sedis Apoſtolicæ legatum in Germania & Pannonia diriguntur, puto teferendum eſſe ad graviſſimam illam concertationem, quæ tunc temporis ſuborta fuit inter Romanum Antiſtitem, & Eccleſiam Conſtantinopolitanam occaſione Bulgariæ recens ad Chriſti fidem converſæ, hanc enim provinciam Patriarchatui ſuo obnoxiam Græci iidem aſſeruerunt, quod jam attigi in præcedente capite. Præcipuum Conſtantinopolitanæ Sedis fundamentum in eo poſitum erat, quod olim Bulgari ipſi Conſtantinopolitanis parerent, ac propterea jure quodam vetuſtiſſimo uſus Bulgariam ſibi Patriarcha Conſtantinopolitanus aſſereret. Paullus Anconitanus Epiſcopus, qui legatione Pontificia fungebatur in vicinia Bulgariæ, aliquando etiam in ipſam Urbem Conſtantinopolitanam miſſus cauſſa componendorum diſſidiorum, quibus cauſſam dederat Photius Conſtantinopolitanus, mandato Johannis Pontificis illud recipere debuit, ut aſſereret annorum veterum numerum parum prodeſſe, eo magis ubi intermedia tempora profluxiſſent, quibus Bulgari a Paganis detinebantur. Hoc mandatum Paullo Epiſcopo, & Legato datum facile agnoſces in citato canone 14., quem propterea ex his præjactis facile commodeque poteris interpretari.

De Epiſtola ad Demagum Ducem.

Can. 12. cau. 23. qu. 8. In omnibus Gratiani Codicibus, ſive recentioribus, ſive vetuſtis hæc habetur inſcriptio canonis 12. cau. 23. qu. 2. *Johannes VIII. Demago Duci glorioſo*. Non defuerunt, qui teſtati ſunt in aliquibus Codicibus pro *Demago* legi: *Hermanno*. Apud Ivonem, cujus codex velut antiquior Gratianeo majori videtur præditus auctoritate, in parte 10. cap. 70. ubi eadem ipſa canonis verba leguntur, dummodo pro verbis illis Gratiani, *niſi eos compeſcueris*, verba iſta ſubſtituas *niſi eos compreſſeris*, hæc inſcriptio exhibetur. *Johannes VIII. Domagol Duci glorioſo*. Utinam vero ſupereſſet in præſentia Johannis epiſtola, non ſolum, ut integra exinde redderetur ſcripturæ editio, verum etiam ut facilior & commodior, velut ex integro textu educta, redderetur interpretatio. Sed una cum aliis monumentis epiſtola hæc periit, neque aliud illius extat fragmentum, quam quod in dicto canone 12. apud Gratianum habemus. Ceterum nemo exinde colliget de auctoritate ejuſdem canonis dubitari quoquo modo poſſe; etenim quidquid ibidem legitur, ſæpiſſime in aliis Johannis VIII. Epiſtolis repetitur, nimirum ex epiſtolis ejuſdem Pontificis, quarum numerus tercentas multum excedit, inter editas, paucas admodum invenies, in quibus non conqueratur religioſus Papa de rebus Eccleſiæ Paganorum, & Paganis faventium incurſionibus, & deprædationibus miſerandum in modum obnoxiis, in quibus non omnes paſſim, præſertim potentes Principes, & Glorioſos Exercituum Duces extimulet, ut prædonum, & impiorum impetus cohibeant, frangant, conficiant. Videatur inter ceteras epiſt. 43. ad Gregorium Imperialem Pædagogum, epiſt. 54. ad Carolum Calvum Imperatorem, & epiſt. 172. Quibus ſi addas epiſtolam 22. ad Lambertum Comitem, ſtatim ſententiam ipſam, quæ in dicto

can.

can. 12. legitur tibi exhibitam agnoſces. Ita legitur ibi: *Rogamus, ut ... quæ noſtrum de tuis hominibus Pontificium pulſant, emendare nullatenus prætermittas; non enim ſperamus, ut talia ſcias, qualia ab eiſdem tuis hominibus in noſtris finibus perpetrantur. Quæ oportet gloriam tuam ſtudioſe inquirere, & (ſicut condecet) pro Dei, & noſtro amore omni conamine emendare, quia tam hominibus S. Petri Apoſtoli, quam hominibus Guidonis tui homines, ſicut fertur, innumera mala faciunt, & rapinas multas exercent. Quæ rogamus ſtatim emendare facias, & tibi ſubjectis ultra tale quid facere non conſentias. Verum ſi id forte emendare te non poſſe fateris, ut cum pace tua dicamus, in pravos, atque iniquos homines illos ob tui amoris dilectionem tuo conſenſu adhibito, noſtri Apoſtolatus ſententiam dabimus, & quouſque reſipiſcant, a liminibus ſanctæ Eccleſiæ ſequeſtrabimus.* In conſpectu epiſtolæ hujus, quis dubitare poterit ſententiam canonis 12. cau. 23. qu. 8. a ſententiis Johannis eſſe alienam, licet injuria temporum epiſtola illius Pontificis integra deperierit? Nonnihil etiam in eundem canonem traductum fuiſſe videtur ex can. 3. diſt. 86., ſed de hoc agendum erit inferius.

De Epiſtola ad Angelbergam Imperatricem.

Angelberga Imperatrix mortuo Ludovico II. Auguſto conjuge a filiis ſuis de imperio, regnove capeſſendo ac retinendo valde ſollicitis plura pati incommoda debuit; verebantur enim illi, ne mater in Boſonem comitem & generum Imperii jura transferre curaret. Hinc Vidua Auguſta ex ea ſuſpicione in exilium miſſa, frequenter obteſtata eſt officia Johannis VIII., qui filios Principes per epiſtolas ſæpius hortatus eſt, ne eandem defatigarent amplius, illos de concepto anxio timore data fide liberans, imo etiam plurium Epiſcoporum officia requiſivit, ut apud Principes eandem ob cauſſam intercederent. Plures extant editæ Johannis VIII. ad Imperatricem epiſtolæ, nimirum 43. 83. 86. 91. 92. & 204., ſed in nulla ex illis reperire poſſumus, quæ tradidit Gratianus in can. 1. cau. 23. qu. 8., neque ibidem veſtigium reperiri poteſt, unde dignoſcatur, quam ad rem Gratianei canonis ſententia pertineat; imo adeo anceps in eo fragmento reddita eſt Pontificis propoſitio, ut in utramque partem flecti facile poſſit; etenim videtur hinc Johannes Papa non ſatis probare, Epiſcopum Johannem *de armis tractare*, quod munus illud *terrenæ poteſtatis eſt*; illinc videtur eundem Epiſcopum quodammodo redarguere, quod arma tractare, & militiam ſæcularem exercere formidet, & nimium vereatur. Quid ergo? Non poſſum non concludere dubiam eſſe monumenti illius fidem, atque incertam auctoritatem. Ceterum ſi conjecturis in re ancipiti indulgendum eſt, referendus erit canon eo, ut intelligatur de Johanne Epiſcopo Ravennate, cujus præſidio multum fidebat Johannes Papa, atque futurum ſperabat, ut res Eccleſiaſticæ Paganorum vi & incurſionibus concuſſæ redderentur incolumes, ablatæ etiam reſtituerentur. Cum Johanne Ravennate neceſſitudine jungebatur Angelberga, quamobrem non dubitavit Johannes VIII. ita ad Angelbergam ſcribere in epiſt. 92. inter editas: *Ceterum rogamus, ut Johanni Epiſcopo Ravennati mittatis epiſtolas ex noſtra parte conſolatorias, incitantes, ut pro nobis orationes faciat, & contra Dei inimicos ſe præparare nequaquam formidet, & noſtris fidelibus Romæ legatos conſolando tranſmittat &c.* Neque vero novum fuit Johanni Epiſcopos ea ratione excitare; quemadmodum facile deducitur etiam ex epiſt. 45. ad Ajonem Epiſcopum;

Can. 1. cau. 23. qu. 8.

pum; quidquid enim a Nicolao ſtatutum legamus in can. 19. cau. 23. qu. 8., ſingularem tamen diſciplinam temporibus Johannis poſtulare videbantur ſingularia illius ætatis adjuncta, quibus nihil adeo ſacrum, & religioſum erat, quod non Paganorum militum vexationibus ſubjaceret.

De ceteris capitibus Johanni VIII. tributis.

Can. 10. diſt. 10. & can. 3. diſt. 86.

Inter ceteros canones, qui apud Gratianum Johanni VIII. Pontifici tribuuntur, duo potiſſimum ſunt, quos jungere oportuit, videlicet canon 10. diſt. 10., & can. 3. diſt. 86., etenim uterque apud Ivonem uno fere contextu deſcripti leguntur in parte 6. decreti cap. 115. his verbis: *Idem* (idelt Johannes VIII.) *ad Ludovicum Imperatorem. Vides, fili cariſſime, quia quod contra leges accipitur, per leges diſſolvi meretur. Item. Facientis procul dubio culpam habet, qui quod poteſt corrigere, &c.*, quemadmodum exhibentur apud Gratianum. Ex quibus adparet Ivonem quidem voluiſſe priora illa verba, *vides fili chariſſime .... diſſolvi meretur*, nomine Johannis ad Ludovicum Imperatorem ſcribentis recitare, quemadmodum ea ipſa alio in loco recitavit, nimirum in cap. 230. partis 4., at vero non ita voluiſſe intelligenda poſteriora verba illa: *Item. Facientis &c.*, nam particula *item* demonſtrat, Collectorem ad alia disjuncta gradum feciſſe, quemadmodum juxta ſimilem ſcribendi formulam ex aliis capitibus numero plurimis perſpicue colligitur. Itaque Gratianus in referendo can. 10. diſt. 10. veſtigia Ivonis preſſit, & quod duobus in locis Ivo tribuerat Johanni ſcribenti ad Ludovicum Auguſtum, ipſe in dicto canone 10. eodem modo deſcripſit; verum in can. 3. diſt. 86. errore facti lapſus eſt Gratianus, qui putavit ab Ivone deſcriptum eſſe nomine epiſtolæ Johannis ad Ludovicum Imperatorem, quod poſt verba Johannis ad Ludovicum Imperatorem ſcribentis ſubjiciebatur. Sane quod ſpectat verba canonis 10. diſt. 10., dicere quidem poſſumus, ibidem directam epiſtolam ad Ludovicum II. Auguſtum, quem ſuperius diximus fuiſſe Angelbergæ maritum; imo ulterius progredi licebit, ajendo eam ſententiam pertinere ad ſpeciem, quam continuator Pontificalis retulit in vita Johannis VIII., ſcribens Ludovicum Imperatorem ab Adalgiſo Beneventano Duce adactum fuiſſe timore vitæ, ut jurejurando firmaret, nunquam ſe Beneventi fines ultra intraturum, neque ex periculo injuriæ tunc ſibi illatæ vindictam aliquando exacturum; deinde vero ab eodem Pontifice Johanne abſolutum jurisjurandi vinculo fuiſſe Ludovicum, cum geſta contra publicas leges reſcindi per leges publicas mereantur; verum certa non eſt hæc interpretatio, cum integra Johannis ad Ludovicum epiſtola perierit, & vix ſuperſit memoratum Gratiani fragmentum, quod ita in dubio forte juvabit interpretari, ubi commodior nulla alia eſſe interpretatio poteſt. Quod vero ſpectat ad canonem 3. diſt. 86. jam adnotaverunt Romani Correctores, illum eſſe ex variis laciniis contextum, illis præſertim, quæ ad Mercatoris epiſtolas facile exigerentur. Non immoror diutius in illis inveſtigandis, cum contineantur ibidem nonnullæ breves ſententiæ, quarum ſingulæ idem omnino ſignificant inter ſe collatæ; erant autem quædam dicendi formulæ, quæ paſſim ſæculo Eccleſiæ nono recinebantur, velut adagia probatiſſima: Hinc ad inſtar earum ita ſcriptum legimus in cap. 386. lib. 7. Capitularium editionis Baluzianæ: *Omnibus fidelibus notum fore deſideramus, quod quorundum peccatorum alienorum conſcii, niſi ea emendationis, & ſalutis cauſſa prodiderint, delinquant: Unde*

ſcriptum

Digitized by Google

ſcriptum eſt: nihil prodeſt illi ſuo errore non pollui, qui conſenſum præſtat erranti. Et *alibi: non ſolum qui faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus, rei ſunt.* Adde his canonem 3. 4. & 5. diſt. 83. junctis meis in eoſdem canones adnotationibus.

Nullibi inter monumenta Johannis VIII. reperire poſſum verba canonis 11. diſt. 96., unde vacuus omnino non abeo a dubitatione, ne forte canon idem falſo illi Pontifici adſcriptus fuerit, præſertim quod antiquiorem ex Collectoribus, qui eum ſacris codicibus inſeruerunt, non agnoſco, quam Anſelmum Lucenſem, cujus in monumentis veterum referendis integritas, ac fides parum probatur, & quidem potiſſimum in iis, quæ ipſius propoſito inſervirent. Sed ſi forte hæc parvi a nonnullis exiſtimentur, plurimum auget dubitationem meam ſingularis obſervatio, dum animadverto, non ſolum nullam occaſionem oblatam fuiſſe Johanni VIII. ita diſſerendi, quemadmodum in illo canone legimus, ſed eam fuiſſe oblatam potius occaſionem, qua diverſis admodum verborum formulis Imperatorem alloqueretur. Siquidem ibidem exhibetur Johannes, quaſi de Imperatore conqueſtus, quod Eccleſiaſticis ſeſe negotiis immiſceret. Non conveniunt hæc temporibus Johannis. Vel enim intelligenda illa ſunt de Imperatore, qui erat in occidente, Carolo Calvo, aut etiam ejus filiis. Quis autem ignorat, quot precibus uſus fuerit Johannes, ut Principes illos ad occurrendum labentibus Eccleſiæ rebus vehementiſſime concitaret, quin tamen, prout poſtulaverat, cum effectu obtinuiſſet Carolo Calvo morte prævento. Id dignoſcitur paſſim ex editis ejuſdem Pontificis epiſtolis. Alias autem tantum abeſt, ut Johannes de Imperatore conquereretur, quin potius illum in epiſt. 47. prædicaverit *Eccleſiæ patronum invictum, defenſorem potentem, & ſtrenuum adjutorem, & in omnibus eccleſiaſticis utilitatibus quaſi vindicem Dei miniſtrum.* Quidquod in epiſt. 70. ad Archiepiſcopum Ebredunenſem, improbavit electionem cujuſdam Epiſcopi, quod facta eſſet adverſus aliam Imperatoris electionem? Quidquod Johannes idem Epiſcopum Vercellenſem a Carolomanno Rege eligendum poſtulavit in epiſt. 171. & 187.? Addi his poteſt epiſtola 221. 222. & 223., in quibus agitur de ſimili Epiſcoporum Mediolanenſis, ac Vercellenſis electione. Vel quiſquam dixerit, referendum eſſe canonem ad Orientis Imperatores, quales erant Baſilius, aut Conſtantinus, aut Alexander; ſed iſtorum erga Eccleſiam, & res eccleſiaſticas propenſionem ſemper laudavit Johannes, quemadmodum conſtat ex ejus epiſtola 169. ad Gregorium Primicerium, ex epiſt. 80. & 81. ad Baſilium Imperatorem, ex epiſtola 199. ad Baſilium, Conſtantinum, & Alexandrum Imperatores, & ex epiſt. 251. ad Imperatores Auguſtos. Qui ergo voluerit cum his epiſtolis omnibus, & germanis Johannis Papæ monumentis memoratum Gratiani canonem conferre, facile concludet, canonem illum aut temporibus, aut ſententiis Johannis VIII. minime congruere, proptereaque recenſendum eſſe inter ea monumenta, quæ Anſelmus Lucenſis aut ipſe effinxit, ut ſuo ſerviret propoſito, aut ab aliis efficta, ut ſuo ſemper ſerviret propoſito, in ſuum codicem derivavit. Potius ad eam rem ſiquis nonnihil accommodatum deſideraret, arripere poſſet canones 2. & 3. Concilii Moguncianenſis paullo poſt Johannis VIII. obitum celebrati, nimirum anno 888., & temporibus Stephani Papæ.

Romani Correctores ad canonem 12. cau. 3. qu. 4. obſervaverunt, non eſſe quidem inveroſimile, illum adſcribi Johanni VIII., quia Engeldrudis, ſive, ut alii vocant, Ingeltrudis, vivere potuit ſub eodem Pontifice, attamen una animadvertunt, eundem canonem facilius adſcribi Nicolao Papæ I., cujus temporibus Ingeltrudem ana-

Can. 11. diſt. 96.

Can. 12. cau. 3. qu. 4.

anathemate damnatam fuiſſe non ignoratur, utpote impudicam feminam, quæ a marito adulterii cauſſa diverterat, atque huc illuc in eodem ſcelere pertinax vagabatur. Huc ſane referri poteſt Concilium Romanum III. ſub Nicolao celebratum anno 863. cujus in canone 4. ita definitum adparet. *Ingeltrudam filiam quondam Mattefredi Comitis, quæ a Boſone proprio viro relicto, ecce jam per ſeptem circiter annos hac, atque illac vagabunda diſcurrit, nuper cum fautoribus ſuis regulariter anathematizavimus, ſed propter contumaces eam iterum anathematis vinculo duximus innodandam &c.* Addi præterea poteſt epiſtola 53. inter editas ejuſdem Nicolai Papæ, qui ſcribens ad Ludovicum Regem, eundem conſcium reddit de anathemate in Ingeltrudem *non reſipiſcentem, ſed nequitia ſua pertinaciter conſiſtentem* illato, deinde etiam rogat, ut invitam & reluctantem feminam auctoritate ſua compeſcat, & ad priſtini mariti conjugium reducat. Addatur epiſtola 54. Nicolai ad Epiſcopos in Regno Caroli conſtitutos, una cum epiſtola Arſenii Epiſcopi Hortenſis Sedis Apoſtolicæ Legati ad omnes Epiſcopos & fideles in Gallia, Germania, & Neuſtria commorantes, quæ ſubjecta eſt in collectione Labbeana memoratæ epiſtolæ 54. Nicolai; ex his enim omnibus monumentis ſatis liquebit Ingeltrudis factum, & anathematis cauſſa. Plane ex his perſpicuum redditur, dictum canonem 12. non temere adſcribi Nicolao Pontifici potuiſſe. Sed mihi veroſimilis admodum videtur Gratiani inſcriptio, præſertim quod idem monumentum referens Ivo in parte 14. decreti cap. 51., ejus auctorem ita deſignat. *Johannes VIII. Luitberto Archiepiſcopo Moguntino.* Vixiſſe Luitbertum temporibus Johannis compertum eſt; etenim ſunt ad illum directæ Johannis epiſtolæ, quales ſunt 106. & 108. Imo de eadem Ingeltrudis cauſſa ſæpe mentionem factam fuiſſe ab Johanne VIII. ex ipſius Papæ epiſtolis abunde colligimus. Sic in epiſtola 109. & 129. Johannes plurimum curavit, ut bona Ingeltrudis huc illuc vagantis, & jam anathemate percuſſæ filiis ejus juſtis concederentur, excluſis aliis, quibus illa, ut marito, & mariti filiis fraudem faceret, bona ſua iniqua voluntate conceſſerat. Quod ſi conſiſtamus in epiſt. 108. ſcripta ad Luitbertum Archiepiſcopum Moguntinum, agnoſcemus illico abs Johanne illum Epiſcopum admonitum, ut curaret, bona Ingeltrudis ad juſtos ejuſdem filios devolvi, quin aut jure repugnare poſſent ii, quorum favore donata fuerant, aut donans ipſa Ingeltrudis, utpote quæ ſine mariti conſenſu non poterat illa donare. Imo cum ibidem Johannes memoret, aliam epiſtolam ſe jam ſcripſiſſe, quæ ſane hodie non extat, illa facile eſſe potuit, quam Ivo, & ſequens Ivonem Gratianus in dicto canone 12. indicare voluerunt; quamobrem conjectura capi facilis poteſt, ex qua idem Gratianeus canon non tam Nicolao Papæ, quam Johanni VIII. recte adſcriptus exiſtimetur.

Quod ſub Johannis VIII. nomine legimus in can. 26. cau. 23. qu. 5., habetur eiſdem omnino verbis in canone 13. Concilii Ravennatenſis anno 877. celebrati, ex quo etiam dixi decerptum fuiſſe canonem 20. cau. 11. qu. 3. apud Gratianum adſcriptum Honorio Papæ. Cum autem Concilium illud Ravennatenſe non ſolum Johannis temporibus, ſed etiam Johanne eodem VIII. convocante, præſente, ac ſubſcribente celebratum adpareat, quemadmodum præter acta Concilii plures ipſius Papæ epiſtolæ demonſtrant, ac præ ceteris 53. 55. 56. 57. 59. & 60., non injuria Gratianus potuit eundem canonem Johanni tribuere. Acta Concilii Ravennatenſis & canones rurſus probati dignoſcuntur, ac confirmati in alio Concilio Johannis Papæ anni 878., nimirum Tricaſſino, cujus in canone 3. ita legimus. *Ut illa Capitula, quæ anno præcedente apud Ravennam ſtatuimus ſynodali collegio, inconvulſa ab omnibus obſerventur.*

Can. 26. cau. 23. qu. 5.

CA-

CAPUT LXXIX.

De Stephano V. ſeu VI.

Stephani V., qui apud alios VI. appellatur, hæc referuntur apud Gratianum monumenta.

Ex epiſt. ad Humbertum, alias Luythobium Moguntinum Epiſcopum.	*Can.* 13. *diſt.* 16. *incertæ omnino auctoritatis.* *Can.* 20. *cau.* 2. *qu.* 5. *non ſatis tuto Stephano tribuendus.*
Ex Epiſt. ad Sichibertum Epiſcopum Corſicæ.	*Can.* 38. *diſt.* 50. *non omnino certæ auctoritatis.*
Ex epiſt. ad Robertum Metenſem.	*Can.* 11. *diſt.* 55. *ex optimis codicibus ſupplendus.*
Ex epiſt. ad Romanum Ravennatem.	*Can.* 12. *diſt.* 63. *non inveroſimiliter Stephano V. tribuendus.*
Ex epiſt. ad GuidonemComitem.	*Can.* 18. *diſt.* 63. *temporibus Stephani V. facile accommodatus.*
Ex epiſt. ad Leonem Epiſcopum Theanenſem.	*Can.* 17. *cau.* 2. *qu.* 1. } *ſimul jungendi, & facile, quidquid alii* *Can.* 1. *cau.* 15. *qu.* 5. } *ſenſerint, Stephano V. tribuendi.*
Ex epiſt. ad Girardum Leodienſem.	*Can.* 3. *cau.* 3. *qu.* 2. *incertæ auctoritatis.*
Ex epiſt. ad Gualbertum Patriarcham.	*Can.* 20. *cau.* 9. *qu.* 3. *ad Ivonis monumentum exigendus.*
Ex epiſt. ad Haſtulphum.	*Can.* 8. *cau.* 33. *qu.* 2. *potius Paullino Forojulienſi adſcribendus.*

Ex epiſt. ad Paullum Epiſcopum Placentinum.	*Can. 2. cau. 35. qu. 9. ad Gregorii Magni ſententias commode referendus.*
Ex epiſt. ad Stylianum, aliosque Epiſcopos.	*Can. 10. de conſ. diſt. 5. ex integra Stephani epiſtola emendandus.*

QUare Stephanum, qui Romanam Sedem tenuit ab anno 885. usque ad annum 891., quintum, vel ſextum ejus nominis Pontificem appellaverim, facile unuſquiſque deducet ex iis, quæ ſuperius tradita ſunt in cap. 70. & 73. Succeſſit ille Hadriano III., quem poſt Johannem VIII. præceſſerat Marinus ab aliis dictus Martinus II., at de his duobus Pontificibus fruſtra ſermo inſtituendus eſſet, utpote quorum nulla extant apud Gratianum monumenta. Quali autem fuerit Stephanus morum integritate ornatus, quanto cum gaudio apud Romanos fuerit ad ſupremam Pontificatus dignitatem evectus, quam ſollicitus in Eccleſiarum curandis utilitatibus, exhibendis pauperibus, captivis redimendis, quam pius in miſeros fideles tum innumeris propemodum calamitatibus, qua cauſſante bellorum injuria, qua agrorum ſterilitate, vexatos, quam demum religioſus in Deum, hiſtorici Scriptores abunde teſtati ſunt. Inter cetera vero illius animum exagitavit vetus Photii cauſſa; ut enim Photius vir erat in ſchiſmata admodum pronus, & Romanæ Eccleſiæ prælationem ægre ferebat, identidem, prout ſeſe offerebat occaſio, Romanam eandem Sedem perſido animo adoriebatur; cui ut obſiſteret Stephanus optimum duxit invictam Prædeceſſorum ſuorum conſtantiam æmulari, nunquam ab egregia animi moderatione disjunctam. Inſignem Pontificis ejuſdem virtutem non modicum oſtenderent, ſi supereſſent, integra illius monumenta. Verum vix pauca apud Gratianum habemus; utinam ſaltem ea integra eſſent, & certa conſiſterent auctoritate.

De Epiſtola ad Humbertum, alias Luythobium Moguntinum Epiſcopum.

Can. 13. diſt. 16. Si revera Stephano V. adſcribendus eſſet canon 13. diſt. 16., non dubitarem, quin inſcriptio emendanda eſſet non ſolum apud Gratianum, verum etiam apud Ivonem, qui in parte 4. decreti cap. 232. eadem verba retulit; atque pro illis verbis: *Stephanus Luythobio Moguntino Epiſcopo*, ita ſcribendum adſererem: *Stephanus Luitberto Moguntino Epiſcopo*; non enim dubitare poſſumus, quin Luitbertus Moguntinæ Eccleſiæ Antiſtes eſſet temporibus Stephani, quando ſcimus ab eo celebratum fuiſſe Moguntinum Concilium anno 888. Verum canon ille paſſim apud eruditos falſitatis ſuſpicione laborat, quemadmodum teſtatur Vaneſpen in tractatu hiſtorico canonico parte 2. cap. 1. §. 6., ubi de numero Nicænorum canonum verba faciens inter cetera hæc habet. *Fragmentum epiſtolæ Stephani Papæ ex Ivone Gratiani decreto inſertum can. 13. ead. diſt., in quo dicitur*, 20. *tantum capitula Nicænæ Synodi in S. Eccleſia Romana haberi, ſed quo neglectu alia defecerunt, ambi-*

Digitized by Google

ambiguum eſſe, ejuſdem cum prædicta epiſtola Athanaſii fidei fore, omnibus hodie perſuaſum eſt. Apud Ivonem verba canonis Stephano tributi hæc ſunt. *Capitula Nicæni Concilii teſtimonio Athanaſii, ſeptuaginta in figuram ſeptuaginta diſcipulorum ſcripta non dubitamus. E quibus viginti tantum in Eccleſia ſancta Romana habentur, ſed quo neglectu reliqua defecerint, ambiguum eſt. Arbitrantur enim plurimi ea Antiocheno inſerta Concilio.* Antonius Auguſtinus hæc verba poſtrema expendens in dial. 20. lib. 1. de emendat. Gratiani, ita interrogat: *Quod dicit hic Antiocheno Concilio inſertos eſſe plurimos arbitrari Nicænos illos ſeptuaginta canones, velim ſcire a te, an veroſimile putes?* Quibus ita reſpondet: *quod ait, plurimos arbitrari, ita ipſum Stephanum inveniſſe exiſtimo, licet ego non meminerim alibi legiſſe. Itaque* Sardicenſi *pro* Antiocheno *ſufficerem. Namque Antiocheni canones xxv. tantum fuerunt, quorum auctores ſi illi ſunt, ad quod Julius ſcripſit, hoſtes erant Athanaſii, & aliorum Patrum* CCCXVIII. *Qua de cauſſa nihil de fide Nicæni Concilii, ſed de Paſchate tantum ſtatuunt capite primo id Concilium eſſe obſervandum. At Sardicenſes Patres Catholici aliquot canones ſcripſerunt, qui pro Nicænis habiti ſunt, ut conſtat ex Concilio Carthaginenſi* VI. Ego pluribus non immoror in hac re, quam ex certis monumentis, imo ne veroſimilibus quidem, deduci haud poſſe dignoſco. Habebo canonem illum inter incerta Papæ Stephani monumenta, ſive ille Quintus ſit, ſive alius poſt Quintum, quin tamen alicui antiquiori tribuendum credam, quemadmodum tradidi ſuperius in cap. 70. Major vero fit dubitatio ex eo, quod non liquet, quænam porrecta fuerit occaſio quærendi de numero canonum Nicænorum, de quibus nulla eſſe potuit eo tempore diſputatio; atque ejus diſputationis, ſi forte emerſiſſet, veſtigia quædam adparerent in actis Concilii Moguntini memorati, in quo tamen nihil omnino deprehenditur.

Non abſimile judicium ferendum erit de canone 20. cau. 2. qu. 5., cujus inſcriptio videretur in primis emendanda, ut pro *Humberto* Moguntino Epiſcopo ſcribatur *Luitberto*. Varios in hac parte fuiſſe codices Baluzius teſtatur in notis ad Gratianum; in aliis enim legit *Huberto*, in aliis *Luiberto*, alibi *Guiliberto*, alibi *Liberto*, alibi *Lamperto*, alibi demum *Ludberto*. Deinde addit ejuſdem Moguntini Epiſcopi epiſtolam ad Ludovicum Regem extare in calce opuſculorum Hincmari apud Cordeſium pag. 628., cui adjici poteſt epiſtola Otfridi Monachi ad eundem Luitbertum pag. 631. iterum apud Cordeſium. Demum Baluzius obſervat ad illa Gratiani verba *occulta vero & incognita illi ſunt relinquenda, &c.*, ita potius legi in quodam Puteano codice: *Occulta vero, & incognita illius ſunt judicio relinquenda, &c.* Apud Ivonem in parte 10. decreti cap. 27. nonnihil diverſum agnoſcitur in verborum formulis, ac conceptionibus, unde propterea juvabit eundem canonem velut ex codice antiquiore deſcribere, ibi: *Conſuluiſti etiam de infantibus, qui in in uno lecto cum parentibus dormientes mortui reperiuntur, utrum ferro candente, an aqua fervente, ſeu alio quolibet examine parentes ſe purificare debeant, eos non oppreſſiſſe. Monendi namque ſunt, & proteſtandi parentes, ne tam tenellos ſecum in uno collocent lecto, ne negligentia quolibet proveniente ſuffocentur, vel opprimantur, unde ipſi homicidii rei inveniantur. Nam ferri candentis, vel aquæ ferventis examinatione confeſſionem extorqueri a quolibet ſacri non cenſent canones, & quod ſanctorum Patrum documento ſancitum non eſt, ſuperſtitioſa adinventione non eſt præſumendum. Spontanea enim confeſſione, vel teſtium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commiſſa ſunt regimini judicare: occulta vero, & incognita illius ſunt judicio relinquenda,* qui

Can 20. cau. 2. qu. 5.

qui ſolus novit corda filiorum hominum. Hi autem, qui probantur, vel confitentur talis reatus ſe noxios, tua eos caſtiget moderatio, quia ſi conceptum in utero, qui per abortum deleverit, homicida eſt, quanto magis, qui unius ſaltem diei puerulum peremerit, homicidam ſe ſe excuſare nequibit? Ceterum quæcumque recipiatur editio, ego valde ſuſpicor, illud ipſum fragmentum falſo Stephano Papæ fuiſſe tributum; etenim ex verbis Ivonis nuper deſcriptis conſtat ibidem exhiberi Stephanum de pluribus capitibus a Moguntino Epiſcopo interrogatum, quemadmodum demonſtrant priora illa verba *Conſuluiſtis etiam*; at vero demonſtrari non poteſt de pluribus ad purgationem ſceleſtorum hominum pertinentibus interrogatum fuiſſe Stephanum a Moguntino Epiſcopo; imo non fuiſſe de ea re interrogatum facile conjicitur ex canonibus Concilii Moguntini ab eodem Luitberto anno 888. celebrati, in quo nihil hujuſmodi diſcuſſum conſtat, aut definitum, quod tamen definiendum, dicutiendumque fuiſſet, ſi ex tunc emerſiſſent cauſſæ, unde Moguntinus Archiepiſcopus ad Stephanum Pontificem confugere debuiſſet. Non tamen ego inficias iverim, tunc temporis jam ſubortam fuiſſe diſciplinam, juxta quam alicubi ubi dubietas eſſet admiſſi alicujus criminis, ad purgationem per aquam frigidam, aut ferrum candens deveniretur. Erant medio IX. ſæculo, qui eam purgandi formulam receperant, quaſi ad imitationem Summi Dei, qui in veteri lege dignoſcitur peccantes homines aut aquis, aut igne purgaſſe, quemadmodum deſcribit Hincmarus Rhemenſis in opuſculo de divortio Lotharii pag. 348. & ſequ. in editione Cordeſii; alii e converſo ſuperſtitioſam admodum eam purgandi formulam judicaverunt, ac propterea abolendam; hinc ait Hincmarus ibidem pag. 341. *Quidam dicunt nullius eſſe auctoritatis, ſive credulitatis judicium, quod fieri ſolet per aquam calidam, ſive frigidam, neque per ferrum calidum, ſed adinventiones ſunt humani arbitrii, in quibus ſæpiſſime per maleficia falſitas locum obtinet veritatis, & ideo credenda eſſe non debent*. Non itaque repugnat eodem ſæculo de ea purgatione recipienda dubitaviſſe plures, forte etiam Stephanum Pontificem interrogaſſe, atque intellexiſſe eam purgandi rationem minime probandam videri. Conſueverunt tunc commiſſa homicidia etiam caſu pœnitentia purgari, at Synodali auctoritate non omnino recipiebatur purgatio aquæ, vel ignis. Memoro hic canonem 53. Triburienſis Concilii anni 895. ita expreſſum. *Siquis filium ſuum, quod abſit, non ſponte, ſed caſu contingente occiderit, ſecundum homicidia ſponte commiſſa pœniteat, ut ſequenti ſubinfertur capitulo*. Clarius in can. 37. ejuſdem Concilii: *Siquæ mulier, ut ſæpe contingit, infantem proprium prope ignem collocaverit, & alius, qui caldarium ſuper ipſum ignem pependerit, & aquam infuderit, atque aqua ipſa per ignem fervens egreditur, & infanti ſuperinfunditur, & propterea mortuus agitur, mater infantis propter negligentiam judicio ſacerdotum pœniteat, & homo, qui caldarium pependit, ſecurus permaneat. Simili modo de ceteris ſimilibus, quæ ſæpe diverſe ſolent evenire, & judicamus, & eſſe volumus*. Quod ſi proximius ad ſpeciem apud Gratianum propoſitam accedere velimus, eo referre commode poterimus, quod legitur inter canones Iſaac Epiſcopi Lingonenſis ex Capitularibus Francorum Regum depromtos tit. 2. cap. 11. ibi: *Siquis infantem necaverit, ut homicida teneatur, &* can. 14. ibi: *Mulier quæ dormiens filium ſuum oppreſſerit, & mortuus fuerit, ſex annis pœniteat. Vir ejus, ſi in domo illius fuerit, quatuor. Si vero in uno lecto, ſimili modo pœniteat, duos in pane & aqua, reliquos quatuor ſecundum quod Sacerdos viderit illos poſſe, abſtinentiam imponat ciborum.*

De

Digitized by Google

De epiſtola ad Sichibertum Epiſcopum Corſicæ.

Quis fuerit Sichibertus ille in Corſica Epiſcopus, de quo ſententiam tuliſſe viſus eſt Stephanus V. in can. 38. diſt. 50., maxime incertum eſt; tantummodo adnotare potuit Manſius in ſuo Codice Sigebertum appellari. Hinc incerta erit monumenti ejuſdem auctoritas, quamquam videam non repugnare Stephani temporibus, quod ibidem legitur; etenim non poſſumus ignorare, tum maximas fuiſſe Sarracenorum vires, quibus fideles omnes, ac præſertim Eccleſiarum Antiſtites obruebantur; non ignoramus præterea in ea temporum improbitate nullum non lapidem motum fuiſſe, etiam a viris eccleſiaſticis, ut, quoad fieri poſſet, res Italiæ ab exterorum Sarracenorum tyrannide liberarentur. Quid propterea mirum eſſe poteſt, ſi Sichibertus Epiſcopus vim vi repellens Sarracenos quoſdam occidiſſe proponatur, eaque propter a Summo Pontifice poſtulaviſſe, num canonum cenſuræ ſubjaceret? Æquum ſane timorem illum fuiſſe reſpondit Stephanus, interea tamen adjunctis temporum clementer aliquid indulgendum voluit; nam alias etiam homicidia non ſponte commiſſa, pœnitentiæ ſubjiciebantur, quod ſane idem erat, ac Clericos eadem homicidia admittentes, potiore ratione Epiſcopos, a proprio officio, vel dignitate decidere. Ad rem Iſaac Lingonenſis Epiſcopus in ſuis canonibus tit. 2. cap. 13. depromto ex Francorum Capitularibus ſcribit: *Siquis quiete gradiens per viam, aut ſi etiam in domo ſua fuerit, aut in platea Civitatis, aut in villa, ſubito ab alio ſit ſuperventus, aut litis commotione, volens ſe defendere, non habens contra illum ante odium, interfecerit hominem, ſeptem annis ſecundum canonicam inſtitutionem pœniteat, tres vero a communione privetur, quatuor autem in communione orationum & oblationum ſuſceptus, in Sacerdotis pendeat arbitrio, utrum dignus ſit Corpus Chriſti accipere, aut uſque ad plenitudinem pœnitentiæ ab eo ſeparari. Abſtinentia ciborum in providentia Sacerdotis erit, ſecundum poſſibilitatem pœnitentis, & devotionem, & affectum.* *Can. 38. diſt. 50.*

De epiſtola ad Robertum Metenſem.

Epiſtola Stephani ad Epiſcopum Metenſem, ex qua depromtus eſt canon 11. diſt. 55., integra deſcribitur in Labbeana Collectione num. 3., necnon apud Ivonem parte 6. Decreti cap. 118.. Non piget illam hic exarare, ex qua, quæ apud Gratianum deſunt, ſuppleantur. *Lator præſentium Flavinus ſcilicet Clericus ad Sanctam Sedem Apoſtolicam veniens detulit a te nobis directam epiſtolam, qua indagare ſtuduiſti, eum a Normannis nuperrime captum ſiniſtræ manus digitum habere abſciſſum* (ita legit Labbeus: Paullo aliter Ivo his verbis: *Studuiſti, cum a Nortmannis .... haberet abſciſſum*) *ſciſcitans, ſi ob hoc ad Eccleſiaſticum Ordinem valeret promoveri, an non. Quod & nos reperientes, quia ſolertia tua magis ſuper hoc ſollicita a Sede Apoſtolica edoceri flagitat, normam juſtitiæ ſemper ſequi exoptans, ſtudium tuæ ſanctitatis merito collaudamus, reverentiam tuam ſcire volentes, quoniam ſi ita eſt, quod a Normannis digitum ipſum habeat abſciſſum, ad promovendum, ſi alias dignus fuerit, nihil ei nocebit, eo quod quid de his, qui a Dominis, vel medicis, ſive a pa-* *Can. 11. diſt. 55.*

Digitized by Google

ganis, non ſponte tale quid patiuntur, ſacri cenſeant canones, dilectionem tuam latere non credimus, quam ei (ſcribit Ivo: *quos eis*) *obviare debere, ſi ita eſt, minime reperimus, monentes religionem tuam, ut circa illum ita peragat, quatenus ut* (legit Ivo *&*) *mercedem pro eo magnam incurrat, & deſiderium illius, canonica auctoritate ei in aliis non obviante, Deo adjuvante perficiat*. Hinc ſane liquet, Stephanum V. in propoſita ſpecie, cum laudavit eccleſiaſticos canones, quos ſequendos reſcripſit, ſeſe retuliſſe ad canonem Nicænum I., qui apud Gratianum refertur in can. 7. diſt. 55. Iis, quæ in memorata Stephani epiſtola continentur, fidem quandam facere videntur acta Metenſis Concilii ſub eodem Roberto, ſive Rotberto, ut alii ſcripſerunt, celebrati anno 888. temporibus Stephani V., ſiquidem in canone 1. ejuſdem Concilii conqueſtus eſt pius Antiſtes, a Northmannis plurimum exagitatos, atque injuriis laceſſitos fuiſſe Chriſtifideles, atque ideo res Chriſtianorum turbatas, ut Synodales Conventus diu interrumperentur.

De epiſtola ad Romanum Epiſcopum Ravennatem.

Can. 12. diſt. 63. Baluzius in notis ad Gratianum ad canonem 12. diſt. 63. animadvertit, in omnibus Gratiani libris antiquis, & editionibus caput iſtud referri ex epiſtola Stephani Papæ ad Romanum Archiepiſcopum Ravennatem, quo etiam modo legitur apud Anſelmum Lucenſem lib. 6. cap. 30. in Codice Sangermanenſi, quod referendum ad Stephanum V. ſcribit Hieronymus Rubeus. Ego ſane minime dubitarem, quin canon idem recte Stephano V. Pontifici tribuatur, niſi paulliſper in ancipiti collocarer ex eo, quod noverim apud Collectores omnes Gratiano vetuſtiores eam epiſtolam deſiderari, & exhiberi primum, imo tantum, apud Anſelmum, cujus fides & auctoritas mihi parum probatur, præſertim in ea re, qua de agitur in eodem canone, utpote quam tractabat Anſelmus admodum alacriter, atque ut plurimum ſine delectu monumentorum, dummodo propoſito ſuo ſerviret. Ceterum nihilominus facile in eam trahor opinionem, ut credam eundem canonem Stephano V. convenire, quod plurima concurrant adjuncta, & temporibus, & locis, & perſonis, de quibus ibidem agitur, accommodata; atque illud unum eſſe poteſt, quod non me ſatis ab omni liberat ſuſpicione; nimirum in referendo germano monumento nonnihil paullo vividius exprimi potuiſſe apud Anſelmum, quod non in epiſtola Stephani contineretur, præſertim quod temporibus Stephani nulla adhuc ſuborta fuiſſet gravis occaſio, qua preſſius in ea materie quidpiam urgeretur. Dixi multa concurrere adjuncta temporum, locorum, ac perſonarum, quibus facile monumentum illud accommodatur. Revera Romanus fuit ad Ravennatenſem Eccleſiam electus temporibus Johannis VIII., uti liquet ex epiſtola ejuſdem Papæ 184. Ad eundem Epiſcopum aliæ ſunt plures Johannis VIII. epiſtolæ, præſertim 218. 220. 270. 272. 273. 275., & 276., & quamquam idem Romanus in Concilio Romano VII. anni 881. fuerit eccleſiaſtica communione privatus, quod etiam deducitur ex epiſtola Johannis Papæ 278., tamen temporibus Stephani V. reſtitutus fuiſſe ad priſtinum honorem videtur ex eo, quod Manſius inter acta Stephani V. duas referat epiſtolas, quibus indicat idem Stephanus Romanum Ravennatem, quem honorifice ibidem nominat, obiiſſe, ac propterea ad alterius Epiſcopi electionem eſſe deveniendum; quibus ſane lo-

quendi

quendi formulis non uſus fuiſſet Stephanus, ſi Romanus in excommunicatione pertinax mortuus fuiſſet. Præterea conſtat Immolenſem Eccleſiam, de qua fit mentio in dicto can. 12. diſt. 63., fuiſſe ſubjectam veluti Metropolitanæ Eccleſiæ Ravennatenſi, ac propterea juxta diſciplinam illius ætatis, vacanti Eccleſiæ Immolenſi fuiſſe per Ravennatenſem Archiepiſcopum conſulendum. Similis fere ſpecies deducitur ex epiſtola Johannis VIII. 271. ſuperius memorata, nam cum Faventina Ravennatenſi Eccleſiæ ſubjecta vacaviſſet, mandavit Johannes Romano Ravennatenſi, ut electum Epiſcopum *ſecundum morem* ordinaret. Simile præterea exemplum perſpicue colligimus ex epiſtola Stephani V. ad Dominicum Romani in Ravennatenſi Eccleſia ſucceſſorem; cum enim vacaviſſet Eccleſia Placentina Ravennatenſi Metropolitæ ſubjecta, profeſſus eſt Stephanus Papa ſe extra ordinem Placentinum Epiſcopum elegiſſe, ac conſecraſſe, quia uno eodemque tempore & Placentina, & Ravennatenſis Eccleſia vacaverat, ceterum regulariter ad Ravennatenſem Archiepiſcopum Placentini Epiſcopi conſecrationem pertinere. Habetur hæc epiſtola apud Manſium tom. 1. Labbeani Supplementi pag. 1046. deprompta ex hiſtoria Ravennenſi Rubei.

De epiſtola ad Guidonem Comitem.

Canon 18. diſt. 63. recte laudatur ex epiſtola Stephani V. ad Guidonem Comitem, quem alii Widonem appellaverunt; licet enim epiſtola illa perierit, ſolumque ejuſdem fragmentum apud Gratianum remanſerit, tamen ego non dubito, quin eadem germana ſit, utpote Stephani Papæ temporibus conſentanea. Erat Guido, ſeu Wido, uti conjicio, Comes ille Spoletanus, qui anno circiter 890. poſt obitum Caroli Craſſi Imperatoris in Concilio Ticinenſi Rex Italiæ ſalutatus eſt, qui tandem curavit, ut filius ſuus Lambertus jura Imperii nanciſceretur. Ad eundem Guidonem ſcripta exiſtit epiſtola 291. Johannis VIII., atque ad eum arbitror etiam pertinere epiſtolam ejuſdem Johannis 316. ad Comites in Regno Ludovici conſtitutos, ex qua patet, Comites numero plurimos nonnihil turbaſſe jura Imperatoris, unde etiam pax Sanctæ Dei Eccleſiæ, ut ibidem dicit Johannes Pontifex Maximus, turbaretur. Quænam inter cetera eſſent jura, quæ temporibus Stephani V. ſibi vindicaret Imperator, demonſtrat Caroli Craſſi præceptum, quod edidit Sirmondus ad annum 885. his verbis: *In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis Carolus divina favente clementia Imperator Auguſtus. Si ea, quæ divinis conveniunt auctoritatibus præcepto noſtræ altitudinis confirmamus, ſupernam ob id gratiam promereri nullo modo dubitamus. Quocirca omnibus ſanctæ Eccleſiæ fidelibus & noſtris, præſentibus, & futuris, notum eſſe volumus, quod venerabilis Agilmarus Arvernorum Præſul, adiens genua ſerenitatis noſtræ, innotuit, quoniam Girboldus Cabilonenſis Eccleſiæ venerabilis Antiſtes & reverendus, infirmitate jam ſimulque ſenio confectus, non modicum metu ſui obitus civibus, & filiis Eccleſiæ ſuæ inferret dolorem. Itaque noſtram humiliter deprecatus eſt dominationem, ut præfatæ Eccleſiæ canonicam electionem concedere deberemus. Placuit ergo nobis ſaluberrimæ acquieſcere poſtulationi. Decernimus igitur, & pro Dei amore hoc eidem concedimus, ut obeunte paſtore proprio, omni deinceps tempore canonicam habeant electionem. Hoc denique, quod Divino amore conceſſimus, noſtro imperiali præcepto confirmavimus, & annulo noſtro inſigniri juſſimus.*

Can. 18. diſt. 63.

Ita-

Itaque in electionibus Epiſcoporum maximas tunc fuiſſe Imperatoris partes conſtat; proindeque cum vacaſſet Reatina Eccleſia, quemadmodum proponitur in ſpecie dicti canonis 18., operæ pretium erat, non aliter recipi electionem Epiſcopi Reatini a Guidone Comite propoſitam, niſi Imperatoris-conſenſus accederet; jure enim verebatur Prudentiſſimus Pontifex Stephanus, ne, ſi aliter ageretur adverſus veterem conſuetudinem, turbaretur Imperatoris animus, in iis præſertim & temporum, & locorum adjunctis, quibus Guido idem Comes, qui jam in Spoletano Comitatu, in ipſa etiam Reatina Civitate auctoritatem, poteſtatemque explicabat, ad regnum univerſæ Italiæ inhiabat. Quid vero poſt epiſtolam Stephani evenerit, incertum videtur; conjicio tamen Guidonem acquieviſſe, neque aliter urgere voluiſſe novi Antiſtitis electionem, quam ſi Imperatoris conſenſus acceſſiſſet; etenim in Concilio Ticinenſi laudato can. 11. & 12. poſtquam enarratum fuerit Carolo Imperatore obeunte plurimis periculis fuiſſe obnoxium Regnum Italiæ, exhibetur Guido ad Regnum Italiæ evectus, quod Eccleſiarum pacem ſtrenue tuiturum, & Eccleſiarum omnium jura ſervaturum, imo & ſingulares leges editurum promiſiſſet. Obſervandum tamen eſt, Guidonem eundem deinde poſt Regni adſecutionem tale pactum, ſive legem edidiſſe, quam minus utilem rebus Eccleſiaſticis poſteriores nonnulli Antiſtites crediderunt, ac propterea reformandum Lamberto Imperatori ejuſdem Guidonis filio propoſuerunt in Concilio Ravennatenſi anni 904. can. 6. & 7. his verbis: *Ut pactum, quod a beatæ memoriæ veſtro genitore* (ita Lambertum Imperatorem Concilii Patres alloquebantur) *Domino Widone, &, a vobis piiſſimis Imperatoribus, juxta præcedentem conſuetudinem factum eſt, nunc reintegretur, & inviolatum ſervetur. De locis autem, atque rebus, quæ in eodem pacto continentur, præcepta nonnulla illicita facta ſunt, quæ petimus, ut in eadem Synodo terminentur, & quæ non recte facta præcepta ſunt, corrumpantur.*

De epiſtola ad Leonem Epiſcopum Theanenſem.

Can. 17. cau. 2. qu. 1. & can. 1. cau. 15. qu. 5. Neſcio qua de cauſſa Vaneſpen in Brevi Commentario ad ſecudam partem Gratiani ad canonem 1. cau. 15. qu. 5. hanc cenſuram adjecerit in epiſtolam, quam tum in memorato can. 1., tum etiam in can. 17. cau. 2. qu. 1. Stephano V. Gratianus adſcripſit. *Indigna veriſimiliter, quæ huic Pontifici adſcribatur, ut propterea nec ejus epiſtolis tom. 9. Conciliorum Generalium deſcriptis enumeretur.* Contemnenda ſane animadverſio, ubi nullum aliud argumentum adfertur, quam quod ex ſilentio Collectorum Conciliorum deducitur; nemo enim ignorat, parcos admodum fuiſſe Conciliorum, & Epiſtolarum Pontificiarum Collectores in ſingulis referendis monumentis, aliquando etiam ſine ullo criterio, ut omiſerunt germana, ita apocrypha, aut dubia deſcripſiſſe. Quid vero diceret Vaneſpen hodiernis temporibus, ſi eandem epiſtolam in Supplemento Manſii deſcriptam adſpiceret, & quidem primo loco inter fragmenta monumentorum Stephani tom. 1. pag. 1043., ubi etiam adnotavit ſe fragmentum illud excepiſſe ex Gerhoo de ædif. Dei in Anecdotis Pezii tom. 2. p. 2. pag. 374.? Puto autem & Manſio ipſi tantum honorem jure deferri & poſſe, & debere, ut meliorum Collectorum ſtudia Criticæ arti conjuncta fuerit æmulatus. Ego ſane non video, qua ratione con-

Digitized by Google

conſiſtat Vaneſpenii cenſura ; ſi enim duos illos canones , qui apud Gratianum exiſtunt , jungamus , quemadmodum jungi debent , cum ſint ex eadem epiſtola depromti , nihil emerget , quod aut diſciplinæ ſacrorum , aut Stephani V. temporibus adverſetur . Leonem Theanenſem Epiſcopum labente fere ſæculo 9. vixiſſe , liquet ex epiſtola 289. Johannis VIII. ad eundem Epiſcopum ſcripta ; idem propterea Leo potuit adhuc inter vivos eſſe temporibus Stephani V. , cum vix anni quatuor ab uno ad alterum Pontificem interfluxerint . In ejus autem Diœceſi facile emergere potuit controverſia de purgatione Alderici Diaconi de certis criminibus accuſati ; non enim infrequentes erant tunc temporis de Clericorum accuſatorum purgationibus quæſtiones , quemadmodum nemo ignorat . Quid vero congruentius adferri in medium poterat , quam definire , in crimine manifeſto ac publico nullis opus eſſe teſtibus , viceverſa in occultis , in judicium tamen deductis , neceſſariam eſſe probationem , quæ ſi firma non ſit , tota res abs jurejurando accuſati dependeat ? Non aliud arbitror in ſimilibus illius temporis Pontifices Maximos reſpondiſſe ; neque aliud ex memoratis Gratiani canonibus Stephano adſcriptis colligitur . Ivo Carnotenſis , cum ageretur de quodam electo in Epiſcopum deinde a nonnullis accuſato , in eandem propemodum ivit ſententiam in Epiſt. 68. ita ſcribens ad Hugonem Lugdunenſem . *Manifeſta autem accuſatione non egere teſtatur B. Ambroſius ſuper epiſtolam ad Corinthios , ita dicens de eo , qui noverca ſua manifeſte abutebatur : Judicis , inquam , non eſt ſine accuſatore damnare , cognito autem opere iſtius , pellendum eum de fraternitatis cœtu cenſuit ; omnes enim crimen ejus ſciebant , in qua re neque teſtibus opus erat , neque tergiverſatione aliqua poterat tegi crimen . Simile quid ſcribit Papa Nicolaus Carolo Regi : Quæ Lotharius Rex veſter nepos operatur , accuſatione non indigent ; manifeſta quippe in eo ſunt opera carnis , quæ ſunt fornicatio , & immunditia .* Quoniam vero integra Stephani epiſtola non ad nos uſque pervenit , licet illius exemplar Romani Correctores ſe in quadam anonyma Collectione Vaticanæ Bibliothecæ reperiſſe aſſeruerint , alias autem fragmenta etiam Gratiani ſive apud Ivonem , ſive apud Manſium legantur , juvabit adnotare quandam verborum varietatem . Iis itaque omiſſis , in quibus Gratianea lectio conſonat , legit Ivo in parte 6. Decreti cap. 431. *De manifeſta & nota plurimis cauſſa . . . ut Beatus Ambroſius in epiſtola ad Corinthios ſcribit , de fornicatore . . . quia Dominus Judam , cum fuiſſet fur , quia non eſt accuſatus , minime abjecit . Ac mox . Cognito autem opere pellendum illum de cœtu fuiſſe fraternitatis cenſuit &c.* Apud Manſium ex Gerhoo : *De manifeſta . . . ad Corinthios dicit , de fornicatione ſententiam exponens Apoſtoli : Judicis , inquam , non eſt . . . cum fuiſſet fur , quia non accuſatus , minime abjecit . Cognito autem opere iſto , pellendum illum de cœtu fraternitatis cenſuit &c.* His addi poteſt canon 31. cau. 23. qu. 4. Quod vero pertinet ad verba canonis 1. cau. 15. qu. 5. eadem paullo aliter habentur apud Manſium ibi : *De crimine ſibi illato Diaconus tuus veriſſime fatebatur , ſe eſſe immunem . Verumtamen ſi ſuſpicio ſuper viaculum* (adnotat vir eruditus forte legendum eſſe *piaculum*) *habetur , & accuſatores idonei reperiuntur , & teſtes , quales ſacri canones ſanciunt , cum fuerit legitimis teſtibus approbatus canonica ſententia feriatur . Quod ſi nec ſponte confitetur , neque legitimi accuſatores , vel teſtes reperti fuerint , & mala fama crebeſcit , non publico examine , ſed coram te , & coram Reverendiſſimis Presbyteris , & Diaconis ſecreto juramento ſe purget , & tu deinceps boni teſtimonii eum annuncia , & compeſce , & commone*

Eccle-

Eccleſiæ tuæ filios, ne Sacerdotem Dei ulterius infamare præſumant; timentes, quod Cham maledictus eſt, quod Patris verenda deriſit. Paullo aliter habentur apud Ivonem in parte 6. cap. 430., cujus verba deſcribam, ea omittendo, quæ conſonant cum editione Gratiani, ibi: *De crimine ſibi illato Diaconus tuus veriſſime ſe fatebatur immunem . . . . quod ſi nec ſponte . . . & mala fama crebeſcit . . . . compeſce, ac admone . . . Sacerdotem Dei infamare ulterius præſumant, timentes maledictionem Cham, qui Patris verenda deriſit*.

De epiſtola ad Girardum Leodienſem.

Valde in obſcuro deliteſcit epiſtola, quæ fertur a Stephano ſcripta ad Girardum Leodienſem, ex qua depromtus dicitur canon 3. cau. 3. q. 2. Referam hic, quid nonnulli jam tradiderunt, licet nihil adhuc definierint, deinde ex quibuſdam conjecturis, quid addi alienis traditionibus poſſit, indicabo, interea nitidiora lumina ab aliis expectaturus. Romani Correctores ubi obſervaverunt ad eundem canonem codicum varietatem, in aliquibus enim noverunt epiſtolam ſcriptam ad Girardum Laodicenſem, in aliquibus ſcriptam ad Girardum Leodienſem, poſteriorem hanc editionem priori antehabuerunt, ex eo, quod manſorum mentio, quæ in canone fit, ſatis indicat non ad Græcum Epiſcopum, qualis fuiſſet Laodicenſis, ſed potius ad Germanum, vel Gallum, qualis fuiſſet Leodienſis in Belgii finibus, canonem pertinere. Non placuit hæc emendatio Baluzio, qui in notis ad illum canonem, poſtquam animadvertit in Codice Sangermanenſi hanc haberi inſcriptionem, *Item Stephanus Papa Girardo Laodicenſi*, in Regio *Leodicenſi*, in antiquiore Victorino *Lodicenſi*, in recentiore *Gerardo Leodicenſi*, in Colbertino demum *Grando Leodicenſi*, ſubdit, manifeſtiſſime conſtare epiſtolam inſcriptam eſſe cuidam Clerico Leodienſi, ſeu is Epiſcopus erat, ſive in inferiore gradu conſtitutus, cum veteres Codices nihil de dignitate hominis habeant. His præjactis, inquit, ſi de Leodienſi Epiſcopo heic agitur, neceſſe eſſe, ut Franconis nomen pro Girardo ſubſtituatur, quum nullus ſub Stephani V. Pontificatu Leodienſis Epiſcopus fuerit Girardus, ſed Franco, uti conſtat ex hiſtoria Epiſcoporum Leodienſium. Paullo aliter Pithœus, qui putavit pro *Girardo* legendum eſſe *Ratherio*; quod deduxit ex Sigeberto, Trithemio, & Placentino. Mantius in Supplemento Labbeano poſtquam eundem canonem juxta Gratiani editionem deſcripſit, hæc ad marginem adnotavit: *In MS. Codice meo per compendium ſcribitur*: *Gigdo Leodicenſi*. *Sed quocumque modo hæc accipiantur, vix cohærent Epiſcopo alicui, qui tunc Leodienſem Cathedram teneret*. In tanta dubitatione ſi licet conjecturis indulgere, atque ſi opus eſt emendare ſcripturam, ego potius ita emendarem, ut quanto minus fieri poſſet, corrupta olim videretur; Hinc legerem *Girardo Laudenſi*; ſcio enim Girardum Laudenſem Epiſcopum Archiepiſcopi Mediolanenſis ſuffraganeum vixiſſe temporibus Stephani V., qui ſubſcripſit Concilio Ticinenſi anni 876. & Concilio Ravennenſi anni 877., atque ad eum ſcripta Stephani epiſtola nihil continet, quod locis, vel temporibus diſſonum dignoſcatur; Scimus enim in Italia tunc res Eccleſiaſticas variis direptionibus obnoxias fuiſſe, neque inveroſimile eſt, cum de illarum reſtitutione ageretur, ita omnia fuiſſe compoſita Pontificum auctoritate, ut non aliter in communionem Synodali judicio reci-

Can. 3. cau. 3. qu. 2.

Digitized by Google

reciperentur rerum Eccleſiaſticarum invaſores, quam ſi direpta primum reſtituiſſent. Non tamen inde illud perſpicue deducendum velim, ut in memorato canone 3. certum agnoſcendum ſit diſciplinæ Eccleſiaſticæ monumentum.

De epiſtola ad Gualbertum Patriarcham.

Can. 20. cau. 9. qu. 3. non ad alios codices commodius exigi poteſt, quam ad codicem Ivonis, & quo Gratianus ipſe fragmentum deſcripſit. Illic in parte 5. cap. 13. ita legitur: *Stephanus Walberto Patriarchæ. Miramur prudentiam tuam Cumenſi Eccleſiæ denegare conſecrare paſtorem, cum te jam ab hoc provocatum noveris Apoſtolica exhortatione. Sic enim in ejus electione, quod tibi diſplicuit ſacris canonibus interdictum, apologeticis literis tuis reſpondere nobis debueras. Nunc vero iterato tibi ſcribimus, nolentes alicujus Eccleſiæ privilegium infringere, licet Apoſtolica prærogativa poſſimus de qualibet Eccleſia Clericum ordinare. Deſine jam cujuſpiam zelo electum a Clero, & expetitum a populo Lintvvardum Cumenſi Eccleſiæ Antiſtitem protelare: quia ſi protelaveris, & eum conſecrare totiens monitus non maturaveris, quum ad nos venerit, procul dubio conſecratus abibit, quia licet apoſtolica auctoritate id facere valeamus, tuo tamen incitamur exemplo, qui trangreſſis terminis tibi commiſſis in Eccleſia Salonenſi Epiſcopum ordinare ad indecentiam Apoſtolicæ Sedis præſumpſiſti; quod quantæ prævaricationis ſit, ipſe perpende.* Nonnulla ex his retulit idem Ivo in epiſtola 61. ad Hugonem, ex quibus ſine multa ſuppleri poſſunt, quæ deſunt apud Gratianum. Ego vero paulliſper codicum lectionem corruptam puto, ubi ſcilicet Cumenſis Eccleſia memoratur; nam pro voce *Cumenſis* legerem potius *Comenſis*, quando ſcimus Comenſem Eccleſiam ſubjectam fuiſſe Aquilejenſi Patriarchatui, quem tenebat Walbertus, ſeu Gualbertus, Cumenſem autem Eccleſiam ſubjectam fuiſſe aſſerere minime poſſumus; alias autem Stephanus nolebat a VValberto fieri Epiſcopi ordinationem extra Provinciam Patriarchalis Aquilejenſis juriſdictionis. Interea vero nollem certo concludere, eam epiſtolam ſine ulla dubitatione tribui poſſe Stephano V. Generaliter tamen dixero fuiſſe media præſertim Eccleſiæ ætate Romanorum Antiſtitum morem, ut ipſi ad conſecrationes electorum Epiſcopum progrederentur, quoties Metropolitani, vel Primates, ad quos ordinario jure ſuffraganeorum conſecratio pertinebat, electos ſuffraganeos conſecrare in longiora, quam par eſſet, tempora differebant. Sic Gregorius VII., cum vacaſſet Carnotenſis Eccleſia, non tam populum & Clerum admonuit de ſucceſſoris Antiſtitis facienda juxta canones electione, quam Richerium Archiepiſcopum Senonenſem de electi conſecratione non differenda, ita ſubdens: *quem electum canonice cognoveritis, & manus imponere, & in Epiſcopum conſecrare nulla occaſione recuſetis; ſcientes quoniam ſi illud timore aut gratia cujuſquam prætermiſeritis, nos tamen inordinatum eum nullatenus relinquemus, & vos eo honore, & dignitate, quam ignobiliter deſerere non erubeſcitis, deinceps indignos fore judicabimus*. Habentur hæc in epiſt. 15. lib. 4.; addi his poteſt epiſtola Urbani II., quæ eſt ſecunda inter epiſtolas Ivonis Carnotenſis juncta epiſtolæ 8. ejuſdem Ivonis, ex quibus deducitur, ideo Ivonem in Carnotenſi Eccleſia fuiſſe auctoritate Pontificis Maximi conſecratum, quia Senonenſis Metropolita illum ordinare neglexerat, imo illius electioni certis de cauſſis diu reſtiterat. Hinc ſi forte quiſquam de auctoritate dubitaverit memorati canonis 20. cau. 9. qu. 3., alia hæc mo-

Can. 20. cau. 9. qu. 3.

monumenta in illius vicem ſubſtituendo, eandem ſervatam fuiſſe colliget diſciplinam apud alios Pontifices mediæ ætatis, exinde etiam capiet conjecturam, ut auctoritatem ejuſdem canonis 20. minus ancipitem, &, ſi non omnino certam, ſaltem veroſimilem arbitretur.

De epiſtola ad Haſtulphum.

Can. 8. *cau.* 33. *qu.* 2. Jam perſuaſum eſt viris eruditis, epiſtolam ad Haſtulphum quendam, quam Stephano V. Papæ tribuit Gratianus in can. 8. cau. 33. qu. 2., nullo modo Stephano V. tribui potuiſſe; ſiquidem illa potius pertinet ad Paulinum Forojulienſem Epiſcopum, qui illam edidiſſe fertur in Synodo Francofordienſi anni 794. Revera Burchardus eundem canonem referens in lib. 6. decreti cap. 40. ſub hac inſcriptione voluit exarandum: *Epiſtola Paullini Forojulienſis Epiſcopi ad Heiſtulphum.* Sub hoc ipſo titulo edita fuit apud Labbeum ad calcem memorati Francofordienſis Concilii, nimirum in tom. 9. pag. 108. Venetæ editionis, quam Collector eruit ex Ms. codice Rhemenſi collato cum codice Burchardi. Adnotat autem Baluzius, dubium eſſe non poſſe, quin ea ſit vera, ac genuina epiſtolæ hujus inſcriptio, cum diſerta illius mentio extet apud Flodoardum lib. 3. hiſtoriæ Rhemenſis cap. 21. in commemoratione epiſtolarum ab Hincmaro Rhemenſi Archiepiſcopo ſcriptarum. Verba Flodoardi hæc ſunt: *Vulfado Bituricenſi Archiepiſcopo, de his, qui conſulte uxores ſuas interficiunt, ſententiam Paullini, quam ſibi mitti petierat, ſcribens.* Fateor quidem apud Ivonem in parte 8. decreti cap. 126. eandem epiſtolam legi ſub hoc nomine: *Stephanus V. Haſtulpho.* At ex eo quidem deducitur, errare facile potuiſſe Gratianum, qui Ivonem ut plurimum ſequebatur, non tamen colligitur ceteris Ivonis codicem antehabendum eſſe, quemadmodum nec antehabendus eſſet Pœnitentialis Romanus editus ab Antonio Auguſtino, in quo tit. 1. cap. 11. hæc ipſa epiſtola refertur ſub nomine *Decreti Pii Papæ.* Quoniam vero & in Gratiani decreto, & in Pœnitentiali Antonii Auguſtini, & in decreto Ivonis, & in editione Conciliorum, & apud Burchardum varia eſt paulliſper epiſtolæ editio, alias autem nimis operoſum eſſet, huc ſingulas atque integras referre ſcripturas, tantum exarabo verba, quæ habentur apud Burchardum, ſive quod antiquiſſima omnium videatur editio, ſive quod mihi ſingula conferenti viſa fuit ceteris accuratior, ſive demum quod hodie Burchardi codices pene interierint, nec facile ſit ad illos manum admovere; qui autem curioſius ceteras etiam editiones animadvertere voluerit, & comparare, commode id, quo proprio ſtudio ſatisfaciat, inveniet. Itaque his verbis apud Burchardum integra Paullini Forojulienſis Epiſcopi ad Heiſtulphum epiſtola exprimitur: *Admonere te cum lacrymis, & multo gemitu curo fili Heiſtulfe, ſi tamen filius dici debeas, qui tam crudeliter infelix homicidium perpetraſti. Nam occidiſti uxorem tuam partem corporis tui, legitimo tibi matrimonio ſociatam ſine cauſſa mortis, non tibi reſiſtentem, non inſidiantem quoquo modo vitæ tuæ. Non inveniſti eam cum alio viro nefariam rem facientem, ſed incitatus a diabolo, impio inflammatus furore, latrocinii more, atrocior, & crudelior omni beſtia, eam gladio tuo interemiſti. Et nunc poſt mortem ejus addis iniquitatem ſuper iniquitatem filiorum tuorum, improbe prædo, qui matri non peperciſti, & filios tuos ideo orphanos feciſti, ut ſuperinduceres mortis cauſſam poſt mortem: & per unum homicidam, & reprobum teſtem incuſa-*

incuſare vis mortuam; hoc nec Evangelium, nec ulla divina humanaque lex concedit, ut unius teſtimonio etiam idoneo aliquis condemnetur, vel juſtificetur: quanto magis per iſtum tam flagitioſum, & ſceleſtum nec illa viva debuit condemnari, nec tu poteris poſt ejus mortem excuſari? Prius cauſſa criminis ſubtiliter erat inveſtiganda, & nunc ſi rea fuiſſet inventa, ſecundum legis tramitem debuit excipere ultionis vindictam. Nam & ſi verum, quod abſit, fuiſſet, ſicut ille adulter mentitus eſt, poſt ſeptem annos pœnitentia peracta dimittere eam per approbatam cauſſam poteras, ſi voluiſſes, occidere eam nullatenus debuiſti. Duo conſilia proponimus tibi. Accepta tecum deliberatione duorum, elige magis, quod placeat, & miſerere animæ tuæ. Et tu hic in iſto anguſto tempore poſitus, ne ſis tu ipſe tuimet homicida, & in æternum pereas, relinque hoc malignum ſæculum, quod te traxit ad tam immaniſſimum peccati facinus. Ingredere monaſterium, humiliare ſub manu Abbatis, & multorum fratrum precibus adjutus, obſerva cuncta ſimplici animo, quæ tibi ab Abbate fuerint imperata, ſi forte ignoſcat infinita Dei bonitas peccatis tuis. Iſtud conſilium, ut certiſſime ſcias, levius, & ſalubrius eſt, ut ſub alterius cuſtodia lugeas deſlenda peccata. Secundum autem conſilium tale eſt. Arma depone, & cuncta ſæcularia negotia dimitte. Carnem, & ſagimen omnibus diebus vitæ tuæ non comedas, excepto uno die Reſurrectionis Domini, & uno die Pentecoſtes, & uno die Natalis Domini, ceteris temporibus in pane, & aqua, & interdum leguminibus, & oleribus pœniteas, in jejuniis, in vigiliis, & in orationibus, & in eleemoſynis perſevera omni tempore. Vinum, medonem, & mellitam cerviſam nunquam bibas, niſi in illis prædictis tribus diebus. Uxorem ne ducas, concubinam non habeas, adulterium non facias, abſque ſpe conjugii perpetuo permaneas. Nunquam te laves in balneo, equum non aſcendas, cauſſam tuam & alterius in conventu fidelium non agas, in conviviis lætantium nunquam ſedeas, in Eccleſia ſegregatus ab aliis Chriſtianis poſt oſtium humiliter ſles, ingredientium, & egredientium orationibus ſuppliciter te commendes, communione Sacri Corporis, & Sanguinis Domini cunctis diebus vitæ tuæ indignum te exiſtimes. In ultimo termino vitæ tuæ pro viatico, ſi obſervaveris conſilium, ut accipias tibi concedimus. Sunt & alia multa duriora, quæ tibi juxta pondus tanti facinoris eſſent adjicienda, ſed ſi hæc omnia, quæ ſupra miſericorditer dicta ſunt, perfecto corde Deo auxiliante perfeceris, & cuſtodieris, confidimus de immenſa Dei clementia, remiſſionum tuorum peccatorum habiturum, & ſecundum boni juſtique Paſtoris imperium, reſolvat te Sancta Eccleſia ab hoc vinculo peccati in terris, ut per ipſius gratiam, qui eam ſuo ſanguine redemerat, ſis ſolutus in cœlis. Sin autem aliter feceris, & Sanctæ Matris Eccleſiæ ſalubre conſilium deſpexeris, ipſe tibi ſis judex, & in laqueo diaboli, quo irretitus teneris, maneas, ſanguiſque tuus ſit ſuper caput tuum: nos alieni a conſortio tuo, & ſub indiſſolubili anathemate permaneas, donec Deo, & Sanctæ Eccleſiæ ſatisfacias.

De Epiſtola ad Paullum Epiſcopum Placentinum.

Paullum Placentinæ Eccleſiæ Epiſcopum vixiſſe temporibus Stephani V. veroſimile admodum eſt; ſcimus enim ad ipſum ſcriptam fuiſſe epiſtolam ab Johanne VIII., quæ inter editas eſt numero 142., item ſcimus illum ſubſcripſiſſe Concilio Pontigonenſi anni 876. Num vero ad illum revera ſcripta epiſtola fuerit, cujus fragmentum refertur in can. 2. cau. 35. qu. 9. non ſatis compertum eſt; cum inter editas Stephani epiſtolas nullibi integra habeatur. At quoniam nihil in eo canone fere continetur, quod non excerptum ſit ex epiſtolis Gregorii Magni, *Can. 2. cau. 35. qu. 9.*

quemadmodum jam Romani Correctores animadverterunt, ita ſatis erit huc illa referre, quæ apud eundem Gregorium exhibentur, nimirum in lib. 7. Regeſti epiſt. 13. & 28. indict. 1. Ait Gregorius initio epiſt. 13. ad Candidum Abbatem S. Andreæ. *Sicut loci noſtri conſideratio providere nos admonet, ut monaſteriorum negotia pacis intentio ſalubri fine diſtinguat, ſic iterum ratione conſtringimur, conſenſus noſtri auctoritate, quæ utiliter deciſa fuerint, roborare, ne forte cujuſquam excuſationis obtentu, quod a religioſo propoſito, & æquitate valde diſſentit, aliquid in dubium contentio recidiva perducat, & gignat ex pace litigium &c.* Et in epiſtola 28. ad Johannem Epiſcopum Syracuſanum: *Eccleſiaſtici vigoris ordo confunditur, ſi aut temere illicita præſumantur, aut impune non conceſſa tententur &c.*

De epiſtola ad Stylianum, alioſque Epiſcopos.

Can. 10. de conſ. diſt. 5. Ivo Carnotenſis, quæ Gratianus tradit in canone 10. diſt. 5. de conſecr., refert etiam in ſuo Decreto parte 1. cap. 114. ſub hac inſcriptione: *Stephanus V. Styliano Archiepiſcopo*. Item in parte 2. cap. 91. *Stephanus Papa Styliano, Anaſtaſio, Euſebio, Johanni, Paullo Epiſcopis, &c.*, item utrobique his verbis monumentum exaravit: *Numquid non omnia chariſmata ſacerdotalis miniſterii crucis figura perficiuntur? Numquidne baptiſmatis unda, niſi cruce ſanctificata, peccata relaxat? Et ut cetera prætereamus, ſine crucis ſignaculo quis ſacerdotii gradus aſcendit?* Siquis Ivonis codicem Gratianeo velut recentiori præferendum velit, poterit interea Gratiani canonem ex Ivonis canone emendare. Ceterum uterque canon ſive Ivonis, ſive Gratiani paullisper ab ipſa Stephani epiſtola diſſonat. Fuit Stylianus temporibus Stephani V. Neocæſareæ Euphrateſiæ Provinciæ Metropolita, qui interfuit Concilio Conſtantinopolitano IV. anno circiter 870. Ejus extant epiſtolæ ad Stephanum Pontificem miſſæ, quibus precatur, ut quidem adverſus Photium Orientalis Eccleſiæ turbatorem ex canonum cenſura agatur, clementius tamen recipiantur ii, qui olim a Photio decepti fuerant, deinde vero a ſchiſmate recedentes, unitatis Eccleſiaſticæ ſervandæ ſtudio excitabantur. Ad ipſum, & plures alios Epiſcopos Orientales, quales fuerunt Anaſtaſius, Euſebius, Johannes, & Paullus ab Ivone laudati, reſcripſit Stephanus, cujus epiſtola duplici refertur editione, primo inter monumenta Stephani Papæ numero 2. in recentiore Labbeana collectione, ſecundo ad calcem actorum Concilii Conſtantinopolitani 4. ex græco in latinum traducta. Ad hanc epiſtolam, quæ cauſſam Photii reſpicit, memoratus Gratiani canon pertinet, atque ex eadem erit emendandus. Vulgaris epiſtolæ editio ita habet. *Nec igitur mirum, ſi Photium ſatis exoſum ab Eccleſia damnatum ejeciſtis, qui ſalutiferam Domini Crucem ita deluſit, per quam videlicet venerandam Crucem omnia dona ſacerdotalis miniſterii perficiuntur, & ſancti baptiſmatis lavacrum ſanctificatur. Prædictus itaque Photius laicus homo, ſi regiam viam ambulaſſet, & decretis Sanctorum Patrum inhæſiſſet, ad tantam inſaniam nunquam deveniſſet. Quapropter qui Chriſti humilitatem, venerandam ſcilicet crucem contemnunt, percuſſi ſunt tanquam primogenita Ægipti, tunc enim Iſraelitarum primogeniti, cum eſſent ſignati, ſervati ſunt, ac cuſtoditi. Quid vero erat ille ſanguis agni in limine Iſraelitarum, niſi crux Paſſionis Chriſti, quæ in frontibus fidelium imprimitur? Quicumque igitur ſalutarem crucem parvipendit, Evangelico enſe interimitur.* Conſonat his altera editio, nimirum Græca, quæ ita latine reddi-

redditur: *Quare mirandum non eſt, ſi ſatis inviſum ab Eccleſia Photium ejeciſtis; qui ipſam quoque vivificam crucem, per quam omnia ſacra ſacerdotii miniſteria peragantur, a qua ipſe fons ſacri baptiſmatis ſanctitatem accipit, ludificatus eſt. Si ergo is, quem modo dixi, laicus Photius viam regiam inſtitiſſet, & a Patrum decretis & ſanctionibus non receſſiſſet, nunquam in tantam inſaniam incidiſſet. Hinc illi, qui humilitatem Chriſti, hoc eſt, venerandam ejus crucem irriſerunt, non ſecus ac primogenita Ægipti percuſſi ſunt. Tunc quidquid Iſraelis ſignatum erat, ſalvum fuit. Quid enim ſanguis agni in Iſraelitarum poſtibus erat aliud, quam crux patientis Chriſti, qua credentium frontes inſigniuntur? Qui ego ſalutarem crucem contemnit, Evangelico gladio mactatur.*

CAPUT LXXX.

De Leone VIII.

Miror, Gratianum laudaviſſe Leonem VIII., qui paſſim e numero Pontificum Maximorum expungitur, atque inter invaſores Apoſtolicæ Sedis recenſetur. Tolerabilius tamen eſt, unicum tantum ſub ejuſdem nomine monumentum fuiſſe deſcriptum: nimirum

Can. 23. diſt. 63. incertæ prorſus fidei, nec probatæ auctoritatis.

NEmo ignorat, quantum turbata fuerit Romana Eccleſia electo in Pontificem circa annum 956. Johanne XII., cujus mores improbi, quemadmodum hiſtorici univerſi fatentur, & non ſervata erga Imperatorem Ottonem fides, diro ſchiſmati occaſionem dederunt, eo uſque, ut celebrata Epiſcoporum plurium Synodo in Urbe Roma, quo ipſe Imperator acceſſerat, Johannes, qui metu fugam arripuerat, dignus declararetur, qui eſſet Pontificatu privandus, imo repente dejiceretur, ſubſtituto in ejus locum Leone, qui dictus fuit octavus. Ejus Synodi geſta paſſim improbantur, quamobrem conſulere quiſque poterit Natalem Alexandrum in differtat. 16. ſæculi 9. & 10. quæſt. unica. Sed diu non conſtitit Leonis Pontificatus; nam evectus ad illum anno 963., quo celebratum Concilium fuit, initio fere ſequentis anni 964. in alia Romana Synodo auctoritate Johannis convocata, depoſitus fuit, geſtis omnibus præcedentis Synodi omnino caſſatis. Poſt breve temporis ſpatium vita functo Johanne novum ſchiſma emerſit; nam in locum defuncti electus illico fuit a Romano Clero, ac Populo Benedictus V., rurſum vero in medium prodiit Leo VIII. Benedicti electioni refragatus, qui conſentiente Ottone Imperatore anno 964. aliam Romæ Synodum congregavit, ſibique ejecto Benedicto, & in exilium pulſo Pontificiam Sedem aſſeruit. Ad poſtremam hanc Synodum vulgo referunt conſtitutionem illam, quæ habetur in can. 23. diſt. 63. Sed in primis ſtatim adparet, quænam eſſe debeat ejuſdem conſtitutionis auctoritas, ſi tamen illa germanum illius Synodi appellanda ſit monumentum. Quæ enim eſſe pote-

Digitized by Google

poterat ejus legis auctoritas, quæ ab invaſore Sedis Apoſtolicæ per vim, & metum adductis in Pſeudo-Synodum Epiſcopis edita proponitur? His accedit non certo conſtare, eandem conſtitutionem in Synodo editam fuiſſe; imo plurimi ex eruditis ſcriptoribus aſſeruerunt, & graviſſimis argumentis demonſtrarunt, illam a recentiore quodam confictam fuiſſe, & Leoni tributam. Ego ſane video datam Leoni occaſionem, ut illa conſtituenda curaret, quæ in memorato canone leguntur. Cum enim ipſe jactatus crebro fuerit, modo in Summum evectus Pontificatum, modo vexatus, & preſſus; atque in ſui tutelam Imperatoriam Ottonis auctoritatem vocaviſſet, quam facile obtinuit ob exaſperatum Imperatoris animum adverſus Johannem XII., nihil ſibi utilius fore cenſuit, quam mulcere Ottonis voluntatem, eidem concedendo jus eligendi, ordinandique Pontificem Maximum; ea enim ratione ſuam electionem in primis certiorem reddebat, utpote quæ jamdudum facta fuerat conſentiente Imperatore; deinde magis ac magis ſibi videbatur conciliare Principis gratiam, qua adjuvante tuto Sedem Pontificiam occuparet. Licet vero facilis eſſe potuerit ita conſtituendi occaſio, non inde tamen concluditur, captam occaſionem fuiſſe, & revera editam illam conſtitutionem. Sunt enim gravia argumenta, quibus iſta apocrypha cenſeatur, & recentiore manu conficta. Non eſt cur eadem a me in præſentia adferantur, cum tritiſſima ſint apud omnes fere ſcriptores hiſtoricos, inter quos unum laudo Cardinalem Baronium, quem facile conſulere quiſque poterit. Tantum dixero, eos, qui pro ea conſtitutione pugnant, potiſſimum uti auctoritate Luitprandi, teſtis ſane alias idonei, utpote qui Romanæ Synodo eidem interfuit. Verum in primis Luitprandi fides plurimis eſt ſuſpecta, utpote qui curabat Ottonis Imperatoris gratiam ſibi captare, proindeque aſſentationibus, confictiſque ſingularibus juribus potuit Principi velificari, deinde jam perſuaſum viris eruditiſſimis eſt, Luitprandi opera hodie ita eſſe conſarcinata, ut aut libelli aliena manu & recentiore conſcripti ſub Luitprandi nomine cum ceteris Luitprandi libris emerſerint; aut ipſimet Luitprandi libri additamentis recentiorum depravati fuerint, unde propterea nullum rerum geſtarum firmum argumentum deduci ab aliquo poſſit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT LXXXI.

De Leone IX.

Omiſſis quamplurimis Pontificibus decimi, & undecimi ſæculi, quorum nulla ſunt apud Gratianum, vix etiam apud ceteros Collectores quædam exiſtunt, monumenta, gradum facio ad Leonem IX., cujus nomine canones inferius ſubjecti recenſentur.

Ex epiſt. ad Michaelem Epiſcopum Conſtantinopolitanum.	*Can.* 3. *diſt.* 12. *partim Leoni IX., partim Nicolao I. adſcribendus.*
Ex dictis contra epiſtolam Nicetæ Abbatis.	*Can.* 3. *diſt.* 16. *Can.* 11. *diſt.* 31. *Can.* 14. *diſt.* 32. — *tribuendi potius Humberto Sylvæ Candidæ Epiſcopo, & ad integros Codices exigendi.*
Adjicitur	*Can.* 55. *de conſ. diſt.* 1. *incertæ auctoritatis, conſonat autem cum Concilio Toletano VI. anni* 633.

ANno 1049. ad Sedem Apoſtolicam vocatus eſt vir vere Apoſtolicus Leo IX., cujus inſignis pietas, ac religio in Deum potiſſimum eo ſæculo emicuit, quod corrupti admodum eſſent (lugens dico, quod & lugentes etiam Scriptores Eccleſiaſtici referunt) Clericorum fere omnium mores, quibus propterea reformandis opportuna erat providi piiſſimique Pontificis vigilantia. Si bella, & clades Romanum Imperium univerſum, præſertim Italiam, turbabant, ipſe vir pacificus Leo animos componere ſtuduit, Simoniacorum vitia compeſcuit, recentiores Nicolaitas damnavit, aut in meliorem frugem reduxit, ſublevandis pauperibus miſericors, optimum præbens in omnibus humilitatis, & chriſtianæ charitatis exemplum, digniſſimus, ut paucis omnia complectar, Univerſæ Eccleſiæ Paſtor, cujus ſollicitudinis fructus uberior extitiſſet, ſi diutius Pontificatum Maximum adminiſtraſſet; verum brevi tempore, & vix quinquennio elapſo poſt adeptam dignitatem obiit, anno ſcilicet 1054. Quæ nunc ex Gratiano expendam, ejuſdem Sancti Pontificis virtutes aliqua in parte exhibebunt.

De Epiſtola ad Michaelem Epiſcopum Conſtantinopolitanum.

Veteres contentiones Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ adverſus Romanam, quas plurimorum Patriarcharum Conſtantinopolitanorum ambitus vehementiſſime concitabat, eo etiam acriores emerſerant temporibus Leonis, quum Michael Cerularius *Can.* 3. *diſt.* 12.

rius

rius Conſtantinopolitanus Antiſtites Romanæ Eccleſiæ mores, diſciplinam, imo & ipſam Romanam Eccleſiam improbis conviciis laceſſivit, alioſque etiam in perfidiam ſuam attraxit, quos inter fuit Leo quidam Acridianus Archiepiſcopus, & Bulgarorum Eccleſiæ Primas. Opponebant adverſus Romanam Eccleſiam, quod Sacra Eucharistia in azymo conficeretur apud Latinos, quaſi id eſſet adverſus Chriſti Domini inſtitutionem, & exemplum, unde ludibrio quodam Romanos *azymitas* vocabant. His acceſſerat præcipuus orientalium ſcopus; etenim Michael ſe univerſalem Eccleſiæ totius Patriarcham dicere non verebatur: omitto quæ de Spiritus Sancti proceſſione a Patre, & Filio adhuc diſputabant, aut qua ratione Latinos Sacerdotes quaſi Hæreticos a ſuis Provinciis excluſiſſent, & templa, monaſteriave Latinorum, quaſi ſuperſtitioſa delubra, & hæreticorum conventus clauſiſſent. Leo Pontifex Maximus ſtudioſiſſimus pacis, atque unionis inter utramque Eccleſiam nihil curavit ſollicitius, quam ut tandem aliquando Patriarcham Conſtantinopolitanum ad fidei, & animorum unitatem adduceret, una cum iis, qui Patriarchæ eidem adverſus Romanos adhæſerant. Fuit quidem ſine fructu quæcumque ſollicitudo; interea tamen non omiſit Sanctus Pontifex ſchiſmaticos per epiſtolam admonere blandis æque, ac vividis rationibus, quemadmodum inter cetera liquet ex epiſtola 1., quæ incipit *In terra pax* diſtributa in capita 41. quaſi libellus. Scripta eadem fuit ad Michaelem Conſtantinopolitanum Patriarcham, nec non ad Leonem Acridanum apud Bulgaros Metropolitam Michaeli adhærentem: ibidem plurima tradita ſunt de cuſtodienda Eccleſiarum pace, atque unitate, plurima etiam de obedientia erga Romanam Eccleſiam, veluti ceterarum omnium matrem; plurima de azymorum conſecratione; atque ubi eo ventum eſt, ut de diſciplinæ capitibus diſſereretur, quæ, ſalva unitate fidei, varia eſſe in variis provinciis poſſunt, ut quemadmodum etiam in latinis provinciis non rejiciebatur uſus Græcorum in fermentaro conſecrantium, ita rejiciendus non eſſet apud Græcos Latinorum uſus in azymo conſecrantium, ſubjicit Leo IX. in cap. 29. *Omnes Latinorum baſilicas penes vos clauſiſtis, monachis Monaſteria & Abbatibus tuliſtis, donec veſtris viverent inſtitutis. Ecce in hac parte Romana Eccleſia quanto diſcretior, moderatior, & clementior vobis eſt? Siquidem cum intra, & extra Romam plurima Græcorum reperiantur monaſteria, ſive Eccleſiæ, nullum eorum adhuc perturbatur, vel prohibetur a paterna traditione, ſive ſua conſuetudine, quin potius ſuadetur, & admonetur eam obſervare. Nec enim animoſitatem impiæ hæreſeos habet, quæ ſemper diviſione gaudet, dicens per patricidam meretricem: nec mihi, nec tibi ſit, ſed dividatur: ſed pietate vere matris ſic Salomonem deprecatur: obſecro, Domine, date huic infantem vivum, & nolite interficere eum. Scit namque, quia nil obſunt ſaluti credentium diverſæ pro loco & tempore conſuetudines, quando una fides per dilectionem operans bona, quæ poteſt, uni Deo commendat omnes.* Idipſum fere antea ſcripſerat, in diſſimili tamen cauſſa, Nicolaus I. ad Photium Conſtantinopolitanum in epiſt. in recentioribus collectionibus 6., quæ incipit *Poſtquam B. Petro:* cum enim Nicolaus Photium objurgaſſet, quod repente ex Laico factus eſſet Epiſcopus, Photius vero quandam conſuetudinis ſpeciem in contrarium oppoſuiſſet, ait Nicolaus: *De conſuetudinibus quidem, quas nobis opponere viſi eſtis, ſcribentes per diverſas Eccleſias diverſas eſſe conſuetudines, ſi illis canonica non obſiſtit auctoritas, pro qua eis obviare debeamus, nil judicamus, vel eis reſiſtimus: tamen cavere volumus, ne hæc veſtra conſuetudo, quæ omnium Sanctorum Patrum promulgatione convincitur, ut ex Laico non ſubito ordinetur Epiſcopus, vires accipiat, aut in veſtra Eccleſia magis pullu-*

pullulet, operam dare minime ceſſamus. Ex his duabus epiſtolis ſive Leonis, ſive Nicolai depromtus eſt Gratianeus canon 3. diſt. 12., quemadmodum jam animadverterunt Romani Correctores, qui olim in vetuſtis editionibus tribuebatur Nicolao Pontifici ad Michaelem Imperatorem ſcribenti. Ex iis autem, quæ huc uſque perſpicue tradita ſunt, facile unuſquiſque poterit eundem canonem interpretari.

De dictis contra epiſtolam Nicetæ Abbatis.

Quæ ſub nomine Leonis IX. ſcribentis adverſus epiſtolam Nicetæ Abbatis apud Gratianum exhibentur, hodie jam manifeſto conſtat falſo fuiſſe adſcripta Leoni, ſed fuiſſe potius Humberto Sylvæ Candidæ Archiepiſcopo, ejuſdemque Leonis apud Græcos Conſtantinopolitanos Legato adſcribenda. Fervebat tunc, uti ſuperius prænotatum eſt, æſtuans Græcorum ambitio adverſus Romanam Eccleſiam, Duce Michaele Cœrulario, quo tempore Nicetas quidam Pectoratus Monachus, Presbyter Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, ſcripto propoſuit, quidquid contra Romanos Græci omnes opponerent, potiſſimum vero aſſeruit, perperam Romanos in azymo conſecrare, perperam etiam jejunare Sabbato, perperam demum Sacerdotum conjugia improbare; laudans viceverſa Græcos, quod fermentato uterentur in Euchariſtia conficienda, a Sabbati jejunio averterent, ac venerabiles in ipſis etiam Sacerdotibus nuptias agnoſcerent; curavit autem in his omnibus demonſtrare conſentaneam Græcorum diſciplinam vetuſtis Patrum Sanctiſſimorum ſanctionibus, quemadmodum ab his diſſonam conſuetudinem Latinorum. Operæpretium fuit adverſus Nicetæ libros Pontificios Legatos Conſtantinopolim miſſos inſurgere, ac emendicatis Græcorum argumentis reſpondere. Hanc provinciam amplexus eſt Legatus Humbertus Sylvæ Candidæ Epiſcopus, & brevi quidem, ſed acri libello Nicetam compeſcuit, eo uſque, ut Nicetas idem (ſi fides eſt habenda actis illis, quæ deſcribuntur apud Labbeum in tom. 11. Venetæ editionis pag. 1360.) quod ſcripſerat ejuraſſet, ſuique erroris conſortes anathemate conficere non dubitaſſet. Ad eum itaque Humberti librum pertinet in primis canon 3. diſt. 16., cujus integram ſententiam juvabit excutere, ne forte cuiquam videatur Humbertus (qualiſcumque tandem diſputantis habenda ſit auctoritas) ex canonibus illis, qui vulgo Apoſtolici appellantur, ſaltem quinquaginta recepiſſe, ſuoque ſuffragio comprobaſſe. Integra Humberti verba hæc ſunt: *Hinc videamus, ſi non eſtis Sabbatiani, quos commemorant Patres ſanctæ quintæ Synodi. Reprehendens enim nos, cur jejunemus Sabbatis, dicis: quarta & ſexta feria jugiter jejunandum, una propter traditionem, altera propter paſſionem Domini, Sabbato autem nunquam niſi uno. Et hoc aſſerere conaris ex apocryphis libris, & canonibus pari ſententia ſanctorum Patrum repudiatis. Nam Clementis liber, ideſt itinerarium Petri Apoſtoli, & Canones Apoſtolorum numerantur inter apocrypha, exceptis capitulis quinquaginta, quæ decreverunt regulis Ortodoxis adjungenda; unde nos quoque omne apocryphon abjicientes dedignamur audire eorum fabuloſas traditiones, quia non ſunt, ut lex Domini.* Hinc ſane liquet Nicenam Pectoratum Romanos accuſaviſſe, quod Sabbato jejunarent, atque ut demonſtraret id adverſus ſacros vetuſtiſſimos canones fieri, in medium protuliſſe canonem 65. ex vulgo Apoſtolicis ita conceptum: *Siquis dominicum diem,*

Can. 3. diſt. 16.

aut ſabbatum, uno ſolo demto, jejunare deprehendatur, deponitor, ſin Laicus, communione ejicitor. Quid aliud in contrarium reponendum erat ab Humberto, quam monumentum illud, quod tamquam Græcorum Achillem objiciebat Nicetas, apocryphum eſſe, uti ceteri apocryphi dicebantur canones, qui quinquaginta Apoſtolicis adjecti fuerant? Neque dicas, Humbertum priores canones quinquaginta probaſſe, dum eos voluit excipiendos, quando poſteriores improbavit; etenim non ideo priores quinquaginta excepit Humbertus, quod diſſimilem eſſe crederet cauſſam, & originem illorum, ſed quod in propoſito parum intererat veritatem quinquaginta priorum canonum inveſtigare. Non ignorabat vir prudens, apud Græcos paſſim quinquaginta priores Apoſtolicos canones paſſim receptos fuiſſe, præſertim in Synodo Trullana, poſteriorum autem auctoritatem firmam non fuiſſe apud illos. Non erat ergo opportunum de omnibus canonibus rejiciendis diſputare, quando ſatis erat Humberto aliquos rejici apud Græcos, atque illos rejici, qui negotium adverſus Romanos faceſſere videbantur. Quinquaginta canones excipiendos dixit, quaſi de illis nulla proponenda quæſtio foret; eos qui excedebant numerum quinquaginta, inter quos erat canon de interdicto jejunio Sabbati, voluit rejiciendos; idipſum ſane & de præcedentibus quinquaginta dicturus, ſi ex iſtorum auctoritate quæſtio dirimenda emerſiſſet. Revera in fine ejuſdem libelli, ubi Humbertus idem contra Nicetam opponentem canones 5. & 39. ex Apoſtolicis, probat vetitum eſſe Sacerdotibus conjugii uſum, generaliter adſtruit non eſſe apocryphis monumentis pugnandum, ſed germanis veterum Patrum doctrinis, quod idem erat ac dicere, canonem 5. & 39. ex vulgo Apoſtolicis, falſo Apoſtolis fuiſſe tributos.

Ad eundem Humberti ſermonem pertinent canon 11. diſt. 31., & canon 14. diſt. 32., quorum verba conſonant cum integris libelli exemplaribus. Ibidem, uti liquet, totus eſt Humbertus, ut probandam ſuadeat diſciplinam Romanorum, qui conjugiorum uſu Sacerdotibus interdicunt, quin tamen id adverſetur Sancti Paulli doctrinæ, aut quidquam honori conjugii detrahatur.

Can. 11. diſt. 31. & can. 14. diſt. 32.

De can. 55. de conſ. diſt. 1.

Sub nomine Leonis IX. refertur apud Gratianum canon 55. de conſ. diſt. 1., qui tamen in monumentis illius nomine editis non reperitur. Quid ergo? Inter incerta ejuſdem Pontificis acta recenſendus erit, donec res ipſa in nitidiore lumine collocetur. Non omittam tamen indicare, ſimilia nonnulla legi in Concilio Toletano 6. anni 633. cap. 11. his verbis: *Item cognovimus, quoſdam Hiſpaniæ Sacerdotes, qui in Quadrageſimæ diebus alleluja decantant, præter in ultima hebdomada Paſchæ, quod deinceps interdicimus fieri, ſtatuentes, ut in omnibus prædictis Quadrageſimæ diebus, quia tempus eſt non gaudii, ſed mœroris, alleluja non decantetur: tunc enim opus eſt fletibus, ac jejuniis inſiſtere, corpus cilicio, & cinere induere, animum mœroribus dejicere, gaudium in triſtitiam vertere, quouſque veniat tempus Reſurrectionis Chriſti, quando oportet alleluja in lætitia canere, & mœrorem in gaudium commutare; hoc enim Eccleſiæ univerſalis conſenſio in cunctis terrarum partibus roboravit; quod & a nobis omnibus, ut conſervetur per Hiſpanias, Galliaſque Provincias oportebit. In temporibus quoque reliquis, ideſt, Kalendis Januariis, quæ*

Digitized by Google

quæ propter errorem gentilitatis aguntur, omnino alleluja non decantetur. In quibus etiam præter piſcem, & olus, ſicuti in aliis quadraginta diebus a ceteris carnibus abſtinetur, & a quibuſdam nec vinum bibitur. Siquis igitur Epiſcopus, auc Presbyter, aut Diaconus, aut quilibet ex ordine Clericorum fuerit repertus, qui arbitrium ſuum huic conſtitutioni æſtimet præferendum, ordinis ſui officio carere cogatur, & a communione ejuſdem Paſchæ privetur. His addi poteſt recentior conſtitutio anni 817. edita in Capitulari Aquiſgranenſi ſub Ludovico Pio Imperatore cap. 30. ibi: *Ut alleluja in Septuageſima dimittatur.*

CAPUT LXXXII.

De Nicolao II.

Omiſſo Victore II., nec non Stephano IX., utpote quorum nulla apud Gratianum extant Decreta, progredior ad illorum Succeſſorem Nicolaum II., quem in ſequentium canonum inſcriptionibus laudavit Gratianus.

Omnes ex actis Concilii Romani.	*Can. 1. diſt. 23.* *Can. 5. diſt. 32.* *Can. 1. diſt. 79.* *Can. 9. diſt. 79.* *Can. 107. cau. 1. qu. 1.* *Can. 109. cau. 1. qu. 1.* *Can. 110. cau. 1. qu. 1.* *Can. 3. cau. 16. qu. 2.* *Can. 17. cau. 35. qu. 2.*	*Simul jungendi, & ad varios Codices, ac monumenta exigendi.*

NON diu vixit in Romano Pontificatu Nicolaus II., qui electus prope finem anni 1058., obiit anno 1061., brevi tamen eo tempore plurima Eccleſiæ utilia edidit, præſertim in Lateranenſi Concilio anni 1059., licet Italorum Eccleſiæ fere omnes, Romana ipſa præ ceteris, turbarentur. Initio Pontificatus ſui æmulum quendam dignitatis intueri debuit Sedis Apoſtolicæ invaſorem Benedictum, quem tamen deinde dejecit. In finitimis Eccleſiis, ſeu Diœceſibus ac Provinciis renovatas agnovit veteres Simoniacorum, & Nicolaitarum hæreſes, præcipue in Eccleſia Mediolanenſi, quemadmodum jam ſuperius obſervandum fuit ad canonem 1. diſt. 22., quem falſo dixi fuiſſe Nicolao I. adſcriptum; illinc enim conſtat maxime fuiſſe laborandum Nicolao II., ut Mediolanenſes germanam canonum diſciplinam, quam jamdiu abjecerant, reciperent, & Romanæ Eccleſiæ doctrinam ſequerentur, curante inter ceteros Petro Damiani ejuſdem Nicolai II. Legato. Sed iterum fructum ingentem de ſuis laboribus retulit in hac etiam parte Nicolaus; nam & Simoniacorum, & Nicolaitarum veteres damnavit traditiones, obicemque perpetuum poſuit, canonibus latis editiſque, ne iterum ſimilia dogmata reviviſcerent. Ejus Pontificis ſolertem induſtriam exhibent

bent monumenta nonnulla, quæ pertinent ad Concilium Lateranenſe, ſive Romanum memoratum anni 1059., cujus acta integra interierunt quidem, nonnulla tamen ad illud ſpectantia remanſerunt. Numerus Epiſcoporum & convenientium quantus fuerit, incertum admodum eſt propter Codicum varietatem, cum in aliquibus legamus centum, & treſdecim conveniſſe Epiſcopos, alicubi tantummodo tres ſupra ſexaginta. Videatur in hanc rem Manſius in tom. 1. Supplementi Labbeani, ubi duplicem ſubſcribentium Epiſcoporum catalogum texuit, una cum ejuſdem animadverſionibus. Ceterum liquet eam Synodum celeberrimam fuiſſe, ſive quod in illa de rebus graviſſimis agendum erat, potiſſimum de ſtabilienda electionis Romani Pontificis diſciplina, in qua ſane electione plurima identidem ſchiſmata improborum quorundam hominum factionibus ſuboriebantur, ſive quod agendum erat de damnandis hæreſibus Nicolaitarum, & Simoniacorum, quæ tunc univerſam Italiam miſerandum in modum occupaverant. Eam ob rem nullo opportuniore remedio indigebant res Eccleſiaſticæ, quam eo, quod univerſorum, aut plurimorum ſaltem Italiæ Epiſcoporum auctoritate, ac ſollicitudine pararetur. In Labbeana poſtrema collectione, in quam ſane vetuſtiorum laciniæ relatæ ſunt, hæc habentur velut Synodum ipſam ſpectantia. In primis epiſtola Nicolai II. ſub hac inſcriptione: *Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus Epiſcopis Catholicis, cunctoque Clero, & Populo ſalutem cariſſimam, & Apoſtolicam benedictionem*. Diſtribuitur iſta in capita 13., quibus adjungitur decretum quoddam, quod adverſus Simoniacos in eadem Synodo editum dicitur. Subſequitur deinde jusjurandum Berengarii Andegavenſis Diaconi, quo primum hæreſim ſuam dicitur ejuraſſe. Adjectæ fuerunt tres epiſtolæ apud Martenium olim editæ, quarum prima dicitur Hugonis Epiſcopi Trecenſis ad Bartholomeum Epiſcopum Turonenſem, ſecunda Hugonis Nivernenſis Epiſcopi ad eundem; tertia Walterii Epiſcopi Meldenſis ad eundem. Demum ex Severino Binio tenor conſtitutionis adverſus Simoniacos in Concilio editæ, qua etiam conſuleretur electioni rite celebrandæ Pontificis Maximi, deſcribitur; atque ad hæc omnia acta referenda quoque videtur epiſtola Nicolai II. apud Labbeum VIII. ex Sirmondi Apographo edita, ſcriptaque ad Epiſcopos Galliæ, Aquitaniæ, & Vaſconiæ, in qua Epiſcopos illos certiores reddit Nicolaus de iis, quæ ad firmitatem diſciplinæ Eccleſiaſticæ fuerant recens in Romana Synodo conſtituta. Canones Romani Concilii ejuſdem edidit præterea Manſius in tom. 1. Supplementi Labbeani pag. 1333., quaſi eos, quos Nicolaus II. miſit cuſtodiendos ad Clericos Amalphitanæ Diœceſeos, plurimum ſane conſonantes cum iis, qui deſcribuntur in memorata epiſtola Labbeana; & vix eo intercedente diſcrimine, quod Labbeana epiſtola ſcripta videtur ad omnes Epiſcopos, quemadmodum ex nuper edita inſcriptione demonſtratur, at Epiſtola Manſii eruta, ut ipſe ait, ex vetere Codice Piſtorienſi, hanc habet inſcriptionem. *Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus Epiſcopis Amalphitanæ Eccleſiæ ſuffraganeis, cunctoque Clero, & Populo ſalutem cariſſimam, & Apoſtolicam benedictionem*. Hæc omnia monumenta in variis quidem reperta codicibus invicem conſonant, niſi forte verborum, ac formularum, quibus exprimuntur, diſcrimina velis inveſtigare; quamobrem facile concludere poterimus, eorundem ſingulorum ſententias pro germanis habendas eſſe, quamquam in varia illarum deſcriptione nonnihil dandum ſit, atque indulgendum ſcriptoribus illius ætatis, qui dummodo geſta compilarent ſine fraude, parum ſolliciti fuerunt in deſcriptione verborum.

Neque

Digitized by Google

Neque vero inutile eſt omnia iſthæc monumenta recenſuiſſe, cum ad eadem facile Gratianei canones Nicolao II. tributi redigantur. Nam Gratianus canones Nicolai II. modo ita laudavit, quaſi erutos *ex epiſtola unica*, modo quaſi editos ex epiſtola *ad Amalphitanæ Eccleſiæ ſuffraganeos*, modo quaſi *ex Concilio Lateranenſi*, modo demum ſine ulla adjectione epiſtolæ, vel Concilii. Ceterum quæcumque inſcriptio fuerit, non aliud deſignatur apud Gratianum, quam acta Concilii Romani; cum epiſtola illa unica ſit eadem cum illa, quam Labbeus edidit, ad omnes Epiſcopos ſcripta, ut conſcii redderentur canonum in Romano Concilio editorum, quæ ſane eadem eſſe videtur cum epiſtola ad Amalphitanos, quam ex Piſtorienſi Codice edidit Manſius.

Ejus Concilii, ut patet, integrum decretum exarare voluit Gratianus in can. 1. diſt. 23., quod etiam retulit Binius, animadvertens ex Baronio ad annum 1059. fuiſſe a Schiſmaticis depravatum. Hinc operæ pretium erit, canonem illum conjungere cum canone 1. & 9. diſt. 79., qui videntur eſſe depromti ex memorata epiſtola ad Epiſcopos omnes apud Labbeum, cujus exordium hoc eſt: *Vigilantia univerſalis regiminis aſſiduam ſollicitudinem omnibus debentes, ſaluti quoque veſtræ providentes, quæ in Romana Synodo nuper celebrata, coram centum tredecim Epiſcopis, nobis licet immeritis præſidentibus, ſunt canonice conſtituta, vobis notificare curamus; quia ad ſalutem veſtram executores eorum nos eſſe optamus, & Apoſtolica auctoritate jubendo mandamus. Primo namque, inſpectore Deo, eſt ſtatutum, ut electio Romani Pontificis in poteſtate Cardinalium Epiſcoporum ſit, ita, ut ſi quis Apoſtolicæ Sedi ſine præmiſſa concordi, & canonica electione eorum, ac deinde ſequentium ordinum religioſorum, Clericorum, & Laicorum conſenſu inthronizatur, is non Papa vel Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus habeatur.* Paullo aliter in editione Manſii in epiſtola ſuperius memorata his verbis: *Vigilantia univerſalis regiminis aſſiduam ſollicitudinem omnibus debentes, ſalutis quoque veſtræ cauſſa prærogativæ dilectionis cariſſimi confratris noſtri Archiepiſcopi veſtri ſpecialiter providentes, quæ in Romana Synodo nuper celebrata coram 113. Epiſcopis, nobis licet immeritis præſidentibus, ſunt canonice inſtituta, vobis notificare curamus, quia ad ſalutem veſtram executores eorum vos eſſe optamus, & Apoſtolica auctoritate jubendo mandamus. Primo namque inſpectore Deo eſt ſtatutum, ut ſiquis Apoſtolicæ Sedi ſine concordia, & canonica electione, ac benedictione Cardinalium Epiſcoporum, ac deinde ſequentium ordinum religioſorum Clericorum intronizatur, non Papa, vel Apoſtolicus habeatur.* Ex his emendandi erunt Gratianei canones, nimirum nihil aliud pro germano Nicolai monumento in memoratis canonibus habendum eſt, quoniam de depravatione Codicum conſtat, quam quod cum hujuſmodi Nicolai epiſtolis conſonare penitus videatur. *Can. 1. diſt. 23. can. 1. & 9. diſt. 79.*

Ad idem Concilium Nicolai pertinet can. 5. diſt. 32., nam in capite 3. memoratæ epiſtolæ apud Labbeum ita legitur: *Ut nullus Miſſam audiat Preſbyteri, quem ſcit concubinam indubitanter habere, aut ſubintroductam mulierem. Unde etiam ipſa ſancta Synodus* (Manſius in Piſtorienſi ejuſdem epiſtolæ exemplari legit: *Unde ipſa prima Synodus*) *hoc Capitulum ſub excommunicatione ſtatuit dicens: Quicumque Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum poſt conſtitutum B. memoriæ prædeceſſoris noſtri Sanctiſſimi Papæ Leonis de caſtitate Clericorum concubinam palam duxerit* (Manſius ex Piſtorienſi Codice omiſſa voce *palam* legit *concubinam duxerit*) *vel ductam non reliquerit, ex parte Omnipotentis Dei, auctoritate Beatorum Apoſtolorum Petri, & Paulli præcipimus, & omnino contradicimus, ut Miſſam non cantet, nec Evangelium,* *Can. 5. diſt. 32. & can. 3. cau. 16. qu. 2.*

vel

Digitized by Google

vel Epiſtolam ac (Manſius legit *ad*) *Miſſam legat , neque in Presbyterio ad divina Officia cum iis , qui præfatæ conſtitutioni obedientes fuerint , maneat , neque partem ab Eccleſia ſuſcipiat , quouſque a nobis ſententia ſuper hujuſmodi Domino concedente procedat . Et præcipientes ſtatuimus , ut ii prædictorum ordinum , qui eidem prædeceſſori noſtro obedientes caſtitatem ſervaverunt , juxta Eccleſias , quibus ordinati ſunt , ſicut oportet religioſos Clericos , ſimul manducent , & dormiant , & quidquid eis ab Eccleſiis venit* (Manſius *ab Eccleſiis competit*) , *communiter habeant , & rogantes monemus , ut ad Apoſtolicam , communem ſcilicet , vitam ſummopere pervenire ſtudeant* (addit hic Manſius hæc verba , quæ in Labbeano exemplari omittuntur : *Quatenus perfectionem conſecuti cum his , qui centeſimo ditantur , in cæleſti patria mereantur adſcribi .*) *Deinde , ut decimæ , & primitiæ ſeu oblationes vivorum , & mortuorum Eccleſiis Dei fideliter reddantur a Laicis , & ut in diſpoſitione Epiſcoporum ſint ,* (addit Manſius *ſecundum canones diſtribuendæ*) , *quas qui retinuerint , a Sanctæ Eccleſiæ gremio ſeparentur* . His videtur integre expoſitus non tam canon 5. diſt. 32., in quo nonnulla Gratianus omittenda cenſuit, eadem propemodum ſub nomine Alexandri II. in ſequenti canone deſcripturus, quam canon 3. cau. 16. qu. 2., ad quem poſtrema nuper deſcripta verba pertinent . Similia etiam leguntur in epiſtola Nicolai apud Labbeum 8. ad Epiſcopos Galliæ, Aquitaniæ, & Vaſconiæ, ibi : *Anno Dominicæ Incarnationis 1059. anno Pontificatus noſtri primo , indictione 12. Romana Urbe in Baſilica Sancti Salvatoris, quæ appellatur Conſtantiniana, Sanctam celebrantes Synodum , a Sanctis Patribus , videlicet 113. Epiſcopis , exceptis Abbatibus , & Clericis religioſis , ac Laicis celebratam de ſtatu Eccleſiæ Sanctæ ad communem utilitatem, Deo propitio , canonice diſpoſuimus . Inter cetera de Nicolaitarum hæreſi , ideſt de conjugatis Presbyteris , Diaconibus , & omnibus in clero conſtitutis, ab omni Concilio ſtatutum eſt , & corroboratum ita : Quicumque ſacerdotum , diaconorum , & ſubdiaconorum , poſt conſtitutum beatæ memoriæ prædeceſſoris noſtri Sanctiſſimi Leonis Papæ de caſtitate Clericorum , concubinam palam duxit , vel ductam non reliquit , ex parte Omnipotentis Dei auctoritate Beatorum Apoſtolorum Petri , & Paulli , præcipimus , & omnino contradicimus , ut miſſam non cantent , neque Evangelium pronuncient , neque epiſtolam ad miſſam legant , neque in presbyterio ad divina officia cum his , qui præfatæ inſtitutioni obedientes fuerunt , maneant , neque partem ab Eccleſia recipiant , quouſque a nobis ſententia ſuper hujuſmodi , Deo concedente , procedat . Et præcipientes ſtatuimus , ut hi prædictorum ordinum , qui ejuſdem prædeceſſoris noſtri decreto obedientes hæc ſervaverint , juxta Eccleſias , quibus ordinata ſunt , ſicut oportet religioſos Clericos, ſimul manducent, & dormiant . Et rogantes monemus , ut ad Apoſtolicam , communem ſcilicet , vitam ſummopere pervenire ſtudeant, quatenus perfectionem conſecuti cum his , qui centeſimo fructu ditantur in cæleſti aperti mereantur adſcribi* . Similia præterea edidit Baluzius nomine decretorum Nicolai II. Papæ *in canonibus ſacris repertorum , quæ Romana Eccleſia præcipue aſſerit tenere* , in Miſcellaneis tom. 7. pag. 67. ibi num. 3. *Ut presbyteri conjugati aut uxores dimittant , neque cum eis ſine teſtimonio legitimo habitent , aut Eccleſiam cum ordinibus ſuis amittant* ; & nu. 4. *Ut presbyteri , & diaconi , & ſubdiaconi , & omnes , qui Canonici ſunt , uxores non habeant , & ſi duxerint , deponantur , & a Canonicorum conſortio ſeparentur* . Ex his adparet, quænam ſit *ſancta* illa Synodus , quæ in codice Manſii appellata fuit *prima,* nimirum fuit illa ipſa , quam nuper Nicolaus Romæ celebraverat , & cujus canones ipſe palam edebat , & Epiſcopis indicabat ; adparet præterea , quiſnam ſit Leo ille , quem ſuum Prædeceſſorem Nicolaus

laus vocat, & cujus etiam refert conſtitutiones; neque enim ignoramus fuiſſe Leonem IX., utpote qui jam cœperat corruptos Clericorum mores, quoad fieri per temporum improbitatem poterat, emendare.

Huc uſque ii canones relati ſunt, qui ſpectant ad improbandos Nicolaitarum mores; qui vero adverſus alteram Simoniacorum hæreſim editi ſunt, habentur apud Gratianum in can. 107. 109. & 110. cau. 1. qu. 1. Verum non dubito, quin aliis verbis per Collectores, Scriptoreſque varios exhibiti fuerint, ideoque erunt ad meliores codices exigendi. Itaque Nicolaus in epiſtola ad Epiſcopos omnes apud Labbeum cap. 9. ita refert in Concilio conſtitutum: *Ut per Simoniacam hæreſim nemo ordinetur*, & in cap. 6. *Ut per Laicos nullo modo quilibet Clericus, aut Presbyter obtineat Eccleſiam, nec gratis, nec precio*. Paullo aliter Manſius, quia ita verba epiſtolæ deſcripſit ex Piſtorienſi codice: *Ut per Simonaicam hæreſim nemo ordinetur, vel promoveatur ad quodlibet officium eccleſiaſticum*. Et: *Ut per Laicos nullo modo quilibet Clericus, aut Presbyter obtineat Eccleſiam nec gratis, nec pretio*. In decretis Nicolai a Baluzio editis in tomo 7. Miſcellaneorum pag. 67. iſta leguntur, num. 5. *Ut Eccleſiæ, vel altaria nec vendantur, nec emantur. Qui autem amodo vendiderint, aut emerint, anathemati ſubjacebunt*; num. 7. *Ut Epiſcopi canonicas, vel officia Eccleſiaſtica non vendant, & de conſecrationibus Eccleſiarum, aut ordinationibus Clericorum ipſi, & Clerici eorum nihil exigant*; num. 8. *Ut Eccleſiæ per pretium a Simonaicis conſecratæ denuo conſecrentur*; num. 9. *Ut Presbyteri, & omnes a tempore Nicolai Papæ uſque nunc, & deinceps ſcienter ordinati a Simoniacis, ſciant ſe non eſſe ordinatos, & deinceps non fiant*; num. 12. *De cimiteriis autem, & ſepultura, & baptiſteriis exactionem fieri omnino prohibemus*; & num. 14. *Ut nullus Abbas obedientias ſuas vendat, neque nullus Monachus emat obedientias* (erant obedientiæ regularia quædam beneficia, ſive Cappellæ a monaſteriis dependentes) *quod ſi præſumſerint, utrique ordine, officioque careant, quia ſimoniace agunt*. Huc quoque referendum eſt decretum illud integrum adverſus ſimoniacos, quod in editione Labbeana adjectum eſt epiſtolæ Nicolai ad Epiſcopos univerſos his verbis: *Dominus Papa Nicolaus Synodo in Baſilica Conſtantiniana præſidens dixit: erga ſimoniacos nullam miſericordiam in dignitate ſervanda habendam eſſe decernimus; ſed juxta canonum ſanctiones, & decreta ſanctorum Patrum, eos omnino damnamus, ac deponendos eſſe apoſtolica auctoritate ſancimus. De iis autem, qui non per pecuniam, ſed gratis ſunt a ſimoniacis ordinati, quia quæſtio a longo tempore eſt diutius ventilata, omnem modum* (alias *nodum*) *dubietatis abſolvimus, ita ut ſuper hoc capitulo neminem deinceps ambigere permittamus. Quia igitur uſque adeo hæc venenata pernicies hactenus inolevit, ut vix quælibet Eccleſia valeat reperiri, quæ hoc morbo non ſit aliqua ex parte corrupta, eos, qui uſque modo gratis ſunt a ſimoniacis conſecrati, non tam cenſura juſtitiæ, quam intuitu miſericordiæ in acceptis ordinibus manere permittimus, niſi forte alia culpa ex vita eorum contra canones eis exiſtat. Tanta quippe talium multitudo eſt, ut dum rigorem canonici vigoris ſuper eos ſervare non poſſumus, neceſſe ſit, ut diſpenſatorie, ad piæ condeſcenſionis ſtudium noſtros animos ad præſens inclinemus. Ita tamen auctoritate Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Paulli omnimodis interdicimus, ne aliquando aliquis ſucceſſorum noſtrorum ex hac noſtra permiſſione regulam ſibi, vel alicui aſſumat, vel præfigat, quia hoc non auctoritas antiquorum Patrum jubendo, aut concedendo promulgavit, ſed temporis nimia neceſſitas permittendum a Nobis extorſit. De cetero autem ſiquis hinc in poſterum ab eo, quem ſimoniacum eſſe non dubitat, ſe conſecrari permiſerit, & conſecrator, & conſecratus non diſparem damna-*

Can. 107. 109. 110. cau. 1. qu. 1.

Digitized by Google

damnationis ſententiam ſubeat; ſed uterque depoſitus pœnitentiam agat, & privatus a propria dignitate perſiſtat &c. Eſſent & alia numero plurima, quæ decerpta ex variis ejuſdem temporis monumentis, ad eam ipſam rem facere poſſent; etenim nullum fere Concilium tunc celebratum extat, nulla fere Pontificum proxime ſuccedentium conſtitutio, in quibus non eadem penitus repetantur: hinc Gratianus canones illos non tam ſub nomine Nicolai II., quam ſub nomine Alexandri II., qui Nicolao ſucceſſit, recenſendos voluit, cum eadem fere verba in Alexandri conſtitutionibus exhibeantur. Verum ſufficiat, quæ ſuperius demonſtrantur, edidiſſe, ut exinde valeat unuſquiſque ad ſimiles ſententias Collectorum aliorum fidei commendatas Gratianum exigere, apud quem nonnulla videntur varia verborum textura compoſita. Interea tamen neceſſarium erit animadvertere, quod idem Nicolaus profeſſus eſt, canones iſtos adverſus Simoniacos editos non continere ſtrictam eccleſiaſticæ diſciplinæ cenſuram; ſiquidem nonnihil a ſtricto jure recedendum ex humanitate, ac diſpenſatione illis temporibus fuit, dum ingens erat ſimoniacorum multitudo, intererat autem Eccleſiæ ſimoniacos ipſos mitiore remedio ad pœnitentiam adducere.

Can. 17. cau. 35. qu. 2. In eadem epiſtola Nicolai ad omnes Epiſcopos apud Labbeum, dum palam fiunt Romani Concilii canones, iſta leguntur num. 11. & 12. *Ut de conſanguinitate ſua nullus uxorem ducat uſque ad generationem ſeptimam, vel quouſque parentela cognoſci poterit. Ut laicus uxorem ſimul, & concubinam habens non communicet Eccleſiæ.* Manſius ex Ms. Codice Piſtorienſi, ubi refertur Nicolai epiſtola ad Eccleſiæ Amalphitanæ ſuffraganeos, cui Gratianus conſonare videtur in inſcriptione canonis 17. cau. 35. qu. 2., ita canonem exhibet: *Ut de conſanguinitate ſua nullus uxorem ducat uſque poſt generationem ſeptimam, vel eouſque parentela cognoſci poterit. Ut laicus uxorem ſimul, & concubinam habens non communicet Eccleſiæ.* Paullo aliter etiam Baluzius in Miſcellaneis tom. 7. pag. 67. inter decreta Nicolai Papæ II. hæc recenſuit num. 13. *Siquis infra ſeptimum conſanguinitatis gradum uxorem habet, aut deinceps duxerit, ab Epiſcopo ſuo eam dimittere canonice compellatur. Si vero obedire noluerit, excommunicetur.* Nemo ſane non videt in his omnibus eam ipſam referri ſententiam, quæ habetur in canone 17. cau. 35. qu. 2., quem propterea jure optimo Nicolao II. tributum fuiſſe minime dubitabimus.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT LXXXIII.

De Alexandro II.

Alexandri II. nomine ſequentes Canones proferuntur apud Gratianum.

Ex Epiſtola ad Clerum, & Populum Mediolanenſem.	*Can.* 17. *diſt.* 81. *Can.* 18. *diſt.* 81. *ſimul jungendi, conſonantque cum nonnullis Alexandri monumentis.*
Ex Epiſt. ad Clerum, & Populum Lucenſem.	*Can.* 9. *cau.* 1. *qu.* 3. *ex integra epiſtola ſupplendus.*
Ex Epiſt. ad Epiſcopos, & Regem Dalmatiarum.	*Can.* 16. *diſt.* 81. *referèndus ad Concilium Romanum Nicolai II.*
Ex Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ.	*Can.* 11. *cau.* 23. *qu.* 8. *ſcriptus potius ad Epiſcopos Galliæ.*
Ex Epiſt. ad Epiſcopos, & Clerum per Italiam.	*Can.* 2. *cau.* 35. *qu.* 5. *referendus ad Concilium Romanum Alexandri.*
Ex Epiſt. ad Gebonardum Vivarienſem Epiſcop.	*Can.* 1. *cau.* 7. *qu.* 2. *ex Ivonis codice emendandus.*
Ex Epiſt. ad Grimaldum Conſtantienſem Epiſcop.	*Can.* 1. *diſt.* 52. *ex Ivonis codice emendandus.*
Ex Epiſt. ad Gullielmum de Monſtrolio.	*Can.* 10. *cau.* 35. *qu.* 6. *ex Ivonis codice emendandus.*
Ex Epiſt. ad Landulphum in Corſica.	*Can.* 2. *cau.* 33. *qu.* 5. *ex Ivonis codice ſupplendus.*

Digitized by Google

Ex Epiſt. ad Rainaldum Cumanum Epiſcopum. { *Can.* 11. *cau.* 2. *qu.* 5. *jungendus cum can.* 7. *verſ.* purgationem *eadem cauſſa, & quæſtione.*

Ex Epiſt. ad Valerianum Epiſcopum Martyrem. { *Can.* 4. *cau.* 24. *qu.* 1. *ex Ivonis, necnon ex vetuſtis aliquot Gratiani codicibus emendandus.*

Adjiciuntur {
- *Can.* 6. *diſt.* 32. *exigendus ad canones Romani Concilii ſub Alexandro.*
- *Can.* 12. *diſt.* 56. *non ſatis firmam habet auctoritatem.*
- *Can.* 109. *cau.* 1. *qu.* 1. { *ſimul jungendi, & ad acta Ro-*
- *Can.* 110. *cau.* 1. *qu.* 1. { *mani Concilii exigendi.*
- *Can.* 11. *cau.* 16. *qu.* 1. *ex codice Ivonis ſupplendus.*
- *Can.* 20. *cau.* 16. *qu.* 7. *referendus ad canones Romani Concilii ſub Alexandro.*
- *Can.* 1. *cau.* 17. *qu.* 2. *ſupplendus ex codice Ivonis.*
- *Can.* 22. *cau.* 17. *qu.* 4. *apocryphus, & ad Photianam Synodum potius referendus.*
- *Can.* 17. *cau.* 35. *qu.* 2. *referendus ad canones Romani Concilii ſub Alexandro.*
- *Can.* 5. *cau.* 35. *qu.* 5. *eſt potius Iſidori Hiſpalenſis.*
- *Can.* 53. *de conſ. diſt.* 1. *referendus potius ad excerptiones Egberti Eboracenſis.*

DEſcripſiſſe tempora, & temporum improbitates, quæ Nicolai II. Pontificatum curis angere ſollicitis potuerunt, idem eſt ac deſcripſiſſe tempora improba, in quæ incidit etiam Pontificatus Alexandri II., qui Nicolao ſucceſſit anno 1061. Hic vero Sanctus Eccleſiæ Princeps diutius pro reſtituenda canonum diſciplina elaboravit, cum per decem, & amplius annos Romanam Sedem tenuerit, vita demum functus anno 1072. Natus ipſe Mediolani, ad Lucenſem dein Epiſcopatum evectus compertos admodum habuit corruptos Clericorum in finitimis provinciis mores, qua Nicolaitarum, qua Simoniacorum erroribus inquinatos; in eoſdem propterea reformandos toto ſtudio incubuit, Prædeceſſoris ſui prudentiam, æque ac ſapientiam æmulatus; unde apud Collectores non ſemel contigit, ut iidem canones, eademque monumenta utrique Pontifici, nimirum & Nicolao II., & Alexandro II. ſine diſcrimine tribuerentur, ſive quod Alexander decreta Nicolai confirmavit, ſive quod eorundem edendorum decretorum apud utrumque eædem fere emerſerunt occaſiones.

De Epiſtola ad Clerum, & Populum Mediolanenſem.

Can. 17. & 18. *diſt.* 81. Ex iis, quæ pluries, præſertim ad canonem 1. diſt. 22. dicenda fuerunt, ſatis liquet Mediolanenſem Eccleſiam inter ceteras medio undecimo ſæculo indiguiſſe morum reformatione; qua in re obeunda nil aptius evenire poterat, quam ut Sum-

Digitized by Google

Summus Eccleſiæ Paſtor, cujus opera remedium adferretur, in ipſa Eccleſia Mediolanenſi natus, non tamen Clericorum Mediolanenſium erroribus inquinatus Alexander ſeligeretur. Revera ipſe ſtatim ac ad maximum evectus eſt Pontificatum, nihil antiquius habuit, quam ut ſuos in rectam virtutum ſemitam revocaret. Id palam fit ex prima ejuſdem Pontificis epiſtola ſcripta ad Mediolanenſem Clerum, & Populum, in qua ita præfatus eſt Alexander. *Divini judicii diſpoſitione proviſum eſt, ut Mediolanenſis Eccleſiæ filius, & Ambroſianis uberibus ſublactatus ad famulatum Apoſtolicæ Sedis indignus aſcenderem, ac Matri omnium Eccleſiarum Paſtoralis curæ ſollicitudine deſervirem. Unde cum totius univerſalis Eccleſiæ cura nobis non levis incumbat, propenſius circa vos ipſa natura nos provocat eſſe pervigiles, ut unde nos conſtat originis duxiſſe primordium, ibi etiam majoris ad æternam ſalutem habeamus ſollicitudinis incrementum.* Et prope finem epiſtolæ ita concludit: *Sic profecto, Fratres, quamplures ſunt hodie Chriſtianæ profeſſionis titulo decorati, qui videlicet in Chriſti hereditate nequaquam merentur adſcribi, & nunc quidem paterno vocabulo glorientur; ſed nequaquam ad hereditaria paterna perveniunt, quia velut ſpurii non cœleſtia, ſed terrena ignobiliter concupiſcunt. Vos autem dilectiſſimi, membra mea, viſcera animæ meæ ſic ſatagite per viam mandati cœleſtis ſic incedere, ut mens noſtra merito ſemper debeat de ſancta conſanguineorum ſuorum converſione gaudere; ſperamus autem in Eo, qui de Virgine dignatus eſt naſci, quia noſtri miniſterii tempore ſancta Clericorum caſtitas exaltabitur, & incontinentium luxuria cum ceteris hæreſibus confundetur &c.* Hæc ſollicitudo, qua Alexander curabat, ut Mediolanenſis Eccleſia a Nicolaitarum potiſſimum vitiis abſtineret, probabilem reddit cauſſam, quod aſſeramus ab Alexandro eodem non eſſe abjudicandos canones 17., & 18. diſt. 81., qui inſcribuntur Alexandro ad Clerum, vel Populum Mediolanenſem ſcribenti, licet illorum canonum verba in memorata edita ad Mediolanenſes epiſtola non legantur. Ceterum in Labbeana editione inter fragmenta quædam epiſtolarum Alexandri duo iſthæc recenſentur, ad quæ Gratianei canones exigantur. Primùm eſt: *Noveritis nos in Synodo noſtra Romana Epiſcopis omnibus, & religioſis Fratribus adjudicantibus decreviſſe a ſimoniacis, & fornicatoribus officium celebrari non debere, nec aliquem Chriſtianum id ab iis audire. Populum itaque a ſimoniacis, & ab his, quos feminis abuti cognoſcitis, officium audire interdicite, & Sacerdotes nihilominus a tam nefaria præſumtione repellite. Siquis vero Sacerdotum, Diaconorum, vel Subdiaconorum officium contumaciter deſerens, feminam ſibi potius eligit, ſicut ſponte ob fornicationem dimittit officium, ita ob prævaricationem dimittere cogatur & invitus beneficium.* Alterum ita exprimitur: *Sciat nobilitas veſtra, nos in Romana Synodo conſilio totius Sancti Conventus decreviſſe, ut a Presbytero ſimoniaco, ſeu concubitum habente miſſa a nullo fidelium audiatur. Eos etiam, qui, ut fornicari liceat, divinum officium derelinquunt, & ab eo recedentes diabolo, & ejus operibus ſerviunt, ſicut ſe juſtiſſime ab officio alienos faciunt, ita beneficio Eccleſiarum privatos adjudicamus.* Hæc ita proferuntur, ut videantur Romani Concilii ſub Alexandro II. celebrati canones continere; hodie tamen in eodem Romano Concilio non leguntur; verum non exinde de eorundem auctoritate dubitare poſſum, cûm ſciverim nonnulla ſimilia edita fuiſſe Mediolani a Legatis Apoſtolicæ Sedis anno 1067. Maynardo Epiſcopo Sylvæ Candidæ, & Johanne Cardinali. Eorum geſta habentur poſt epiſtolam 6. Alexandri II. in Collectione Labbeana, ibidemque inter cetera hæc leguntur: *Apoſtolica auctoritate fulti ex parte omnipotentis Dei, & Apoſtolorum Principis Petri, glorioſique*

rioſque Confeſſoris Sancti Ambroſii ſtatuentes præcipimus ..... Presbyter etiam, Diaconus, & Subdiaconus feminam ad fornicandum palam retinens, donec in culpa manſerit, nec officium faciat, nec Eccleſiæ beneficium habeat. Qui vero non retinet, & eventu ex humana conditione ceciderit, poſtquam manifeſtum veraciter fuerit, ſuſpendatur ab officio tantum, donec per pœnitentiam ſatisfecerit. Statuimus inſuper, neminem prædictorum graduum Clericum ex ſuſpicione damnari ita, ut nec officio careat, nec beneficio, niſi ipſe forte confeſſus, vel per idoneos teſtes veraciter ſit convictus. Ne autem lædendo eos aliqua occaſio pro relictis feminis eorum fiat, ſtatuimus, ut cum illis in una domo non maneant, nec manducent, neç bibant, nec ſine tribus, vel duobus idoneis teſtibus ſimul loquantur, & hæc ſervantes nullam pro eis calumniam patiantur; ipſi vero juxta Eccleſias, ſi fieri poteſt, habitare cogantur. Qualiter vero quiſque eorum pro ordinum inæqualitate, vel culpæ varietate officium, ac beneficium perdat, ideo ſcribimus, quia cuncta eccleſiaſtica officia in ſtatus ſui dignitate conſiſtere volumus, & nullum Clericorum pro cujuſquam peccati culpa, vel officii ſui aliqua in Deum offenſa in judicio laicorum amodo eſſe permittimus, ſed modis omnibus in perpetuum prohibemus. Siquis autem laicus, cujuſque ordinis prædictorum graduum Clericos in poteſtate ſua habet, cum primum ſciverit in veritate aliquem ex eis vel feminam, ſicut dictum eſt, retinere, vel in fornicationis crimen caſu cecidiſſe, ſtatim per ſe, vel per ſuum Nuntium hoc ſtudeat indicare Archiepiſcopo, & hujus Eccleſiæ Ordinariis, quibus cura iſta commiſſa fuerit. Si ipſe, aut ipſi, illi admodum ſcilicet in culpa indurato, vel accidentaliter lapſo interdixerint, ut dignum eſt, officium, ipſe laicus poſtmodum interdicat obdurato tantum officium. Si vero Archiepiſcopus, vel ſui Ordinarii, poſtquam audierint, hoc neglexerint, ipſe laicus, quicumque ſit, ex tunc in ſua poteſtate, nec officium facere, nec beneficium alicui ex illis permittat tenere, donec culpam deſerat, & digne Domino per pœnitentiam ſatisfaciat. Poſſet etiam huc referri canon 3. Concilii Romani ſub Alexandro eodem celebrati anno 1063., cujus fragmentum legitur in can. 6. diſt. 32., quamquam & iſte canon etiam Nicolao II. Prædeceſſori tribui potuerit in can. 5. ejuſdem diſtinctionis, quemadmodum ſuperius fuit animadvertendum.

De Epiſtola ad Clerum, & Populum Lucenſem.

Can. 9. qu. 3. cau. 1. Providam quoque Paſtoris ſui ſollicitudinem jure optimo ſibi ſingularem fecit Lucenſis Eccleſia, quam Clerici ſimoniacis beneficiorum collationibus labefactabant. Et quidem frequens fuiſſe eodem ſæculo vitium ſimoniæ facile demonſtratur ex canonibus Conciliorum illius ætatis, quibus nihil urgetur preſſius, quam ut Clerici ab eo crimine abſtinerent, quod potiſſimum deduces perſpicue ex can. 109., & 110. cau. 1. qu. 1., & can. 20. cau. 16. qu. 7. Erat jam ſimonia vetuſtiſſimis canonum regulis improbata, ſed crimini in Clericos iterum invehendo occaſionem quandam dedit disjunctio collationis ſacrorum ordinum a collatione beneficiorum; etenim tunc primum cum inciperent Clerici ſine beneficio ordinari, vel poſt ordinationem ſuſceptam beneficio donari, perſuaſum nonnullis avaritia turpiſſima correptis fuit, in recentiore beneficiorum collatione proprie ſimoniæ vitium non admitti, quando beneficiorum collatio non juris ſpiritualis, ſed temporalis conceſ-

ſio

ſio videretur. Intererat eccleſiaſticæ rei redarguere falſitatis hanc recens ſubortam opinionem, atque eo pertinet epiſtola Alexandri ad Lucenſem Clerum, & Populum, quæ eſt 35. in collectione Labbeana, conſonans ſane cum Gratianeo canone 9. cau. 1. qu. 3., qui eandem epiſtolam integram exhibet. Verum hodie, præſertim poſt Manſii ſupplementum, integra omnino edita adparet ex Lucenſi Archetypo, quem in archivo Canonicorum illius Eccleſiæ adſervari Manſius idem teſtatur; atque epiſtola hæc ita edita cum plura contineat, quæ in Gratiani codice deſiderantur, aliqua etiam paulliſper diverſa videantur ab editione Gratiani, non inutile erit, eandem hic integram exarare, iis exceptis, quæ cum Gratiano omnino concordant ſubſequentibus punctulis interjicienda. Verba epiſtolæ hæc ſunt. *Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Lucenſis Eccleſiæ Clero, & Populo in perpetuum. Cum Divina providentia idcirco nos in Sede Apoſtolica conſtituere voluerit, ut omnium Eccleſiarum generalem curam gerere debeamus, tum maxime illi Eccleſiæ ſtudium noſtræ devotionis ſollicitius eſt exhibendum, in qua ante ſuſceptum univerſalis regiminis opus eccleſiaſtici officii neceſſitate laboravimus, & cui privata quodammodo dilectione prius deſervire ſtuduimus. Circa Lucenſem itaque Eccleſiam tanto ſpecialius noſtræ devotionis ſtudium deſideramus impendere, quanto & illi privata ejus, & publica omnium cura compellimur providere. In ea igitur quod multis temporibus pullulaſſe, & in rebus jam inveteratæ malitiæ comperimus excreviſſe, divini verbi gladio ſuccidere, & penitus extirpare optamus, ut, Deo volente, erutis ſpinis vitiorum, in fertilem poſtmodum meſſem ſemen illic ſatum valeat abundare. Ex multis temporibus hoc deteſtabile malum* (hinc exorditur Gratianus) *intra ipſam Eccleſiam inoleviſſe cognovimus .... fiebat Eccleſia, & res ejus .... Chalcedonenſe nempe Concilium unum ex principalibus ſimili pœna condemnat eos, qui ſacram manus impoſitionem (per quam Spiritus Sanctus confert) mercari dignoſcuntur. Utroſque enim auctoritate inexpugnabili, illos a beneficio, iſtos ſacro ordine jubet repelli. Sacrorum vero canonum auctoritate docemur, omnia, quæ Deo, vel ejus Eccleſiæ offeruntur, ſacra fieri ipſa oblatione, nullaque autem ſacra fieri poſſunt, niſi Spiritu Sancto, a quo omnis ſanctificatio procedit. Nam ſicut omnis quælibet res cum Imperatori defertur, imperialis efficitur, ſic cum ex voto Deo, vel Sanctis offertur, divina, ac per hoc ſanctificata cognoſcitur. Non igitur mirum, ſi par pœna conſtringit eos, qui aut ſacrum ordinem, aut ſacram rem Eccleſiæ vendere, ſeu emere audent, cum neutram niſi Sancti Spiritus dono valeat ſanctificari. Præterea cum ſacrorum canonum auctoritas quatuor ex rebus Eccleſiæ jubeat fieri portiones, quarum una pauperibus, altera fabricis Eccleſiarum ſit impendenda, tertia Epiſcopo, quarta Clericis conferenda, ſicut pauperibus Eccleſiæ ſingulæ partes gratis ſunt concedendæ, ita quoque reliquæ partes nec ab ipſo Epiſcopo, vel Clero ſunt retinendæ, aut vendendæ, ſed eis pro Evangelii præcepto, & officii ſui labore eodem modo conferendæ. In veteri quoque teſtamento cum adhuc gratia Evangelii adhuc non coruſcaret in mundo, legimus ſcelus hoc quantum abominabile eſſet, cum tempore Jeroboam quicumque volebat, implebat manum ſuam, & fiebat Sacerdos excelſorum, & propter hanc cauſſam peccavit domus Jeroboam, & deleta eſt de ſuperficie terræ. Si vero domus Jeroboam ob hoc deleta eſt, quod pecuniam accipiens conſtituebat Sacerdotes in excelſis, non immerito de libro vitæ cæleſtis eorum nomina delentur, quæ interventu pecuniæ Sacerdotes, vel Clericos in domo Dei conſtituunt. Puto enim, quod hi tales nunquam adverterunt Pſalmiſtæ ſententiam dicentis: **Quia non cognovi negotiationem, introibo in potentias Domini**. Nam ſiquis ideo intrat in potentias Domini, quia non cognovit negotiationem, aperte conſequitur,*

quitur, ut non intret in eas, qui negotiationes maxime eccleſiaſticarum rerum non ſolum cognoverit, ſed etiam exercuerit. In novo autem teſtamento humani generis Redemtor .... negociationis. In quo Salvatoris facto vigilanter eſt advertendum, quod non dicitur cathedras vendentium moviſſe, ſed evertiſſe. Levius utique ferendum eſſet, ſi talium negociatorum cathedræ moverentur, quam ſi everterentur, ſicut per Johannem dominica voce Angelo idem prædicatori Epheſi Eccleſiæ dicitur: Age pænitentiam, & prima opera fac; alioquin veniam ad te, & movebo candelabrum tuum de loco ſuo. Illud quoque .... ſpeluncam latronum efficiunt. Quia ab hujuſmodi mercatoribus quidquid poſſunt capiunt, & gladio ſuæ malitiæ non corpora, ſed, quod pejus eſt, animos trucidare noſcuntur. Tempore vero Apoſtolorum cum multi rerum ſuarum pretia ad pedes eorum ponerent, Anania, & Saphira, inſpirante S. Spiritu, voto cordis pretium agrorum ſuorum Deo obtulerunt. Qui poſtmodum, quia ſuggerente diabolo, partem ipſius pretii retinere conati ſunt, voce B. Petri Principis Apoſtolorum Spiritui Sancto mentiti eſſe dicuntur, & quam grave ſcelus contraxerint, utriuſque repentina morte monſtratur. Si ergo illi initio ſurgentis Eccleſiæ tam horribili pœna divinitus ſunt puniti, pro eo ſolummodo, quod partem pretii retinuiſſent, quod ſolo voto Eccleſiæ obtulerant, quid dicendum eſt de his mercatoribus, qui non ſuas, ſed res Eccleſiæ, ſed in uſus ſuos ex (videtur legendum *&*) *propinquorum ſuorum non verentur vertere? Profecto ſicut deterius eſt diſtrahere, vel comparare res Eccleſiæ, non quas ipſi Eccleſiæ conferunt, ſeu quas pro animabus ſuis fideles offerunt, quam ſolam pretii partem rerum a ſe oblatarum retinuiſſe; ſic talium negotiatorum interitus gravior, & profundior, quam illorum eſſe convincitur. Ex hac quoque peſſima venditione pene malorum omnium ſemina pullulare noſcuntur. Nam ii, qui res Eccleſiarum, & potiora earum pretia ſtudent adquirere, non Deo, vel ejus Eccleſiæ velle famulari, ſed ſoli mammonæ velle ſervire veridica ratione probantur. Sicut etiam S. Gregorius de ſimoniacis teſtatur, non vitam moribus componere, non ſcientia curant exornare, ſed ſolummodo aurum, & pecuniam, quibus res emant Eccleſiæ, inhiantes deſiderant congregare. Ac ſi tandem malitiæ ſuæ votum impleverint, & data numeroſa pecunia rerum eccleſiaſticarum penes ſe dominium habere cœperint, tunc aperiunt, qua intentione Eccleſiæ militare decreverunt. Toto enim mentis anniſu undecumque poſſunt corradere pecuniam ſtudent, ut, quæ prius evacuaverant, poſſint redimplere marſupia, cujus aviditate impulſi ſacris non parcunt altaribus, ſed veluti fures, & ſacrilegi profanas eis manus injiciunt, pauperibus, & Eccleſiarum fabricis decimas, & oblationes juſte, & canonice competentes, more prædonum diripiunt, a mortuis etiam, quaſi fiſci exactores importunis clamoribus velut tributa exigunt. Terras quoque, quas fideles pro ſuis peccatis Eccleſiæ contulerunt, quia eas ex toto vendere non poſſunt, ob viliſſimum redditum pecunia accepta quibuſque concedunt. Inter ſe autem ubi de lege divina, & de animarum ſalute eſſet tractandum, litibus, & contentionibus, clamoribus, & injuriis præſtrepere non deſiſtunt. Quibus ad cumulum ſuæ damnationis non ſufficit, quod ipſi pereuntque, ſed inſuper laicos, quibus ducatum rectæ vitæ præbere debuerant, ſecum malo exemplo trahunt in profundam inferni voraginem. Quapropter ego Alexander .... unquam conferre, ſed etiam miniſtros .... ſuſtentare Eccleſiam. Sponte* (videtur legendum *ſponſæ*) *Chriſti donaria, non pro libitu cujuſque invito ſponſo venalia fiant, ſed gratis, & pro vitæ meritis tribuantur, nec audeat ullus, cujuſcumque gradus ſit Clericus per ſe, vel per interpoſitam perſonam aliquo ingenio pretium vel dare, vel promittere, nec ipſi Epiſcopo, nec alicui ex ejus miniſtris, ſed cuicumque magnæ, vel mediocri, aut parvæ perſonæ. Ne vero calliditas, aut fraus diaboli ſub-*

ſpe-

Digitized by Google

ſpecie religionis aliquos ſuæ malitiæ laqueo capiat, conſtituimus, & eodem modo firmamus, ut nullus . . . . . modis omnibus abſcindatur. Ego Alexander ſolius Domini miſericordia Sanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ Præſul, & Lucenſis Epiſcopus in hoc decreto ad confirmandum s.s. Integrum hoc monumentum ſatis perſpicue indicat, qua animi alacritate Alexander ſimoniacorum ſui temporis hæreſim oppugnaret, quo ſane nihil eſt in epiſtola, quod non ſpectet, vel in ipſamet ſubſcriptione; quid enim aliud indicare voluit Sanctus Pontifex, ubi ſe *ſolius Di. miſer.*, ideſt *Dei miſericordia* Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Præſulem nominavit, quam ſe non humano favore, aut gratia, non data pactaque pecunia, ſed Deo vocante, Sedem Apoſtolicam conſcendiſſe? Forte quemquam turbabit Concilii Chalcedonenſis decretum ab Alexandro iſtic memoratum, quaſi Alexander non ſatis recte protrahere potuerit Chalcedonenſium Patrum ſententiam ad recentiora, & ſui temporis beneficia. Verum non eſt, cur Alexandri oratio minus apta exiſtimetur. Quod enim apud Veteres, & tempore Concilii Chalcedonenſis erat ordinatio Clericorum, fuit deinde temporibus Alexandri beneficiorum collatio etiam poſt ordinationem facta, nam in ipſa collatione beneficii adhuc certum officium in Eccleſia obeundum Clerico injungitur, quod profecto non eſt ſimoniace injungendum. Imo ſi integer legatur Chalcedonenſis canon relatus a Gratiano in can. 8. cau. 1. qu. 1., facile liquebit, eum eſſe rei ipſi ab Alexandro tractatæ valde adcommodatum, licet in eo eccleſiaſtici beneficii nulla ſpecialis mentio habeatur. Nimirum mentio ibidem fit de defenſoribus, de diſpenſatoribus, de manſionariis, qui ſane ſicut non ſemper per ſacram ordinationem, & per ipſum ſacræ ordinationis actum ſingularibus eccleſiaſticis officiis addicebantur, ita facile potuerunt recentiorum beneficiariorum, qui extra ordinationis ſacræ cauſſam, & titulum conſtituuntur, imaginem præſeferre; atque exinde validiſſimum erat ad confirmandum Alexandri propoſitum argumentum. Etenim ſi damnandi apud Veteres fuerunt, quicumque defenſorum, diſpenſatorum, manſionariorum, aut ſimilia officia pretio vel conceſſiſſent, vel impetraſſent, licet illa non in ipſo ſacræ ordinationis actu conferrentur, licet etiam quandam temporalis potius adminiſtrationis ſpeciem exhiberent, eadem ratione erat velut ſimoniaca improbanda beneficiorum collatio, illa etiam, quæ Alexandri temporibus demonſtrabatur ſejuncta a ſacri ordinis collatione, ac videbatur nonnullis potius in temporali quodam emolumento conſiſtere.

De Epiſtola ad Epiſcopos, & Regem Dalmatiarum.

Alexandro II. tribuitur canon 16. diſt. 81. ſub hac inſcriptione: *Epiſcopis, & Regi Dalmatiarum*. Ego vero puto inſcriptionem corruptam eſſe, vel quod apud Collectores epiſtolarum Alexandri nullibi eadem inſcriptio legatur, vel potiſſimum quod Regis Dalmatiarum mentio Alexandri temporibus minime congruat. Siquidem refert Baronius ad annum 1076. primum ſub Gregorio VII. Ducem Dalmatiæ Regis nomine appellatum fuiſſe, id demonſtrans ex Actis ſynodalibus, quæ in Archivo Lateranenſi adſervata teſtatur. Quomodo ergo jam potuit ad Regem Dalmatiæ epiſtolam mittere Alexander Gregorii VII. prædeceſſor? Suſpicor ego rem ita contigiſſe: nimirum quum Nicolaitarum hæreſis plurium Italorum animos temporibus Alexandri II. occuparet, quemadmodum ſupra jam dicendum fuit, ad eam conficiendam duo a Romano Pontifice deſignati fuere Legati, Mainardus Epiſcopus

Can. 16. diſt. 81.

pus Sylvæ Candidæ, & Johannes Cardinalis, de quibus jam ſupra mentionem habui ad canones 17., & 18. diſt. 81. Iidem etiam in Dalmatiam miſſi fuerunt, ut ibi clericalis continentiæ leges ſancirent, obſervandaſque curarent, cujus rei auctor eſt Ivo Carnotenſis, coævus auctor, referens in parte 4. decreti cap. 139. Alexandri II. monumentum his verbis conceptum: *Notificamus omnia capitula, quæ per Confratres noſtros venerabiles Mainardum ſcilicet collateralem Epiſcopum noſtrum, & Johannem Archipræſulem noſtrum in Spalato, aliiſque Civitatibus ſunt ſtatuta, eadem in Romana Synodo ſeriatim ea referente a B. memoriæ prædeceſſore noſtro Nicolao apoſtolica auctoritate roborata, & ſub anathematis interpoſitione roborata.* Et quoniam monumentum iſtud tribuitur Alexandro II. ſcribenti *Epiſcopis, & Regi Dalmatiarum,* facile in eodem inſeri potuit quidquid a Pontificiis Legatis alibi adverſus incontinentes Clericos ſtatutum fuerat ſub Nicolao II. ejuſdem Alexandri prædeceſſore. Porro non abſimilis conſtitutio edita videtur in Concilio Romano anni 1059. can. 3. ibi: *Ut nullus miſſam audiat Presbyteri, quem ſcit concubinam indubitanter habere, aut ſubintroductam mulierem. Quicumque Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum poſt conſtitutum beatæ memoriæ Prædeceſſoris noſtri. Sanctiſſimi Papæ Leonis de caſtitate Clericorum concubinam palam duxerit, vel ductam non reliquerit, ex parte omnipotentis Dei auctoritate Beatorum Apoſtolorum Petri, & Paulli præcipimus, & omnino contradicimus, ut miſſam non cantet, neque evangelium, vel epiſtolam, ac miſſam legat, neque in presbyterio ad divina officia cum iis, qui præfatæ conſtitutioni obedientes fuerint, maneat, neque partem ab Eccleſia ſuſcipiat, quouſque a nobis ſententia ſuper hujuſmodi, Deo concedente, procedat.* Quibus ita deſcriptis liquet non aliam eſſe apud Dalmatas renovatam conſtitutionem ab Alexandro, quam quæ olim dicta fuerat a Nicolao, quamobrem ex eodem Nicolai canone facile intelligere poſſumus, quid Alexander ad Dalmatas reſcribendum voluerit in dicto canone 16. In inſcriptione canonis *Regis* Dalmatiarum nomen potuit a recentiore auctore adjici, ubi primum Dalmatia Regibus fuit obnoxia. Num vero Alexandri II. conſtitutio paratam habuerit in eadem Provincia executionem, plurimum dubito; nam temporibus Innocentii III. anno 1199. novis opus fuit Pontificiis conſtitutionibus, ut Dalmatiæ Clerici ad continentiæ leges ſervandas adigerentur, nam in Concilio illius anni habito in Dalmatia, præſentibus Apoſtolicæ Sedis Legatis hic canon num 2. edendus fuit: *Cum Domini Sacerdotes, & ſiqui ſacra Altario deſerviunt, continenter vivere debeant juxta illud: Mundamini, qui fertis vaſa Domini, in partibus Dalmatiæ, atque Diocliæ Sacerdotes & uxores habere, & Eccleſias tenere dicuntur. Quocirca præſenti decreto ſtatuimus, ut Sacerdotes, & Diaconi ante ſuſceptum officium, niſi eorum conjuges in manu Epiſcopi votum fecerint continentiæ, uxores habentes cum ipſis maneant, & Eccleſias dimittant. Non enim poſſunt ſecundum ordinem Romanæ Eccleſiæ manentes in conjugio, niſi defunctis uxoribus, aut continentiam voventibus, ſi digni inventi fuerint, ad ſacerdotium promoveri. Illi vero, qui poſt ſuſceptum Sacerdotii, vel Diaconatus honorem adulteras potius, quam uxores accepiſſe probantur, niſi eas dimiſerint, & dignam egerint pœnitentiam, ab officio, & beneficio eccleſiaſtico fiant penitus alieni.*

De

Digitized by Google

De Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ.

Mendum irrepſiſſe videtur in inſcriptionem canonis 11. cau. 23. qu. 8., non enim ad Epiſcopos Hiſpaniæ, ſed ad Epiſcopos Galliæ Alexandri epiſtola dirigitur. Integra epiſtola eſt apud Ivonem coævum auctorem in parte 13. decreti cap. 114. ſub hac inſcriptione: *Alexander Papa II. omnibus Epiſcopis Hiſpaniæ*, ſed ad marginem adnotatur pro voce *Hiſpaniæ* in aliis codicibus legi *Galliæ*. In hac codicum varietate ea ſane erit præferenda ſcriptura, quæ magis epiſtolæ conſonat. Verum integra epiſtola potius indicat, Alexandrum ad Galliæ, non ad Hiſpaniæ Epiſcopos ſcripſiſſe: ibi: *Placuit nobis ſermo, quem nuper de vobis audivimus, quomodo tutati eſtis Judæos, qui inter vos habitant, ne interimerentur ab illis, qui contra Sarracenos in Hiſpaniam proficiſcebantur. Illi quippe ſtulta ignorantia, vel forte cæca cupiditate commoti in eorum necem volebant ſævire, quos fortaſſe divina pietas ad ſalutem prædeſtinavit: Sic etiam B. Gregorius quoſdam, qui ad eos delendos exardeſcebant, prohibuit, impium eſſe denuncians, eos delere velle, qui Dei miſericordia ſervati ſunt, ut patria, libertateque amiſſa, diuturna pœnitentia, patrum præjudicio, in effuſione ſanguinis Salvatoris damnati per terrarum orbis plagas diſperſi vivant. Diſpar nimirum eſt Judæorum, & Sarracenorum cauſſa. In illis enim, qui Chriſtianos perſequuntur, & ex urbibus, & propriis ſedibus pellunt, juſte pugnatur: hi ubique parati ſunt ſervire. Quendam etiam Epiſcopum Synagogam deſtruere volentem cohibuit.* Nemo ſane dixerit, verba hæc ad Hiſpaniæ Epiſcopos dirigi potuiſſe, neque enim Hiſpaniæ Epiſcopi tueri poterant Judæos *ab illis, qui contra Sarracenos in Hiſpaniam proficiſcebantur*: Facilius tueri eos Judæos poterant finitimi Galliarum Epiſcopi; his etiam accedit ſimilis propemodum ejuſdem Alexandri ſententia in epiſtola ad Berengarium Narbonenſem in Gallia Vicecomitem, cujus fragmentum legitur apud eundem Ivonem in parte 13. decreti cap. 115. ibi: *Noverit prudentia veſtra nobis placuiſſe, quod Judæos, qui ſub veſtra poteſtate habitant, tutati eſtis, ne occiderentur; non enim gaudet Deus effuſione ſanguinis, neque lætatur in perditione malorum.* Quæ verba cum fere conſonent cum iis, quæ habentur in dicto can. 11., facile colligitur utraque ad eaſdem Provincias Galliarum ſpectare. Ut vero hæc perſpicue intelligantur, animadvertere juvabit adjuncta illorum temporum, quibus fieri poſſet, ut fieret ea Judæorum, ac Sarracenorum comparatio. Sarraceni gens Arabica univerſum tunc regnum Hiſpaniæ occupaverant, ipſam etiam urbem Toletanam, in qua Chriſtiani nominis hoſtes nihil vividius moliebantur, quam ut everterent, perderentque, quidquid ad fidem Chriſti, ac religionem tuendam conduceret. Præ ceteris Chriſtianos Reges expulerunt, graviſſimoque jugo tyrannidi ſuæ omnia ſubjecerunt. Temporibus Alexandri II. barbari illius imperii impatientes Hiſpani ſuaſerunt Alfonſo licet monacho, legitimo tamen Regni Hiſpanici Succeſſori (is erat frater Sancii II. jam defuncti Hiſpaniarum Regis), ut provinciam adgrederetur Sarracenos ejiciendi. Morem geſſit Alfonſus, Rex ejus nominis ſextus ſalutatus, qui proinde coacto ingenti exercitu undecumque ex univerſa Hiſpania, finitimiſque populis Sarracenos omnes non ſolum a Toletana Civitate, ſed etiam a toto Regno ejecit; hinc recoli Chriſtianam fidem, reſque eccleſiaſticas augeri in dies vehementiſſime ſtuduit, & quidquid ſuperſtitioſum ex Barbarorum moribus irrepſerat, anti-

Can. 11. cau. 23. qu. 8.

antiquari. Quamobrem ſcimus temporibus Alexandri II. in Concilio celebrato in Hiſpania, quod refert Labbeus ad annum 1068., abrogatum fuiſſe ritum *Moſarabicum* celebrandi divini officii, ita dictum, quod tunc celebraretur ab Hiſpanis mixtis cum Arabiæ populis, quaſi *Mixtarabicum*, vel, ut alii dicunt, a Muſa Arabum duce, quod ſane officium non erat adeo quacumque ſuperſtitione vacuum, ut Chriſtianum hominem omnino deceret. Ex his facile deduci poteſt Alexandri II. ſententia, qualis in dicto can. 11. exhibetur, quæ eo ſpectat, ut Judæis nemo moleſtiam ingereret, quoties ipſi Chriſtifidelibus non eſſent importuni, quamquam liceret vim Sarracenorum vi facta repellere, quod ſane etiam juris publici apud omnes gentes firmati conſtitutionibus eſt maxime conſentaneum.

De Epiſtola ad Epiſcopos, & Clerum per Italiam.

Can. 2. cau. 35. qu. 5. Meretur jucundam obſervationem canon 2. cau. 35. qu. 5., qui ita exhibetur quaſi ad omnes Epiſcopos, & Clericos, nec non judices per Italiam conſtitutos directus. Tempore Nicolai II. Pontificis celebrata fuerat Romana Synodus anno 1059., ad quam convenerant Epiſcopi 113., atque in ea ita definitum fuerat can. 11. *Ut de conſanguinitate ſua nullus uxorem ducat uſque ad generationem ſeptimam &c.*, quod ipſum rurſum decretum fuit in Synodo Romana anni 1063. centum, & amplius Epiſcoporum ſub Alexandro II. can. 9. Emerſit hinc graviſſima quæſtio, qua ratione *ſeptimæ generationis* nomen interpretandum eſſet; alii enim ita intellexerunt, ut ſeptem civilis cognationis gradus computarentur, atque ii dicerentur ultra ſeptimam generationem diſtare, qui ex juris civilis regulis ultra ſeptimum cognationum gradum conſtituerentur, qua in ſpecie jam videbantur ultra ſeptimam generationem diſtare illi, quorum uterque eſſet quarto jam gradu a communi ſtipite remotus; alii e converſo duplicandam voluerunt computationem, ex latere ſcilicet utriuſque, de quorum cognatione quæreretur, faciendam, ita ut tum demum inter ſe ſeptima generatione disjungerentur, quoties ſeptima generatione a ſtipite communi diſtarent. Potiſſimum apud Ravennates hujuſmodi controverſiam ſcimus fuiſſe ſubortam, quam verbis primum, deinde etiam literis compeſcere ſtuduit S. Petrus Damiani, rem ita enarrans in libro de parentelæ gradibus in principio, quem librum ad Johannem Epiſcopum Cæſenatem (hic erat Suffraganeus Eccleſiæ Ravennatenſis) & ad Archidiaconum Ravennatem inſcripſit, ibi: *Ravennam, ut noſtis, nuper adii, quam mox periculoſi erroris ſcrupulo turbatam vacillare cognovi. Erat autem de conſanguinitatis gradibus plurima diſceptatio, atque jam res eo uſque proceſſerat, ut ſapientes civitatis in unum convenientes ſciſcitantibus Florentinorum veredariis in commune reſcripſerint, ſeptimam generationem canonica auctoritate præfixam ita debere intelligi, ut numeratis ex uno generis latere quatuor gradibus, atque ex alio tribus jure jam matrimonium poſſe contrahi videretur. Ad adſtruendam quoque præpoſteræ hujus allegationis ineptiam, illud etiam in teſtimonium deducebant, quod Juſtinianus ſuis interſerit inſtitutis; ſed & neptem, inquit, fratris, vel ſororis ducere quis poteſt, quamvis in quarto gradu ſit . . . . & quidem ego nudis verbis iſta dogmatizantibus reſtiti, ac prout in expeditione licuerat, emergentem, ut ita fatear, hæreſim canonicæ teſtimoniis auctoritatis attrivi; quo tamen vos minime contenti dignum eſſe decreviſtis, ut quod ore protuleram, apicibus traderem, atque ita non paucis,*

paucis, ſed omnibus hoc errore nutantibus facili compendio reſponderem. Sed non ſatis confecit errores, imo nec diſputationibus modum dare potuit privata Damiani doctrina: Opportuna fuit Concilii celebratio indicta ab Alexandro II. anno 1065., in quo Concilio editus eſt memoratus canon 2. cau. 35. qu. 5., ubi adverſus eos, qui contra ſentirent, propoſitæ anathematis minæ; demum adverſus pervicaces inflicta pœna anathematis in alio Concilio Romano ejuſdem anni, ut teſtatur idem Petrus Damiani in libello de contemtu ſæculi. Sane Gratianus memoratum canonem melius ſub nomine Romani Concilii edidiſſet, aliam tamen putavit proferendam inſcriptionem, ſcilicet *ad Epiſcopos, & Clericos Italiæ*, vel ut alii codices habent: *Neapolitanis Clericis, & omnibus Epiſcopis, atque Judicibus per Italiam conſtitutis*, quod ex eo fortaſſis a Gratiano factum arbitror, quia Alexander poſt illorum Conciliorum celebrationem aliquas de ea re epiſtolas ſcripſit tum ad Neapolitanos, tum ad Epiſcopum Venetenſem, tum ad Epiſcopum Baſileenſem, tum demum ad Epiſcopum Aretinum, quarum epiſtolarum fragmenta retulit Ivo Carnotenſis Alexandro coævus in parte 9. decreti cap. 6. 9. 10., & 37. Jam vero ſi propius accedamus ad conſequendam, aut ſaltem ad attingendam Alexandri mentem, & vim acerrimæ, quæ in eo canone exhibetur, diſputationis, non inutilis erit, quemadmodum non injucundus labor. Vulgus interpretum legum tum eccleſiaſticarum, tum civilium adſeveravit in computatione graduum conſanguinitatis contrarias omnino eſſe regulas in jure eccleſiaſtico, ab iis, quæ ſunt jure Romano præſtitutæ; quamobrem nec dubitavit velut conſectarium quoddam exinde deducere, quo in matrimoniis canonum regulæ, in hereditariis ſucceſſionibus Romanæ leges ſpectandæ ſint, ut cognatio inveſtigetur. Ego vero in figendo illo principio non poſſum æque adſentiri; quippe qui utriuſque juris regulas contemplatus, non contrarias hac in parte, ſed diverſas agnovi; neque ex illis ſum, qui cum quandam jurium diverſitatem intueor, ſtatim de jurium eorundem conflictu, & pugna judicem, gnarus ut plurimum juris eccleſiaſtici, & civilis regulas mutuam ſibi manum, & adjutricem præbere, quemadmodum ſcripſit Lucius III. in cap. 1. de novi operis nunciatione. Revera qui putant hac in re canones veteribus Romanorum legibus adverſari, jam tales habendi ſunt, ut Romanarum legum peritia non polleant; quemadmodum habiti fuerunt apud Petrum Damiani, qui ſub Alexandro II. vivebat. Etenim cum eo tempore nonnulli vellent in conjugiis computationem fieri, aſcendendo primum ad communem ſtipitem, deinde ab eodem communi ſtipite deſcendendo, ita redargui a Petro debuerunt in lib. de gradibus Parentelæ cap. 4. *Sed ut de ceteris ſileam, miror ſaltem legisperitos ita potuiſſe deſipere, ut ſubjecta figura oculis videantur in ſupputandis gradibus caligare, qui nimirum dum quartum generis gradum octavum faciunt, quid ſuper hac re etiam ſuæ leges definiant, non attendunt*. Simili ratione eoſdem, qui ita ſentiebant, redarguit Alexander II. in epiſtola ad Neapolitanos, quæ eſt numero 27. apud Labbeum, ibi: *Sedentes enim in cathedra peſtilentiæ dictant jura, quæ neſciunt, & docent illa, quæ nullatenus didicerunt*. Si revera civile jus ſingulas perſonas, non generationes in ſupputandis cognationum ordinibus matrimoniorum cauſſa numeraret, cur Alexander, cur Damianus imperitos, & caligantes in luce appellaviſſent Juriſconſultos illos ita loquentes, ea præſertim ætate, qua hæc juris, ut ajunt, civilis, & eccleſiaſtici differentia nondum agnita eſſe poterat, utpote quæ ab hoc Alexandri II. decreto paſſim traditur originem habuiſſe? Dicam paucis, in quo ſita ſit rei veritas.

Digitized by Google

Jus civile Romanorum nunquam mentionem fecit graduum cognationis in matrimoniis contrahendis; tantum in hereditatibus, aut tutelis, ut dignoſceretur, quis cognatione proximus eſſet, vel ut in adeunda inteſtati hereditate ceteris præferretur, vel ut ad obeundam tutelam legitimam præ ceteris adigeretur. Hujus rei argumento perſpicuo eſſe poteſt, quod Juſtinianus de nuptiis ſermonem habens in Inſtitutionibus gradus cognationis minime recenſet, ſed eos potius, dum de ſucceſſionibus inteſtatorum ageret, enumeravit. Adde Juriſconſultum Paullum, qui in l. 10. ff. de gradibus, & affinibus profitetur, gradus cognationum ſolertiſſime eſſe ab Juriſconſultis inquirendos; quorum perſcrutationem neceſſariam dicit, *quia legibus hereditates, & tutelæ ad proximum quemque agnatum redire conſueverunt, & edicto Prætor proximo cuique cognato dat bonorum poſſeſſionem; præterea lege publicorum judiciorum contra adfines, & agnatos teſtimonium inviti dicere non cogimur*. Porro addidiſſet etiam Paullus graduum cognitionem neceſſariam eſſe, ratione habita conjugiorum, ſi etiam apud Romanos ratione conjugiorum ad graduum computationem deveniri debuiſſet. Ubinam in toto Romani juris corpore legitur in matrimoniis celebrandis gradus eſſe ſervandos? Dicitur quidem inter certas, deſignataſque perſonas locum non eſſe juſtis nuptiis, de gradibus altum ubique ſilentium cuſtoditur. Quidquod Modeſtinus in l. 4. §. 5. ff. de grad. & affin. ſcripſit, *gradus adfinitati nullos eſſe*, quando tamen certum eſt etiam inter certas, deſignataſque adfinium perſonas nuptias vetitas fuiſſe, niſi concludamus nullam in ſpecie nuptiarum factam fuiſſe graduum computationem? Itaque in celebrandis conjugiis graduum deſignatio in jure civili Romanorum præſtituta non fuit, primum præſtitui viſa eſt recentioribus Conſtitutionibus, Principum æque, ac Sanctorum Antiſtitum auctoritate firmatis, quibus declaratum eſt, uſque ad certam modo quartam, modo ſeptimam generationem contrahi matrimonia non debere. Notandæ profecto recentiorum harum legum formulæ, quibus non de *gradibus*, ſed de *generationibus* mentio facta proponitur, can. 1. 3. 12. 16. 17. 18. 20., & 21. cau. 35. qu. 2. Nomen gradus in utraque tranſverſa linea locum habet, ſive in ea, qua aſcenditur ad communem ſtipitem, ſive in ea, qua deſcenditur, cum per gradus aſcendamus æque, ac deſcendamus; quamobrem ubi graduum mentio fit, tot gradus conſtituimus, quot ſunt perſonæ in utraque tranſverſa linea, ut ex. gr. duo nepotes ex duobus filiis nati in quarto gradu conſtituti dicantur, cum ſint ab uno ex nepotibus gradus duo aſcendendo ad avum, totidem gradus ab avo ad alterum ex nepotibus deſcendendo. At nomen generationis, quo ſacrorum canonum auctores uſi fuerunt, ſignificat primum generantis ſtipitis actum per varios deſcendentium veluti ſurculos, ramoſque diffuſum; ideoque cum a communi ſtipite exordium fiat uſque ad remotiorem, ut vocant, geniculum, duplicatis perſonis, quæ per tranſverſas generationes deſcendunt, fit computatio. Mea hæc, qualiſcumque tandem habeatur interpretatio, dixerim etiam utriuſque juris conciliationem, conſonare videtur cum ſententia Magni Gregorii relata apud Gratianum in can. 20. cau. 5. qu. 2., atque ab Alexandro II. in dicto can. 2. cau. 35. qu. 5. verſic. *Hanc computationem*. Vixerat Gregorius paullo poſt tempora Juſtiniani, ideſt ſub finem ſexti ſæculi; callebat ergo modum computandi Juſtinianeum, ſcilicet ut fratrum filii in quarto gradu conſtituti dicerentur; attamen quartum illum gradum, non quartam, ſed ſecundam generationem appellavit. Erant ergo Gregorio in ſecunda generatione, qui erant in quarto gradu; ergo gradus eſt a gene-

generatione diſtinctus, & generationum numerus duplicato fere graduum numero computatur.

De Epiſtola ad Gebonardum Vivarienſem Epiſcopum.

Quæ adnotanda occurrunt ad canonem 1. cau. 7. qu. 2. jam ſatis adnotavit Baluzius in notis ad Gratianum, ſcribens in tribus Gratiani codicibus hanc exhiberi inſcriptionem: *Unde Alexander II. ſcribit Gebonardo Vivanenſi Archiepiſcopo*, in alio *Vinanenſi*, in alio recentiore *Viennenſi*; deinde vero non potuit probare vulgarem Gratianei codicis editionem ex eo, quod Vivarienſis Epiſcopus nunquam metropolitico honore gaviſus fuerit, qualis dicitur in codicibus Gratiani, item ex eo, quod nullus ea tempeſtate fuerit Gebonardus Epiſcopus Vivarienſis. Hinc concludit ita legendum eſſe: *Alexander II. Gebonardo Juvavenſi Archiepiſcopo*, ideſt Salzburgenſi, quam lectionem facile probare unuſquiſque poteſt ex codice Ivonis parte 6. Decreti cap. 405., & vetere canonum collectione MS., quam fuiſſe Claudii Puteani Baluzius idem teſtatur. Porro Gebonardum tenuiſſe Cathedram Juvavenſem temporibus Alexandri II. liquet ex ejus vita ab Henrico Caniſio edita in tom. 6. lectionis antiquæ pag. 1227., & ex Sigeberto in lib. de unitate Eccleſiæ pag. 94. in editione Baſileenſi Simonis Scardii. Demum notat Baluzius ſimilem emendationem faciendam fuiſſe capiti *Quod interrogaſti* diſt. 27., & in cauſſa 1. qu. 1. cap. 4. His nihil addi poſſe videtur, niſi forte quiſquam exoptaret, ut canon hoc in loco deſcribatur, qualis eſt apud Ivonem parte 6. cap. 405. tanquam apud auctorem coævum, ex quo Gratiani editio ſit emendanda. Ivonis monumentum ita exhibetur: *Alexander II. Genobardo Iuvavenſi Archiepiſcopo. In literis tuis continebatur ſic: Hic Clericus ordinem habet presbyterii, ſed quia caduco morbo laborat, & ipſi hoc in præſentiarum agnovimus, non auſi fuimus ei concedere, ut offerret, vel miſſam celebraret. Quia vero languor non in culpa eſt, ſuper hac re auctoritatis noſtræ decreto conſulendum deliberavimus. Conſulimus itaque, ut ſi frequenter hoc morbo tangitur, ab oblatione omnimodis, & miſſarum celebratione prohibeatur. Indecens enim eſt, & periculoſiſſimum, ut hoc ei accidat, quatenus in conſecratione Euchariſtiæ morbo victus epileptico cadat. Si vero Dei miſericordia convaluerit, quandoquidem non culpa, ſed infirmitas eſt in cauſſa, eum ſacrificare jam non interdicimus.* *Can. 1. cau. 7. qu. 2.*

De Epiſtola ad Grimaldum Conſtantienſem Epiſcopum.

Non eſt dubitandum, quin canon 1. diſt. 52. jure tribuendus ſit Alexandro II., cujus nomine ab Ivone coævo auctore deſcriptus legitur. Verum juvabit hoc in loco ipſa Ivonis verba exarare, utpote quæ paullo diſſonant a verbis Gratianeis. Scripſit Ivo in parte 6. Decreti cap. 409. *Alexander Secundus Rumaldo Conſtantienſi Epiſcopo. Sollicitudo dilectionis tuæ ſtuduit conſulere, utrum portitor iſtarum literarum Diaconatus, & Presbyteratus officium ſit idoneus peragere, necne: cum ad id præpropero curſu, videlicet ſine Subdiaconatus ordine, negligentia potius, quam ſuperbia cognoſcatur aſcendiſſe. Unde nos conſulendo charitati tuæ mandamus, ut ab officio Sacerdotali eum prohibeatis, donec proximo quatuor temporum jejunio Subdiaconatus miniſterium ſibi* *Can. 1. diſt. 52.*

ſibi rite impenas, & ſic deinceps ad majora officia eum redire concedas. Simile quoddam monumentum ſub Alexandri II. nomine edidit Manzius in ſupplemento Labbeano tom. 1. pag. 1330. ex MS. Codice Piſtorienſi, ibi: *Alexander II. Quidam in clericalibus officiis educatus Subdiaconatus gradum ſuſcipere neglexit, & Diaconatus, ac Presbyteratus honorem, non quidem ambitioſe, ſed negligenter conſcendit. In quo præceptum canonicum non nos inveniſſe meminimus; conſilium autem ex prærogativa authoritatis Apoſtolicæ damus. Ab utriuſque itaque, ideſt Sacerdotalis, & Leviticæ, quos inordinate ſuſcepit, officio ſuſpendatur, donec congruo tempore interſit ejus, qui ad Subdiaconum benedicendum honorem, & cum eis Subdiaconatus ſuſcipiat benedictionem. Prius tamen diſcutiendum, ſi ejus vita digna officio habeatur, & ſic ſi vitæ canones non obviaverit, in priore ordinatione Diaconus, & Presbyter teneatur*. Nolo ſane, ut quiſquam præferat Piſtorienſem hunc canonem canoni Ivoniano; etenim ab obſcuris quibuſdam fragmentis ego facile recedendum puto, ubi antiquiores codices nobis, & publicæ utilitati ſuperſunt, præſertim cum recentiora, quæ prodeunt, corrupta eſſe, vel ipſa verborum compoſitio demonſtrat. Itaque cum Ivonem ſequor ad emendationem Gratiani, animadverto in primis pro nomine Grimaldi Epiſcopi Conſtantienſis, quod apud Gratianum occurrit, legendum eſſe nomen Rumaldi, quem ſane Conſtantienſi Eccleſiæ temporibus Alexandri II. præfuiſſe ſcimus, eidemque in Cathedra ſucceſſiſſe Carolum, de cujus ſimoniaca ordinatione actum eſt in Concilio Moguntino anni 1071. Deinde etiam colligimus, temporibus Alexandri II. jam invectam fuiſſe diſciplinam illam, juxta quam nemo ad majores ordines promoveatur, niſi qui primum in minoribus ordinibus functus officio fuiſſet.

De Epiſtola ad Guillielmum de Monſtrolio.

Quod legitur in canone 10. cau. 35. qu. 6. habetur eiſdem verbis apud Ivonem
Can. 10. cau. 35. qu. 6. in cap. 32. partis 9. Decreti; tantum diſcrimen adparet in inſcriptione canonis, ubi legitur: *Alexander II. Guillielmo de Monaſteriolo*; in aliquot Gratiani codicibus legitur *de Monſtrolico*. Sed parum intereſſe videtur alterutram ſequi lectionem. De rei veritate non dubito, ſtatim ac apud Ivonem habemus firmiſſimum utpote coævi ſcriptoris teſtimonium. Adnotare poſſumus, diſciplinam illius temporis fuiſſe, ut propoſita, eique ſimiles cauſſæ in Epiſcoporum Conciliis examinarentur, quod tunc temporis decebat maxime ab Alexandro II. inſinuari, quod ad dirimendas conſanguineorum controverſias acerrime a plurimis diſputabatur, quemadmodum ſuperius dicendum fuit ad interpretationem canonis 2. cau. 35. qu. 5.

De Epiſtola ad Landulphum in Corſica.

Can. 2. cau. 33. qu. 5. Canon 2. cau. 33. qu. 5. ſupplendus erit ex decreto Ivonis parte 8. cap. 220.; quod idem eſt cum epiſtola Alexandri II. undecima apud Labbeum; neque enim Gratianus integrum retulit monumentum, ſed eam tantum deſcripſit monumenti partem, qua ſatis propoſito ſuo facere ſibi videbatur. Habet Ivo. *Alexander Papa II. Landulpho in Corſica. Notificaſti te morte tenus infirmatum, & peccatorum tuorum recordatione, & terrore valde paveſactum, anxie quæſiſſe monachum fieri, & a*

tuo

Digitized by Google

tua uxore minis, & terroribus eam occidendi, ad hóc licentiam extorſiſſe ; & ſic te monaſticam veſtem ſine abbate ſumſiſſe, & monaſterium petiiſſe. Poſtea vero cum ſanus factus eſſes, tuæ uxoris reclamationibus, ejulationibus, & planctibus, tuæque familiæ diſperſionibus, utpotæ pœnitens (ad marginem in decreto Ivonis adnotatur legi in aliis codicibus, *utpote penitus*) *devictus domum remeaſſe, & poſt multos dies quorundam ſapientum conſilio ad jam dictæ cubile mulieris rediiſſe. Nunc autem ſi tibi tua uxore uti liceat, noſtrum requiris conſilium. Si ita denique eſt, ut tuus nuncius narrat, non videtur nobis rationabiliter, neque ſana mente id factum; quoniam cum omni homini ad monachicam vitam tendenti legaliter ſanctè, & juſte ſit peragendum, tu contra leges minaciter, & violenter a tua uxore, partim terrore mortis, partim tuæ infirmitatis doloribus exanimatus, devia ſecutus, nulla, ut dicitur, licentia accepta receſſiſti, & Monaſterium petiſti. Non enim violentia, ſed ex pari voluntate & conſenſu, ſicut ſancti Patres dicunt, hoc fieri debet: neque vir in monaſterium recipiendus eſt, niſi uxor illius fœmineum monaſterium elegerit, aut profeſſa continentiam, habitum cum feſtinatione mutaverit. Sanctus enim Baſilius de hac re taliter dicit: Siquis conjugatus vult converti ad monaſterium, non eſt recipiendus, niſi prius a conjuge caſtimoniam profitente fuerit abſolutus. Nam ſi illa, vivente illo per incontinentiam alteri nupſerit, procul dubio adultera erit, nec recipitur apud Deum ejuſmodi viri converſio, cujus ſequitur conjugalis fœderis proſtitutio. Tales igitur tunc ſine culpa relicto ſæculo ſequuntur Chriſtum, ſi habeant ex pari voluntate caſtitatis conſenſum. Itaque, fili cariſſime, perpende, & vide, ſi ſic canonice a tua es abſolutus uxore, & tua uxor ita pollicita eſt, & tu, & illa adimpleto bonum inceptum, & votum veſtrum: aliter autem non debemus vobis neceſſitatem imponere ſeparationis.*

De Epiſtola ad Rainaldum Cumanum Epiſcopum.

Canonem 11. cau. 2. qu. 5. recte tributum fuiſſe Alexandro II. jam ſuperius *Can. 11.*
demonſtratum eſt in cap. 59. ad canonem 7. eadem cauſſa, & quæſtione pag. 104., *cau. 2.*
ubi integrum Alexandri Papæ monumentum ex Ivonis codice deſcribendum volui, *qu. 5.*
nimirum ex epiſtola 74. ad Hildebertum Cenomanenſem Epiſcopum. Eadem etiam leguntur apud Ivonem in parte 10. cap. 15. decreti, quamobrem nulla ſupereſt dubitatio, quin ſententiam illam unuſquiſque Alexandro facile tribuat, cui etiam jungi poterit, imo & debebit verſiculus *Purgationem*, qui habetur in can. 7. cau. 2. qu. 5., quemadmodum etiam adnotavit Manſius in tomo 1. Supplementi Labbeani pag. 1347., quemadmodum etiam ego laudato in loco animadverti.

De Epiſtola ad Valerianum Epiſcopum Martyrem.

Adnotavit Baluzius in notis ad Gratianum ad canonem 4. cau. 24. qu. 1. inſcriptionem *Can. 4.*
ejuſdem canonis eſſe corruptam in omnibus Gratiani exemplaribus ma- *cau. 24.*
nuſcriptis, & editis: Recte autem apud Ivonem parte 14. decreti cap. 57. legi: *qu. 1.*
Guillelmo Marcioni; in Panormiæ editionibus lib. 5. cap. 135. legi uti apud Gratianum, quamquam in optimo Panormiæ codice Victorino ita habeatur: *Vuillermo Martinioni*. Concludit autem Vir eruditus, *quærendum deinceps eſſe, quis fuerit ille*

Mar-

Marchio Vuillermus. Lucem quandam præferre obſcuræ rei jam viſa eſt hæc adnotatio Baluzii; hinc facile nobis poſſumus perſuadere, immutandam in primis eſſe Gratiani inſcriptionem, ut cum Ivone coævo auctore legamus: *Alexander II. Guillelmo Marcioni*, ſeu veroſimilius *Marchioni*; neque enim congruit Alexandri Papæ temporibus nomen *Martyris*, quod ſolebat primis Eccleſiæ ſæculis ſignificare Epiſcopos in carceribus detentos, vel exilio pulſos Æthnicorum tyrannide; neque præterea poſſum aſſentiri illorum opinioni, qui pro voce *Martyri* legunt *Marturi*, nomine deſumto ab Epiſcopatu Marturani, urbis in Calabria ſitæ; etenim Marturana urbs non Ravennati, ſed Conſentino Archiepiſcopo ſubeſt, propterea non facile evenire potuit, ut Martur ille Epiſcopus a Ravennate Metropolita ſententiam paſſus fuerit excommunicationis. Itaque vel Gratianus, vel Gratianei codicis Amanuenſes pro *Guillelmo*, ſive *Vuilielmo* ſcripſerunt *Valeriano*, & pro *Marchioni* ſcripſerunt *Martyri*. Qua re ſuppoſita, amplius progredior, & puto Willielmum illum fuiſſe Comitem Northmannum, qui dein S. Eduardo in Angliæ Regno ſucceſſit, cujus meminit tanquam in Germania exiſtentis Baronius ad annum 1064. num. 43. Tunc temporis Archiepiſcopus Ravennenſis nomine Wibertus adhæſerat Henrico IV. Germanorum Regi, ut ſcribit Hieronymus Rubeus in lib. 5. Hiſtor. Ravvenat., eamque ob rem, uti ſcribit Johannes Monachus in vita Petri Damiani cap. 21., *pro ſua protervia, ſententia Romanæ Synodi olim fuerat communione privatus, qui tamen cum nimia temeritate nequaquam ob illatam ſibi ſententiam tremefactus ab archiepiſcopali temperaret officio, conſentaneum ſibi populum ſua contagione miſere fœdavit, totamque Eccleſiam illicitis auſibus profanavit*. E converſo Romanis Pontificibus acceptiſſimus fuit Willielmus, quem præ ceteris Borealibus Principibus a Gregorio VII. etiam atque etiam commendatum fuiſſe ſcribit Baronius ad annum 1074. num. 65., imo excitatum ab Alexandro II. quaſi Virum de Sede Apoſtolica optime meritum ad capeſſendum Anglorum Regnum ad ſe delatum teſtamento Sancti Eduardi teſtantur Ingulphus, & Matthæus Weſtmonaſterienſis. Huc ſpectat epiſtola 10. inter Labbeanas Alexandri II. ad eundem Willielmum ſcripta, ubi inter cetera ſcribit Alexander: *Omnipotenti Deo laudes, gratiaſque referimus, quod in hoc tempore licet mundus in maligno poſitus plus ſolito pravis incumbat ſtudiis, tamen inter mundi Principes, & Rectores egregiam veſtræ Religionis famam intelligimus, & quantum honoris Sanctæ Eccleſiæ, tum ſimoniacæ hæreſis vires opprimendo, tum catholicæ libertatis uſus, & officia confirmando, veſtra virtus impendat, non dubia relatione cognoſcimus*. Cum hæc vera ſint, veroſimile admodum eſt, inter Willielmum eundem, & Ravennatem Archiepiſcopum exortas fuiſſe ſimultates, quarum cauſſa ſicut Ravennas Antiſtes potuit ſententia ſua Willielmum damnare, ita Willielmus idem potuit auctoritate, & ſententia Romani Pontificis erigi, ne ſententiam ab Epiſcopo damnato pronunciatam extimeſceret. Verba canonis, qualia habentur apud Ivonem, hæc ſunt: *Audivimus, quod Henricus Ravennas dictus Archiepiſcopus niſus ſit te excommunicare: quod quia excommunicatus te excommunicare non potuit, apoſtolica auctoritate te, tuoſque abſolventes, mandamus exinde non curare*. His videor facile adſecutus & ſententiam, & interpretationem canonis, niſi forte quemquam adhuc jure moretur, quod dicitur in canone, *Henricum* Ravennatem Epiſcopum fuiſſe, quando alias non ignoretur, non eum fuiſſe Henricum, ſed potius Vuibertum. Sed hæc difficultas, quæ ſtatim ſuo momento non carere videtur, facile evaneſcit in conſpectu Gratianeorum quorundam vetuſtiſſimorum exemplarium, in

quibus

Digitized by Google

quibus ita legitur: *Audivimus, quod hæreticus Ravennas, &c.* Itaque non *Henricum* legemus, ſed *hæreticum*, qualis tunc temporis appellari ſolebat, qui eadem navi vehebatur cum Henricianis omnibus, quibus Vuibertus adhærebat.

De ceteris Capitibus Alexandro II. adtributis.

Plurima adhuc ſuperſunt capita Alexandro II. tributa, quæ leguntur definita in Concilio Romano ſub eodem Pontifice celebrato centum, & amplius Epiſcoporum anno 1063. adverſus Simoniacos, & recentiores Nicolaitas. Cumque in hac Synodo eadem fere ſtatuta fuerint duodecim canonibus editis, quæ pridem decreta fuerant a Nicolao II., Gratianus non infrequenter canones ipſos utriuſque Pontificis nomine laudandos voluit. Hujuſmodi ſunt in primis canones 109. & 110. cau. 1. qu. 1., qui, uti ſuperius tradidi, editi jam fuerunt a Nicolao II., ac poſtea renovati perhibentur ab Alexandro in cap. 1. & 2. memorati Concilii his verbis: In cap. 1. *Primo namque inſpectore Deo, ſicut a Sancto Papa Leone, & a ſanctæ memoriæ Papa Nicolao primum ſtatutum eſt, erga Simoniacos nullam miſericordiam in dignitate ſervanda habendam eſſe decernimus, ſed juxta canonum ſanctiones, & decreta Sanctorum Patrum, eos omnino damnamus, ac in Eccleſia non præeſſe Apoſtolica auctoritate ſancimus.* In cap. 2. *De his autem, qui non per pecuniam, ſed gratis ſunt a ſimoniacis ordinati, quia quæſita jam a longo tempore diutius ventilata eſt quæſtio, omnem nodum dubietatis abſolvimus, ita ut ſuper hoc capitulo neminem deinceps ambigere permittamus. Quia igitur uſque adeo hæc venenata pernicies hactenus inolevit, ut vix quælibet Eccleſia valeat reperiri, quæ hoc morbo non ſit aliqua ex parte corrupta, eos, qui uſque-modo gratis ſunt a ſimoniacis ordinati, non tam obtentu juſtitiæ, quam intuitu miſericordiæ, in acceptis ordinibus manere permittimus, niſi forte alia culpa ex vita eorum ſecundum canones eis obſiſtat. Tanta quippe talium multitudo eſt, ut dum rigorem canonici vigoris ſuper eos ſervare non poſſumus, neceſſe ſit, ut diſpenſatione ad piæ condeſcenſionis ſtudium noſtros animos ad præſens inclinemus. Ita tamen, ut auctoritate Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Paulli omnimodis interdicamus, ne aliquis Succeſſorum noſtrorum ex hac noſtra permiſſione regulam ſibi, vel alicui ſumat, vel præfigat; quia non hanc aliquis antiquorum Patrum jubendo, aut concedendo promulgavit, ſed temporis nimia neceſſitas permittendo a nobis extorſit. De cetero autem ſtatuimus, ut ſi quis in poſterum ab eo, quem Simoniacum eſſe non dubitat ſe conſecrari permiſerit, & conſecrator, & conſecratus non diſparem damnationis ſententiam ſubeant, ut uterque depoſitus agat pœnitentiam, & privatus ab ea propria dignitate perſiſtat.* Sic deſcripti integri canones perſpicue indicant, quænam fuerit Alexandri ſententia.

Can. 109. & 110. cau. 1. qu. 1.

In capite 3. 4. & 5. ejuſdem Romanæ Synodi legitur canon 6. diſt. 32. his verbis: In cap. 3. *Præter hæc autem præcipiendo mandamus, ut nullus miſſam audiat Presbyteri, quem ſcit concubinam indubitanter habere, vel ſubintroductam mulierem. Unde ſancta Synodus hæc a capite ſub excommunicatione ſtatuit, dicens: Quicumque Sacerdos, vel Diaconus poſt conſtitutum B. memoriæ Prædeceſſoris noſtri Sanctiſſimi Papæ Leonis, aut Nicolai de caſtitate Clericorum, concubinam duxerit palam, vel ductam non reliquerit, ex parte omnipotentis Dei, & auctoritate Apoſtolorum Petri, & Paulli præcipimus, & omnino interdicimus, ut non cantet miſſam, neque*

Can. 6. diſt. 32.

Digitized by Google

Evangelium, neque epiſtolam ad miſſam legat, neque in presbyterio ad divina officia cum his, qui præfatæ conſtitutioni obedientes fuerint, maneat, neque partem ab Eccleſia ſuſcipiat. In cap. 4. *Et præcipientes ſtatuimus, ut hi prædictorum ordinum, qui iiſdem Prædeceſſoribus noſtris obedientes caſtitatem ſervaverint, juxta Eccleſias, quibus ordinati ſunt, ſicut oportet religioſos Clericos, ſimul manducent, & dormiant, & quidquid eis ab Eccleſia competit, communiter habeant. Et rogantes monemus, ut ad apoſtolicam communem vitam ſummopere pervenire ſtudeant, quatenus perfectionem conſecuti, cum his, qui centeſimo fructu ditantur, in cœleſti patria mereantur adſcribi*. Et in cap. 5. *Ut decimæ, primitiæ, ſeu oblationes vivorum, & mortuorum reddantur a laicis, & in diſpoſitione Epiſcoporum ſint; quas qui tenuerit, a Sanctæ Eccleſiæ ſeparetur communione*.

Can. 20. cau. 16. qu. 7. Ad idem Concilium referendus erit canon 20. cau. 16. qu. 7., in quo continentur tria Synodi capita, nimirum 6. 7. & 11. In cap. 6. hæc habentur: *Ut per laicos nullo modo quilibet Clericus, aut Presbyter obtineat Eccleſiam nec gratis, nec pretio*. In cap. 7. *Nec aliquis Presbyter duas Eccleſias obtineat*. In cap. 11. *Ut nullus habitum monachalem ſuſcipiat, ſpem, aut promiſſionem habens, ut Abbas fiat*. Nemo ſtatim non videt, has conſtitutiones fuiſſe illis temporibus maxime opportunas.

Can. 17. cau. 35. qu. 2. Demum huc etiam referri poſſet canon 17. cau. 35. qu. 2., licet enim iſte deſcribatur nomine Nicolai II., jure tamen pertinere etiam videtur ad eandem Romanam Synodum, in cujus cap. 9. hæc leguntur: *Et ut de conſanguinitate ſua nullus uxorem ducat uſque ad ſeptimam generationem, vel quouſque parentela cognoſci poterit, quod prius a Nicolao II. ſtatutum fuit*. Et in cap. 10. *Et ut laicus uxorem ſimul habens, & concubinam, non communicet Eccleſiæ*.

Can. 13. diſt. 56. In aliquot Gratiani editionibus depravata fuit ſcriptura canonis 13. diſt. 56. in fine, ubi enim antiquiores omnes habent: *Nam pro eo, quod filius Sacerdotis dicitur, ſi ceteræ virtutes in eum conveniant, non rejicimus, ſed ſuffragantibus meritis connivendo eum recipimus*, perperam in aliquot recentioribus errato, ut puto, Typographorum legitur: *Nam pro eo, quod filius Sacerdotis dicitur, ſi ceteræ virtutes in eum conveniant, non recipimus*. Ceterum non arbitror in hoc canone ſatis firmum juvandæ eccleſiaſticæ diſciplinæ præſidium poſſe collocari; etenim non alterius teſtimonio fulcitur, quam Anſelmi Collectoris, quem ſine delectu germanis monumentis paſſim apocrypha miſcuiſſe eruditis Viris perſpicue conſtat. Falſitatis ſuſpicio in hac parte non levis etiam emergit ex eo, quod canon ille parum congruere Alexandri II. temporibus videatur. Etſi enim circa finem undecimi ſæculi vetitæ fuerint ordinationes ſpuriorum, ac præſertim filiorum ex Presbyteris deſcendentium, plurimum tamen vereor, ne illud interdictum Alexandri II. temporibus adhuc prodiiſſet, cum in Conciliis Alexandri II. plura quidem inveniamus, quibus apparet aut Simoniacos, aut incontinentes Clericos a ſacris officiis fuiſſe remotos, nihil tamen ſpecialiter de filiis Presbyterorum cautum adpareat; quamobrem non video, qua ratione ſcribere potuerit Alexander ſe ex conniventia Presbyteri filium recipere, quaſi ex diſpenſatione generalis jam præſtitutæ per editos canones diſciplinæ. Quædam veluti imago recentioris diſciplinæ adparuit ſub finem decimi Eccleſiæ ſæculi; non tamen formata generalibus decretis Conciliorum, vel Summorum Pontificum, ſed potius ſingularibus quorundam Capitulorum, ſeu Collegiorum ſtatutis, & pactionibus: *Eo namque tempore* (ſunt verba Chri-

Digitized by Google

Chriſtiani Lupi) *Duces, & Comites ſuos paſſim ex ancillis baſtardos violenter intrudebant in ſacras dignitates, atque ita ſervili ſimul, atque adulterino ſanguine fœdabant Eccleſias. Adverſus illos ſolemni juramento ſe adſtrinxerunt plura Capitula, de nullis deinceps in ſuum Collegium admittendis baſtardis, nulliſque ſervis, niſi ex Eccleſiæ ſuæ familia legitime natis.* Deinde primum hac in re editus adparet canon in Concilio Pictavienſi anni 1078. tempore Gregorii VII. celebrato, relatus in cap. 1. de filiis Presbyter. apud Gregorium IX., quæ tandem diſciplina paſſim ad omnes fere Eccleſias traducta fuit, ex conſtitutionibus variarum Diœceſanarum Synodorum, inter quas recenſeri poteſt Claromontana anni 1095. can. 25. Atque id maxime congruum videbatur, ut & Clerici incontinentes quoquo modo plecterentur, & nonnullorum laicorum beneficia eccleſiaſtica ſuis conferentium exceſſus coerceretur.

Canon 11. cau. 16. qu. 6. auctoritate Ivonis Carnotenſis coævi Collectoris innititur, nam Ivo in parte 7. Decreti cap. 151. hæc ſcribit: *Alexander II. Clero, & Populo Florentino: Juxta Chalcedonenſis tenorem optimi Concilii, cujus ſeries adnectitur inferius, Monachis quamvis religioſis ad normam S. Benedicti inter clauſtra morari præcipimus: vicos, caſtella, civitates peragrare prohibemus, a Populorum omnino prædicatione ceſſare cenſuimus, niſi forte quis de ſuæ ſalute animæ ſollicitus, ut eorum habitum aſſumat, eos intra clauſtrum conſulere voluerit.* Canonis hujus ut integra, & temporum adjunctis adcommodata interpretatio habeatur, animadvertendum eſt, exortum fuiſſe tunc in Florentina Civitate dirum ſchiſma auctoribus quibuſdam Monachis, quorum caput in contentione erat Theuſo & ipſe Monachus, quemadmodum refert Baronius ad annum 1063. num. 7. & ſequ. Siquidem Monachi illi Populum fere univerſum concitaverunt adverſus Petrum Florentiæ Epiſcopum, quem ſimoniace electum prædicabant, atque turbas, comitiaque facientes a rebus ſacris a Petro celebratis abhorrebant, eaque veluti ſacrilegia damnabant; hinc palam ſuadebant non in urbe Sacramenta eſſe ſuſcipienda, ſed extra urbem in monaſteriis; imo quoties baptizandum eſſet, ipſi Sacramentum regenerationis adminiſtrabant, utentes aqua non chriſmate benedicta, ne chriſma a Simoniaco conſecratum tangerent. Tanta fuit, ac tam pernicioſa ſeditio, ut opus fuerit eo Alexandri Papæ decreto, quo Monachorum illorum inopportuna temeritas cohiberetur. Sane hujuſmodi tempora paſſim Monachorum, & Clericorum contentionibus occaſionem præbuiſſe nemo ignorat; cum ob lugenda Clericorum plurimorum vitia nonnullis viſa fuerint Sacramenta per Monachos religioſius adminiſtranda. Et quidem alicubi res bene ceſſit, alicubi vero ubi acriores fuere contentiones, vix congruum adferri remedium potuit. Hinc Alexander idem II. in epiſtola ad Lanfrancum Cantuarienſem Epiſcopum, quæ eſt 39. apud Labbeum, redarguit nonnullos Anglicanos, qui Monachos omnino a clericalibus officiis expellendos voluerint, ibi: *Accepimus a quibuſdam venientibus de partibus veſtris, quod quidam Clerici aſſociato ſibi laicorum auxilio moliuntur de Eccleſia S. Salvatoris Monachos expellere... hoc adjicere conantur, ut in omni Sede Epiſcopali ordo Monachorum extirpetur, quaſi in eis non vigeat auctoritas religionis.* Viceverſa ipſe Alexander in adprobatione Congregationis Monachorum Eremitarum Camaldolenſium Ordinis S. Benedicti, quæ habetur in Bullario Romano, veritus, ne forte aliquando Clericorum invidiam in ſe Monachi concitarent, ita cavit in §. 4. *Volumus, & conſtituimus, ut jam dictum oratorium cum cellis ſuis omni tempore eo modo, atque tenore, quo prius inchoa-*

Can. 11. cau. 16. qu. 6.

Digitized by Google

tum eſt, & ad noſtra uſque tempora productum maneat in ſuo vigore, atque ſtabilitate, ſcilicet ut ſemper eremitico tramite contemplativæ vitæ celſitudine perſeveret, nec liceat cuiquam unquam aut abbatem ibi ponere, aut cœnobium facere, ſed ſemper ſolitariæ vitæ locus ipſe ſit deditus, & firmitate continua dedicatus.

Can. 1. cau. 17. qu. 2. Teſtatur Baluzius in notis ad Gratianum, in Panormia edita Baſileæ inſcriptionem canonis 1. cau. 17 qu. 2. hanc eſſe: *Calix III. Hugoni Treverenſi, & Theorico Virilinenſi Epiſcopo*; in editione autem Lovanienſi lib. 3. cap. 183. hanc eſſe: *Calix III. Hugoni Treverenſi, & Theorico Verdunenſi Epiſcopis*; melius in codice Victorino: *Alexander II. Hidoni Tervirenſi, & Theodorico*. Mihi recedendum non videtur a decreto Ivonis coævi collectoris, unde non tam inſcriptionem canonis, quam canonem ipſum integrum deſcribere poſſumus. Habet Ivo in parte 6. cap. 428. *Alexander II. Udoni Treverenſi, & Theodorico Virdunenſi Epiſcopis. Præſentium lator Coſaldus Presbyter ad limina Apoſtolorum veniens querelam Apoſtolicæ Sedi depoſuit, beneficia, & altaria, quæ per canonicam Virdunenſis Eccleſiæ obtinere ſolebat, a quodam Diacono Richerio nomine ſibi ablata eſſe. Dixit enim, quod quendam in infirmitate fervore paſſionis oppreſſus Monachum ſe facere promiſerit, non tamen ut monaſterio, vel Abbati ſe tradiderit, vel promiſſionem ſcripſerit, ſed confitetur, quod præfatum beneficium in manu Advocati Eccleſiæ refutaverit. At poſtquam convaluit, Monachum facere mox negavit. Dixit etiam, quod cum infirmus jaceret, prædictus Racherius beneficium ſuum ab Epiſcopo Virdunenſi adquirere potuiſſet, quia dixit eum Monachum jam factum eſſe. Cauſſa differtur in Treverenſem Synodum, in qua præfatus Richerius Diaconus mala fide adquiſiſſe, ac male intraſſe convictus eſt. Quapropter, quia B. Benedicti, canonicaque, & præcipue Patris, & Prædeceſſoris noſtri S. Gregorii Papæ conſtitutio interdicit, ante unius anni probationem effici Monachum, ſi ita eſt, ut dixit, judicamus, & auctoritate apoſtolica præcipimus, ut diligentia veſtra, atque clementia horum portitor Coſaldus Presbyter videlicet, beneficia, & altaria recipiat, habeat, & quiete retineat.* Memoratæ hujus Trevirenſis Synodi mentionem facit Manſius in tom. 1. Supplementi Labbeani pag. 1371.

Can. 22. cau. 17. qu. 4. Verba canonis 22. cau. 17. qu. 4. referenda videntur ad canonem 3. Concilii Conſtantinopolitani in templo S. Sophiæ habiti a Photio, ubi ita legitur ex interpretatione Beveregii: *Si quis laicus auctoritate uſus, divinis quidem, & regiis juſſis contemtis, reverendiſque Eccleſiæ ritibus, & legibus irriſis aliquem Epiſcopum verberare auſus fuerit, vel in cuſtodiam tradere, vel ſine cauſſa, vel aliqua conſicta cauſſa, is ſit anathema.* An hæc, ſimiliſve ſententia Alexandro II. tribui quoquo modo poſſit, plurimum dubito, ex eo, quod nec apud Ivonem, nec apud alios Collectores coævos aliquid tale ſub Alexandri nomine reperiatur, niſi forte quemquam detinere poſſet epiſtola ad Clerum Vvulturnenſem, quæ eſt 30. inter Labbeanas, eruta ex decreto Ivonis parte 10. cap. 16., ubi pœnitentia infligitur adverſus percuſſores, atque occiſores Presbyterorum. Non immoror in voce illa *priorum* interpretanda, ubi enim Gratianus immutavit canonum verba, quid intereſt, privati Collectoris ſententiam inveſtigare? Mihi ſatis eſt retuliſſe Synodi Phorianæ verba, tanquam illa, ad quæ Gratianeus canon exigatur, licet deinde Synodi illius auctoritas nihili habeatur.

Can. 5. cau. 35. qu. 5. Non eſt quoque, cur immorer in can. 5. cau. 35. qu. 5., utpote quem ſatis expenderunt Romani Correctores, adſeverantes illum non eſſe Alexandri, ſed uſque ad §. *uxor* eſſe Gregorii Polycarpi, qui in lib. 6. ſuæ collectionis poſtquam conſtitu-

ſtitutionem Alexandri II. retulit, quæ habetur apud Gratianum in can. 2. cau. 35. qu. 5. hæc verba de ſuo adjecit : *Quod autem frater, ſororve uxoris tuæ cognati tui dicuntur, æquivocationis jure fit, & neceſſitate vulgaris appellationis potius, quam ulla cauſſa cognationis*. Imprudens Gratianus putavit hæc eſſe Alexandri, cui propterea ſtatim adſcripſit. Quæ vero ſequuntur, acceperat Polycarpus ex Iſidoro in lib. 9. Ethimologiarum cap. ult. ibi : *Fratris uxor fratriſſa vocatur: mariti frater levir dicitur: Duorum inter ſe fratrum uxores janitrices vocantur, quaſi eandem januam terentes, vel per eandem januam iter habentes. Viri ſoror glos appellatur. Sororis vir ſpeciale nomen non habet, nec uxoris frater*. Conſonant hæc etiam cum l. 4. §. 6. ff. de gradibus, & affinibus, ubi Homeri auctoritate & viri frater *levir*, & duorum fratrum uxores non *janitrices*, ſed *inateres* appellantur; ubi etiam viri ſoror *galos* apud Græcos dicitur, *glos* apud Latinos, quo pertinet verſus Horatii : *Vitricus, atque audax ſequitur cum glote noverca*.

Apud Ivonem in parte 2. Decreti cap. 81. eiſdem verbis refertur canon 53. de conſ. diſt. 1., neque ego dubitarem, quominus jure tribuendus eſſet Alexandro II., ſi Alexandro II. idem Ivo adſcripſiſſet. Verum tantum Alexandrum Papam nominavit, quin indicaret, primuſne eſſet, an ſecundus. Quamobrem res admodum incerta eſſe videtur, eo vel magis, quia ſimilia quædam habentur in excerptionibus Egberti Eboracenſis Alexandro II. longe antiquioris, nam in cap. 54. ita legitur : *Et ſufficit Sacerdoti unam miſſam in una die celebrare, quia Chriſtus ſemel paſſus eſt, & totum mundum redemit : in levitico quoque ſcriptum eſt, non debere Aaron ingredi aſſidue interius in ſancta*. Hinc non videtur adſentiendum Severino Binio, qui eum canonem referendum putavit ad Synodum Romanam ſub Alexandro II. celebratam, utut inter ejuſdem Synodi canones deſideretur. Interea vero non video, ſententiam ejuſdem canonis temporibus Alexandri II. diſſonare. Etenim cum ea ætate plures eſſent Sacerdotes ſimoniace ordinati, ut acta illius temporis paſſim teſtantur, facile eo adducebantur ex avaritia, ut miſſarum ſacrificia quotidie ingeminarent turpis lucri cauſſa, præſertim quod, ut ſcribit Petrus Damiani in lib. 5. epiſt. 15., privatarum jam invectus eſſet uſus eleemoſynarum, & extra Eccleſiam datarum, quamquam hic uſus poſt ſæculum demum duodecimum generaliter in latina Eccleſia obtinuerit, quemadmodum docet Mabillonius in præfatione ad 1. partem ſæculi 3. Benedictinorum num. 62. *Can. 53. de conſ. diſt. 1.*

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT LXXXIV.

De Gregorio VII.

Gregorio VII. Pontifici hæc apud Gratianum capita tribuuntur.

Ex ſtatutis Concilii Romani.	*Can.* 1. *diſt.* 83. *referendus ad Concilium Romanum V.*
	Can. 113. *cau.* 1. *qu.* 1. *referendus ad Concilium Romanum V.*
	Can. 124. *cau.* 1. *qu.* 1. *referendus ad Concilium Romanum V.*
	Can. 3. *cau.* 1. *qu.* 3. *referendus ad Concilium Romanum V.*
	Can. 103. *cau.* 11. *qu.* 3. *jungendus cum can.* 4. *cau.* 15. *qu.* 6.
	Can. 4. *cau.* 12. *qu.* 2. *referendus ad Concilium Romanum V.*
	Can. 4. *cau.* 15. *qu.* 6. *exigendus ad Concilium Romanum IV.*
	Can. 1. *cau.* 16. *qu.* 7. *referendus ad Concilium Romanum V., & emendandus.*
	Can. 12. *cau.* 16. *qu.* 7. *referendus ad Concilium Romanum VII.*
	Can. 13. *cau.* 16. *qu.* 7. *referendus ad Concilium Romanum V.*
	Can. 6. *de pœn. diſt.* 5. *referendus ad Concilium Romanum V. & ex eo emendandus.*
	Can. 69. *de conſ. diſt.* 1. *referendus ad Concilium Romanum V. & emendandus.*
	Can. 15. *de conſ. diſt.* 5. *ad alios ſæculi xi. codices exigendus.*
	Can. 31. *de conſ. diſt.* 5. *referendus ad Concilium Romanum V.*
Ex Epiſt. ad Vvitmundum Epiſcopum Averſanum.	*Can.* 5. *diſt.* 8. *temporibus Gregorii facile accommodatus.*
Ex Epiſt. ad omnes per Regnum Italicum, & Theutonicum.	*Can.* 15. *diſt.* 81. *pertinet ad Concilium Romanum anni* 1074.
Ex Epiſt. ad Herimannum Merenſem Epiſcopum.	*Can.* 9. *diſt.* 96. / *Can.* 3. *cau.* 15. *qu.* 6. — *ſimul jungendi, atque ad optimorum Scriptorum monumenta exigendi.*
Adjiciuntur.	*Can.* 13. *cau.* 1. *qu.* 3. *pertinere videtur ad Concilium Romanum V.*
	Can. 3. *cau.* 16. *qu.* 7. *idem eſt cum can.* 13. *cau.* 1. *qu.* 3.

POſtquam Romani diſciſſi fuerunt ab imperio Græcorum, vix quiſquam inveniet, per plura ſuccedentia ſæcula Occidenti univerſo firmam aliquam, aut diuturnam pacem, tranquillitatemque adquiſitam; non ſolum enim barbararum gentium

gentium arma ad totam fere Europam devaſtandam acceſſerunt , verum etiam inteſtinis concertationibus obnoxiæ Provinciæ omnes ſuiſmet armis in extremum interitum corruebant . Nimirum ea rebus publicis perpetuo imminuit calamitas , quoties in novam regiminis formam transferrentur, ut plurimos regnandi cupiditas invaderet, in varia ſtudia diſtractis ſuffragiis populorum . Hinc apud Hiſtoricos legimus, poſt interitum Orientalis in Romanos Imperii non paucos in Europa Principes prodiiſſe de variis ditionibus inter ſeſe contendentes, variaſque etiam pro vi , fatoque armorum provincias occupantes , ac ſibi vindicantes imperium . His ſane in cauſſis ſi multum poterat auctoritas Sacrorum Antiſtitum in ſingulis Diœceſibus conſtitutorum , quos tamquam Parentes optimos populi venerabantur, quos etiam velut Conſiliarios prudentiſſimos ipſimet populorum Principes colebant quam frequentiſſime , nemo ſtatim non videt, quanta fuerit auctoritas Pontificum Maximorum , qui Occidentali Eccleſiæ ſingulari etiam jure præerant, ut ſemper præfuerunt , quique illi urbi , ac populo regendo addicti ſpecialiter ex Sancti Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſione fuerunt, qui populus , quæve urbs Imperatoribus ipſis nomen dabat , & reparatam quodammodo vetuſtiſſimi Imperii dignitatem cum poteſtate . Urgebant etiam populorum animos aliquot Religionis cauſſæ cum Imperii translatione conjunctæ ; Græcorum ambitus, qui univerſæ Eccleſiæ Primatum in Conſtantinopolitano Epiſcopo renovato idemtidem conatu conſtituebant ; Græcorum eorundem hæreſis adverſus ſacras Imagines non ubique locorum , nec perpetuo confecta, atque alia his ſimilia, quæ a populis in libertatem quandam proclamantibus Pium Principem, in ſacras Imagines religioſum , Apoſtolicæque Sedis Cultorem eligendum expoſcere videbantur . Quamobrem eo deducta res fuit , ut a Romanis Pontificibus poſt octavum Eccleſiæ ſæculum uſque donec ſtabilia fuerunt vel Imperia, vel Regna, univerſæ propemodum Principum in Europa poteſtates pendere potiſſimum viderentur, in illos ut plurimum ex populorum conſenſionibus , ac ſuffragiis translato Principatu, quorum fidem, religionem, pietatem, virtutem, ceteraſque dotes Summo Imperante dignas Maximus Pontifex probaviſſet . Erat tum fluctuans inter diverſas gentes imperium a Græcis jamdiu abſciſſum modo apud Francos, modo apud Germanos transferendum . Quis autem non videat, in his temporum, locorum, ac cauſſarum adjunctis qualis eſſe potuerit Sacerdotii , & Imperii imago, imo & utriuſque conjunctio: nimirum qui rebus ſacris præerat, regna etiam adminiſtrare quodammodo videbatur, cum ejus eſſent maximæ in eligendis Principibus partes ; illi vero , qui Principatum gerebant, nihil antiquius habebant , quam curare , ut electiones Sanctorum Antiſtitum , quoad fieri poſſet, ad ſuam poteſtatem devolverentur, rati futurum tum , ut firmius in ſe , ac ſuis regnum , vel imperium obtinerent , cum ſibi, ac ſuis chariores, ac propenſiores eligerent . Eſt hæc imago Chriſtiani Occidentalis Orbis mediæ ætatis , quæ ex temporibus Gregorii VII. exhiberi poteſt . Sedem ipſe Pontificiam conſecutus eſt anno 1073. , tenuitque uſque ad annum 1085. Teſtatur ipſe , pertinuiſſe tunc ad jura Sancti Petri plura Europæ Regna : De Regno Galliæ ita ſcribit in epiſtola ad Philippum Regem Francorum lib. 8. Regeſti epiſt. 20. *Maxime enitere , ut B. Petrum , in cujus poteſtate eſt tuum regnum . . . tibi facias debitorem* ; item in epiſtola 23. lib. 8. aſſerit jam ab ætate Caroli Magni Gallos omnes annuum tributum Romanæ Eccleſiæ perſolviſſe ; præterea in lib. 9. Regeſti epiſt. 12. exhibetur juramentum fidelitatis, quod Romano Pontifici præſtitit Bertrannus Provinciæ

vinciæ

Digitized by Google

vinciæ Comes, ut adpareat, Provinciæ Comitatum in Gallia ſingulari jure a Pontificibus Maximis accepto ferendum fuiſſe. Præterea *in Dalmatia Regem auctoritas Apoſtolica conſtituit* (ſunt eadem verba Gregorii in epiſtola ad Wezelinum lib. 7. Regeſti epiſt. 4.) Exhibetur in lib. 7. Regeſti poſt epiſtolam 1. inveſtitura a Romano Pontifice conceſſa Apuliæ, Calabriæ, ac Siciliæ, item juramentum fidelitatis a Roberto facti, imo & jura proponuntur ejuſdem Papæ quoad Salernum, Amalphiam, & partem Marchiæ Firmanæ. Corſicam etiam inſulam pertinuiſſe ad jura Apoſtolicæ Sedis idem Gregorius teſtatus eſt in epiſtola ad Corſos 4. lib. 5. Regeſti ibi: *Scitis Fratres, & chariſſimi in Chriſto Filii non ſolum vobis, ſed multis gentibus manifeſtum eſſe, inſulam, quam inhabitatis, nulli mortalium, nullique poteſtati, niſi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ex debito, vel juris proprietate pertinere*; atque hæc eadem inſula dicitur in epiſtola ad Landulphum 12. in lib. 6. *a jure & dominio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ per quorundam pravorum hominum invaſionem ſubtracta.* Regnum quoque Hiſpaniæ refert Gregorius Romanæ Eccleſiæ fuiſſe ſubjectum; ait enim epiſt. 7. ad Principes Hiſpaniæ lib. 1. Regeſti: *Non latere vos credimus, Regnum Hiſpaniæ ab antiquo proprii juris Sancti Petri fuiſſe, & adhuc* (*licet diu a Paganis ſit occupatum*) *lege tamen juſtitiæ non evacuata nulli mortalium, ſed ſoli Apoſtolicæ Sedi ex æquo pertinere*. Et in lib. 4. epiſt. 28. ad Hiſpanos ſcribit, *Regnum Hiſpaniæ ex antiquis Conſtitutionibus B. Petro, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in jus & proprietatem eſſe traditum*, licet poſtea ſubjiciat, barbarorum tyrannide ita fuiſſe occupatum, ut *proprietatis memoria dilabi cœperit*. Simile jus fuiſſe Romanæ Sedi Gregorius adſeruit in Regno Hungariæ in epiſt. ad Salomonem Hungarorum Regem 13. lib. 1. Regeſti ibi: *Regnum Hungariæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ proprium eſt a Rege Stephano olim B. Petro cum omni jure, & poteſtate ſua oblatum, & devote traditum*. Curam quoque ac ſollicitudinem ſe non mediocrem adhibuiſſe fatetur Gregorius in Rege Angliæ conſtituendo epiſt. 23. lib. 7. Quid plura? Liquet ex his abunde, Gregorii VII. Pontificis tempore quæ, quantaque fuerint Sedis Apoſtolicæ jura in univerſa propemodum Europæ Regna, ac Principatus, unde videretur ſupremæ ac generali ſpiritualium rerum poteſtati, ſumma quoque ac generalis imperii in occidente conſtituti auctoritas acceſſiſſe. Quod quidem non ſatis placuiſſe videtur Imperatori, qui tunc erat Henricus IV. Henrici III. filius, licet & ipſe dignitatem a Sede Apoſtolica conſequutus; etenim Gregorius in Epiſtola ad Rodulphum Sveviæ Ducem 19. lib. 1. teſtatur ſe Henricum *in Regem elegiſſe*, & in epiſtola ad Salomonem Hungarorum Regem 13. lib. 2. aſſerit Henricum Imperatorem defunctum jura imperii a Sede Apoſtolica agnoviſſe. Diſplicuit, inquam, Henrico, qui ubi agnovit viros eccleſiaſticos, præſertim Pontificem Maximum, plurimum potuiſſe tunc in imperiis, regniſque firmandis, transferendiſve, ſolertiſſime curavit, ut ad ſe ſacrorum eorundem Antiſtitum inaugurationem, ipſius etiam Pontificis Maximi electionem pertraheret.

En originem ſatis undique pervagati diſſidii inter Pontificem Maximum, ac Principes nonnullos, unde plurima in Rempublicam, & Eccleſiam ipſam incommoda derivaverunt. Gregorius Regi Angliæ indixit, ut ſi modum in conferendis Epiſcopatibus minime ſervet, *ſe ſciat iram B. Petri in ſe graviter provocaturum*, lib. 7. Regeſti epiſt. 1. ad Humbertum. Regem Galliarum monuit, ut reſipiſceret, ſecus futurum comminatus eſt, *ut Franci generalis anathematis mucrone percuſſi illi ulterius obtemperare recuſent*, in lib. 1 Regeſti epiſt. 35. ad Rodericum Cabilo-

Cabilonenſem Epiſcopum. Urget præterea in lib. 2. epiſt. 5. ad Epiſcopos Francorum ibi: *Quod ſi nec hujuſmodi diſtrictione voluerit reſipiſcere nulli clam, aut dubium eſſe volumus, quin modis omnibus Regnum Franciæ de ejus occupatione adjuvante Deo tentemus eripere*, quod ipſum repetit in epiſt. 18. lib. 2. ad Guillielmum Comitem Pictavenſem. Tandem ſententia prodiit non ſemel, ſed pluries pronunciata adverſus Henricum Imperatorem, qualem legimus in Regeſto lib. 3. ad calcem epiſtolæ 6. nec non in Concilio III. Romano ſub Gregorio. At vero e contrario Reges ac Principes facto ſuo Epiſcopos ſibi non adhærentes ejecerunt, recepto aliquando pretio alios ejectorum in locum ſubſtituerunt. Henricus III. Germaniæ Rex Gregorium VI. Pontificem deturbavit ſuffecto in ejus locum Suidgero, qui dictus eſt Clemens II., ac deinde Nicolaus II., & Alexander II. aliis ſubſtitutis a Sede Pontificia ſemel adepta dejecti ſunt; atque, ut ad Gregorium VII. deveniam, ipſe antequam in Henricum IV. in Romano Concilio ſententiam pronunciaret, depoſitionis ſuæ ſententiam ab eodem Henrico latam in ipſo Concilio præſens audivit, eam pronunciante Imperatoris Legato: quibus ſane contentionibus concutiebatur propemodum Chriſtianus orbis, dum Pontifices ac Reges mutuis ſe dejectionibus laceſſirent, dum tamen interea æqualia viderentur utriuſque partis ſtudia, unde improbi homines occaſionem ſumſerunt, impune multa flagitia perpetrandi; ſiquidem ex iſtis qui Regum ac Principum minas graviſſimorum criminum reus ſpernere voluiſſet, adſumta decora Religionis ſpecie, Pontificiæque ſententiæ titulo inobedientiam ſuam protegebat; qui vero irreligioſus res eccleſiaſticas peſſundare meditabatur, Regium facile patrocinium ſe obtinuiſſe jactabat.

Et quidem graviſſima hæc in Rempublicam univerſam incommoda agnoverunt & Gregorius Papa, & Imperator Henricus; ille dum metuendum Theutonicorum, aliorumque adhærentium ſchiſma adverſus Romanam Eccleſiam concitatum ſenſit, hic dum plures a ſuo deficere in dies imperio animadvertebat; eam propterea ob rem mitius utrimque agi cœpit, ac conclamatum nihil aliud niſi pacem, unitatemque exoptari. Pacem conclamavit Sanctiſſimus Pontifex lugens ex acerrimis contentionibus ſuborientia mala, in epiſt. 39. lib. 1. ad Wozelinum Magdeburgenſem Archiepiſcopum, & alios ibi: *Verum inter ceteras curarum anxietates ea nos maxime ſollicitudo coarctat, quod inter vos & Henricum Regem veſtrum videlicet dominum tantam diſcordiam, & tam inimica ſtudia exorta eſſe cognovimus, ut exinde multa homicidia, incendia, deprædationes Eccleſiarum, & pauperum, ac miſerabilem Patriæ veſtræ vaſtitatem fieri audiamus. Qua de re Regi miſimus exhortantes, & ex parte Apoſtolorum Petri, & Paulli eum admonentes, ut interim ſeſe ab armis, & omni bellorum infeſtatione contineat, donec tales ad eum ab Apoſtolica Sede Nuntios dirigamus, qui tantæ diſſenſionis cauſſas & diligenter inquirere, & annuente Deo ad pacem, & concordiam æqua valeant determinatione perducere. Atque itidem vos exoratos & Apoſtolica auctoritate commonitos eſſe volumus, ut ex veſtra parte omni motione ſopita eaſdem pacis inducias obſervetis, nec aliqua occaſione nobis cum Dei adjutorio adſtruendæ pacis impedimentum opponatis*. Eandem concordiæ voluntatem clarius etiam exhibuit in epiſtolis ad Germanos, & ad Udonem Trevirenſem, quæ ſunt 15., & 16. in lib. 5. Regeſti, ubi ſcripſit graviſſimam ſibi ſollicitudinem, imo & triſtitiam fuiſſe de perturbatione ac diſſidio Germanici Regni, eo etiam vehementiorem in dies augeri animi curam, quo diuturnior, ac pernicioſior res in dies fieri dignoſcebatur; proindeque ſe quidquid conſultius viſum eſſet, maturare

 cœpiſſe,

cœpiſſe, deque ineunda firmandaque pace ſedulo meditari, profeſſus tandem ſe Legatos miſſurum, quorum interventu, quæ juris eſſent, communi conſilio definirentur, eaque ratione concordia, in quam toto animi ſui conatu intendebat, repararetur; quæ ipſa Gregorius idem repetiit in epiſt. ad omnes Clericos, & Laicos Regni Theutonici, quæ in Regeſto eſt 1. lib. 6. Pacem quoque aliquando conclamaviſſe Henricum Gregorius ipſe teſtatus videtur in epiſtola ad Herlembaldum Mediolanenſem 25. lib. 1. ibi: *Henricum Regem præterea ſcias dulcedinis & obedientiæ plena nobis verba miſiſſe, & talia, qualia neque ipſum, neque Anteceſſores ſuos recordamur Romanis Pontificibus miſiſſe.* Sed magis id oſtendit Henricus idem in epiſtola ad Gregorium, quæ eſt in lib. 1. Gregoriani Regeſti ad calcem epiſtolæ 29., cujus priora verba hæc ſunt: *Cum enim Regnum, & Sacerdotium, ut in Chriſto rite adminiſtrata ſubſiſtant, vicaria ſui ope ſemper indigeant, oportet nimirum Domine mi, & Pater amantiſſime, quatenus ab invicem minime diſſentiant, verum potius Chriſti glutino conjunctiſſima indiſſolubiter ſibi cohæreant. Namque ſic, & non aliter conſervatur in vinculo perfectæ charitatis, & pacis, & Chriſtianæ concordiæ unitatis, & eccleſiaſticæ ſimul ſtatus religionis.* Aurea ſane ſententia, quæ ſi perpetuo menti Henrici inſediſſet, Gregorio annuente, facile erat futurum, ut pacatis Eccleſiæ & Imperii rebus nec Gregorius in exilio Henrico inſequente obiiſſet, nec Henricus urgente Gregorio Rodulphum Imperii Æmulum, ac deturbatorem expertus fuiſſet.

Hæc omnia per brevem veluti hiſtoriam paucis collecta ſatius duxi prænotanda, antequam Gregorianos canones, qui apud Gratianum proponuntur, expenderem, ut æquus ſacrorum Canonum Interpres exinde rationem ſumat, Gregorianas ipſas Conſtitutiones, atque epiſtolas ſuis temporibus, ac cauſſarum ſuarum adjunctis, uti decet, accommodare. Nemo enim non videt ex illis, qualis fuerit & quam triſtis ſæculo undecimo Eccleſiæ facies, quam ſcilicet turpiter labefactatam Gregorius pluries lugebat, epiſt. 42., & 70. lib. 1. inter cetera ita ſcribens in epiſt. 9. lib. 2. *Pene in oculis noſtris naufragantem Eccleſiam nullo valemus eripere gubernaculo*, & epiſt. 45. lib. 2. *Infeliciora tempora nemo viventium vidit, nec a tempore B. Sylveſtri Patris noſtri ſcripturarum traditione reperit.* Conferatur cum his epiſtola 49., & 75. lib. 7., & epiſt. 9. lib. 8. Quod ſi fervidis hiſce diuturniſque Sacerdotii, & Imperii contentionibus addas corruptam Clericorum non minorum tantum, ſed & majorum diſciplinam, quemadmodum ex ſimoniacis Epiſcopatuum, ceterorumque beneficiorum inferiorum collationibus, depravatiſque virorum eccleſiaſticorum moribus, quales hiſtorici exhibent univerſi, facile conſtat, nemo dubitabit, quin res plena periculi eſſet tunc temporis in officio ſingula continere, quum nec qui auctoritate continendi pollebant, ea facile experiri potuiſſent. In referendis autem Gratiani capitibus Gregorii ejuſdem nomine memoratis, ea primum recenſebo, quæ ſpectant Romana concilia ejus Pontificis auctoritate celebrata, deinde illa, quæ ex illius epiſtolis, ceteriſque monumentis decerpta dignoſcuntur.

De

De Romanis Conciliis ſub Gregorio celebratis.

Plura ſub Gregorio VII. celebrata fuerunt Romæ Concilia, quorum canonibus potiſſimum lapſus propemodum apud Clericos eccleſiaſticæ diſciplinæ vigor reſtauraretur. Decem apud Labbeum recenſentur, ex quibus tria tantummodo memoravit Gratianus, nimirum quartum, quintum, & ſeptimum.

In Concilio 4., quod anno 1078. fertur celebratum, interfuere centum fere Epiſcopi, præter Abbates, alioſque ex Clericis, laiciſve quamplurimos. In eo primum damnati ſunt Epiſcopi quidam, atque e gradu ſuo dejecti, quod ſimoniace ordinati fuiſſent, alioſque etiam ſimoniace ordinaviſſent. Hi fuerunt Thealdus Mediolanenſis, Guibertus Ravennas, Arnulphus Cremonenſis, Rolandus Tarviſienſis, Hugo Cardinalis, & Gaufredus Narbonenſis. Deinde vero oculos convertens Gregorius ad diſciſſum Imperium inter fautores Henrici, & Rodulphi, ſeſe paratum ad pacem inter utramque partem conciliandam exhibuit. Itaque conſtituit, ſe Legatos miſſurum in Theutonicum Regnum, quorum opera ſchiſmata ſedarentur; animo vero perpendens, futuros fuiſſe non paucos, præſertim ex Archiepiſcopis, Epiſcopis, Comitibus, Ducibus, ac militibus, qui minime paſſi fuiſſent controverſiam jamdiu agitatam componi, ſed forte pro ſua ſinguli factione decertaſſent, hujuſmodi deturbatores pacis generaliter ab Eccleſiæ communione alienos eſſe voluit, infauſtumque ipſis certaminis exitum deprecatus eſt. Poſt hæc in ipſius Concilii actis ſubjiciuntur quædam capitula ad diſciplinam eccleſiaſticam pertinentia, præſertim ad cauſſas excommunicatorum: nimirum ea ætate frequentior erat excommunicationum uſus, uti patet ex epiſtolis Gregorii, cui viſum fuit acriori quadam regiminis aſperitate corruptos ſui ſæculi mores in priſtinam virtutem, ſimplicitatemque revocare. Inter hæc capita Synodalia legitur canon 4. cau. 15. qu. 6. his verbis: *Ordinationes vero illorum, qui ab excommunicatis ſunt ordinati, Sanctorum Patrum ſequentes veſtigia irritas fieri decernimus. Iterum Sanctorum Prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta tenentes, eos, qui excommunicatis fidelitate, aut Sacramento conſtricti ſunt, apoſtolica auctoritate a Sacramento abſolvimus, & ne ſibi fidelitatem obſervent, omnibus modis prohibemus*. Apud Gratianum ſequuntur hæc verba: *Quouſque ipſi ad ſatisfactionem veniant*, quæ in Codice MS. Vaticano deſiderari jam animadverterunt Correctores Romani, quæ etiam in editis apud Labbeum Concilii exemplaribus non leguntur, eamque ob rem facile quiſquam judicabit adjecta fuiſſe a quodam Interprete vel Gloſſographo, & primum fortaſſis ad marginem, deinde tranſlata incuria librariorum in textum, ut in aliis monumentis ſæpiſſime contigit. Sunt qui canonem iſtum judicaverunt ſpectare cauſſam Henrici Imperatoris, & ſubditorum ipſius. Verum toto cœlo falluntur: etenim adnotat Severinus Binius ad hoc Concilium, Henrico Regi non fuiſſe ſuffectum Rodulphum a Saxonibus, & Principibus Imperii, niſi biennio poſt hanc Synodum. Præterea in hoc ipſo Concilio Gregorius profeſſus eſt, ſe pacis, juſtitiæque fovendæ cauſſa Legatos deſtinare, qui omnia componenda curarent, cui parti magis juſtitia faveret addiſcerent, deinde operam ſollicitam darent, ut omnis controverſia finiretur. Sane veroſimile non eſt, Sanctiſſimum Pontificem, ubi pacem ſperabat ſanciendam, imo & ſanciendam meditabatur, legatione miſſa de diſſocianda communione

Can. 4. cau. 15. qu. 6.

quidpiam decreviſſe. Quid vero plura ad hanc rem congeram? Ipſamet canonis verba, prout ſuperius exarata ſunt, integra perſpicue docent, monumentum iſtud potius pertinere ad cauſſas Epiſcoporum, vel inferiorum Clericorum, qui ab Archiepiſcopis, aut Epiſcopis ſimoniacis, atque extra communionem eccleſiaſticam poſitis ordinati fuerant, ſuiſque ordinatoribus ſeſe jurejurando fidelitatis de more legitimarum ordinationum adſtrinxerant. Cum autem Gregorius irritas declaraſſet hujuſmodi ordinationes illegitime celebratas, ne forte ordinati ſuis ordinatoribus adhærerent, ſchiſmateque concitato ab Eccleſia deficerent, rati ſe jurejurando utcumque contra leges præſtito obſtringi, ſolvenda voluit, aut irrita declaravit hujuſmodi juramenta Gregorius, probe ſciens jusjurandum eſſe non poſſe vinculum iniquitatis, & potius perjurii nomine donandum eſſe, quoties contra publicam, aut eccleſiaſticam utilitatem præſtatur. Ad hujuſmodi cauſſas facile etiam intelliguntur pertinere, quæ Gratianus tradit in canone 103. cau. 11. qu. 3., etenim in eiſ-

Can. 103. cau. 11. qu. 3. dem Concilii actis legitur ſtatim poſt verba dicti canonis 4. cau. 15. qu. 6. ibi: *Item: & quoniam multos, peccatis noſtris exigentibus, pro cauſſa excommunicationis perire quotidie cernimus, partim ignorantia, partim etiam nimia ſimplicitate, partim timore, partim etiam neceſſitate, devicti miſericordia anathematis ſententiam ad tempus, prout poſſumus, opportune temperamus. Apoſtolica namque auctoritate anathematis vinculo hos ſubtrahimus, videlicet uxores, liberos, ſervos, ancillas, ſeu mancipia, nec non ruſticos, & ſervientes, & omnes alios, qui non adeo curiales ſunt, ut eorum conſilio ſcelera perpetrentur, & illos, qui ignoranter excommunicatis communicant, ſeu illos, qui communicant cum eis, qui communicant excommunicatis. Quicumque autem aut orator, ſive peregrinus, aut viator in terram excommunicatorum devenerit, ubi non poſſit emere, vel non habet, unde emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus. Et ſiquis excommunicatis pro ſuſtentatione, non ſuperbiæ, ſed humanitatis cauſſa, aliquid dare voluerit, fieri non prohibemus.*

Quod quintum in Labbeana Collectione Romanum Gregorii Concilium dicitur celebratum eſt anno 1078., in quo præter ſingulares cauſſas Henrici, & Rodulphi de imperio contendentium præſentibus ac conſentientibus eorundem legatis diſcuſſas, præter cauſſas etiam nonnullorum Epiſcoporum, aliquot eccleſiaſticæ diſciplinæ capita ſtatuta ſunt, quorum pauca hodie ſuperſunt, eaque in duodecim numero diſtributa, atque iſta ferme omnia, duobus nimirum exceptis, retulit in ſuum Codicem Gratianus. Caput 1. legitur in canone 4. cau. 12. qu. 2., ubi tamen pro illis verbis *ſuſceperit, vel invaſerit, vel de Rectorum &c.* in Labbeana Colle-

Can. 4 cau. 12. qu. 2. ctione legitur: *Suſceperit, vel ſuſcepit, vel invaſit, vel etiam de Rectorum &c.* Hæc conſtitutio, qua cavebatur, ut bona eccleſiaſtica non alienarentur, maxime erat tunc temporis opportuna: nemo enim ignorat ex monumentis illius ſæculi, quæ hodie ſuperſunt, quo impetu ab irruentibus hinc illinc hominibus eadem bona vaſtarentur, atque occuparentur. Ad hunc canonem adjecta hæc leguntur in aliquibus collectionibus Conciliorum, licet alibi deſiderentur, quemadmodum etiam apud Gratianum. *Siquis Nortmannorum, vel quorumlibet hominum prædia monaſterii S. Benedicti montis Caſſini invaſerit, vel quaſcumque res ejuſdem monaſterii injuſte abſtulerit, & bis, vel ter admonitus non emendaverit, excommunicationi ſubjaceat, donec reſipiſcat, & Eccleſiæ ſatisfaciat.* Cauſſam hujus canonis ſanciendi tradidit Severinus Binius ex Leone Oſtienſi, qui præſens Concilio fuerat, dum eſſet Bibliothecarius Monaſterii Sanctæ Sophiæ Beneventani.

Caput

Caput 2. ejuſdem Concilii legimus in can. 13. cau. 16. qu. 7., ubi notandum eſt verba illa intra parentheſim poſita apud Gratianum *imo ruinam Sanctæ Religionis* in exemplaribus Concilii non haberi. Ad eundem canonem animadvertitur in Collectione Labbeana, §. *quod ſi præſumſerit* uſque in finem non haberi in Chronico Virdunenſi, in quo Concilii illius capita deſcripta ſunt. Nemo autem non agnoſcit, quænam occaſio fuerit ita definiendi de collationibus ſacrarum dignitatum; hujuſmodi enim cauſſa frequentiſſime in conventibus ſive eccleſiaſticis, ſive civilibus diu tunc agitata paſſim demonſtratur. Can. 13. cau. 16. qu. 7.

Ad damnandas ſimoniacas ordinationes, ſeu collationes beneficiorum eccleſiaſticorum pertinet canon 3. ejuſdem Concilii relatus apud Gratianum in can. 3. cau. 1. qu. 3., his verbis deſcribendus: *Siquis Præbendas, Archidiaconatus, Præpoſituras, vel aliqua officia eccleſiaſtica vendiderit, vel aliter, quam ſtatuta Sanctorum Patrum præcipiunt, ordinaverit, ab officio ſuſpendatur: dignum eſt enim, ut ſicut gratis Epiſcopatum accepit, ita membra ejuſdem Epiſcopatus gratis diſtribuat.* Can. 3. cau. 1. qu. 3.

Eandem rem pertractavit, confecitque Gregorius in cap. 4., quod retulit Gratianus in can. 113. cau. 1. qu. 1. ubi tamen obſervandum eſt, pro illis verbis *falſas eſſe dijudicamus* legendum eſſe *infirmas, & irritas eſſe dijudicamus*, dummodo vulgata Concilii exemplaria Gratianeæ editioni anteferenda arbitremur. Can. 113. cau. 1. qu. 1.

In capite 5. Concilii legitur ſententia canonis 6. de pœn. diſt. 5., quem aliquantulum depravatum ideo Romani Correctores ſe non emendaviſſe teſtantur, quod nollent ſtudioſos Gloſſarum beneficio carere. En ipſamet canonis verba, prout in exemplari Concilii deſcribuntur: *Falſas pœnitentias dicimus, quæ non ſecundum auctoritatem ſanctorum Patrum pro qualitate criminum imponuntur. Ideoque quicumque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod ſine peccato exerceri non poſſit, ſi culpis gravioribus irretitus ad pœnitentiam venerit, vel qui bona alterius injuſte detinet, vel qui odium in corde gerit, & recognoſcat, ſe veram pœnitentiam non poſſe peragere, per quam ad æternam vitam valeat pervenire, niſi arma deponat, ulteriuſque non ferat, niſi conſilio religioſorum Epiſcoporum pro defendenda juſtitia vel negotium derelinquat, vel officium deſerat, & odium ex corde dimittat, bonaque, quæ injuſte abſtulit, reſtituat. Ne tamen deſperet, interim quidquid boni facere poterit, hortamur ut faciat, ut omnipotens Deus cor illius illuſtret ad pœnitentiam.* Multo aliter ſine Concilii ſententia exhibetur apud Gratianum; imo & quod de militia dicitur, adhuc temperandum videtur, juxta illius temporis adjuncta, quo nimirum non omnes milites publica auctoritate ſupremi Principis potiebantur; ſed non pauci erant, qui vi, & armis militiam privatam jactantes, ad contentiones omnes fovendas dato pretio ſeſe paratiſſimos exhibebant aliena odia promoventes. Clarius aperit mentem ſuam Sanctus Pontifex in epiſtola 10. lib. 6. Regeſti ad Brittannos ſcripta. Conqueſtus ibidem Gregorius fuit de collapſa in Brittaniæ regionibus veræ ſinceræquæ pœnitentiæ diſciplina, cujus reſtituendæ gratia miſit Legatum ſuum Amatum Olorenſem Epiſcopum, omnes hortatus, ut convocato Pontificia auctoritate Concilio, & ſingulis convenientibus ſalubres pœnitentiæ canones ſtabilirentur. Inter cetera ita ſcribit: *Qua in re hoc ſummopere vos cavere oportet, alioſque monere debetis, quia ſiquis in homicidium, adulterium, perjurium, vel aliquid hujuſmodi lapſus in aliquo talium criminum permanſerit, aut negotiationi, quæ vix agi ſine peccato poteſt, operam dederit, aut arma militaria portaverit, excepto ſi pro tuenda juſtitia ſua, vel domini, vel amici, ſeu etiam pauperum, nec non pro defendendis* Can. 6. de pœn. diſt. 5.

Digitized by Google

dendis Eccleſiis (nec tamen ſine Religioſorum Virorum conſilio ſumſerit, qui æternæ ſalutis conſilium ſapienter dare noverunt) aut aliena bona injuſte poſſederit, aut in odium proximi ſui exarſerit, veræ pænitentiæ fructum facere nullatenus poteſt. Infructuoſam enim pænitentiam dicimus, quæ ita accipitur, ut in eadem culpa, vel ſimili deteriori, vel parum minori, permaneatur. Hæc Gregorii ſententia ſi ſedulo perpendatur, non ſolum dignoſcetur, jure optimo emendandum eſſe Gratiani fragmentum, verum etiam illud ita emendatum eo genere interpretationis eſſe donandum, quod Gregorianæ menti conveniat, qualis ex poſtremo hoc monumento deducitur.

Quod in capite 1. Concilii de prædiis ſtatutum fuerat, idipſum de decimis de-
Can. 1. cau. 16. qu. 7. finitum eſt in capite 6., unde Gratianus depromſit canonem 1. cau. 16. qu. 7. a principio uſque ad illa verba *damnationis periculum incurrere*; quæ enim ſequuntur in §. *oporteat*, in ipſo Concilio non leguntur, quemadmodum recte animadverterunt Correctores Romani. Ego in hoc §. agnoſco vetuſtiſſimam Eccleſiæ diſciplinam, eamque ob rem ſuſpicor, vetuſtiſſimo cuipiam incerti nominis auctori tribuendum eſſe; etenim ibi agitur de jure decimarum, quæ ſicuti omnes ad manum Epiſcopi devenire, ita ab Epiſcopo ipſo in ſingulos Clericos diſtribui debeant, quod ſane ad vetuſtiſſimos canones referendum eſt, illos ſcilicet, qui editi ſunt ante conſtitutiones Parochiarum, vel ſaltem antequam ad Parochos decimarum jura devolverentur. Simile quidpiam legitur in Conſtitutionibus Apoſtolicis vulgo tributis S. Clementi lib. 2. cap. 29. & 39., ubi inter cetera hæc habentur. *Te enim dare oportet* (ſubaudi decimas), *illum* (ſubaudi Epiſcopum) *diſtribuere tam-*
Can.31. de conſ. diſt. 5. & *quam œconomum, & diſpenſatorem rerum eccleſiaſticarum*. Similia ferme etiam legimus in can. 4. vulgo Apoſtolorum, quæ monumenta etſi apocrypha ſint, veteris tamen diſciplinæ argumentum facile ſuppeditant.

Can.104. cau. 1. qu. 1. De canone 31. de conſ. diſt. 5., nec non de canone 104. cau. 1. qu. 1. nihil eſt, quod adnotemus. Habentur illi eiſdem omnino verbis in cap. 7. & 9. Gregoriani Concilii.

Caput 11. Concilii his verbis exprimitur: *Siquis Epiſcopus fornicationem Presby-*
Can. 1. diſt.83. *terorum, Diaconorum, ſeu Subdiaconorum, vel crimen inceſtus in ſua Parochia, precibus, vel pretio interveniente conſenſerit, vel commiſſum, ſibique compertum, auctoritate ſui officii non impugnaverit, ab officio ſuſpendatur.* Hic autem eſt canon 1. diſt. 83. apud Gratianum.

Quæ apud Gratianum habentur in can. 69. de conſ. diſt. 1. referenda ſunt ad poſtremum caput ejuſdem Concilii, in quo ita legitur: *Ut omnis Chriſtianus pro-*
Can.69. de conſ. diſt. 1. *curet ad Miſſarum ſolemnia aliquid Deo offerre, & ducat ad memoriam, quod Deus per Moyſem dixit: Non adparebis in conſpectu meo vacuus. Etenim in collectis Sanctorum Patrum liquido adparet, quod omnes Chriſtiani offerre aliquid Deo ex uſu Sanctorum Patrum debent.* Nonnulla ſequuntur apud Gratianum, quæ cum apud ceteros Collectores etiam deſiderentur, quemadmodum animadverterunt Romani Correctores, non temere judicabit, qui dixerit aut verba Gratiani eſſe, aut Interpretis cujuſpiam ad marginem primum adjecta, quæ tandem in textum irrepſerint, quemadmodum in aliis numero plurimis contigit.

Concilium, quod Romanum VII. dicitur ex iis, quæ Gregorius celebravit,
Can.12. cau. 16. qu. 7. frequentiſſimum habuit Epiſcoporum, Abbatum, & Clericorum diverſi generis, imo etiam laicorum conventum anno 1080. Tractata ibidem fuit Henriciani diſſidii cauſſa; atque in canone 1. & 2. ita decretum legimus: *Sequentes ſtatuta Sanctorum*

ctorum Patrum, ſicut in prioribus Conciliis, quæ, Deo miſerante, celebravimus, de ordinatione eccleſiaſticarum dignitatum ſtatuimus, ita & nunc Apoſtolica auctoritate decernimus, ac confirmamus, ut ſiquis deinceps Epiſcopatum, vel Abbatiam de manu alicujus laicæ perſonæ ſuſceperit, nullatenus inter Epiſcopos, vel Abbates habeatur, nec ulla ei ut Epiſcopo, ſeu Abbati audientia concedatur. Inſuper etiam ei gratiam Sancti Petri, & introitum Eccleſiæ interdicimus, quouſque locum, quem ſub crimine tam ambitionis, quam inobedientiæ (quod eſt ſcelus idololatriæ) cœpit, reſipiſcendo non deſerit. Similiter etiam de inferioribus eccleſiaſticis dignitatibus conſtituimus. Item ſiquis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet ſæcularium poteſtatum, aut perſonarum, inveſtituram Epiſcopatuum, vel alicujus eccleſiaſticæ dignitatis dare præſumſerit, ejuſdem ſententiæ vinculo ſe obſtrictum eſſe ſciat. Inſuper etiam, niſi reſipiſcat, & Eccleſiæ propriam libertatem dimittat, Divinæ animadverſionis ultionem in hac præſenti vita tam in corpore ſuo, quam cæteris rebus ſuis ſentiat, ut in adventu Domini ſpiritus ſalvus fiat. Ex his ſupplendus erit canon 12. cau. 16. qu. 7. apud Gratianum.

Quædam adhuc dicenda ſuperſunt de canone 15. de conſ. diſt. 5., cujus apud Gratianum hæc eſt inſcriptio: *Item Gregorius VII. in generali Synodo reſidens ſtatuit.* *Con.15. de conſ. diſt. 5.* Quæ ibi deſcribitur ſententia in nullo ex Conciliis Gregorii VII., qualia edita ſunt, reperitur. Cum autem noverim, & Conciliorum Collectores aperte teſtentur, Concilia Gregorii integra in codicibus non haberi, non eſt, cur exinde idem canon ab eodem Pontifice abjudicetur, præſertim quod non una Gratiani fides intercedat, ſed plura ſint argumenta, quibus ille canon Jure Gregorio tributus cenſetur. In primis conſtat, Gregorium valde fuiſſe ſollicitum, ut Romanus Divinorum Officiorum ordo accurate ſervaretur, qualis jam ab antiqua ætate fuerat conſtitutus. Id probat ejus epiſtola 64. in lib. 1., ubi Sanctus Pontifex ſuaſit Alphonſo Caſtellæ, & Sancio Aragoniæ Regibus, ut in Hiſpania Romanum Officium recitaretur. Imo ibidem refert Gregorius, Epiſcopos Hiſpaniæ jam Romæ fuiſſe in Concilio, deque recipiendo Romano Officio pertractaſſe, ac promiſiſſe, ibi: *Vos adhortor, & moneo, ut vos . . . Romanæ Eccleſiæ Ordinem, & Officium recipiatis . . . quod etiam Epiſcopi veſtri ad nos nuper venientes juxta Conſtitutionem Concilii per ſcripta ſua facere promiſerunt, & in manu noſtra firmaverunt*. Quid clarius tradi poteſt, quo demonſtretur, Gregorium Synodum habuiſſe, in quam plures diverſarum Provinciarum, atque inter cæteros Hiſpaniarum Epiſcopi convenerant, atque de Romano Officio recipiendo, aut reſtituendo tractaverant? Atque inde ſequitur, quemadmodum memorata epiſtola ad annum primum Pontificatus Gregorii pertinet, ita Concilium hoc, quod Gratianus in dicto canone laudat, ad eundem annum, qui eſt 1074., eſſe referendum. Hanc eandem ſollicitudinem exhibet Gregorius in epiſtola 18. lib. 3. ad Simeonem in Hiſpania Epiſcopum, ad quem his verbis ſcribit: *Procura ergo, ut Romanus Ordo per totam Hiſpaniam, & Galliciam, & ubicumque poteris, in omnibus rectius teneatur*. Edidit Manſius in Supplemento Labbeano tom. 1. pag. 1393. Gregorii ejuſdem decretum ex MS. Codice Piſtorienſi, quod hanc rem maxime illuſtrat his verbis expreſſum: *Gregorius Papa VII., & Urbanus Papa II. conſtituerunt, ut feſtivitates Romanorum Pontificum celebres habeantur. Martyrum in ix. lectionibus, Confeſſorum in tribus ſaltem lectionibus, præter quorundam, qui pro ſui excellentia celeberrimi haberentur, ſicut & S. Silveſter, Gregorius, & alii. Nam cum quælibet Eccleſia ſui Patroni, & ſi Confeſſor*

fuerit

fuerit, feſtum ſolemniter obſervet, quanto magis eorum, qui totius Eccleſiæ non tam Patroni, quam Patres extiterunt, quam & uſque ad martyrium verbis, & exemplis inſtituere non deſtiterunt. De his quidem Sanctis Martyribus invitatorium, hymnus, reſponſoria, pſalmi, & verſus, ut de Martyribus decantantur. Nota autem S. Gregorium Papam I. in graduali libro de his Martyribus, ſicut & de Confeſſoribus Pontificalia adminiſtrantibus inſtituiſſe officia, ut de S. Marcello P. & M. Statuit ei Dominus, & de S. Felice P. & M. Sacerdotes. Et hoc utique ſatis congrue propter excellentiam dignitatis apoſtolicæ. His accedit teſtimonium Gregorio VII. contemporaneum, ſcilicet auctoris Micrologi de eccleſiaſticis obſervationibus, (non deſunt quidem, qui velint Micrologum opus tribuendum eſſe Rhabano; ſed id verum eſſe non poteſt in conſpectu decretorum Gregorii VII., & ſententiarum Anſelmi Lucenſis, quæ ibidem memorantur, cum uterque ſit Rhabano recentior.) Porro hujus Micrologi auctor cap. 14. teſtatur ſe ſcribere tempore Gregorii VII., rurſumque in cap. 54. ſub titulo de Paſchali obſervatione ait, Gregorium VII. conſtituiſſe illud ipſum, quod legimus apud Gratianum in dicto canone 15. de modo recitandi matutinas horas juxta ritum Eccleſiæ Romanæ. Prætermitterem huc etiam adducere Radulphum de Rivo Decanum Tungrenſem, qui refert idem decretum ſub nomine Gregorii VII. in Concilio generali, atque ideo prætermitterem, quod Scriptor recentior aliquibus videri poſſit, nimirum anni 1403., ceteroqui accuratiſſimus in inveſtigandis vetuſtis Romanæ Eccleſiæ ritibus de officiis eccleſiaſticis. Verum multum valere video ejuſdem auctoritatem; non enim ex Gratiani codice Gregorianum Decretum exhauſit, ſed ſcripſit ſe decerpſiſſe ex epiſtola Gakerii Magolonenſis Epiſcopi ad fratres regulares Calmoſiacenſes. Vivebat autem Galterius anno 1119., uti conſtat ex ejus ſubſcriptione adjecta epiſtolæ ſynodali Calliſti II. in Concilio Toletano apud Labbeum, ac propterea fuit hic Epiſcopus Gregorio VII. fere contemporaneus, eamque ob cauſſam teſtis fide digniſſimus hujus rei, ut proinde dubitare minime poſſimus, quin memoratus canon 15. diſt. 5. de conſ. jure optimo eidem Gregorio tribuatur.

Arbitror his ſatis perſpectum eſſe poſſe, ſententiam laudati canonis Gratianei Gregorio donandam, licet in Conciliis Gregorianis editis deſideretur. Nunc inveſtigandum ulterius eſt, num ſcriptura Gratiani authographo omnino reſpondeat. Non eſt recedendum ab auctoribus Gregorio fere contemporaneis, quique Gratianum præceſſerunt; ex iis enim emendandam reor Gratiani editionem. In Micrologo cap. 54. ita legitur: *Gregorius Papa in Apoſtolica Sede conſtitutus de hac cauſſa tale ſtatutum promulgavit. A die, inquit, reſurrectionis uſque in ſabbatum in Albis, & a die Pentecoſtes uſque in ſabbatum ejuſdem hebdomadæ tres pſalmos tantum ad nocturnas, treſque lectiones antiquo more cantamus, & legimus. Omnibus aliis diebus per totum annum ſi feſtivitas eſt, novem lectionem, & reſponſoria dicimus; aliis autem diebus duodecim pſalmos, & tres lectiones recitamus. In diebus dominicis octodecim pſalmos, excepto die Paſchæ, & die Pentecoſtes, & novem lectiones dicimus. Hoc etiam uſquequaque juxta Romanum Ordinem ita fieri ſtatuimus, ut ſupra notavimus.* Hæc ſi conferantur cum Gratianeo canone 15. nemo non videt plurimum congruere, & paucis quibuſdam exceptis unum, idemque Gregorii decretum utrobique exhiberi. Sed adhuc Gratianeo codici propius accedit codex laudati Radulphi Tungrenſis, qui in libro de canonum obſervantia propoſitione 10. refert eundem Gratiani canonem, eumque appellat *Sacratiſſimum canonem Magni Viri Gregorii VII, editum in Synodo,* gene-

Digitized by Google

generali, quem ſubdit ſe excepiſſe ex laudato Galterio Magalonenſi Epiſcopo, ac poſtmodum ita ſcribit: *Eſt autem talis tenoris: In die reſurrectionis uſque ad ſabbatum in Albis, & in die Pentecoſtes uſque ad ſabbatum ejuſdem hebdomadæ tres pſalmi tantum ad noctem, treſque lectiones antiquo more cantamus, & legimus. Omnibus diebus aliis per totum annum, ſi feſtivitas eſt, novem pſalmos, & novem lectiones dicimus. Aliis autem diebus duodecim pſalmos, & tres lectiones recitamus. In diebus dominicis octodecim pſalmos, (exceptis diebus Paſchæ, & Pentecoſtes) & novem lectiones celebramus. Illi autem, qui quotidianis diebus tres pſalmos, & tres lectiones tantum videntur legere, non ex regula Sanctorum Patrum, ſed ex faſtidio, & negligentia comprobantur facere. Romani autem diverſo modo agere cœperunt, maxime a tempore, quo Theutonicis conceſſum eſt Regnum Romanæ Eccleſiæ. Nos autem & Ordinem Romanum inveſtigantes, & antiquum morem noſtræ Eccleſiæ ſtatuimus fieri, ſicut ſupra notavimus, antiquos Patres imitantes.*

Ita ad optimos codices exacto Gratiani monumento non incongruum erit quædam hoc in loco animadvertere de Pſalmodia ſacra, quam Clerici in Eccleſia exercent, atque jamdiu exercuerunt. Antiquiſſimus ſane eſt, & fere apoſtolicus ejus uſus, nec non generaliter apud omnes Eccleſias receptiſſimus. Modus autem, & ordo pſallendi prioribus Eccleſiæ ſæculis uniuſcujuſque relinquebatur arbitrio; donec Sanctus Ambroſius, & S. Hieronymus in Romana Eccleſia, & S. Benedictus in clauſtris Monachorum certum ordinem ſequendum præſtituerunt, unde triplex Divinorum Officiorum ordo prodiit, Ambroſianus, Romanus, ſeu Hieronymianus, nec non clauſtralis, ſeu Benedictinus. Ordo a S. Benedicto inſtitutus Monachorum proprius eſſe cœpit; peculiariter item apud Eccleſiam Mediolanenſem ſervatus eſt Ordo Ambroſianus; at Romanus Ordo paſſim apud omnes fere Eccleſias receptus eſt. Illuſtrat hæc memorato in libro laudatus Rodulphus in hac materie eruditiſſimus. Interfuit ergo rei eccleſiaſticæ, ut Divinum Officium recte, accurateque recitaretur, & quemadmodum olim Benedictus Monachis pſallendi modum recte præſcripſerat, Ambroſius Mediolanenſibus, Hieronymus Romanis, ita recentiores Pontifices ſtuduerunt, ut in aliis univerſæ Eccleſiæ, ac præſertim Occidentalibus Provinciis certus quoque pſallendi Ordo haberetur, proptereaque Romanum Ordinem tamquam optimum proponere minime dubitarunt. Non dubitavit Gregorius VII., qui in Hiſpaniam, uti ſuperius prænotavimus, Romanum Ordinem invehendum curavit. Octavo etiam ſæculo legimus id in Conciliis actum, inter quæ eſt Concilium Cloveshoviæ anni 747. cap. 15., in quo cautum eſt, ut Clerici *tantum quod ex Sacrarum Scripturarum auctoritate deſcendit, & quod Romanæ Eccleſiæ conſuetudo permittit, cantent, vel legant, quatenus unanimes uno ore laudent Deum*. Similia fere ſunt, quæ habentur in Capitulari Ahytonis Epiſcopi Baſileenſis anno circiter 822. num. 14., ubi hæc Baſileenſibus Clericis proponuntur. *Ut horas canonicas tam nocturnas, quam diurnas nullatenus prætermittant; quia ſicut Romana Eccleſia pſallit, ita omnibus ejuſdem propoſiti viam tenentibus faciendum eſt.* Omittendum autem cenſeo, quod aliquibus placuit dicere meo judicio alienum ab hiſtorica veritate, atque a fide dignis veterum monumentis. Nimirum aliqui crediderunt, modum, ac formam Divini Officii recitandi a diſcipulis Sancti Petri Apoſtolorum Principis fuiſſe inſtitutam, eandemque in Nicæno Concilio confirmatam, quod traditum eſt in Concilio Lemovicenſi anni 1031. nu. 2., ubi variæ diverſarum Eccleſiarum conſuetudines memorantur, & inter cetera hæc habentur:

bentur: *Numquid Canonici Monachos pro duodecim lectionibus, vel Monachi Canonicos pro novem numero reprehendere poſſunt? Utraque enim ratione, & auctoritate firma ſunt . . . Duodecim comprobavit ille Vir ſpiritu omnium juſtorum plenus, Sanctuſque Papa Gregorius, prius Monachus, poſtea Apoſtolicus. Novem traditæ ſunt a diſcipulo B. Petri Ignatio Martyre, qui per novenarium numerum lectiones, & pſalmos ab Angelorum choris prolata audivit in cælo; deinde a Nicæno Concilio; deinde ab ipſo S. Gregorio hic numerus in pſalmis, & lectionibus, atque reſponſoriis obſervatus eſt.* Plane hujuſmodi Divini Officii origines non ſatis in memoratis veterum monumentis demonſtrantur; & quod refertur ſub nomine Concilii Nicæni, ſpectat potius canones illos Arabicos, qui ſub nomine canonum Nicænorum vulgati fuerunt, titulo de Monachis, & Anachoritis canone 11.

De Epiſtola ad Vvimundum Epiſcopum Averſanum.

Can. 5. diſt. 8. In Gratiani codicibus ad canonem 5. diſt. 8. hæc adjecta fuit inſcriptio: *Gregorius Wimundo Averſano Epiſcopo*; ſed quis ille Gregorius fuerit, num VII., num alius antiquior Pontifex, nec Gratianus idem, nec alii Collectores perſpicuum faciunt. Id jam accurate animadvertit Baluzius in notis ad Gratianum; poſtquam enim obſervaverit teſtimonia Correctorum Romanorum, qui in aliquot MSS. codicibus, & apud Ivonem canonem Gregorio VII. tributum agnoverunt, ſubjicit, apud Ivonem parte 4. Decreti cap. 213. ita legi: *Gregorius VII. Wimundo Averſano Epiſcopo*, in Panormia edita Baſileæ lib. 2. cap. 166. *Gregorius Guillimundo Averſano Epiſcopo*; in editione Lovanienſi: *Auguſtinus cap. 5. & 6. lib. 4. de Baptiſmo*; in veteri codice Panormiæ Victorino: *Gregorius IIII. Wimundano Averſano Epiſcopo*; in antiqua collectione canonum, quæ fuerat Viri clariſſimi Claudii Puteani, temporibus autem Baluzii ſervabatur in Regia Bibliotheca: *Gregorius VII. Wimundo Averſano Epiſcopo*; in codice S. Germani Pariſienſis: *Item Gregorius VII. Guimundo Averſano Epiſcopo*; in vetere codice Victorino: *Item Gregorius Papa VII. Guillimundo Averſano Epiſcopo*; in antiqua editione Moguntina: *Item Gregorius VII. Guillimundo Averſano Epiſcopo*; in codice Colbertino: *Item Gregorius VII. Simundo Averſano Epiſcopo*; & in altero codice Victorino: *Item Gregorius VII. Guimundo Adverſario Epiſcopo*. Antonius Auguſtinus in dial. 19. lib. 1. de emendat. Gratiani, ubi adnotavit varias hujuſmodi canonis inſcriptiones, Romanorum Correctorum retinendam editionem voluit, *quoad certiora invenirentur*. Si hoc monumentum in Regeſto Gregorii VII., in quod ad inſtar epiſtolarum Gregorii Magni epiſtolæ ipſius relatæ fuerunt, inveſtiges, nullibi invenies. Nihilominus tamen non auſerim ego hocce fragmentum ab eodem Gregorio VII. abjudicare, præſertim cum ſciamus, ejuſdem Pontificis temporibus fuiſſe quendam Wimundum Averſanum Epiſcopum, qui ſcripſit librum de Corpore, & Sanguine Domini in Bibliotheca Patrum relatum, & quidem, ut arbitror, vixit ille poſt annum 1075., ſcilicet eo anno Averſanam Eccleſiam tenebat adhuc Goffridus, cujus ſubſcriptio legitur in Concilio Beneventano ejuſdem anni apud Labbeum. Nonnihil ſane probare videntur plerique codices, quos ex Baluzio nuper memoravi Gregorio VII. ad Epiſcopum Averſanum ſcribenti canonem tribuentes; potiſſimum vero probat Ivo Carnotenſis Collector Gregorio VII. coævus, qui, ut diximus, hujus canonis auctorem etiam

lau-

Digitized by Google

laudavit Gregorium VII. in epiſtola ad Wimundum Averſanum Epiſcopum; quemadmodum itaque nonniſi impudentis eſſet, decreta apocrypha contemporaneis Pontificibus adſcribere, eoque nomine damnaretur Ivo, ſi canon ab ipſo memoratus ad Gregorium VII. minime pertineret; ita temeritatis eſt, ubi certa in contrarium non ſuppetunt argumenta, fidem ſcriptori contemporaneo denegare. Quod ſi ad ſententiam ipſam Gratianei canonis expendendam quiſquam provocaret, video ibidem nihil, quod temporibus Gregorii parum conveniat. Ut enim ex adjunctis illius ætatis deducam in dubio, quo ſpectaret Pontificis illius ſententia, dixero, neminem ignorare, quanta tum eſſet nonnullorum Laicorum licentia in poſſeſſionibus eccleſiaſticis ſibi vindicandis, ſacris etiam rebus manu impia diripiendis; quanta inſuper eſſet Clericorum libido injuſtis connubiis Sacerdotii dignitatem labefactantium; neminem præterea ignorare, quanta e converſo fuerit Maximorum Pontificum, ipſius etiam Gregorii ſollicitudo in depravatis hujuſcemodi moribus improbandis, damnandiſque. Forte vero reis hominibus una excuſationi eſſe poterat vetus impune peccandi conſuetudo; hinc veroſimile admodum eſt, Gregorium adverſus eam conſuetudinem, velut honeſtati contrariam, verba feciſſe apud Wimundum Averſanum; non enim ferendum erat, ut in dies alacrior ea conſuetudo gliſceret, qua aliena jura præſertim eccleſiaſtica per vim uſurparentur, ac poſſiderentur, vel Clerici mores corruptiſſimos protegere quoquo modo valerent. Hæ ceteroqui graviſſimæ temporum, ac cauſſarum conjecturæ majorem adhuc vim obtinebunt, quotieſcumque animadvertatur ſimilem adeſſe ſententiam apud Urbanum II., qui paullo poſt Gregorium VII. Romanam Cathedram tenuit: nimirum Urbanus II. anno 1092. epiſtolam ſcripſit ad Robertum Flandriæ Comitem, quæ habetur in Actis Concilii Rhemenſis ejuſdem anni apud Labbeum, illum corripiens quod bona decedentium Clericorum invaderet. Allegabat Robertus conſuetudinem, adverſus quam ita ſcribebat Urbanus: *Quod ſi prætendis hoc ex antiquo uſu in terra tua proceſſiſſe, ſcire debes Creatorem tuum dixiſſe: Ego ſum veritas, non autem uſus, vel conſuetudo.* Ad hæc reſpiciens Clerus Flandrenſis in epiſtola ad Raynaldum Rhemenſem Archiepiſcopum, quæ refertur in eodem laudato Rhemenſi Concilio, ait: *Convicit autem eum* (ideſt Robertum) *Dominus Papa verbis Domini dicentis: Ego ſum veritas, non autem uſus, vel conſuetudo.* Hæc porro ſi cum Gratianeo canone Gregorio tributo conferantur, plurimum cum illo convenire videbuntur, ut propterea veroſimile ſit in eadem cauſſa, aut fere ſimili Gregorium VII. ſcripſiſſe, quæ deinde ſcripſit Succeſſor Urbanus. His addi poteſt, quod legitur in can. 20. Concilii Romani I. anni 1074. temporibus ejuſdem Gregorii, cum enim decreta de cuſtodienda a Clericis continentia commemorarentur, ita ſubjicitur: *Fortaſſis autem aliquis dicit, cur noſter Gregorius tam contraria noſtræ conſuetudini ſtatuta obſervari præceperit, cur non potius noſtram conſuetudinem quaſi miſericordi diſſimulatione toleraverit. Sed ille audiat &c.* At vero ſive Urbanus, ſive Gregorius eas phraſes, ſeu loquendi formulas ex vetuſtiſſimorum Patrum monumentis exhauſerunt; nam ſimilia, licet in diſſimilibus cauſſis, jam protulerant Epiſcopi LXXXVII. in Concilio Carthaginenſi ſub Cypriano, quod integrum refert S. Auguſtinus in lib. 3. de Baptiſmo. Agebant Africani plures Epiſcopi, & tuebantur rebaptizantium cauſſam, rati hæreticos a Divino jure prorſus excluſos a poteſtate, ac miniſterio baptizandi. Quibus cum objiceretur vetus Eccleſiæ conſuetudo, qua venientes ab hæreſi minime rebaptizari ſolebant, ſtatim ipſi reſpondebant: *In Evangelio Dominus, ego ſum,*

inquit, veritas, non dixit: Ego ſum conſuetudo: Itaque veritate manifeſtata cedat conſuetudo veritati, ut etſi in præteritum quis in Eccleſia hæreticos non baptizabat, nunc baptizare incipiat. Quod igitur Africani Epiſcopi perperam aliquando ſcripſerunt ad ſuum errorem fovendum, protegendumque, meliore ſane ratione & Gregorius, & Urbanus uſurpaverunt, ut corruptos ſui temporis mores reprobarent.

De Epiſtola ad omnes per Regnum Italicum, & Theutonicorum debitam S. Petro obedientiam exhibentes.

Can. 15. diſt. 81. In Gregoriano Regeſto non habetur epiſtola, ex qua indicatur depromtus apud Gratianum canon 15. diſt. 81., nimirum data *omnibus per Regnum Italicum, & Theutonicorum debitam S. Petro obedientiam exhibentibus*. Verum nemo dubitavit, quin monumentum iſtud jure optimo Gregorio tribuatur. Plura indicaverunt Romani Correctores, ex quibus deducerent ſimilem ſententiam ſæpiſſime in Actis Gregorii exhiberi, quam frequentiſſime indici opus fuit ob corruptos Clericorum plurimorum mores, atque ob denegata eam ob cauſſam Clericis eccleſiaſtica jura. Ad hanc rem ita ſcribit auctor incertus magni Chronici Belgici apud Piſtorium inter veteres Scriptores rerum Germanicarum ad annum 1074. de Gregorio VII. Pontifice. *Anno 2. Pontificatus ſui ſecundum Sigebertum celebrata Synodo Simoniacos anathematizavit, & uxoratos (ut ſe eſſe putabant) Sacerdotes ab officio removit, & laicis miſſas eorum audire interdixit novo exemplo, &, ut multis viſum eſt, inconſiderato præjudicio contra Sanctorum Patrum ſententiam, qui ſcripſerunt, Sacramenta, quæ in Eccleſia fiunt, ſcilicet Baptiſmum, Chriſma, Corpus, & Sanguinem Chriſti, Spiritu Sancto latenter operante, eundem præſtare effectum, ſive per bonos, ſive per malos intra Dei Eccleſiam diſpenſentur . . . . Ex illa igitur re tam grave oritur ſcandalum, ut nullius hæreſis tempore Sancta Eccleſia graviore ſchiſmate diſciſſa ſit, iſtis pro juſtitia, illis contra juſtitiam agentibus . . . ad hæc opportunitate illa laicis inſurgentibus contra ſacros Ordines, & ſe ab omni eccleſiaſtica ſubjectione excutientibus, ut ſacra Myſteria laici temerarent, & de his diſputarent &c.* Agnoſcis exinde facili ratione argumentum, & cauſſas Gregoriani monumenti, cujus ſi plura velis ſimilia, adire potes epiſtolam 45. lib. 2. Regeſti ad Rodulphum, & Bertulphum, ibi: *Sciunt namque Archiepiſcopi, & Epiſcopi terræ veſtræ, quod & omnibus Fidelibus notum eſſe debet, quoniam in ſacris canonibus prohibitum eſt, ut hi, qui per ſimoniacam hæreſim, hoc eſt interventu precii, ad aliquem ſacrorum Ordinum gradum, vel officium promoti ſunt, nullum in Sancta Eccleſia ulterius miniſtrandi locum habeant, nec illi, qui in crimine fornicationis jacent, miſſas celebrare, aut ſecundum inferiores ordines miniſtrare Altari debeant. Quæ cum eos Sancta, & Apoſtolica Mater Eccleſia jam a tempore B. Leonis Papæ ſæpe in Conciliis tum per Legatos, tum per epiſtolas in ſe, & commiſſas ſibi plebibus, utpote ab antiquioribus neglecta renovare, & obſervare commonuerit, rogaverit, & accepta per Petrum auctoritate juſſerit, adhuc tamen inobedientes (exceptis perpaucis) tam execrandam conſuetudinem nulla ſtuduerunt prohibitione decidere, nulla diſtrictione punire, non attendentes quod ſcriptum eſt, quia ariolandi peccatum eſt repugnare, & quaſi crimen idololatriæ nolle acquieſcere.* Similia leges in epiſtolis 61. 62. & 66. ejuſdem libri 2., item in epiſtola 4. libri 3., rurſum in epiſtolis 11. 20. & 24. lib. 4.; in epiſtola 24. lib. 7.; demum, ut alia plura prætermittam, in

in epiſtola 34. lib. 9. Quæ vero magis præ ceteris epiſtolis conſonat, eſt epiſtola ad Germanos, quæ habetur numero 10. in 2. appendice Gregorianarum epiſtolarum tom. 12. Labbeanæ Venetæ editionis pag. 697. his verbis: *Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus Clericis, & Laicis in regno Teutonicorum conſtitutis ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Audivimus, quod quidam Epiſcoporum apud vos commorantium, aut Sacerdotes, & Diaconi, & Subdiaconi mulieribus commiſceantur, aut conſentiant, aut negligant. His præcipimus vos nullo modo obedire, vel illorum præceptis conſentire, ſicut ipſi Apoſtolicæ Sedis præceptis non obediunt, neque auctoritati Sanctorum Patrum conſentiunt, teſtante Divina Scriptura, facientes, & conſentientes par pœna complectitur. Sciunt namque Archiepiſcopi, & Epiſcopi terræ veſtræ, quod omnibus Fidelibus notum eſſe debet, quoniam in ſacris canonibus prohibitum eſt, ut hi, qui per ſimoniacam hæreſim, hoc eſt, interventu pretii ad aliquem ſacrorum Ordinum, gradum, vel officium promoti ſunt, nullum in Sancta Eccleſia ulterius miniſtrandi locum habeant, nec illi, qui in crimine fornicationis jacent, miſſas celebrare, aut ſecundum inferiorem ordinem miniſtrare Altari debeant.* Et infra: *Quapropter ad omnes, de quorum fide, & devotione confidimus, nunc convertimur, rogantes vos, & apoſtolica auctoritate commonentes, ut quidquid Epiſcopi dehinc loquantur, aut taceant, vos officium eorum, quos aut ſimoniace promotos, & ordinatos, aut in crimine fornicationis jacentes cognoveritis, nullatenus recipiatis.* Quid vero ad ſimilia Gregorii monumenta ulterius progredior, quum hodie videatur idem canon e pulvere, in qua delituerat, editus a Manſio in tomo 2. appendicis Labbeanæ pag. 1. tamquam fragmentum Concilii I. Romani a Gregorio VII. Pontifice celebrati anno 1074.? Ediderat tantummodo Labbeus illius Concilii ſynopſim, ſed Acta integra Concilii perierunt. Actuum fragmentum excerpſit Manſius ex Gerhoo Reicherſpergenſi in expoſitionibus in pſalmos ad pſalmum 10. pag. 157. his Gregorii verbis: *Siqui ſunt Presbyteri, vel Diaconi, vel Subdiaconi, qui in crimine fornicationis jaceant, interdicimus eis ex Dei parte omnipotentis, & Sancti Petri auctoritate Eccleſiæ introitum, uſquedum pœniteant, & emendent. Siqui vero in peccato ſuo perſeverare maluerint, nullus veſtrum eorum audire præſumat officium, quia benedictio eorum vertitur in maledictionem, & oratio in peccatum, Domino teſtante per Prophetam: Maledicam, inquit, benedictionibus veſtris. Qui vero huic ſaluberrimo præcepto obedire noluerint, idololatriæ peccatum incurrunt, Samuele teſte, & B. Gregorio inſtruente: Peccatum ariolandi eſt non obedire, & ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere: Peccatum igitur paganitatis incurrit quiſquis dum Chriſtianum ſe aſſerit, Sedi Apoſtolicæ obedire contemnit.* Sunt hæc ipſamet Gratiani verba, ex quibus dubitare non licet, ad idem Concilium I. Gregorianum exhibitum canonem pertinere. Atque id magis, magiſque confirmat Apologeticus capitulorum Gregorii apud Labbeum editus in tom. 12. editionis Venetæ ad idem Concilium; ſiquidem ibidem in cap. 19. ita legitur: *Notandum autem, quod noſter Gregorius juxta Sanctorum Patrum ſtatuta prius incontinentes Presbyteros officio privavit, poſtmodum populo, ne eorum officia reciperet, interdixit; unde non tam incontinentium, quam pro incontinentia damnatorum miſſas audire prohibuit; ne & populus ſe juxta Antiochenum Concilium ſub excommunicatione poneret, ſi eorum officia recipere præſumeret. Ipſe autem Spiritus Sanctus per Samuelem Prophetam docet populum, ut Canonicis inſtitutionibus noſtri Apoſtolici potius obediat, quam hujuſmodi præſumtorum ſacrificia in periculum ſuum recipiat. Dicit enim: melior eſt obedientia, quam victima, & auſcultare magis, quam offerre arietum adipem: quoniam*

quaſi

quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere. Igitur populus apoſtolicis inſtitutis obediens inobedientium Sacerdotum officia, & Sacramenta recuſat, ne ipſe crimen idololatriæ per inobedientiam incurrat. Liquet ex his ſatis ſuperque, in Gratianeo canone nihil aliud contineri, quam ſententiam Gregorii ante Concilii Romani celebrationem editam, ac promulgatam, in cujus executione cum nonnullorum pervicacia difficilia plura occurrerent, opportunum viſum fuit in Concilio ipſo controverſias omnes dirimere, atque ad Sanctorum veterum Patrum Gregorii doctrinam exigere; unde tandem eo deventum eſt, ut quidquid Gregorius idem præſtituerat. Concilii quoque ſententia confirmaretur, quemadmodum conſtat non ſolum ex canonibus Concilii ejuſdem Romani I., ſed etiam ſequentium Conciliorum.

De Epiſtola ad Herimannum Metenſem Epiſcopum.

Fuit Herimannus Metenſis Epiſcopus in Gallia ex illis, qui adverſus Henricianos in cauſſa diri illorum ſchiſmatis acerrime pugnarunt, animo conjunctiſſimus Gregorio VII., qui propterea oblatæ ſibi ſententiæ Concilii Wormacienſis ab Henricianis adverſus Gregorium prolatæ ſubſcribere ſtrenue recuſavit, uti refert Baronius ad annum 1076. num. 14., eamque ob cauſſam Henricianorum ſententia depoſitus eſt ab Epiſcopatu, ſuffecto in ejus locum Meginardo, nec non in exilium pulſus, ubi miſere afflictus vitam traduxit, & obiit, eodem rurſus Baronio ita ſcribente ad annum 1085. num. 9. Itaque & Gregorio, & Herimanno cauſſa communis fuerat adverſus Henricianos, quamobrem uterque miſſis invicem epiſtolis familiaribus idemtidem quid diſputandum, quid agendum, & qua ratione gerenda eſſent omnia, ſignificabant, mutuis ſe ſubſidiis adjuvantes, & quidquid aut eccleſiaſticis Patribus, aut ex Hiſtoricorum quorumcumque monumentis ad rem quodammodo facere videretur, inveſtigantes, & mutuo prodentes, quo unuſquiſque data occaſione in conficiendis adverſariis uteretur. Hujus rei argumento ſunt valde
Can. 9. perſpicuo duæ Gregorii epiſtolæ, quarum prior eſt 2. lib. 4. Regeſti, poſterior
diſt. 96. & eſt 21. lib. 8. Ex hac poſteriore duo fragmenta recitantur apud Gratianum, nimi-
Can. 3. rum canon 9. diſt. 96., & canon 3. cau. 15. qu. 6., in quo pro verbis illis *Za-*
cau. 15. *charias ſcilicet . . . quam pro eo, quod tantæ poteſtati erat inutilis . . . in ejus locum*
qu. 6. *ſubſtituit . . . ex auctoritate frequenti agit &c.* legendum eſt ex integris epiſtolæ exemplaribus: *Zacharias videlicet . . . quam eo, quod tantæ poteſtati non erat utilis . . . in ejus loco ſubſtituit . . . ex frequenti auctoritate ſæpe agit &c.* Propoſuerat ibi Gregorius duo Pontificum Acta, & primum Innocentii Papæ adverſus Anaſtaſium Imperatorem, qui conſenſerat expulſioni Johannis Chryſoſtomi; alterum, quod apud Gratianum recenſetur de Zacharia Pontifice; in quibus tamen deceptum fuiſſe ex apocryphis monumentis Gregorium Viri graviſſimi teſtantur. Pagius ad Acta Innocentii Papæ a Baronio relata ad annum 407. ita adnotavit: *Epiſtola Innocentii Papæ XXX. ad Arcadium Imperatorem, qua excommunicantur perſecutores S. Chryſoſtomi, ſuppoſititia, cum in ea ſermo ſit de Eudoxia vivente, quæ tamen jam ab anno* 404. (quod demonſtraverat perſpicue idem Pagius ad annum 404. num. 28.) *ſupremum diem obierat. Quare ejuſdem epiſtolæ nec Palladius, nec Socrates, nec Theodoretus, nec Sozomenus, nec Zonaras, nec aliqui ex Latinis mentionem fecere, primuſque*

muſque Georgius Alexandrinus, qui ſeptimo Eccleſiæ ſæculo vixit, ex quo Nicephorus, & Glicas eam hauſere. His Pagii adnotationibus adjici poteſt, quod de Arcadio Imperatore, velut in eccleſiaſtica communione perpetuo conſiſtente, ac vita functo, refertur in hiſtoria Tripartita cap. ult. ibi: *Non multo poſt tempore, quam Johannes defunctus eſt, moritur & Arcadius Imperator, vir mitis, & quietus, & circa finem vitæ pro hujuſmodi cauſſa venerabilis exiſtimabatur.* Pagio conſenſit Natalis Alexander in hiſtoria eccleſiaſtica ſæculi 5. cap. 2. art. 1., vocans ibidem Georgium ſolitarium hujus, aliarumque non abſimilium fabellarum auctorem. Suppoſititia quoque idem Natalis Alexander in hiſtoria eccleſiaſtica ſæculi 8. diſſert. 2. probavit geſta, quæ Zachariæ Pontifici tribuebantur, vel quod contemporanei Scriptores ſilentium perpetuum de iis habuerint, vel quod Hiſtorici iidem contemporanei multo aliter rem geſtam enarrent, quam recentiores nonnulli tradiderint. Suſpicor ego, geſta hujuſmodi inventa fuiſſe a Græcis Schiſmaticis, eademque Conſtantinopolitanis Imperatoribus propoſita, ut illa ſpecie Imperatorum animum a Romanis Pontificibus averterent, quorum ipſi poteſtati ſubjici recuſabant. Atque hæc figmenta certis temporum, ac locorum adjunctis adjuvabantur; in primis enim conſtabat, Romanos ab Imperio Orientali jamdiu defeciſſe, alioſque ſibi Principes conſtituiſſe poſt Iconoclaſtarum hæreſim ſubortam, quod facile Summorum Antiſtitum operæ tribui a Schiſmaticis poterat; deinde, ubi ageretur de Francorum Regibus, facile etiam erat figmentis omnia vertere, cum illorum Acta incertiſſima vagarentur etiam apud ſuos. Notat enim Baronius ad annum 671., incertiſſimam ſæculo 7. fuiſſe Francorum Regum ſucceſſionem ob maximam Scriptorum varietatem; imo etiam ætate Caroli Magni ſcribit Eghinardus in vita ipſius, nihil ſe ſcire de nativitate, infantia, & pueritia illius Principis, nec aliquem ſupereſſe, *qui horum ſe dicat habere notitiam.*

De ceteris Canonibus Gregorio VII. adſcriptis.

Duo adhuc ſuperſunt fragmenta apud Gratianum Gregorio VII. tributa, nimirum canon 13. cau. 1. qu. 3., & can. 3. cau. 16. qu. 7., ſeu verius dixerim unum tantummodo bis exaratum diverſis in locis, uti liquet unicuique utrumque canonem conferenti. Inter editas Gregorii epiſtolas, aut Concilia eadem, quæ Gratianus retulit, verba minime reperiuntur; non dubito tamen, quin jure optimo adſcripta eidem Pontifici fuerint, cum maxime conveniant temporibus illius, quibus nihil preſſius urgendum erat, quam decimas a Clericis ſubreptas Clericis eſſe reddendas. Duo deteſtabilia nonnullorum Clericorum vitia, nimirum ſimonia in celebrandis ordinationibus, & incontinentia occaſionem dederant Laicis, ut decimas a Clericis, quaſi ab indignis, eriperent. Hinc quemadmodum elaborandum fuit Pontificibus Maximis, ac præſertim Gregorio, ut Clericos in bonam frugem reducerent, ita quoque curandum, ut decimæ Clericis reſtituerentur. Quid aliud porro aut in epiſtolis ejuſdem Gregorii, aut in Conciliis illius ætatis, preſſius, ac frequentius urgetur? Exemplum eſt in canone 1. cau. 16. qu. 7., de quo ſuperius actum eſt; exemplum perſpicuum in epiſtola 5. lib. 6. ad Herimannum Metenſem, quem Gregorius ideo reprehendit, quod Laicis jura quædam Eccleſiaſtica conceſſiſſet. Exemplum, ut cetera omittam, in epiſt. 5. lib. 9.

Can. 13. cau. 1. qu. 3. & Can. 3. cau. 16. qu. 7.

ad

ad Hugonem Dienſem Epiſcopum, ubi Gregorius laudat Regem Anglorum, quod compulerit Laicos ad decimas dimittendas, quas ipſi detinebant. Ego arbitror, memoratum Gratiani canonem pertinere ad Concilium Romanum V. ſub Gregorio VII. celebratum anno 1078. cujus acta integra perierunt: etenim de hac materie actum illic fuiſſe conſtat ex capite 6. ex illis, que edita ſuperſunt apud Labbeum, ibi: *Decimas, quas in uſum pietatis conceſſas eſſe canonica auctoritas demonſtrat, a Laicis poſſideri Apoſtolica auctoritate prohibemus; ſive enim ab Epiſcopis, vel Regibus, vel quibuſlibet Perſonis eas acceperint, niſi Eccleſiæ reddiderint, ſciant ſe ſacrilegii crimen committere, & æternæ damnationis periculum incurrere.* Similem ſententiam Gregorii VII. edidit Manſius in tom. 2. Supplementi Labbeani pag. 29. erutam ex tom. 2. parte 2. rer. italicarum, in cujus poſtremis verbis hæc leguntur: *Quicumque militum, vel cujuſcumque ordinis, vel profeſſionis perſona prædia eccleſiaſtica a quocumque Rege, ſeu ſæculari Principe, vel ab Epiſcopis, invitis Abbatibus, aut ab aliquibus Eccleſiarum Rectoribus ſuſcepit, vel ſuſceperit, vel invaſit, vel etiam eorundem Rectorum depravato ſententioſo conſenſu tenuerit, niſi eadem prædia Eccleſiis reſtituerit, excommunicationi ſubjaceat. Romæ in univerſali Synodo præſidente B. Gregorio Papa ab eodem promulgata, ab univerſali Concilio comprobata.* Ex his conſtat, acta Concilii Romani integra periiſſe, ejuſdemque varia fragmenta in aliquorum monumentis diſperſa ſuperfuiſſe, forte autem nos nonnihil Gratiano debere, qui in memoratis canonibus 13., & 3. Gregorii verba poſteritati ſervaverit; niſi forte dixeris apud Gratianum non verba ipſa Gregorii exhiberi, ſed ſententiam, propterea exigendam ad fragmenta illa, quæ alii ex eodem Concilio prodiderunt.

APPENDIX

De Confeſſione Berengarii.

Can. 42. de conſ. diſt. 2. Habetur in canone 42. de conſ. diſt. 2. confeſſio quædam nomine Berengarii Andegavenſis Diaconi, quem alii Berengerium vocant, quam hunc in locum retuli, quod ipſius cauſſa finem tandem acceperit ſub Gregorio VII., licet ſub Gregorii Anteceſſoribus, præſertim Leone IX., ac Nicolao II., variis obnoxia fuerit vicibus, modo enim verſipellis Diaconus in unam ſententiam deſcendebat, modo ab illa in aliam recedebat pro variis temporum, & locorum adjunctis. Extat de hac re apud Labbeum in tom. 11. Venetæ editionis pag. 1425. Opuſculum Anonymi, qui ſcribebat anno 1088. quo mortuus eſt idem Berengarius, editum a Chiffletio. Refert ille, Berengarium primum aſſeruiſſe in Sacratiſſimo Euchariſtiæ Sacramento Chriſti Corpus, & Sanguinem non contineri, ſed tantum ineſſe figuram. Id ubi primum intellexit Leo IX. Pontifex Maximus in Romano Concilio anni 1050. novam hæreſim damnavit, hæreticum etiam communione eccleſiaſtica privavit, quæ damnationis ſententia confirmata eſt in Concilio Vercellenſi ejuſdem anni. Renovatum eſt judicium, Berengario ipſo præſente, ſeque etiam pro viribus defendente in Concilio Turonenſi anni 1055. mandato Victoris Papæ II., cujus vices gerebat Hildebrandus, qui poſtea ad Summum Pontificatum evectus eſt nomine Gregorii VII., ibidemque Berengarius hæreſim ſuam præſtito jurejurando anathematizavit; ſed in eandem rurſus opinionem inclinans a Nicolao II. ad Romanum

manum Concilium advocatus eſt anno 1059., ibique convictus libros propriæ hæreſeos in conſpectu Pontificis Maximi, & Epiſcoporum, qui eo convenerant, CXIII. concremavit, præſtitoque rurſus jurejurando catholicam profeſſionem renovavit, quam in Turonenſi Concilio fecerat. Hæc eſt illa confeſſio, quæ legitur in dicto canone 42. de conſ. diſt. 2. eiſdem omnino verbis. Verum Berengarius more ſuo ad priſtinam hæreſim reverſus eſt, eo ulterius progreſſus, ut Romanos Antiſtites, & Romanam ipſam Eccleſiam pudendis conviciis laceſſiret, interea per diſcipulos ſuos virus hæreſeos undique diffundens, & incautos inficiens. Pervicacem hominem tandem Gregorius VII. audire voluit in duabus Synodis, tum anni 1078., tum anni 1079., ubi Berengarius tandem retractatione facta bene de ſe ſperandum bonis univerſis reliquit. Formula profeſſionis hujus poſtremæ a Berengario factæ hæc eſt: *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem, & vinum, quæ ponuntur in Altari, per myſterium ſacræ orationis, & verba noſtri Redemptoris, ſubſtantialiter converti in veram, ac vivificatricem Carnem, & Sanguinem Jeſu Chriſti Domini noſtri, & poſt conſecrationem eſſe verum Chriſti Corpus, quod natum eſt de Virgine, & quod pro ſalute mundi oblatum in cruce pependit, & quod ſedet ad dexteram Patris, & verum Sanguinem Chriſti, qui de latere ejus effuſus eſt, non tantum per ſignum, & virtutem Sacramenti, ſed in proprietate naturæ, & veritate ſubſtantiæ, ſicut in hoc brevi continetur, & ego legi, & vos intelligitis: ſic credo, nec contra hanc fidem ulterius docebo: ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.* Poſt hæc Berengarium a Gregorio VII. reſtitutum omnino fuiſſe in Chriſtianam communionem facile conſtare poteſt ex literis commendatitiis, quas idem Pontifex Berengario conceſſit anno 1080., quæque referuntur in 2. Appendice epiſtolarum Gregorii VII. apud Labbeum epiſt. 2. ibi: *Gregorius ſervus ſervorum Dei omnibus B. Petro fidelibus ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Notum vobis omnibus facimus, nos anathema feciſſe ex auctoritate Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & BB. Apoſtolorum Petri, & Paulli omnibus, qui injuriam aliquam facere præſumſerint Berengario Romanæ Eccleſiæ Filio, vel in perſona, vel in omni poſſeſſione ſua, vel qui eum vocarit hæreticum, quem poſt multas, quas apud Nos quantas voluimus, fecit moras, domum ſuam remittimus, & cum eo fidelem noſtrum Fulconem nomine.*

CAPUT LXXXV.

De Urbano II.

Præter illa, quæ Urbani II. Conciliis tributa fuerunt, quæque expendi in cap. 63. primæ partis, multa adhuc ſunt ejuſdem Pontificis monumenta apud Gratianum.

Ex Epiſt. ad Gebehardum Epiſcopum Conſtantienſem.	*Can.* 110. *cau.* 11. *qu.* 3. *Can.* 4. *cau.* 9. *qu.* 1.	*ſimul jungendi, atque ex integra epiſtola ſupplendi.*

Ex Epiſt. ad Hugonem Lugdunenſem Epiſcopum.	*Can. 10. cau. 9. qu. 2. ad varia temporum, & locorum adjuncta exigendus.*
Ex Epiſt. ad Lucium Præpoſitum S. Juventii.	*Can. 8. cau. 1. qu. 3. ex optimis exemplaribus emendandus.* *Can. 12. cau. 1. qu. 3. referendus ad can. 8. cau. 1. qu. 3.*
Ex Epiſt. ad Petrum Piſtorienſem, & Ruſticum Abbatem Vallis Umbroſæ.	*Can. 24. cau. 1. qu. 7. varius in diverſis codicibus.*
Ex Epiſt. ad Abbatem S. Ruffini.	*Can. 3. cau. 19. qu. 3. paullo varius in diverſis exemplaribus.*
Ex Epiſt. ad Bartholomæum Epiſcop. Turonenſem.	*Can. 13. diſt. 56. perperam Urbano II. tributus.*
Ex Epiſt. ad Dominicum Patriarcham Gradenſem.	*Can. 11. diſt. 32. perperam Urbano II. tributus.*
Ex Epiſt. ad Hugonem Gratianopolitanum Epiſcopum.	*Can. 39. cau. 16. qu. 7. pluribus Urbani monumentis conſonat.* *Can. 11. cau. 35. qu. 2. ex aliis monumentis explicandus.*
Ex Epiſt. ad Guarnerium Narbonenſem Epiſcopum.	*Can. 37. diſt. 50. ex aliis monumentis emendandus.*
Ex Epiſt. ad Albertum Metenſem Epiſcopum.	*Can. 3. cau. 1. qu. 5. aliis Urbani monumentis conſonat.*
Ex Epiſt. ad Epiſcopum Vapicenſem.	*Can. 5. cau. 15. qu. 6. conſonat Urbani temporibus.*
Ex Epiſt. ad Guimondum Epiſcopum.	*Can. 3. cau. 24. qu. 2. ex Ivonis codice emendandus.*

Digitized by Google

Ex Epiſt. ad Goffredum Epiſcopum Lucanum.	*Can.* 47. *cau.* 23. *qu.* 5. *ex Ivonis codice emendandus.*
Ex Epiſt. ad Petronium Epiſcopum Legionenſem.	*Can.* 14. *diſt.* 56. *ad Panormiæ codicem exigendus.*
Ex Epiſt. ad Richardum Archiepiſcopum Genuenſem.	*Can.* 3. *cau.* 35. *qu.* 6. *paullo varius in diverſis codicibus.*
Ex Epiſt. ad Sanctium Regem Aragonum.	*Can.* 3. *cau.* 31. *qu.* 2. *paullo varius in diverſis codicibus.*
Ex Epiſt. ad Vitalem Presbyterum Brixiæ.	*Can.* 2. *cau.* 1. *qu.* 5. *Can.* 4. *cau.* 30. *qu.* 3. *Can.* 6. *cau.* 30. *qu.* 4. *ſimul jungendi, atque ad Baluzianum codicem exigendi.*
In Capitulo Sancti Ruffini.	*Can.* 2. *cau.* 19. *qu.* 2. *falſo adſcriptus Urbano.*
Ex Geſtis ejuſdem Pontificis.	*Can.* 2. *cau.* 8. *qu.* 3. *paulliſper depravatus.*
Adjiciuntur	*Can.* 1. *diſt.* 56. *conſonat cum pluribus Urbani II., & Gregorii VII. monumentis.* *Can.* 11. *diſt.* 56. *referendus ad canonem* 1. *diſt.* 56. *Can.* 4. *diſt.* 60. *referendus ad Concilium Beneventanum anni* 1091. *Can.* 6. *diſt.* 68. *conſonat tum Paſchalis II., tum S. Auguſtini monumentis.* *Can.* 2. *cau.* 9. *qu.* 2. *falſo tributus Urbano II.* *Can.* 37. *cau.* 12. *qu.* 2. *pertinet ad Concilium Lateranenſe Calliſti II.* *Can.* 2. *cau.* 16. *qu.* 2. *pertinet ad Concilium Moguntinum anni* 813. *Can.* 6. *cau.* 16. *qu.* 2. *referendus ad Concilium Claromontanum.* *Can.* 1. *cau.* 16. *qu.* 4. *pertinet ad Concilium Lateranenſe Calliſti II.* *Can.* 2. *cau.* 16. *qu.* 7. *ad integros Claromontani Concilii codices exigendus.* *Can.* 2. *cau.* 19. *qu.* 3. *eſt adſcribendus Anſelmo Epiſcopo Havelbergenſi.*

Digitized by Google

Adjiciuntur

Can. 23. cau. 22. qu. 5. conſonat Urbani II. temporibus.
Can. 22. cau. 23. qu. 8. conſonat Urbani II. temporibus.
Can. 24. cau. 24. qu. 3. pertinet ad Concilium Lateranenſe Calliſti II.
Can. 37. cau. 24. qu. 3. convenit Urbani II. temporibus.
Can. 6. cau. 25. qu. 1. non diſſonat ab Urbani II. ſententiis.
Can. 1. cau. 31. qu. 2. ad emendatiorem Ivonis codicem exigendus.
Can. 3. de pœn. diſt. 6. idem eſt cum can. 2. cau. 9. qu. 2.

NEmo facile poterit de Gratianeis fragmentis Urbano II. tributis ſententiam ferre, niſi paucis ſaltem attingantur quædam Occidentalis eccleſiaſticæ diſciplinæ capita, quæ ejuſdem Pontificis temporibus propemodum collapſa ab Hiſtoriographis feruntur. Romanam Sedem tenuit Urbanus natione Gallus, profeſſione Monachus Cluniacenſis ab anno 1088. poſt obitum Victoris III. uſque ad annum 1099., quum adhuc vigerent adverſus Romanam Eccleſiam dira, ac diuturna Henricianorum ſchiſmata, eamque ob rem ſuæ dignitatis æmulatorem adhuc pati debuit Guibertum jamdiu contra Gregorium VII. conſtitutum. Vix Romæ in rebus incertis aſylum invenire potuit recens electus Antiſtes, qui ſatius duxit confugere ad ſuos, videlicet perrexit in Galliam, ibidemque plura celebravit Concilia, de quibus jam alibi egimus. Turbabat etiam Pontificis animum nonnullorum Clericorum pervicacia, qui nunquam ſolertia Prædeceſſorum Pontificum adduci potuerunt, ut continentiam cuſtodirent; laicorum etiam plurimorum, qui Clericos inſequendo bona ipſa eccleſiaſtica diripiebant, decimarum jura, atque iis ſimilia denegabant. Interea vero Monachi diteſcere cœperant vel novis liberalitatibus, vel ex acceſſione bonorum eccleſiaſticorum, quæ fiebat a laicis direpta bona eccleſiaſtica monaſteriis concedentibus; atque etiam totis viribus contenderunt, ut abs juriſdictione Epiſcoporum eximerentur, modo Pontificiis obtentis privilegiis, modo diplomatibus Principum, modo tabulis fundatorum; utinam etiam nulla commentitia ipſi monumenta exemtionum ſuarum confeciſſent, quibus facile eludebant Epiſcopos, imo & Clericos univerſos, ut plurimum in eccleſiaſticis literis tunc ineruditos, ſed inhiantes ſæcularibus rebus, adeo ut animarum cura ad Monachos quodammodo tranſiiſſe videretur. Quod deinde clarius adparuit, dum ſub eodem Urbano II. bellum ſacrum adverſus Turchas, ſive ad recuperationem terræ, ut vocant, ſanctæ pararetur. Nimirum anxia fuit tunc Clericorum ferme omnium ſollicitudo in augendis militum copiis, inſtruendo exercitu, eleemoſynis indicendis, exigendiſque, dum Monachi, aliique hujus generis homines eximia vitæ probitate, & proximorum zelo ſpectabiles curam animarum ſubſidiaria quadam opera gererent. Vides in his Eccleſiæ Occidentalis imaginem, qualis erat Urbani temporibus, quam præ oculis habere frequentiſſime oportebit in capitibus ejuſdem Pontificis expendendis. Et quoniam maximam partem ex epiſtolis Urbani videntur eruta hujuſmodi capita, opportunum erit animadvertere, plures hodie ex illis epiſtolis deſiderari, plures e converſo ex extantibus eidem Pontifici falſo eſſe tributas. Petrus Diaconus in libro de Viris illuſtribus Monaſterii Caſſinenſis cap. 31. ita ſcribit: *Leo Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis Caſſinenſis Cœnobii Monachus inſignis ſtudio eloquentiæ ſcripſit ex nomine Urbani Papæ complures epiſto-*

Digitized by Google

epiſtolas, fecit & Regiſtrum ejus. Hocce Regiſtrum tempore Ivonis Carnotenſis notum fuiſſe liquet ex ipſius Ivonis decreto, ubi caput 53. partis 9. ita laudatur: *Ex Regiſtro Urbani Papæ II.* Hanc collectionem periiſſe animadvertit Marus Benedictinus in ſuis adnotationibus ad dictum caput 31. in bibliotheca Patrum. Ceterum quo tempore Regeſtum præ manibus Collectorum erat, plures apocryphas epiſtolas, præſertim in gratiam Monachorum, factas emerſiſſe pluribus oſtendit Cardinalis Baronius ad annum 1088., idque ab ipſis Monachis Caſſinenſibus factum ait, qui epiſtolas Urbani II. nomine inſcripſerunt, ac poſtquam id vividiore ſtylo tradidit, ita ſubdidit: *Etſi ſciamus concitari in nos odium Monachorum, ſed præſtat anteferre omni humano reſpectui veritatem*. Quæ ſi vera ſunt, nimirum ſi Monachi Caſſinenſes in commentitiis Urbani II. epiſtolis effingendis elaborarunt, ſi itidem Gratianus in Caſſinenſi Cœnobio diutius vixit, & Caſſinenſis propterea Cœnobii bibliotheca uſus eſt, eo animo ad epiſtolas Urbani a Gratiano exhibitas accedere licet, ut ad rejiciendas illas ſolis conjecturis indulgere facile quiſpiam poſſit. Regeſtum Urbani in Monachorum bibliothecis diu delituit, in Monachorum manibus diutiſſime verſabatur; in collectiones publicas nuſquam redactum eſt, imo & ipſum Urbanum, ut arbitror, latuit, utpote qui Pontifex peregrinari quodammodo cogebatur Henricianorum vexationem evitans. Ea igitur, qua par eſt, ſollicitudine inveſtigandæ illinc depromtæ epiſtolæ, & nonniſi ſeduli criterii ope vel admittendæ, vel rejiciendæ videntur.

De Epiſtola ad Gebehardum Epiſcopum Conſtantienſem.

Can. 110. cau. 11. qu. 3. & Can. 4. cau. 9. qu. 1.

Ex codice Atrebatenſi edidit Jacobus Sirmondus epiſtolam Urbani ad Gebehardum Conſtantienſem Epiſcopum, qui aliquot in codicibus dicitur Guieardus, alibi Genebaldus, alibi Geboardus. Tota epiſtolæ ſententia eo tendit, ut Guibertus Antipapa cum fautoribus Henricianis tanquam extra communionem Eccleſiæ prorſus exiſtens habeantur; inſuper excommunicati etiam ſint quicumque cum illis communicaverint; quod ſi quiſquam communicaverit non cum Guiberto, aut Guiberti fautoribus, ſed cum illis, qui Guiberto, & fautoribus communicaverant, iſti quidem non ſine pœnitentia recipiendi eſſent, nullam tamen excommunicationem incurrerent. Nihil eſt meo judicio, quod dubitationem facere poſſit de hujus epiſtolæ veritate; præterquamquod enim temporis adjunctis apprime conveniat, conſonat etiam cum iis, quæ nonnulli ex hiſtoricis retulerunt. Bernardus Pez in tom. 1. parte 3. ſui Theſauri Anecdotorum edidit MS. vetus Monaſterii Zuvetlenſis Ordinis Ciſtercienſis, in quo texitur hiſtoria Romanorum Pontificum a S. Petro uſque ad Cœleſtinum III., ſive ad annum 1191. De Urbano autem II. ibidem ita legitur: *Canones ſtatuit Genebaldo Conſtantienſi Epiſcopo de iis, qui communicant excommunicatis ſponte, aut per ignorantiam*. Scimus præterea eam Urbani epiſtolam in cauſſa fuiſſe, cur in Diœceſi Conſtantienſi plures meditarentur a Diœceſi ipſa recedere, & in alias ſe recipere civitates, ne cum excommunicatis communicare viderentur, donec Paſchalis II. Urbani ſucceſſor in epiſtola (12. ex Labbeanis) ad eundem Gebehardum ſcripta docuit, qui, & qua ratione excommunicati vitari a Fidelibus deberent. Ad iſtam ſane epiſtolam Urbani pertinet canon 110. cau. 11. qu. 3.; poſtquam enim Urbanus Guibertum, & Henricianos excommunicaſſet primo

primo gradu, deinde quaſi ad ſecundum gradum deveniens excommunicaſſet eos, qui cum illis communicaverant, hæc ſubjicit: *Hos igitur principaliter anathematis vinculo adſtringentes, in tertio gradu communicantes eis nos quidem non excommunicamus. Sed quia ipſi ſe eorum communione commaculant, in noſtram eos ſocietatem nequaquam ſine pœnitentiæ ultione, & abſolutione recipimus. Sanctis quippe canonibus cautum conſtat, ut qui excommunicatis communicaverit, excommunicetur. Ipſius tamen pœnitentiæ, atque abſolutionis modos ea moderatione diſcrevimus, ut quicumque ſeu ignorantia, ſeu timore, ſeu neceſſitate negotii cujuſque maximi, & maxime neceſſarii eorum ſe convictu, ſalutatione, oratione, oſculove contaminaverit, cum minoris pœnitentiæ, abſolutioniſque medicina ſocietatis noſtræ participium ſortiatur. Eos vero, qui aut ſpontanee, aut negligenter inciderint, ſub ea volumus diſciplinæ coercione* (legunt alii *coertione* pro *coercitione*) *ſuſcipi, ut ceteris metus incutiatur.* Ex his ſupplendus, emendanduſque erit Gratiani canon 110., poſt quæ ita ſtatim proſequitur Urbanus: *Cujus diſciplinæ moderamina, quod ad tuam curam ſpectat, nos tuæ prudentiæ, prout oportere videris, pro temporis, & perſonarum competentia ſervanda committimus. Porro de Clericis, qui ab excommunicatis ſunt Epiſcopis ordinati, necdum quidem ſententiam ferimus, quia generalis mali contagium generalis Synodi eſt cauterio comburendum. Tuæ tamen Fraternitati hoc reſpondemus ad præſens, ut ab excommunicatis quondam tamen Catholicis Epiſcopis ordinatos, ſiquidem non ſimoniace Ordines ipſos acceperint, etſi Epiſcopos ipſos non ſimoniacos eſſe conſtiterit, ad hoc ſi religioſior eorum vita, & doctrinæ prærogativa viſa fuerit promereri, pœnitentia indicta, quam congruam duxeris, in ipſis, quos acceperint, Ordinibus manere permittas. Ad ſuperiores autem aſcendere non concedimus, niſi neceſſitas, & utilitas maxima flagitaverit, & ipſorum ſancta converſatio promeruerit, & hoc tamen ipſum rarius cum cautela eſt præcipua concedendum.* Hæc verba retulerat Gratianus in canone 4. cau. 9. qu. 1., quemadmodum etiam Ivo in parte 6. cap. 406. ſub nomine Urbani II. ad Gebeardum ſcribentis, quam ipſam inſcriptionem notat Baluzius ad Gratianum fuiſſe in veteri collectione canonum, quæ erat Claudii Puteani, Sirmondum arguens, quod in cap. 3. Antirrhetici ſecundi adverſus Aurelium crediderit mutandam eſſe inſcriptionem, & pro Gebehardo Epiſcopo Conſtantienſi ſubſtituendum eſſe nomen Pibonis Epiſcopi Tullenſis. In hac parte nec rejicienda eſt Baluzii nota, qui Collectorum inſcriptionibus eo uſque inſiſtendum eſſe rectiſſime aſſerit, quo cum authographis, aut optimis exemplaribus conſonant; neque alias nimis erit improbanda Sirmondi traditio, cum eadem propemodum verba legamus in epiſtola Urbani II. ad Pibonem Tullenſem Epiſcopum editam apud Labbeum in Appendice epiſtolarum Urbani II. num. 17. ex codice MS. Petavianæ Bibliothecæ. In cap. 4. ejus epiſtolæ hæc leguntur: *Porro de Clericis, qui ab excommunicatis Epiſcopis ſunt ordinati, necdum quidem ſententiam fiximus, quia generalis mali contagium generalis Synodi eſt cauterio comburendum. Tuæ tamen Fraternitati hoc reſpondemus ad præſens, ut ab excommunicatis quondam tamen Catholicis Epiſcopis ordinatos, ſiquidem non ſimoniace ipſos Ordines acceperunt, & ſi Epiſcopos iſtos non ſimoniacos fuiſſe conſtiterit, & adhuc ſi eorum religioſior vita, & doctrinæ prærogativa viſa fuerit promereri, pœnitentia indicta, quam congruam duxeris, in ipſis, quos acceperunt, Ordinibus manere permittas. Ad ſuperiores autem aſcendere non concedimus, niſi neceſſitas, vel utilitas maxima flagitaverit Eccleſiæ. Hoc tamen ipſum rarius, & cum cautela eſt præcipua concedendum.*

De

De Epiſtola ad Hugonem Lugdunenſem Epiſcopum.

Extat præterea apud Labbeum in Appendice epiſtolarum Urbani II. num. 19. epiſtola ad Hugonem Lugdunenſem Archiepiſcopum, eadem ipſa, qualis apud Gratianum refertur in can. 10. cau. 9. qu. 2. Eandem epiſtolam integram retulit Ivo in parte 6. cap. 412, cujus auctoritas plurimum me movet in hac parte, vel quod non diſtat ab Urbani temporibus, vel quod in Gallia ſcripſerit, illudque monumentum laudaverit, quod editum fuerit a Pontifice ſcribente in Gallia, & ad Epiſcopum Gallicanum. Temporibus autem Urbani II. Hugonem fuiſſe Lugdunenſem Epiſcopum, imo & aliquando vices Urbani geſſiſſe, conſtat tum ex Concilio Brivatenſi anni 1094., tum ex Concilio Turonenſi anni 1096. Totus epiſtolæ tenor eo pertinet, ut in Diœceſi Lugdunenſi nemo ſit ordinandus juxta generales canonum regulas ab alterius Diœceſis Epiſcopo; verum bono pacis patienter indulgendum, ſiquis ita ordinatus eſſet, ut in ſuo gradu Eccleſiæ miniſtret, dummodo integer vitæ ſit, ac propterea veniam ſibi quodammodo promereatur; atque ad eam rem adfertur in medium exemplum S. Epiphanii, qui in Diœceſi S. Johannis Chriſoſtomi fertur quoſdam Clericos ordinaſſe. Sunt hæc digna animadverſione; quamobrem duo potiſſimum hoc in loco conſideranda veniunt: primum, qua de cauſſa contingere potuerit, ut in Diœceſim Lugdunenſem extranei Epiſcopi accederent Clericos ordinaturi; cur etiam id benigne ferre debuiſſet Lugdunenſis Epiſcopus: alterum, quid ſentiendum ſit de propoſito Sancti Epiphanii exemplo, quaſi Epiphanius Vir ceteroqui juſtitiæ cultor terminos diœceſanos publica auctoritate conſtitutos violaverit tranſgrediendo. Can. 10. cau. 9. qu. 2.

Quod primum ſpectat, contingere tunc facile potuit, ut extranei Epiſcopi in Lugdunenſi Diœceſi Clericos ordinarent, de illis propterea conquereretur Lugdunenſis Epiſcopus, quem Urbanus ad patientiam, atque indulgentiam flecteret; atque id triplici forte de cauſſa. En primam: Nemo ignorat anno 1079. in Gallicanis provinciis conſtitutum fuiſſe Primatum Lugdunenſis Eccleſiæ ſupra Rothomagenſem, Turonenſem, ac Senonenſem Eccleſias, ut Lugdunenſis Archiepiſcopus legatione quadam Pontificis Maximi potiretur, cujus vi ceteris memoratis Archiepiſcopis præſideret. Nihilominus tamen poſteriore ætate Legatos alios extra ordinem Romani Antiſtites mittere in illas Provincias ſolebant, quemadmodum conſtat miſſum fuiſſe in Gallias Amatum Epiſcopum Oloronenſem, in Hiſpanias Geraldum Epiſcopum Oſtienſem, & Bonifacium ad Germanos, ut omittam alios numero plurimos, qui cum Apoſtolicam auctoritatem vi ſuæ legationis explicarent, arbitrati ſunt ſe in unaquaque Diœceſi poſſe Epiſcopali officio fungi, ac propterea etiam celebrare ordinationes Epiſcoporum, quod aliquantulum ægre tulerunt Epiſcopi Diœceſani, quemadmodum conſtat apud Ivonem Carnotenſem in ſuis epiſtolis quam frequentiſſime. In his adjunctis Perſonarum, ac temporum, quid mirum, ſi etiam Hugo Lugdunenſis Primatis auctoritate, legatione etiam Pontificia inſignitus conquereretur de extraneis Epiſcopis ordinationes Clericorum in Lugdunenſi Eccleſia celebrantibus? Quid præterea mirum, ſi Urbanus Epiſcopos illos extraneos, quos legationis honore decoraverat, excuſaret? Altera cauſſa hæc eſſe potuit. Dixeram nuper, Lugdunenſem Archiepiſcopum jure Pontificiæ legationis

tionis

Digitized by Google

tionis pluribus Provinciis fuiſſe Præfectum veluti Primatem. Hugo autem Lugdunenſis ex his fuit, & Primas, & Legatus Apoſtolicus, quemadmodum Hiſtorici univerſi teſtantur, qui de Lugdunenſi Primatu egerunt, & quemadmodum perſpicue colligitur ex decreto Urbani ad eundem Hugonem miſſo. Idem propterea Lugdunenſis Antiſtes ad ſe unum ſpectare arbitrabatur Epiſcoporum omnium Primatui ſubjectorum conſecrationes, contra forte ſentientibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis illarum Provinciarum, qui jus vetuſtiſſimum ſervandum, cuſtodiendumque aſſerebant, quo & Metropolitanus, coacto Suffraganeorum Concilio, conſecrabatur, & a Metropolitano in conventu Suffraganeorum ſuffraganeus Epiſcopus ordinabatur. Teſtem hujus rei habeo optimum Ivonem Carnotenſem, qui de Hugone ipſo Lugdunenſi hac de cauſſa graviſſime conqueritur in epiſt. 59., 60., 61., & paſſim. Hinc cum Epiſcopi, vel Archiepiſcopi has Coepiſcoporum ordinationes, non petita ab Hugone facultate, celebrare non dubitarent, conqueri Hugo penes Urbanum potuit, æquumque putavit Urbanus ordinatores Epiſcopos excuſare, qui dum ad ordinationes illas procedebant, veterum canonum diſciplinæ ſeſe ſtudioſiſſimos exhibebant, non conſiderata in hac parte Legatione Pontificis Maximi, utpote quæ erat in Hugone recentiſſima. Tertiam demum cauſſam adjicio, quam Monaſteria præbere potuerunt: nimirum cœperant tunc temporis Monaſteria quædam exemtionum privilegia producere, quibus epiſcopalem evaderent juriſdictionem; quamobrem quoties ordinari Clericos in Monaſteriis hujuſmodi decebat, Monachi ordinationes non a Diœceſano, ſed ab extraneo Epiſcopo poſtulabant, veriti ne ſi Diœceſanum adiviſſent cauſſa ordinationis, renunciaſſe tacite ſuo privilegio viderentur. Id manifeſte colligitur ex Concilio apud Urbem Anſam celebrato in Diœceſi Lugdunenſi anno 1025., cujus verba edidit Jacobus Severtius in Chronologia Archiepiſcoporum Lugdunenſium num. 67. Conqueſtus fuit in hoc Concilio coram Burchardo Lugdunenſi Archiepiſcopo Gauslenus Epiſcopus Matiſcenſis de Burchardo Archiepiſcopo Viennenſi, quod ſine ſuo aſſenſu ordinationes Monachorum feciſſet in ſuo Epiſcopatu, ideſt in Cluniacenſi Cœnobio. Cum autem præſens adeſſent Odilo Cluniacenſis Abbas, exemtionis privilegia allegavit a Romana Eccleſia obtenta, ex quibus patebat potuiſſe Monachos Cluniacenſes quemcumque Epiſcopum accire cauſſa ſacrarum ordinationum, licet tamen deinde res ſynodali judicio eo devenerit, ut Burchardus veniam peteret, & Gausleno ſatisfaceret. In his rerum, & locorum adjunctis facile ſuſpicari quiſpiam poterit, Hugonem Lugdunenſem ſimili de cauſſa conqueſtum fuiſſe apud Urbanum; ipſum autem Urbanum, qui auctor monaſticorum quorundam privilegiorum eſſe poterat, aut ſaltem intellexerat propoſitas exemtiones fuiſſe, velut obtentas a Sede Apoſtolica, voluiſſe illos Epiſcopos, quoad fieri poſſet, excuſare, qui privilegiis, aut exemtionibus fidentes ad ordinationes in aliena Diœceſi celebrandas acceſſerant.

Sic abſoluta priore obſervatione ad alteram venio, quæ pertinet ad memoratum S. Epiphanii exemplum, qui conſecraverat, ſeu ordinaverat Clericos in Diœceſi S. Johannis Chriſoſtomi. Agnoſcendus illic eſt error facti: non in Diœceſi Johannis Chriſoſtomi, ſed in Diœceſi Johannis Epiſcopi Hieroſolymitani fertur Epiphanius Clericos ordinaviſſe: Error quidem excuſatione dignus; etenim cum tempore S. Epiphanii Salaminæ in Cypro Epiſcopi Epiſcopus Conſtantinopoleos eſſet Johannes cognomento Chriſoſtomus, Hieroſolymitanum vero Epiſcopatum gereret Johannes II., facile erat decipi ita, ut pro Johanne Jeroſolymitano

Johannes

Digitized by Google

Johannes Conſtantinopolitanus, ſive Chriſoſtomus diceretur. Laudo ego auctorem S. Hieronymum Epiphanio ipſi contemporaneum tum in epiſtola ad Pammachium adverſus errores Johannis Hieroſolymitani, tum in epiſtola ad Theophilum adverſus eundem Johannem. Laudo præterea Epiphanium ipſum in epiſtola ad Johannem Hieroſolymitanum, quam e græco in latinum idem Hieronymus tranſtulit, ex quibus optimis monumentis hæc facti ſeries colligitur. Johannes Hieroſolymitanus Epiſcopus Origenis doctrinam & errata ſequebatur. Prope ejus Provinciam in loco ab hominum ſocietate diſſito (puta in ſolitudine, ac ſylveſtribus locis, in quibus monaſteria olim condi ſolebant) Monachi quidam morabantur ſacri alicujus adminiſtri officio deſtituti, nemine ex ipſis patiente cauſſa humilitatis ſe ſacris ordinibus initiari. Sanctus Epiphanius ut Monaſterii illius, & Monachorum utilitati conſuleret, arbitratus ſe alienam Provinciam minime ingredi, ibidem invitum quendam Monachum Diaconum primum, deinde Sacerdotem ordinavit. Hinc Johannes Hieroſolymitanus, qui recte noverat Epiphanium Origenis doctrinam, quam ipſe excolebat; deteſtari, cœpit hac oblata occaſione eundem Epiſcopum tanquam alienæ Diœceſeos invaſorem, ac turbatorem prædicare, ut ſic facilius Epiphanium premeret, unumque ex præcipuis Origenis hoſtibus perterrefaceret, atque in eum multorum, ſi fieri poſſet, odia concitaret. Id ubi Epiphanius novit, ſtatim epiſtolas ad Johannem ſcripſit, candide facti ſeriem enarravit, de jure edocuit, uno verbo certiorem reddidit de re legitime geſta; imo exinde occaſionem ſumſit acrius erga ipſum tamquam Origenis doctrinæ adhærentem differere. Hinc Johannes e converſo cœpit paſſim, & in vulgus tradere, ab Epiphanio ſe de hæreſi proclamari ſuſpectum, non quod Epiphanius ita crederet, ſed quod eo prætextu illegitime factam ordinationem excuſatam ab omnibus vellet, unde acerrimæ inter utrumque Epiſcopum ſubortæ ſunt, & diutius commotæ contentiones. Quæ hucuſque enarrata ſunt, ex memoratis & Hieronymi, & Epiphanii monumentis deducuntur. Quod pertinet ad rem noſtram, ut dignoſcamus an legitima Epiphanii ordinatio fuerit, juvabit eadem Epiphanii, aut Hieronymi verba referre. Ita ſcribit Epiphanius in epiſt. ad Johannem: *Nihil tibi nocuimus, nihil injuriæ fecimus, nec quidquam violenter extorſimus. In Monaſterio Fratrum, & Fratrum peregrinorum, qui Provinciæ tuæ nihil deberent* (adnotanda ſane ſunt iſthæc, ex quibus aperte conſtat, ordinationem in Provincia Johannis minime fuiſſe celebratam, licet id Johannes aſſereret, forte ut juſtam de Epiphanio conquerendi cauſſam arriperet) *& propter noſtram parvitatem, & literas, quas ad eos crebro direximus, communionis quoque tuæ cœperunt habere diſcordiam*, (forte ex eo, quod Origeniſtis aſſentiri non deberent) *ne viderentur quadam duritia, & conſcientia noſtra antiquæ fidei ab Eccleſia ſeparari, ordinavimus Diaconum, & poſtquam miniſtravit, rurſus Presbyterum, ſuper quo debueras gratulari intelligens, quòd ob Dei timorem hoc ſumus facere compulſi, maxime cum nulla ſit diverſitas in Sacerdotio Dei, & ubi utilitati Eccleſiæ providetur. Nam etſi ſinguli Eccleſiarum Epiſcopi habent ſub ſe Eccleſias, quibus curam videntur impendere, & nemo ſuper alienam menſuram extenditur, tamen præponitur omnibus charitas Chriſti, in qua nulla ſimulatio eſt, nec conſiderandum quid factum ſit, ſed quo tempore, & quo modo, & in quibus, & quare factum ſit.* Deinde facti ſerie integre expoſita ita proſequitur: *Hæc ita acta ſunt, ut loquutus ſum, in charitate Chriſti, quam te erga parvitatem meam habere credebam, quamquam in Monaſterio ordinaverim, & non in Parochia, quæ tibi ſubjecta ſit.* Hieronymus autem in memorata epiſtola ad Theophilum

lum ita de Monaſterio, in quo Epiphanius Clericum ordinaverat, & quod Johannes Hieroſolymitanus ajebat ad Parochiam Bethleemiticam pertinere, ſcribit: *Monaſterium Sancti Papæ Epiphanii nomine vetus additum, in quo frater meus ordinatus eſt Presbyter in Eleuteropolitano territorio, & non in Ælienſi ſitum eſt*. Ex quibus ſane liquet, controverſiam omnem non in eo fuiſſe, utrum Epiphanius extra Diœceſim ſuam, & in Diœceſi Hieroſolymitana, ſive Ælienſi Clericum ordinare potuerit; ſed utrum Monaſterium, in quo Epiphanius Clericum ordinavit, ad Ordinantis ejuſdem Diœceſim, an potius ad Epiſcopum Hieroſolymitanum ſpectaret. Quæ cum ita ſint, jam etiam liquet, qualis Gratianeo canoni affingenda interpretatio ſit, non ſolum in ea parte, in qua factum Epiphanii memoratur, ſed etiam in ea, qua Urbanus quid agendum eſſet a Lugdunenſi Archiepiſcopo tradidit.

De Epiſtola ad Lucium Præpoſitum Sancti Juventii.

Can. 8. & 12. cau. 1. qu. 3.

Epiſtolam Urbani ad Lucium Præpoſitum Sancti Juventii, ſeu, ut alicubi ſcribitur, Sancti Jumentii, ferme integram retulit Gratianus duobus in locis, nimirum in canone 8. cau. 1. qu. 3., & poſt canonem 6. verſ. *ad hoc vero* diſt. 32. Integra autem legitur in Collectione Labbeana inter epiſtolas Urbani II. num. 17. Ejus inſcriptio hæc eſt: *Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto Filio Lucio Præpoſito Eccleſiæ Sancti Juventii apud Ticinum ſalutem, & apoſtolicam benedictionem*. Argumentum epiſtolæ pendere videtur ex præviis interrogationibus Lucii Præpoſiti. Interrogaverat Pontificem Maximum Lucius de aliquot eccleſiaſticæ diſciplinæ capitibus. Primo, utrum ſimoniacum eſſet vendere eccleſiaſtica prædia: deinde utrum præſtanda eſſet humilis obedientia Prælatis, quoties iſti minus honeſta præciperent. Poſtremo quid ſentiendum, agendumve, ubi ordinationes, & reliqua Sacramenta ab improbis Sacerdotibus confecta proponerentur. Quod priorem interrogationem ſpectat, exhibetur in dicto canone 8., ubi tamen nonnulla ſunt ex Labbeanis Codicibus emendanda. Exhibeo hoc in loco verba illa Labbei, ex quibus emendare juvabit Gratiani ſcripturam. *Salvator prædixit . . . ex adverſo aſcendere, & murum . . . in regnum Dei, unde non ſunt . . . . res ipſius Eccleſiæ oblata . . . per eundem fiebant, multiplicatam pecuniam, quam obtulerat, lucraretur . . . . ſed ambitionem talis quæſtus, ideſt avaritiam, quod eſt Idolorum ſervitus . . . de conſecratione, & de rebus, quæ proveniunt ex conſecratione, affirmat, quod quiſquis alterum eorum vendit, ſine quo alterum habere non poteſt, neutrum non venditum derelinquit . . . ſimoniacum intelligit, in nomine vero . . . Audi Auguſtinum ſuper Johannem: Oh quot propoſita fecerunt? alterum propoſitum habet . . . unuſquiſque propoſitum ſuum laudat, quod vendit &c. . . . attendat ſuper his Auguſtinum . . . unuſquiſque propoſitum ſuum laudat, quod vendit, non adjiciens in templo, vel extra templum. Hæc contra venditores, vel emtores ſacrarum rerum*. Poſt hæc ſecundæ interrogationi ſatisfaciens, ait non eſſe obediendum hominibus, quotieſcumque Divinis præceptis quidquam contrarium jubeant, eamque ad rem adducit verba Hieronymi, quæ retulit Gratianus in can. 93. cau. 11. qu. 3. Demum poſtremæ interrogationi reſpondet eiſdem verbis, quæ apud Gratianum leguntur poſt canonem 6. diſt. 32. Addidit Gratianus in eadem cau. 1. qu. 3. canonem 12. ex eadem epiſtola Urbani depromtum; ſed nemo non videt, priora ejuſdem canonis verba eſſe Gratiani, aut a

Gra-

Gratiano excerpta eſſe ex alio Collectore, & tantum ad Urbani epiſtolam pertinere verba verſiculi *quiſquis res &c.*, quæ referenda prorſus erunt ad memoratum canonem 8. eadem cauſſa, & quæſtione in verſic. *Quiſquis igitur*.

De Epiſtola ad Petrum Piſtorienſem, & Ruſticum Abbatem Vallis Umbroſæ.

Extat inter epiſtolas Urbani II. numero decimanona, quæ hunc titulum præfefert: *Urbanus II. Papa. Piſtorienſi, & Ruſtico Vallis Umbroſæ Abbatibus*. Eam edidit Severinus Binius ex MS. Bibliothecæ S. Victoris Pariſienſis ad ſe miſſam a Picardo Eccleſiæ ejuſdem S. Victoris Canonico Regulari his verbis expreſſam: *Scripſiſtis nobis maximum apud vos ſcandalum emerſiſſe, quod Piſanum Epiſcopum conſecraverimus, quod a Guezelone hæretico Diaconus fuerat ordinatus. Et nos profecto ſcimus, Guezelonem hæreticum fuiſſe, Moguntinumque Epiſcopatum ſimoniaco credimus facinore invaſiſſe, propter quem aut alium adquirendum Regi ſub anathemate poſito diu ſervierat, & propter adquiſitum omni vitæ ſuæ tempore deſervivit. Eundem & ipſi nos pro eadem cauſſa, qui ab excommunicatis conſecratus eſt, in ſynodali Concilio excommunicavimus, & ab omni eccleſiaſtico officio ſine ſpe reſtitutionis aliqua depoſuimus*. Hunc Guezelonem auctoritate Henrici Regis Moguntinum Archiepiſcopum inauguratum veteres appellant Wicellonem; etenim recentioribus facile fuit literam *W* immutare in *Gu*, uti memoratus Binius animadvertit. Hæc vero, quæ ex Binio apud Labbeum deſcripſi, eadem, arbitror, ſunt cum iis, quæ Gratianus deſcribere voluit in can. 24. cau. 1. qu. 7., licet apud Gratianum aliis loquendi formulis contexta oratio ſit, ſive in Gratiani codicem ex aliis codicibus aliter contexta oratio derivaverit. Extat in Regii Taurinenſis Athenæi Bibliotheca Codex MS. membranaceus Panormiæ, ubi in lib. 3. cap. 79. idem Gratiani monumentum refertur ſub hac inſcriptione: *VII.*, quæ adnotatio forte ſignificat *Urbanum Secundum*, ſejuncta litera *V* a literis *II.* Poſt hæc in eadem inſcriptione ſubſequitur: *A Petro Piſtorienſi, & Ruſtico Vallis Umbroſæ*. Vox illa *A* forte ſignificat *Abbatibus*. Baluzius in notis ad Gratianum refert eandem inſcriptionem legi in Panormia impreſſa Baſileæ, & in codice Victorino. Subjicit etiam in codice Victorino initium capitis eſſe hujuſmodi: *Daibertum a Gnezolone &c.* Et infra: *Negzelon hæreticus conſtat ab hæret. ordinatus, quia nihil habuit, dare nil potuit, cui manus impoſuit*; & mox: *neceſſitate ingruente diaconem*. In memorato autem MS. Taurinenſi Codice ita ſe ſe habent priora canonis verba: *Lambertum a Neghelone licet Simoniaco ſimoniace* (inter hæc poſtrema duo verba imminet ſuperimpoſita particula *non*, ſed diverſo charactere, quaſi legendum eſſet: *Simoniaco non ſimoniace*, uti legitur apud Gratianum) *ejuſdem confeſſione* (rurſum alio charactere, & eodem ipſo, quo in præcedentibus adjecta eſt negativa particula, inter poſtremas illas voces imminet nomen *Daiberti*, quaſi legendum eſſet: *Ejuſdem Daiberti confeſſione*) *reperimus in Diaconum ordinatum &c.* Quæ ſequuntur cum Gratiano optime conſonant. An Daiberti, an Lamberti, aut ſimile quodpiam nomen præferamus, parum, aut nihil intereſſe videtur. Verum negotium facere poteſt particula *non*, prout vel adjiciatur, uti adjicitur in vulgatis codicibus, vel detrahatur, quemadmodum detracta eſt in prælaudato MS.; etenim quoties a Gratianeo codice detrahenda foret, ſtatim

Can. 24. cau. 1. qu. 7.

conſequeretur, non fieri locum pœnis adverſus Simoniæ crimen indictis, niſi qui ordinatur, & a Simoniaco ordinaretur, & ipſe etiam ſimoniace ordinem conſequeretur, quod quidem eſt ſedulo obſervandum. Ego ſane ubi varios codices agnoſco, definitionem eo ſuſpendendam arbitrarer uſque, quo ex aliis eccleſiaſticæ prudentiæ monumentis confici res poſſet, eaque ratione Urbani monumentum explicari.

De Epiſtola ad Abbatem Sancti Ruffini.

Can. 3. cau. 19. qu. 3. Ad canonem 3. cau. 19. qu. 3. emendanda in primis inſcriptio erit vulgarium Gratiani codicum, non ſolum quod accuratiores codices alii aliter habeant, ſed etiam quod aliter legatur apud Ivonem Collectorem antiquiorem, & Urbano II. contemporaneum parte 6. cap. 411. ibi: *Urbanus II. Abbati S. Ruffi*. Ejuſdem Ivonis auctoritate non dubito, quo minus idem canon Urbano II. jure ſit adſcribendus, imo etiam ipſam Ivonis editionem ceteris præferendam arbitror ita expreſſam: *Statuimus, ne profeſſionis canonicæ quiſpiam, poſtquam Dei vice ſuper caput ſibi hominem impoſuerit, alicujus levitatis inſtinctu, vel diſtrictioris religionis obtentu ex eodem clauſtro audeat ſine Abbatis, totiuſque Congregationis permiſſione diſcedere, diſcedentem vero nullus Abbatum, vel Epiſcoporum, & nullus Monachorum ſine communi literarum cautione ſuſcipiat*. Neque vero demonſtrari ullo modo poteſt, hujuſmodi ſententiam aut non congruere Urbani temporibus, aut ceteris etiam Urbani canonibus non conſonare. Congruit in primis Urbani temporibus; etenim prodierant nuper Maximorum Pontificum, ac Conciliorum decreta, quibus Clerici omnes ad regularis vitæ profeſſionem vocati fuerant, ut ea ratione lapſa propemodum clericalis diſciplina reſtitueretur; propterea opportunum maxime fuerat identidem monere ſingulos, ne a ſuſcepto regularis vitæ propoſito ullo prætextu recederetur. Congruit etiam ceteris Urbani canonibus; nam in Concilio Melphitano ab eodem Pontifice celebrato anno 1089. cap. 10. ita ſtatutum legitur: *Præterea conſtituimus, nequis Epiſcopus, aut Primas, Monachum quemlibet vagantem in ſua Diœceſi, Provinciaque retineat, niſi Abbatis proprii fuerit literis regulariter commendatus*. Edidit præterea Baluzius in Miſcellaneis tom. 2. pag. 179. epiſtolam Urbani II. ad Petrum Præpoſitum, & Canonicos Eccleſiæ Ruthenenſis, in qua hæc leguntur: *Vitæ canonicæ ordinem, quem profeſſi eſtis, præſentis privilegii auctoritate firmamus, & ne cui poſt profeſſionem exhibitam proprium quid habere, neve ſine Præpoſiti, vel Congregationis licentia de clauſtro diſcedere liceat, interdicimus. Quod ſi diſceſſerit, & commonitus redire contempſerit, tibi, tuiſque ſucceſſoribus facultas ſit ejuſmodi ubilibet a ſuis officiis interdicere; interdictum vero nullus Epiſcoporum, Abbatumve ſuſcipiat, quamdiu ſcilicet illic canonici ordinis tenor, Domino præſtante, viguerit*. Idem decretum Urbani, quod apud Gratianum legitur, edidit quoque Stephanus Tornacenſis in epiſt. 1. ad Robertum Pontiniacenſem, & ex eo Manſius in tom. 2. Supplementi Labbeani pag. 82., ſed nonnihil immutatis verbis, ibi: *Item ſtatuimus, ne profeſſionis canonicæ quiſpiam Dei vice ſuper caput ſibi hominem impoſuit, alicujus levitatis inſtinctu, vel diſtrictioris religionis obtentu ex eodem clauſtro audeat ſine Patris totius Congregationis permiſſione recedere. Diſcedentes vero nullus Abbatum, vel Epiſcoporum, & nullus Monachorum ſine communi literarum cautione ſuſcipiat, ad hæc impetrata venia, ſalva reve-*

reverentia majorum, & gratia. Quem ad locum monet Baluzius in notis ad Gratianum, verba illa: *ad hæc impetrata venia, ſalva reverentia majorum, & gratia*, apud Stephanum Tornacenſem italico charactere edita, non eſſe Urbani, ſed potius ejuſdem Stephani. Non eſt quoque omittenda alia Baluzii animadverſio in illa verba *ſine communi literarum cautione*, ad quæ ait, eam formulam ſervatam poſtea fuiſſe a Romanis Pontificibus, quum Monaſteriis privilegia conceſſerunt, ejuſdemque rei fere innumera poſſe produci exempla, quorum unum refert in Bulla Lucii III. pro Monaſterio Montis Sancti Quintini, edita a Dacherio in notis ad Guibertum pag. 620., ibi: *Prohibemus inſuper, ut nulli fratrum veſtrorum, poſt factam in eodem loco profeſſionem, niſi arctioris religionis obtentu, ſine Abbatis ſui licentia fas ſit de eodem loco diſcedere. Diſcedentem vero abſque communium literarum cautione nullus audeat retinere*. Unum adhuc adjicio, nimirum eam Urbani II. epiſtolam hodie integre editam haberi ad calcem Pœnitentialis Theodori Cantuarienſis in editione Petiti tom. 2. pag. 614., & quidem aliis verbis exarata ſententia, quæ ad Gratiani canonem pertinet, ibi: *Statuimus enim, ut nemini inter vos profeſſione exhibita proprium quid habere, nec ſine tuo, fili Arberte Abbas, & eorum, qui poſt te in eodem regimine ſucceſſerint, aut ſine communi Congregationis licentia de clauſtro diſcedere liberum ſit, & ſi diſceſſerit, & commonitus redire contemſerit, tibi, tuiſque ſucceſſoribus facultas ſit ejuſmodi ubilibet a ſuis officiis interdicere, interdictum vero nullus Epiſcoporum, Abbatumque ſuſcipiat*.

De Epiſtola ad Bartholomæum Turonenſem Epiſcopum.

Non poſſum aſſentiri Gratiano, qui canonem 13. diſt. 56. tribuit Urbano II. in epiſtola ad Bartholomæum Epiſcopum Turonenſem: etenim conſtat Bartholomæum fuiſſe Turonenſem Epiſcopum jam anno 1059. ſub Nicolao Papa, ideſt triginta circiter annos, antequam Urbanus II. Sedem Pontificiam conſcenderet, ut patet ex Conventu Rhemenſi celebrato ſub Nicolao II. anno 1059.; conſtat etiam tempore Urbani Turonenſem Epiſcopum fuiſſe Rodulphum, ut patet ex epiſtola ejuſdem Urbani 36. in Appendice Labbeana, ſeu potius ex Actis Romæ in conſecratione Lamberti, quæ eidem epiſtolæ ſubjiciuntur, quæque referuntur ad annum 1093., imo & jam ab anno 1080. tempore Gregorii VII. obiiſſe Bartholomæum, eique ſucceſſiſſe Rodulphum patet ex Concilio Santonenſi anni 1080., in quo ſubſcriptio ipſius Rodulphi habetur. Cauſſa vero Cenomanenſis Epiſcopi, de qua in eodem canone agitur, demonſtrare etiam poteſt, caput illud eſſe Urbano II. antiquius. Nimirum agitur de Epiſcopo Cenomanenſi electo, de cujus admiſſione dubitatio ſuborta fuerat, quod Sacerdotis filius eſſe proponeretur. Hic plane alius eſſe nequit, quam Arnaldus, qui tempore Gregorii VII. Cenomanenſem Epiſcopatum geſſit, quique Sacerdotis filius eſſe dicebatur. Itaque auctor Urbano II. vetuſtior quærendus eſſet, cui Gratiani fragmentum tribueretur, vel Gregorius VII., uti credidit Baluzius in notis ad Gratianum, vel quidam Lugdunenſis Epiſcopus, ad quem, tanquam ad Primatem, ſpectabat de electione Cenomanenſis Epiſcopi ab Archiepiſcopo Turonenſi perficienda judicare juxta diſciplinam illius ætatis. Gratiano errandi occaſionem præbere potuit Panormiæ Codex, cujus in exemplari MS., quod aſſervatur in Taurinenſi Athenæo lib. 3., cap. 50. hæc leguntur: *Decretum* *Can. 13. diſt. 56.*

Gre-

Gregorii VII., & Urbani II. Preſbyterorum filios a ſacris Altaris miniſteriis removendos decernimus, niſi aut in Cœnobiis, aut in Canonicis regularibus religioſe probati fuerint converſari. Hic eſt canon 14. ex Melphitanis tempore Urbani II. editus, ac renovatus in Concilio Claromontano can. 25. Poſt hæc in cap. 51. ejuſdem Panormiæ quædam deſcribuntur ex Libro Pontificali; deinde in cap. 52. hic titulus ſequitur: *Bartholomæo Turonenſi Archiepiſcopo*, nullo tamen adjecto auctoris, ſive ſcribentis nomine, & poſt titulum ſubjiciuntur ſtatim verba dicti canonis 13. diſt. 56. Itaque Gratianus Urbano II. potius tribuendum putavit, quod ſine ullo auctoris nomine in cap. 52. Panormiæ legerat, Urbani II. nomen derivans ex capite 50. præcedenti. Unum adhuc animadvertendum ſupereſt, in memorato Panormiæ Codice ita legi: *Cenomanenſem electum pro eo, quod filius Sacerdotis dicitur, ſi ceteræ virtutes in eum conveniunt, pro tempore non rejicimus, ſed ſuffragantibus meritis &c.*

De Epiſtola ad Dominicum Gradenſem Patriarcham.

Can. 11. diſt. 32. Arbitror, perperam a Gratiano tributam fuiſſe Urbano II. epiſtolam ad Dominicum Patriarcham Gradenſem, ex qua depromtus ſcribitur canon 11. diſt. 32. Fuerat Dominicus jam in Patriarchatu Gradenſi tempore Leonis IX. anno 1053., ut patet ex epiſtola 2. ejuſdem Pontificis ad Epiſcopos Venetiæ, & Iſtriæ, in qua mentio fit de Dominico Gradenſi, quaſi jamdiu Gradenſem Patriarchatum teneret. Scimus etiam anno 1077. ſub Gregorio VII. vixiſſe Dominicum eundem, ut adparet ex epiſtola Gregorii VII. ad illum lib. 4. Regeſti epiſt. 26.; at veroſimile non videtur, Dominicum adhuc vixiſſe ſub temporibus Urbani II. Hinc placet potius Labbeum ſequi, qui canonem illum inter fragmenta Alexandri II. recenſuit circa annum 1065., his tamen verbis: *Erubeſcant impii, & aperte nos intelligant judicio Sancti Spiritus eos, qui in tribus ſacris gradibus, Preſbyteratu ſcilicet, Diaconatu, & Subdiaconatu poſiti mulierculas non abjecerunt, & caſte non vixerunt, excludere ab eorundem graduum dignitate. De manifeſtis loquimur, ſecretorum autem cognitor, & judex Deus eſt.* In Panormiæ Codice MS. Regii Taurinenſis Athenæi lib. 3. cap. 102. refertur idem fragmentum ſub hac inſcriptione: *Dominico Gradenſi Patriarchæ*, non adjecto ſcribentis Pontificis nomine; in capite autem præcedente refertur fragmentum quoddam ſub nomine Urbani II. Hinc veroſimile eſt, errandi occaſionem ſumſiſſe Gratianum, qui canonem depromturus ex Panormiæ Codice, quod tribuebatur ſcribenti ad Dominicum Gradenſem, cum de ſcribente non conſtaret, adſcripſit Urbano II., cujus nomen legebat in canone præcedente. Quoniam vero in eo ipſo MS. Panormiæ Codice aliqua ſcripturæ varietas ineſt, canon ipſe deſcribendus eſt, prout illic habetur, vel ex antiquiore codice emendandus: *Erubeſcant impii, & aperte nos intelligant judicio Sancti Spiritus eos, qui in tribus gradibus ſacris, Preſbyteratu ſcilicet, Diaconatu, Subdiaconatu poſiti mulierculas non abjecerint, & caſte non vixerint, excludere ab eorum graduum dignitate. De manifeſtis quidem loquimur; ſecretorum autem cognitor judex Dominus.* Ceterum ſententia hujus canonis æque convenit temporibus Alexandri II., ac temporibus Urbani II., quum facile ſciverit unuſquiſque, utriuſque ætate abuſum illum viguiſſe inter Clericos, ut mulieribus, aut etiam concubinis publico cum ſcandalo uterentur, eamque ob rem tum in Conciliis Alexandri II., tum in Conciliis Urbani II. ſaluberrimas plures editas fuiſſe conſtitutiones.

De

De Epiſtola ad Hugonem Gratianopolitanum Epiſcopum.

Plures hodie editæ ſunt nomine Urbani II. epiſtolæ ad Hugonem Epiſcopum Gratianopolitanum. Jacobus Petitus in ſuis adauctionibus ad Pœnitentiale Theodori Cantuarienſis tom. 2. pag. 525. plures hujuſmodi epiſtolas evulgavit excerptas ex Chartulario Eccleſiæ Gratianopolitanæ; verum ex omnes potius ſpectant ad jura Eccleſiæ Gratianopolitanæ ſervanda adverſus Guidonem Viennenſem Epiſcopum, nihilque habent commune cum Gratianeis canonibus, qui Urbano II. ad Hugonem ſcribenti tributi fuerunt. Baluzius in Miſcellaneis tom. 2. pag. 177. refert Can. 39. cau. 16. qu. 7.
etiam quandam epiſtolam ad Hugonem Epiſcopum Gratianopolitanum anni 1099. 11. Idus Maji, ad quam pertinere aliquomodo videtur canon 39. cau. 16. qu. 7., etenim illic iſta leguntur: *Conſtituimus ergo, ne ulli omnino hominum qualibet ſubreptionis aſtutia liceat veſtri Epiſcopatus poſſeſſiones invadere, minuere, vel auferre, aut Epiſcopatus veſtri decimas ſive veſtra conceſſione ſubripere, aut ſubreptas tenere, neque veſtri juris Eccleſias per manum laicam obtinere; ſed omnia, quæ juſte hactenus veſtra poſſedit Eccleſia, ſive in futurum domino adjuvante juſte, atque canonice poterit adipiſci in tua, tuorumque ſucceſſorum manu integra ſemper, & illibata permaneant*. Cum hæc plurimum cum Gratianei canonis ſententia conſonent, in hunc locum Gratianeum ipſum fragmentum retuli, quaſi jure optimo laudari potuiſſet ex epiſtola Urbani ad Hugonem Gratianopolitanum. Ceterum referri etiam, & forte commodius poſſet ad canones 5., & 6. Concilii Melphitani ſub Urbano II. celebrati anno 1089., ſiquidem in can. 5. ita legitur: *Nullus laicus decimas ſuas, aut Eccleſiam, aut quidquid Eccleſiaſtici juris eſt ſine conſenſu Epiſcopi, vel Romani conceſſione Pontificis Monaſteriis, aut Canonicis offerre præſumat.* Et in can. 6. *Nullus Abbas, nullus Eccleſiarum Præpoſitus quæ juris ſunt eccleſiaſtici accipere ſine Epiſcopi conceſſione præſumat*. Huc quoque referri poteſt canon ille Melphitani Concilii, quem ex vetuſto Codice Vaticano edidit Manſius in Supplemento Labbeano tom. 2. pag. 85. his verbis: *Perlatum eſt ad Sanctam Synodum, quod ſint quidam Epiſcopi, & Abbates, qui colonos ad ſe pertinentes non ſinant decimas dare ad Eccleſias, ubi miſſas audiunt, & infantes eorum baptizantur. Proinde decrevit ſacer iſte conventus, ut Epiſcopi, & Abbates de vineis, vel agris, ac frugibus, quæ ad ſuum, vel fratrum uſum laborant, decimas ſibi pro benedictione, vel hoſpitum ſuſceptione habeant: familiæ vero ibi dent decimas ſuas, ubi per totum anni circulum miſſas audiunt, & infantes eorum baptizantur.*

Epiſtola Urbani ad Hugonem Gratianopolitanum, ex qua depromtus eſt canon
11. cau. 35. qu. 2. in Collectionibus Conciliorum, ac Decretalium Pontificiarum Can. 11. cau. 35. qu. 2.
minime reperitur. Nihilominus tamen eadem tanquam genuina recipienda erit; in primis enim laudanda eſt Romanorum Correctorum ſolertia, qui inſcriptionem canonis emendaverunt olim corruptam, quæ nimirum ita exhibebat: *Urbanus II. Gratiano Neapolitano Epiſcopo*, vel alibi, uti notavit Baluzius, *Gratiano Apolitano Epiſcopo*, vel alibi, *Gratiano & Apolitano Epiſcopo*. Deinde epiſtolæ ejuſdem fidem facit integra Ivonis contemporanei ſcriptoris epiſtola 232. ad Hildebertum Cenomanenſem Epiſcopum, in qua, quoniam Urbani ejuſdem epiſtolæ argumentum exhibetur, integra referenda utilis erit labor ad Gratianei canonis interpretationem. Ita ſcribit Ivo: *De viro, qui antequam uxorem duceret, circa maritalia*

loca

loca matrem ejuſdem uxoris exteriori pollutione maculavit, nihil ſanius reſpondere valeo, quam quod Papa Urbanus reſpondit Hugoni Gratianopolitano Epiſcopo conſulenti cum de ſimili negotio: reſpondit enim ex conſulto, propter tale flagitium legitimum ſolvendum non eſſe matrimonium. Conſuluit tamen diligentiſſimis, & diſtrictiſſimis examinationibus eſſe perquirendum, utrum in tali turpitudine contigerit aliqua carnis commixtio, per quam fierent in commixtione ſeminata una caro, propter quam fieri debet male initi, vel violati matrimonii disjunctio. Audivi enim, quod vir ille, de quo agitur, de objecto crimine examinatione igniti ferri ſe purgaverit, & a læſione ignis illæſus repertus ſit. Quod ſi ita eſt, & hoc in Sacramento purgationis ſuæ poſuit, quod nunquam cum matre uxoris ſuæ una caro fuerit, contra divinum teſtimonium nullum ulterius inveſtigandum intelligo eſſe judicium. Vale. Ex hac Ivonis epiſtola facile intelligit unuſquiſque, non ſolum Gratiani canonem jure optimo Urbano II. ad Gratianopolitanum Epiſcopum ſcribenti adtribui debuiſſe, verum etiam percipiet, de qua re interrogatus Urbanus fuerit, & quomodo juxta propoſitam ſpeciem reſponderit. Unum adjicio: nimirum idem canon Gratianeus legitur in quadam antiqua Collectione canonum incerti auctoris MS., quæ adſervatur in Bibliotheca Regii Taurinenſis Athenæi: Diſtributa eſt illa Collectio in libros 7., quorum in quinto cap. 204. ita legitur. *Urbanus Papa: extraordinaria pollutio non in naturalibus admiſſa citra maritalem affectum, licet ſæpius repetita, non videtur impedire, aut ſeparare conjugium.* Et quidem ita editum Urbani Papæ monumentum paulliſper differt ab editione Gratiani: verum quæ editio ſequenda potius ſit, jure optimo ambigerem, cum utri Collectori præſtanda major ſit fides, prorſus ignorem. Hanc viam ineundam crederem, ut ea lectio præferatur, quæ magis accommoda eſt memoratæ Ivonis epiſtolæ.

De Epiſtola ad Guarnerium Narbonenſem Epiſcopum.

Can. 37. diſt. 50. In inveſtiganda vera inſcriptione canonis 37. diſt. 50. jam plurimum elaboravit Baluzius, qui in notis ad Gratianum ſcribit, in Codice Sangermanenſi hanc eſſe inſcriptionem: *Unde Urbanus ſecundus ſcribit Guarnerio Mereburgenſi Epiſcopo*, ſic quoque ſcriptum primo fuiſſe in Regio Codice, ſed poſtea emendatum, & pro *Mereburgenſi* repoſitum *Nerebonenſi*, puncto addito ſub litera *e*, quod ſignificat hanc quoque literam eſſe delendam, ut ſcribatur *Nerbonenſi*. Addit præterea, antiquum librum Victorinum, & primam editionem Panormiæ habere *Nerbonenſi*; ceteros, & antiquam editionem Moguntinam, & Venetam *Narbonenſi*, quo etiam modo legitur in Lovanienſi Panormiæ editione lib. 3. cap. 154. Non ita ſane legitur in Codice MS. Panormiæ Regii Taurinenſis Athenæi, ubi hæc habetur inſcriptio: *Urbanus II. Garnerio Mereburgenſi Epiſcopo*. Equidem certum eſt, proſequitur Baluzius, nullum ea tempeſtate Narbonenſem Archiepiſcopum fuiſſe Guarnerium, ſed Dalmatium, cujus ſucceſſor Bertrandus ex Cathedra Nemauſenſi ad Narbonenſem translatus eſt ab Urbano II. Notat Guillelmus Catellus in libro 5. Memoriarum Hiſtoriæ Occitanæ pag. 784., in antiquis Codicibus MSS. hoc caput inſcriptum eſſe *Guerino Neubrigenſi Epiſcopo*; ſed nec Baluzio placuit hujuſmodi inſcriptio, cum nullus unquam Neubrigenſis Epiſcopus fuerit. Placuit potius legere, uti exhibebat antiquus Codex Victorinus (quod etiam ſuperius adnotabam legi in Taurinenſi Codice) *Urbanus II. Garnerio Mereburgenſi Epiſcopo*. Werne-

ſum

rum autem fuiſſe Merſeburgenſem, ſive Marſpurgenſem in Germania Epiſcopum ab anno 1073. uſque ad tempora Paſchalis II. docet ex Broturſo Johannes Gualterius in Chronico Chronicorum. Poſt tam uberes Baluzii adnotationes nihil aliud addendum videtur, quod pertineat ad Gratianei canonis inſcriptionem. Quod vero ſpectat ad ipſius canonis ſententiam, illam ſub nomine Urbani relatam reperio in Actis Concilii Bellovacenſi non multo poſt tempore celebrati, nimirum anno 1114. ſub Paſchali II. Urbani ipſius ſucceſſore, cujus verba hic deſcribam, quum paullisper diſcrepent a Gratianea editione. Poſt relata ibidem aliquot Sanctorum Patrum, ac Pontificu n monumenta, ipſius etiam Urbani epiſtolas nonnullas ita legitur: *Urbanus Gar . . . . . Clericum, quo jaciente lapidem puer dicitur interemtus, nos pro amore tuo in eodem ordine permanere permittimus: ut tamen ſemper in pœnitentia, & timore permaneat.*

De Epiſtola ad Albertum Metenſem Epiſcopum.

Num canon 3. cau. 1. qu. 5. jure Urbano II. tribuatur, incertum prorſus eſt, ex eo, quod integra, quæ ibidem memoratur ad Albertum Metenſem Epiſcopum, epiſtola perierit. Sane Pontificum Epiſtolæ illæ, quæ ſingularibus propoſitis geſtis, veluti privata quædam reſcripta, ſunt accommodatæ, nec generalem continent diſciplinam, difficilius adſervari conſueverunt: vix illas Scriptor, aut Collector aliquis, data occaſione commemoravit, cujuſmodi eſt reſcriptum, de quo in dicto canone 3. Si conſideraveris ipſam fragmenti inſcriptionem, forte illud ab Urbano abjudicabis; etenim non conſtat, Albertum Metenſem aliquem Epiſcopum fuiſſe, ſed potius Herimannum, ad quem ſcripta eſt epiſtola 53. lib. 1. in Regeſto Gregorii VII. Ante Herimannum fuit Metenſis Epiſcopus Adalbero, pro quo forte apud Gratianum Alberti nomen ſubſtitui facile potuit; aſt ſi Adalbero dicendus ſit reſcriptum iſtud recepiſſe, non erit reſcriptum tribuendum Urbano, ſed potius Victori II., aut alteri Pontifici, cui Adalbero contemporaneus fuerit. Quod ſi conſideraveris reſcripti ejuſdem ſententiam, ea certe non diſſonat a temporibus, & diſciplina Urbani II., ut propterea ea de cauſſa recte Urbano tributa videatur. Id facile demonſtratur ex canone 1. cau. 1. qu. 5., qui editus fuit in Concilio Placentino ſub Urbano eodem celebrato; hunc autem canonem ſi contuleris cum canone 3., agnoſces ſtatim eandem propemodum utrobique propoſitæ cauſſæ definitionem, niſi in eo diſcrimen reperias, quod canon 1. generalem exhibeat diſciplinam, in canone autem 3. ſingulare reſcriptum contineatur. In Concilio Bellovacenſi anni 1114. ſimilia traduntur ſub nomine Urbani II. his verbis: *Quicumque adhuc pueri cupiditate parentum aliquod eccleſiaſticum beneficium per pecuniam adepti ſunt, illo dimiſſo, ibidem miſericorditer & in ſacris Ordinibus vivere poſſunt.* Ad laudatum canonem 3. animadvertit Baluzius in notis ad Gratianum, in veteri codice Rivipullenſi legi *cuidam Principum ejus oblatam* pro eo, quod Gratianus habet *datam*, & in eodem libro infra ſic haberi: *Liceat eum ex conceſſione Epiſcopi ſui, fratrumque &c.*

Can. 3. cau. 1. qu. 5.

Digitized by Google

De Epiſtola ad Epiſcopum Vapicenſem.

Can. 5. cau. 15. qu. 6. Canonem 5. cau. 15. qu. 6. retulit Gratianus ſub hac inſcriptione: *Urbanus II. Epiſcopo Vapicenſi*. Forte is eſſe potuit Leodegarius Vapicenſis in Delphinatu Epiſcopus, ad quem extat ſcripta Gregorii VII. epiſtola in lib. 7. Regeſti epiſt. 21. ad annum 1079. Idem Gratiani fragmentum in Codice MS. Panormiæ Regii Taurinenſis Athenæi refertur pag. 92. col. 2. ſub hoc titulo: *Urbanus II. Vapicenſi Hedrenſis Diœceſis Epiſcopis*. In editis Panormiæ exemplaribus parte 5. cap. 111. paullo aliter ſe ſe habet canonis inſcriptio, nimirum: *Urbanus II. Vapicenſi, & Dienſi Epiſcopis*. Baluzius in notis ad Gratianum teſtatur, ſe in Codice Victorino ita ſcriptum vidiſſe: *Urbanus II. Edrenſi, Vapicenſi, Dienſi Epiſcopis*, & melius in Codice MS. Monaſterii Rivipullenſis: *Urbanus II. Ebredunenſi, Vapincenſi, Dienſi Epiſcopis*. Subdit etiam ad vocem *Hugoni*, ita quidem habere Gratiani codices omnes, uno excepto Sangermanenſi, qui *Wigoni* habet, quam lectionem optimam arbitratur, quod in Codice Rivipullenſi ita diſerte ſcriptum viderit; monet demum in duobus Codicibus Victorino, & Rivipullenſi pro illis Gratiani verbis *prohibeto. Qui ſi Sacramenta . . . Principi juraverunt &c.* legi: *prohibete: quod ſi Sacramenta . . . Principi juraverunt &c.* In laudato Taurinenſi Codice MS. eadem verba leguntur, quæ in vulgaribus Gratiani codicibus. Epiſtola autem integra Urbani apud Collectores minime reperitur; nihilominus tamen minime dubito, quin recte eidem Pontifici adſcripta fuerit, cum epiſtolæ argumentum, formulæque ibidem expreſſæ Urbani temporibus apprime conveniant. Revera fuit ſub Urbano II. apud Gallos Hugo quidam Comes de Inciaco, qui armata manu in villam Sancti Gaucerici veniens treviam Dei fregerat, ut illius temporis Acta perhibent (treviam Dei frangere dicebatur tunc quicumque, aut res eccleſiaſticas pro lubito invadebat, aut res quidem alias occupabat, ſed certis diebus Deo dicatis, quemadmodum deducitur ex Concilio Rothomagenſi anni 1096. can. 1. 2., & ſequentibus). Cameracenſi Eccleſiæ infenſus Comes illius jura, ac prædia devaſtaverat, in quem propterea Rainoldus Rhemenſis Epiſcopus excommunicationis ſententiam, quemadmodum & in ejus aſſeclas, fautoreſque pronunciaverat. Id referunt Acta Concilii Compendienſis anni 1095. apud Manſium in Supplemento Labbeano, ubi legitur fragmentum epiſtolæ Rainoldi Rhemenſis ad Lambertum Epiſcopum Atrebatenſem his verbis: *Liquere vobis credimus, quoniam in Concilio, quod Compendii celebravimus, ad clamores Gerardi Cameracenſis Epiſcopi omnium præſidentium judicio in eum* (ideſt in Hugonem de Inciaco) *anathematis gladium exeruimus, & in omnes ejus cooperatores, & conſentaneos. Sed neque ideo ipſe, nec filius ejus Cameracenſem Eccleſiam perſequi deſtiterunt &c.* Hæc ſane Hugonis durities facilem occaſionem præbere potuit, ut cauſſa ad Urbanum deferretur, cujus deinde auctoritate ea ſententia prolata fuit, de qua in dicto canone 5.

De

De Epiſtola ad Guimondum Epiſcopum.

Guimondum, qui apud Gratianum Guitmondus, in MS. autem codice Panor- *Can. 3.*
miæ Willimundus appellatur, & ad quem Urbanus II. epiſtolam ſcripſiſſe fertur *cau. 24.*
in can. 3. cau. 24. qu. 2., illum ipſum fuiſſe arbitror, ad quem ſcripta extat *qu. 2.*
epiſtola Gregorii VII., ejuſdemque fragmentum in can. 5. diſt. 8., nimirum Epiſcopum Averſanum. Mihi ſuffragatur Ivo Carnotenſis coævus auctor, qui idem fragmentum referens in parte 14. cap. 68. illud tribuit Urbano in epiſtola ad Guimondum Epiſcopum Averſanum. Satis autem eſſe videtur Ivonem Carnotenſem memoraſſe, apud quem eadem epiſtola referatur, ut ſtatim illa jure Urbano II. adjudicetur. Nimirum fuit Ivo Urbano II. chariſſimus, imo ab eodem Pontifice Carnotenſem Epiſcopatum obtinuit, atque ſub finem Pontificatus Urbani ſuam edidit Collectionem, ut proinde nemo ſuſpicari facile poſſit, Virum Religioſum in epiſtolis Urbani referendis decipi potuiſſe, aut alios voluiſſe decipere. Quoniam vero Gratiani lectio paulliſper diſcrepat a lectione Ivonis, quæ ſane videtur anteferenda, hoc in loco Ivonianum canonem deſcribendum puto, ibi: *Sane quod ſuper Richardo Burrelli filio veſtra Fraternitas egiſſe innotuit pro zelo Dei, & animarum charitate, laudamus: ſed non adeo timendum, non adeo vobis ab ejus eleemoſynis abſtinendum. Inter ceteros quippe noſtræ fidei Patres B. Leo Doctor egregius, quibus, inquit, vivis non communicavimus, nec mortuis communicare debemus. Conſtat ergo, quoniam quibus vivis (ut ex oppoſito loquamur) communicavimus, mortuis quoque communicare poſſumus. Nos plane inter duo oppugnantia poſiti, impiis quidem, & ſchiſmaticis communicare nullo modo poſſumus, iſtis autem licet peccatoribus, & prædonibus diſpenſative pro tempore communicamus; quia & hactenus Eccleſiam ſuſtentaverunt, & ſe fideliores in poſterum pollicentur; alioquin oportet nos de hujus mundi partibus exire, ſub qua etiam ſponſione nos eis nuper in B. Petri natalitiis abſolutionem indulſimus. Quia ergo prædictus vir neque nominative excommunicatus, neque communicans excommunicatis ex nomine obiit, ſed in Domini ſui fide, atque ſervitio, licet nobis ejus, diſpenſative, ideſt quandiu eos nos patimur, eleemoſynis communicare, & defuncti animam Chriſtianæ Religionis moribus adjuvare.*

De Epiſtola ad Gofredum Epiſcopum Lucanum.

Eadem ratione, quod ſcilicet referatur apud Ivonem in parte 10. Decreti cap. *Can. 47.*
54. fragmentum epiſtolæ Urbani II. ad Gofredum, ſeu Gotifredum, ſeu Gode- *cau. 23.*
fridum Epiſcopum Lucanum, illud ipſum, quod legitur apud Gratianum in can. *qu. 5.*
47. cau. 23. qu. 5., non erit ſane ab eodem Pontifice abjudicandum. Deſcribenda tamen hic erunt eadem Ivonis verba, cum Gratiani editio nonnihil corrupta deprehendatur. Habet Ivo: *Excommunicatorum interfectoribus, prout morem Romanæ Eccleſiæ noſti, ſecundum ipſorum intentionem modum congruæ ſatisfactionis injunge. Non enim eos homicidas arbitramur, quod adverſus excommunicatos zelo Catholicæ Matris ardentes eorum quoslibet trucidaſſe contigerit. Ne tamen ejuſdem Eccleſiæ Matris diſciplina deſæviat, tenore, quem diximus, pœnitentiam ei indicite congruentem, qua Di-*

Digitized by Google

vinæ ſimplicitatis oculos adverſus ſe complacare pervaleant, ſi forte quid duplicitatis pro humana fragilitate in eodem flagitio contraxerunt. Ad interpretationem hujuſce canonis mihi non diſplicet illorum opinio, qui tradiderunt, non generaliter illum referendum eſſe ad eos, qui quoſcumque extra Eccleſiæ communionem poſitos interfeciſſent, ſed potius qui interfeciſſent illos, qui ideo erant excommunicati, quod treviam Dei fregiſſent, nimirum adhuc bellis privatis intendiſſent feriatis diebus. Nemo enim ignorat, quanta tum & ſollicitudine, & prudentia apud ſacros Antiſtites opus fuerit, ut aboleretur tandem pravus ille uſus privatorum certaminum, quæ temporum barbaries invexerat. Excommunicationis pœna ſi quoſpiam non amoviſſet a pravo conſilio, forte amovere poterat metus, ne occiderentur ab aliquo, dum interfector excommunicatorum ordinariam homicidii pœnitentiam ex indulgentia canonum non timebat.

De Epiſtola ad Petronium Epiſcopum Legionenſem.

Can. 14. diſt. 56. Si auctor Panormiæ revera eſſet Ivo Carnotenſis, quemadmodum nonnulli tradiderunt, jure etiam aſſerere unuſquiſque poſſet, tributum fuiſſe Urbano II. canonem 14. diſt. 56., qui eiſdem verbis legitur in Panormia, cujus MS. Codex Taurinenſis Regii Athenæi ita habet in inſcriptione: *Urbanus II. Pet.° in Legionenſi Epo.* Num recte legerit Gratianus, *Petronio Legionenſi Epiſcopo* plurimum dubitaverim; imo ego putaverim legendum potius eſſe *Petro Legionenſi Epiſcopo*, cum Petri Legionenſis mentio fiat in actis Concilii Hiſpanici anni 1088. apud Labbeum in Veneta editione tom. 6. pag. 567. Ceterum plurimum conſonat adjunctis temporum Urbani ejuſdem fragmenti ſententia; ſcimus enim tunc beneficia majora, præſertim Epiſcopatus, minus idoneis perſonis conceſſa fuiſſe, unde Pontifices Maximi identidem conſulebantur, & pro variis cauſſis modo aſperiore, modo indulgentiore utebantur diſciplina. Præcipue vero humaniter agendum fuit cum Legionenſi Epiſcopo, licet minus idoneo; etenim in Hiſpania tunc temporis, & quidem in ipſa Provincia Compoſtellana, in qua ſitus eſt Legionenſis Epiſcopatus, res eccleſiaſticæ propemodum univerſæ turbatæ erant, quamobrem Urbanus II. impenſe ſtuduit per Legatos miſſos, Primatumque Toletanæ Eccleſiæ conſtitutum, ut omnia in priſtinum reſtituerentur. In rebus autem maxime turbatis non erant rejiciendi Antiſtites illi, qui maxima cum humilitate, animique demiſſione, utcumque minus fortaſſe idonei, ad Sedem Apoſtolicam acceſſerant, germanam canonum ſententiam expectaturi a Pontifice Maximo, qualis fuiſſe exhibetur Petronius, ſive Petrus Legionenſis. Adde his, ad demonſtrandum jure tribui poſſe Urbano memoratum canonem, aliquo adhuc momento valere Panormiæ auctoritatem; ſive enim Ivo, ſive alius quiſpiam illius auctor extiterit, coævus tamen Urbano fuit, ac proinde non omnino contemnendus.

De Epiſtola ad Richardum Archiepiſcopum Genuenſem.

Can. 3. cau. 35. q. 6. Ad inſcriptionem canonis 3. cau. 35. qu. 6. notat Baluzius, in omnibus antiquis Gratiani exemplaribus, & editionibus caput iſtud inſcriptum eſſe Richario, vel

vel Richardo Epiſcopo Januenſi ; Codicem Sangermanenſem Ricarium Genuenſem vocare; veterem collectionem canonum Rivipullenſem *Ciriacho Genuenſi Epiſcopo*, Ivonem parte 9. Decreti cap. 33. *Cyriaco*; in Panormia edita lib. 7. cap. 85. *Richardo Januenſi Epiſcopo*; in Codice Victorino *Cariaco Genuenſi Epiſcopo*. (huic conſonat MS. Codex Panormiæ , in quo hæc eſt inſcriptio: *Urbanus II. Cariaco Genuenſi Epiſcopo, quomodo ſit inquirenda parentela*): Demum adnotat legendum eſſe *Cyriaco* ex eo, quod moneat Ferdinandus Ughellus tomo 4. Italiæ ſacræ pag. 1164. Cyriacum factum fuiſſe Epiſcopum Januenſem circa annum 1090., eamque Eccleſiam rexiſſe annis quatuor. Quod ſpectat ipſam canonis ſententiam, ego ab Ivone non arbitror recedendum, utpote illius ætatis ſcriptore. Fere autem conſonat cum Gratiano, dummodo pro illis Gratiani verbis: *Notificamus tibi, ut poſtquam tres . . . . quod ſi propinqui aut extranei &c.* legamus: *Notificamus tibi, ut ſi tres . . . quod ſi propinqui, vel extranei &c.* Notat Baluzius ad ea verba *defunctæ uxoris* &c., in omnibus antiquis libris, & veteribus editionibus, etiam apud Democharem, & Contium ita haberi: *Duo ex propinquioribus jam defunctæ uxoris, vel vivæ ejus, qui accuſatur, hanc &c.* In MS. nuper laudato Codice Taurinenſi Panormiæ pro illis verbis: *Remoto amore, timore, pretio, omni malo ſtudio &c.* legitur: *Remoto amore, timore præcipue, & omni malo ſtudio &c.* Ad eandem rem pertinet canon 1. Concilii Trojani apud Labbeum celebrati ab Urbano II. anno 1093. ibi: *Epiſcopi, quorum Diœceſani ſunt, eos uſque in Pentecoſten trina advocatione conveniant. Tunc ſi duo viri, vel tres, conſanguinitatem jurejurando firmaverint, vel ipſi forte confeſſi fuerint, conjugia diſſolvantur. Si vero neutrum contigerit, Epiſcopi eos per baptiſmum Chriſti, per fidem Chriſti, per Chriſti judicium in vera obedientia obteſtentur, quatenus palam faciant, utrum ſe, ſicut fama eſt, conſanguineos recognoſcant. Si negaverint, ſibi ipſis relinquendi ſunt; ita tamen ut ſi aliud in conſcientia habeant, ſe a liminibus Eccleſiæ, a Corpore, & Sanguine Domini, a fidelium communione noverint ſegregatos, atque infames effectos, donec ab inceſti facinore deſinant. Si ſe judicio Epiſcoporum ſegregaverint, ſi juvenes ſunt, alia matrimonia contrahere non prohibeantur.*

De Epiſtola ad Sanctium Regem Aragonum.

Rurſum ad canonem 3. cau. 31. qu. 2. adnotat Baluzius, variam eſſe in diverſis codicibus monumenti inſcriptionem; etenim in Gratiani Codice Regio, Sangermanenſi, & prima editione Moguntina, animadvertit legi. *Item Sanctio Regi Aragonum*, & in aliis codicibus MSS. & editione Veneta *Sacrato*, vel *Sacratio*. Non inde ſane colligas, tribuendum eſſe Hormiſdæ Pontifici, cujus eſt præcedens canon; nam errandi in inſcriptione occaſionem præbere poſſet auctor Palearum, qui inter duo Urbani fragmenta, nimirum canonem 1. & canonem 3. fragmentum epiſtolæ Hormiſdæ Pontificis inſeruit. Apud Ivonem in parte 8. Decreti cap. 24. hæc habetur inſcriptio: *Urbanus Satino Regi Aragonum*. In Panormia editionis Lovanienſis lib. 6. cap. 109. *Item Sanctio Regi Aragonum*, in editione Sebaſtiani Brant. *Item Sacratio Regi Aragonum*; in Taurinenſis Panormiæ Codice MS. jam ſuperius laudato: *Urbanus Sancio Regi Aragonum*. Antonius Auguſtinus Dial. 5. lib. 1. de emendat. Gratiani monet in libro Cæſarauguſtano ſcriptum Can. 3. cau. 31. qu. 2.

Digitized by Google

ptum legi: *Urbanus ſecundus Sanctio Regi Aragonum*. Nonnulla præterea notatu digna ſunt in ipſo canone; etenim in memorato Codice MS. Panormiæ Taurinenſi pro illis verbis *ſub fidei pollicitatione* ita legitur breviatis characteribus *ſub ƒdi pollicitatione*, quæ ſcriptura hanc commodiorem pateretur interpretationem *ſub fideli pollicitatione*; item pro verbo *decernimus* legitur *diſcimus*, deinde pro verbis *aut crimen fornicationis incurrat*, ita legitur breviatis characteribus *aut ēm̄ fornicationis incurrat*; veroſimile autem eſt, in particula *ēm̄*, quæ forte exprimit *etiam* forte exſcriptores intellexiſſe *crimen*, priorem literam *e* vertentes in literam *c*. Demum poſtrema illa Gratiani verba: *Qui eam conjunxit invitam, quod pari tenore de viro eſt etiam ſentiendum*; in eodem MS. Codice alio charactere deſcripta ſunt, ut propterea tamquam ſuſpectæ fidei haberi merito poſſint. His conſonant exemplaria, quæ edidit Manſius in tom. 2. ſupplementi pag. 83., ubi poſtrema illa verba: *Quod pari tenore de viro eſt etiam ſentiendum* deſiderantur. Deſcribam, quale hic habetur, integrum monumentum, in quo nonnihil agnoſcitur varietatis. *De neptis tuæ conjugio, quam te cuidam daturum neceſſitatis inſtante articulo ſub fidei pollicitatione firmaſti, hoc æquitate dictante decernimus, ut ſi illa virum, ut dicitur, omnino renuit, & in eadem voluntatis auctoritate perſiſtit, ut viro illo prorſus ſe deneget nupturam, nequaquam eam invitam, & renitentem ejuſdem viri cogas conjugio ſociari; quorum enim unum corpus eſt, debet eſſe & animus, ne forte cum viro alii in vita fuerit copulata contra Domini, Apoſtolique præceptum, aut reatum diſſidii, aut crimen fornicationis incurrat. Cujus videlicet peccati malum in eum redundare conſtet, qui eam conjunxit invitam*. Non eſt prætereundum, idem monumentum haberi etiam apud Hildebertum de Lavardino Cenomanenſem Epiſcopum Urbano II. coævum, qui in epiſt. 42., poſtquam tradidit conſenſum conjugum in matrimonio requiri, ita proſequitur: *Hoc etiam Urbanus Papa non tacuit ſuper Aragonum Regem, qui neptem ſuam cuidam militi ſe daturum ſub fidei profeſſione firmaverat, canonicum proferens in hæc verba capitulum: De neptis tuæ conjugio &c.* Sequuntur hoc loco, quæ leguntur apud Gratianum uſque ad illa verba: *Qui eam conjunxit invitam*; nam poſtrema illa: *Quod pari tenore &c.* apud eundem Hildebertum etiam deſiderantur.

De Epiſtola ad Vitalem Presbyterum Brixiæ.

Ut expendantur canones 2. cau. 1. qu. 5., 4. cau. 30. qu. 3., & 6. cau. 30.
Can. 2. cau. 1. qu. 5. Can. 4. cau. 30. qu. 3. & Can. 6. cau. 30. qu. 4.
qu. 4., depromti ex eadem epiſtola Urbani II. ad Vitalem Presbyterum Brixiæ nihil aptius adferri poteſt, quam quod ad dictum canonem 2. Baluzius tradidit in notis ad Gratianum, quibus vix quidpiam addi poſſe videtur. Ait ille, epiſtolam illam integram haberi in vetere Codice MS. Monaſterii Rivipullenſis. Ejus initium eſt: *Urbanus II. Vitali Presbytero Brivenſi. Super quibus &c.*, ut in dicto canone 4., deinde: *Quod autem uxor &c.*, ut in dicto canone 6. denique *Porro eos, qui &c.* ut in dicto canone 2. Quis autem fuerit Vitalis ille, dubium faciunt antiqui Codices Manuſcripti. Apud Gratianum vocatur Presbyter abſque titulo, ſed Correctores Romani admonent in libro MS. decretorum Pontificum citari ex Nicolao ad Vitalem Presbyterum Pruvienſem. Rectius tamen dicitur derivatum ex epiſtola Urbani II. Antiqui Codices Regius, & Sangermanenſis canonem

nonem tribuunt Urbano II. ſcribenti ad Vitalem Presbyterum Brixiæ; in optimo tamen, & vetuſto codice Monaſterii Rivipullenſis, qui ſcriptus eſt ævo Paſchalis II., capita illa conſtanter inſcribuntur Vitali Presbytero Brivinenſi, quo etiam modo legitur in vetuſtiſſima Collectione Canonum MS., quæ fuit Claudii Puteani. Ex his Baluzius prope eo adducebatur, ut intelligeret fuiſſe eam epiſtolam ſcriptam ad Vitalem Presbyterum Brivenſem in finibus Lemovicum. Verum eum dimovit antiquus auctor vitæ Anſelmi Epiſcopi Lucenſis a Sebaſtiano Tengnagelio editus, apud quem mentio fit cujuſdam Vitalis Brixienſis Presbyteri eo ipſo tempore viventis. Hæc ejus ſunt verba: *Aliud quoque miraculum, quod confratre Vitali Brixienſis Eccleſiæ Presbytero, religioſæ vitæ Viro, aliiſque pluribus referentibus didici &c.* Ea auctoritate permotus Vir eruditus veram lectionem putavit, qua docetur epiſtolam ſcriptam eſſe ad Vitalem Presbyterum Brixienſem, tametſi libri optimi MSS. nomen habeant Vitalis Presbyteri Brivenſis. Imo exinde etiam dubitat, de capitulo *Conſuluit*, quod extat in tit. Decretalium de uſuris, quodque in prima Collectione Decretalium lib. 5. tit. 15. cap. 12. dicitur eſſe Urbani III. ad Brixienſem Presbyterum, num reſtituendum ſit Urbano II., nam Antonius Auguſtinus illic admonet Presbytero Brixienſi inſcriptum illud eſſe in tribus Libris Tarraconenſibus, licet hanc inſcriptionem omiſerint Raymundus, & Contius.

De can. 2. cau. 19. qu. 2., qui editus ab Urbano dicitur in Capitulo Sancti Ruffini.

Eruditi omnes quotquot Gratianeis canonibus notas adjecerunt, dum devenerunt ad canonem 2. cau. 19. qu. 2. legendum exiſtimarunt in inſcriptione: *Urbanus II. in capitulo Sancti Ruffi*, eodem modo, quo ſuperius etiam animadverti ad inſcriptionem canonis 3. cau. 19. qu. 3., imo Baluzius in notis Gratianeis aſſerit, decretum iſtud fortaſſe olim extitiſſe in epiſtola Urbani ad Arberium Abbatem, & Capitulum S. Ruffi data Tricaſtri anno 1096. 13. Kal. Octobris, quæ edita fuit a Fratribus Sanmarthanis valde decurtata, ubi hoc ipſum fragmentum deſideratur. Ego vero non facile eo adduci poſſum, ſed canonem illum confictum arbitror ab otioſo quodam Monacho, qui monaſticis exemtionibus forte plus æquo conſiſtens, ita de illis ementito Sancti Pontificis nomine diſſeruit, ut extra germanam, rectamque ſacri Eccleſiæ regiminis viam proſilierit. Sane hoc monumentum nec in Panormia, nec in decreto Ivonis legitur, unde me nemo ex Collectoribus Urbano coævis tenet. Ivo autem, vel Panormiæ auctor, qui Urbani II. decreta præ manibus diu verſabant, non omiſiſſent iſtiuſmodi monumentum, tanquam inſigne ad aſſerendam monaſticam libertatem, ſi illud præ manibus habuiſſent. Neque temere id de quibuſdam Monachis illius ætatis dictum eſt, cum de adulterinis, confictiſque Privilegiis, & Conſtitutionibus apoſtolicis convicti fuerint. Præter ea, quæ initio hujus capitis paucis præfatus ſum, perſpicuum, & inſigne exemplum præſefert Juretus in obſervationibus ad epiſt. 65. Ivonis Carnotenſi de Monachis B. Walerici, quorum fraudem detexit Godefridus Ambianenſis Epiſcopus, cum veſte abterſiſſet atramentum ſcripturæ recentis. Neque vero in medium proferatur auctoritas Stephani Tornacenſis, qui in epiſt. 1. hunc eundem canonem laudavit; etenim ipſe, ſicut alii quicumque poſt Gratianum ſcripſerunt,

 Gra-

Digitized by Google

Gratiani fidem ſequuti ſunt, & ex illo Collectore decepti. Profecto ſufficit exhibere ſententiam propoſiti canonis, ut non ſolum pateat, Urbanum Pontificem longe ab illa diſtare, verum etiam in oppoſitam penitus partem non ſemel declinaviſſe. Proponitur ibidem duas eſſe leges, publicam unam ab eccleſiaſticis Antiſtitibus ordinatam, privatam alteram, quam Sanctus Dei Spiritus in corde uniuſcujuſque fidelis intimo quodam, & inviſibili charactere deſcripſit. Subjicitur deinde, privatam hanc legem multo digniorem eſſe publica, ac propterea legi publicæ anteferendam, quatenus Spiritus Dei ipſe lex eſt, & Spiritui Dei obſequendum eſt, non reſiſtendum. Ergo concluditur, Epiſcopis contradicentibus reſiſti poteſt lege privata, quia ubi Spiritus Dei, ibi libertas ſine lege. Quis non horreat iſtiuſmodi principia altius repetita, quam propoſitum poſtularet? Etenim canonis auctor exinde colligebat, poſſe unumquemque etiam Clericum muneri eccleſiaſtico addictum, invito Epiſcopo, monaſticam vitam appetere, ac profiteri; quod ut demonſtraret eo adductus eſt, ut divinitus inſtitutum Eccleſiæ publicum regimen diſſolvere videatur. Quod enim majus & ſchiſmatibus, & hæreſibus, ipſis etiam immanibus flagitiis patrocinium accedere poteſt, quam hæc de privata lege legi publicæ anteferenda doctrina, cujus ſane prætextu nullæ leges, nulla jura optime, ſanctiſſimeque firmata uſquam conſiſtent. Vel enim qui ſpiritu privato, quem Spiritum Dei appellat auctor canonis, agitur, puro, putoque ſui ipſius conſilio relinquendus eſt, vel Superiorum adhuc judicia expectabit. Si primum, dummodo agenti ipſi lubeat, quid non licebit? Si alterum, fruſtra adſeritur privatam legem legi publicæ, ſive Superiorum voluntati anteferri. Quotquot ab Eccleſiæ communione extorres hodiernis temporibus ſunt, in ſuæ hæreſeos patrocinium in has quoque pernicioſas Reipublicæ Chriſtianæ opiniones iverunt, nihilque aliud, quam hæc Eccleſiæ matri, a qua receſſerunt, opponere potuerunt. Fateor quidem ſingulari Dei ſpiritu nos aliquando, pluries etiam illuſtrari, & moveri ad optima; ſed hujuſmodi illuſtratio Superioris adhuc auctoritate probanda eſt, ne forte mali ſpiritus illuſiones cum Divina illuſtratione perperam confundamus. Quod ſi Spiritus Dei legem ipſam, ut dicitur, privatam inſpirat, magis ſane, ac magis inſpirat legem, ut dicitur, publicam, quippe qui publicis Eccleſiæ Magiſtratibus magis, quam privato unicuique fideli illuſtraturus adſtat; qua in ſpecie is potius dicetur agi Spiritu Dei, qui legi publicæ obtemperet, quam qui privatæ indulgeat voluntati, ubi nimirum privata voluntas lege publica diſtrahitur, vel impeditur: neque enim ſibi metipſi contrarius eſſe poteſt ſpiritus idem in duabus legibus, publica, uti in eodem canone dicitur, & privata. Nuſquam in has ſententias iviſſe credendus eſt Urbanus, qui non ſemel publicam hujuſmodi legem præ privata longe cuſtodiendam prædicavit. Conſtat id ex canone 2. & 5. cau. 19. qu. 3., quos Urbano II. idem Gratianus adtribuit. Ibi enim ſtatuitur, contra quam in dicto canone 2. cau. 19. qu. 2. legatur, neminem ex Canonicis regularibus, aut ex Monachis poſſe ad arctiorem vitam in alio Monaſterio ducendam tranſire, niſi Superioris conſenſus acceſſerit. Quomodo intelligi poteſt Urbanus decreviſſe, modo Superiorum auctoritatem, ac conſenſionem neceſſariam fore, modo nulla ratione attendendam, & privato conſilio poſtponendam? Nimius libertatis amor videtur illuſiſſe auctori hujus monumenti, quem non alium, niſi otioſum quendam, & falſarium Monachum jure optimo fuiſſe ſuſpicatus ſui.

De

De Canone 2. cau. 8. qu. 3., quem ex geſtis Urbani II. ſe excerpſiſſe Gratianus ait.

Ad interpretationem canonis 2. cau. 8. qu. 3., quem Gratianus laudavit, quaſi depromtum ex geſtis Urbani II., nihil accommodatius huc adferri poteſt, quam quod tradit Baluzius in libro de Concord. Sacerd. & Imp. lib. 5. cap. 41. Ait ipſe in primis, apud omnes eruditos perſpectiſſimum hodie eſſe., canonem illum mendis eſſe corruptum, ubi præſertim memoratur Arelatenſis Epiſcopus, veluti Suffraganeus Archiepiſcopi Narbonenſis, quemadmodum etiam agnovit Stephanus Tornacenſis Epiſcopus, qui paullo poſt editum Gratiani codicem, Gratianeum idem opus gloſſemate illuſtravit, Correctores præterea Romani, qui pro nomine Epiſcopi Arelatenſis ſubſtituendum voluerunt nomen Epiſcopi Electenſis, quod Electenſis Epiſcopus eſſet Suffraganeus Archiepiſcopi Narbonenſis. Licet autem emendationem Franciſcus Boſquetus reprehenderit in notis ad Epiſtolas Innocentii III. pag. 114., tamen idem Baluzius neceſſariam probavit, quod agnoverit toto tempore, quo Urbanus Pontificatum tenuit, nullum fuiſſe Arelatenſem Epiſcopum nomine Artaldum, ſed ad Arelatenſem Cathedram poſt depoſitum Achardum in Concilio Avenionenſi, anno 1076. evectum fuiſſe Gibelinum, qui eam tenuit uſque ad annum 1107., quo ad Patriarchatum Hieroſolymitanum translatus eſt, uti teſtatur Willelmus Tyrius lib. 11. cap. 4. Tandem poſt hæc concludit Baluzius, agi ibidem de Helenenſi, ſeu Elenenſi Epiſcopo, (cujus Epiſcopatum hodie Perpinianum translatum ſcimus) in finibus Galliæ Narbonenſis conſtituto; & quidem de hoc Epiſcopo teſtatur ſe vidiſſe duos veteres codices MSS., præterea Arnaldum fuiſſe Elenenſem Epiſcopum anno 1087. docet, eumque paſſum fuiſſe controverſiam a Dalmatio Archiepiſcopo Narbonenſi propter cauſſas in hoc ipſo Gratiani capite commemoratas, donec Romam pergens ab Urbano Pontifice conſecratus fuit in Epiſcopum. Hic tamen finem non habuerunt diutiſſimæ concertationes inter Artaldum, & Dalmatium Metropolitam, quandoquidem Urbanus Papa ſcribens ad Raynerium Legatum ſuum ei mandavit, ut de cauſſa Elenenſis Epiſcopi diligenter inquireret, eandemque finiret, his verbis: *Elenenſis quoque Epiſcopi cauſſam diligenter inquirito, & inter Narbonenſem Epiſcopum, & ipſum juſto omnia judicio definito*. Huc uſque Baluzius in loco laudato, cujus obſervationi nihil ſane amplius addendum videretur, niſi Baluzius idem nonnulla adhuc obſervanda credidiſſet in ſuis notis ad Gratianum. Ait ille, in veteri collectione canonum MS., quæ fuerat Viri clariſſimi Claudii Puteani, hæc, quæ ſequuntur, paullo aliter legi, quam apud Gratianum: *Canonicis juraverat . . . hujuſmodi ſacramentum . . . . feci, nullam conventionem ante . . . conſecrationem meam . . . criminis ejus conſcius ſum . . . a ſacerdotio me repellat*. Ceterum, ſubdit ille, omnia antiqua Gratiani exemplaria MSS., & edita habent *a ſacerdotio me repellat*, quæ verba optimum ſenſum faciunt, ut mirum ſit, hanc lectionem fuiſſe repudiatam a Correctoribus Romanis, qui *a ſacra me unctione repellat*, edere maluerunt. Subjicit demum ibidem nonnulla, quæ pertinent ad jura Eccleſiæ Elenenſis, quæ huc non refero, quia parum, aut nihil conferunt ad Gratianei capitis interpretationem.

De ceteris Capitibus nomine Urbani II. laudatis.

Can. 1. & 11. *diſt.* 56. Quædam adhuc ſuperſunt diſcutienda fragmenta Urbano II. apud Gratianum tributa, quin in Gratiani codice deſignetur monumentum, ad quod eadem ſint exigenda. Ex his eſt in primis canon 1. diſt. 56., qui apud auctorem Panormiæ non tam Urbano II., quam Gregorio VII. adtribuitur. Revera in Codice Panormiæ MS., qui aſſervatur in Regia Taurinenſis Athenæi Bibliotheca lib. 3. cap. 50. ita legitur: *Decretum Gregorii VII., & Urbani II. Presbyterorum filios a ſacris Altaris miniſteriis removendos decernimus, niſi aut in Cœnobiis, aut in Canonicis regularibus religioſe probati fuerint converſati*. Si acta Urbani II. evolvamus, eadem omnino verba legemus in epiſtola ejuſdem Papæ ad Pibonem Epiſcopum Tullenſem, quam numero 17. refert Labbeana Veneta editio in Appendice. Eadem fere verba leguntur in Concilio Melphitano anni 1089. can. 14. ibi: *Presbyterorum filios a ſacri Altaris miniſteriis removendos decernimus, niſi aut in Cœnobiis, aut in Canonicis religioſe probati fuerint converſati*. Idipſum ferme habetur in Concilio Claromontano anni 1095. can. 11. ibi: *Ut nulli filii concubinarum ad ordines, vel aliquos honores eccleſiaſticos promoveantur, niſi monachaliter, vel canonice vixerint in Eccleſia*. Hæc perſpicue probant, laudatum Gratiani canonem jure tribui Urbano II. potuiſſe, quum non ſolum in Conciliis ejuſdem temporibus celebratis, verum etiam in ejuſdem epiſtolis integer reperiatur. Sed præterea, ut ajebam ex Panormiæ auctore, tribui poſſet Gregorio VII., cum legatur expreſſus in Concilio ſub eodem Pontifice celebrato; etenim in Concilio Pictavenſi, quod Labbeus ex apographo Jacobi Sirmondi refert ad annum 1078., can. 8. ita legitur: *Ut filii Presbyterorum, & ceteri ex fornicatione nati ad ſacros gradus non provehantur, niſi aut Monachi fiant, aut in Congregatione canonica regulariter viventes, prælationes vero nullatenus habeant*. Atque ex his præterea adparet, huc referendum eſſe canonem 11. diſt. 56. Notanda porro eſt diſciplina illius ætatis; cum enim Clerici aut concubinis, aut uxoribus uterentur, rebus eccleſiaſticis quaſi familiaribus fruebantur, ita, ut eas in filios poſt mortem ſuam quaſi hæreditatem una cum Sacerdotio ipſo transferrent. Id ſane vertebatur in graviſſimam Eccleſiarum perniciem, quamobrem meliori modo conſuli non poterat Eccleſiarum utilitatibus, quam ſi ad vitam communem vel in Monaſteriis, vel in Canonicis locis ducendam Clerici vocarentur. Erat autem inter Monaſteria, Canonicaque loca diſcrimen, quod in Monaſteriis conſtituti tribus votis adſtringebantur ſub Abbate, certaque regula a Fundatore monaſtico præſtituta; at Canonica loca ad inſtar Clericalium Congregationum redigebantur ſub vitæ communis inſtituto, quales hodie dixeris Congregationes Clericorum S. Philippi, aliaſve ſimiles.

Can. 4. *diſt.* 60. Locum etiam hic habere videretur canon 4. diſt. 60., ſed hunc pertinere ad Concilium Beneventanum anno 1091. celebratum jam dixi in cap. 63. prioris partis hujus ejuſdem Operis, quemadmodum etiam de ceteris ſimilibus fragmentis differendum ibidem fuit.

Can. 6. *diſt.* 68. Canon 6. diſt. 68. inter ea, quæ hodie ſuperſunt Urbani II. Pontificis monumenta, minime legitur: verum nihil prohibet, quominus ejuſdem Papæ temporibus maxime convenire videatur; quum enim diræ tunc eſſent inter Clericos, &

Laicos

Laicos contentiones, quæ collationes ſpectabant ſacrarum dignitatum, nihil antiquius erat Viris eccleſiaſticis, quam tradere, Viros Apoſtolicos adhuc recentioribus temporibus exiſtere, quorum auctoritate Sacri Adminiſtri deſignarentur, quo pertinere videbatur illud Pſalmiſtæ: *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii*. His uſus ad eam rem eſt Paſchalis II., qui Urbano II. immediate ſucceſſit, ita ſcribens ad Henricum in epiſt. 93. apud Labbeum: *Præterea Propheta David ad Eccleſiam loquens ait: Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. Eccleſia filios genuit, Eccleſia Principes ſtatuit: poſſemus alia de Scripturis ſacris teſtimonia, & exempla proponere, quibus conſtaret Eccleſiæ Sponſos, ac Paſtores Epiſcopos non ſæcularium poteſtatum nutu, ſed Chriſti diſpoſitione, & Eccleſiæ judicio præponendos*. Qui hæc Paſchalis II. verba cum dicto canone 6. contulerit, facile agnoſcet, unam, eandemque eſſe ſententiam, ita ut recte idem canon 6. tribui forte poſſet Paſchali II., neque enim abſonum eſt & Paſchalis, & Urbani monumenta ita confuſa, permixtaque fuiſſe, ut quod unius eſſet, alteri apud Collectores tribueretur, quum uterque eodem ſæculo vixerit, eædemque controverſiæ ab utroque diſcuti, dirimique debuerint. Forte agnoſcendum erit, apud Gratianum in eodem canone 6. nonnulla addita fuiſſe ex S. Auguſtino, qui in enarratione Pſalmi 44. ita memoratum verſiculum interpretatus eſt: *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii: quid eſt, pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii? Patres miſſi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis filii nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi. Hodie enim Epiſcopi, qui ſunt per totum mundum, unde nati ſunt? Ipſa Eccleſia Patres illos appellat, ipſa illos genuit, ipſa illos conſtituit in ſedibus Patrum. Non ergo te putes deſertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paullum, quia non vides illos, per quos nata es, de prole tua tibi crevit Paternitas. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii: Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. Vide templum Regis, quam late diffuſum eſt, ut noverint virgines, quæ non adducuntur in templum Regis, non ſe ad iſtas nuptias pertinere. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. Hæc eſt catholica Eccleſia, filii ejus conſtituti ſunt Principes ſuper omnem terram, filii ejus conſtituti ſunt pro Patribus. Agnoſcant, qui præciſi ſunt, veniant ad unitatem, adducantur in templum Regis. Templum ſuum Deus ubique collocavit, fundamenta Prophetarum, & Apoſtolorum ubique firmavit. Filios genuit Eccleſia, conſtituit eos pro Patribus ſuis Principes ſuper omnem terram.*

Auctor Palearum in can. 2. cau. 9. qu. 2. parum apte tamen, & appoſite, retulit, quod Gratianus ſub nomine Urbani II. deſcripſerat in can. 3. de pœn. diſt. 6. Sive unum, ſive alterum, quod in idem conſonat, fragmentum reſpicias, fruſtra illud inter Urbani II. monumenta requires. Obſervare tamen nihilominus juvat, tempore Urbani II. tria de pœnitentibus in diſputationem veniſſe, ob quoſdam, qui tunc irrepſerant, abuſus. In primis cum Laici, præſertim Eccleſiarum Patroni, de Eccleſiis a ſe erectis tamquam de rebus omnino ſuis libere poſſe ſe diſponere arbitrarentur, in illis non ſolum Clericos ſacro functuros officio nominabant, ſed etiam pro lubito quæcumque Sacramenta independenter ab Epiſcopis, & Parochis, ipſum quoque pœnitentiæ Sacramentum, ſuſcipiebant, quamobrem in Concilio Claromontano anni 1095. can. 18. ita decernendum fuit: *Ut nullus Presbyter Capellanus alicujus laici eſſe poſſit ſine conceſſione ſui Epiſcopi*; vel, ut alii legunt: *Ut nullus Princeps Capellanum habeat, niſi quem Epiſcopus ſuus, aut Archidiaconus Procuratorem animæ delectum conſtituat*. Alterum in eo ſitum erat, quod quidam

Can. 2. cau. 9. qu. 2. & Can. 3. de pæn. diſt. 6.

dam fallaces pœnitentias adſectabant, & licet pluribus irretiti criminibus detinerentur, unius aut alterius pœnitentiam humili confeſſione coram Sacerdotibus exhibebant, in aliis vero pervicaciſſimi perſeverabant. Id liquet tum ex eodem Concilio Claromontano can. 22., ubi ſtatutum legimus, neminem admittendum ad pœnitentiam fore, *niſi perfectam confeſſionem fecerit, verbi gratia, ut ſi perpetrato homicidio manſerit in adulterio, vel perjurio, hujuſmodi ad perfectam pœnitentiam minime recipi debere decretum eſt*; tum ex Concilio Melphitano can. 16., quo ita ſtatuitur: *Sane quia inter cetera unum eſt, quod maxime Sanctam perturbat Eccleſiam, falſæ videlicet pœnitentiæ; Confratres noſtros Epiſcopos, & Presbyteros admonemus, ne falſis pœnitentiis laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur. Falſam autem pœnitentiam eſſe conſtat, cum ſpretis pluribus de uno ſolo peccato pœnitentia agitur, aut ſic cum agitur de uno, ut non diſcedatur ab alio &c.* Poſtremo vigebat acerrima inter Clericos, & Monachos controverſia, Monachis Sacramentum etiam Pœnitentiæ paſſim adminiſtrantibus, Clericis autem ſibi hanc poteſtatem reſervatam adſerentibus; unde varia tunc prodierunt decreta modo in favorem Monachorum, modo in odium eorundem, prout vel in diverſis provinciis, vel diverſis temporibus ea facultate, aut uterentur Monachi, aut abuti viderentur. Sic in cap. 1. de Cappellis Monachorum, quod ad ætatem Urbani II. eruditi referunt, Monachis interdictum adparet, ne quamlibet gererent animarum curam, ſed potius per Clericum Cappellanum ab Epiſcopo inſtitutum Sacramenta in Eccleſia Monaſterii miniſtrarentur. Teſtatur præterea Ivo Carnotenſis in epiſt. 63., Lemovicenſem Epiſcopum interdixiſſe Monachis regimine Parochiarum, & confeſſione Pœnitentium excipienda. Viceverſa in Concilio Nemauſenſi anni 1096. decretum eſt, Monachos uti poſſe facultate abſolvendi, ligandique in can. 2., quem Gratianus retulit ſub nomine Bonifacii Papæ, imo & in ipſo Concilio adjectum eſt in can. 3., eos, qui *ſæculum reliquerunt plus, valere peccata hominum ſolvere, quam Presbyteros ſæculares*. In tanto Monachorum, Clericorumque conflictu, mirum eſt, quid utrimque pertentatum fuerit, dum Monachi præ ceteris objicerent quædam Clericorum illiûs temporis vitia, quæ facile palam demonſtrabant, præſertim ignorationem ſacrorum canonum, qua revera tunc plurimi cœcutiebant, unice intenti aut militaribus rebus, aut laicorum famulatui, a quibus pluribus beneficiis, iiſque pinguibus ditatum iri ſperabant. Ex his facile mihi perſuadeo, ſententiam dicti canonis 3. de pœn. diſt. 6. ſeu canonis 2. cau. 9. qu. 2. a quibuſdam Monachis fuiſſe confictam, ut ſuæ cauſſæ; cui impenſe ſtudebant, ſervirent, quemadmodum, ut alibi jam monui, facere conſueverunt. Noverant illi in ſacris canonibus definitum, ut unuſquiſque a proprio Parocho ſuſciperet Pœnitentiæ Sacramentum. Quid autem moliri melius, & ad rem ſuam opportunius poterant, qui laicos ad Monaſteria pertrahebant, quam ſub nomine Urbani allegare ignorantiam Parochorum, ex qua a Parochiis ad Monaſteria ſacrorum cauſſa divertere liceret? Porro illud Gratiani monumentum neque inter epiſtolas Urbani, neque inter canones Conciliorum illius ætatis reperitur, imo nec ab ullo ex Collectoribus Gratiano antiquioribus laudatur; unde veroſimile eſt primum ex Bibliotheca Monaſteriorum, in quibus Gratianus ſcribebat, prodiiſſe. Neque vero conjicere quiſquam facile poterit, Urbanum II. in eam erupiſſe ſententiam, quæ in Parochos odia omnium concitaret, anſamque preberet ſingulis in ſcientiam ſui Parochi inquirere, dum ibidem perſpicue traditur, licere unicuique a proprio

Parocho

Digitized by Google

Parocho diſcedere, quoties ſciat Parochum rerum ſacrarum ignorantia laborare. Quod ſi fervidiore zelo correptus de Parochorum honore parum ſollicitus ab aliquo fingatur Urbanus, cur non etiam eo progreſſus fingitur, ut diceret, non ſolum poſſe, ſed etiam debere fideles a Parochis ſuis eo in caſu divertere; non enim tantum eos, qui in via Domini cœcutiunt, ne ab ea cum ipſis deflectamus evitare poſſumus, ſed omnino debemus. Sed hæc nunquam fuit ratio ſaluti animarum conſulendi, quam ſemper optimam iniverunt Pontifices Maximi. Nimirum cavere potius conſueverunt, ut ſiquis ex Parochis parum exequendo muneri videretur idoneus, is removeretur, non facultatem dare fidelibus de Paſtoris ſui ſcientia judicandi, eumque pro libito rejiciendi, vel retinendi; ne forte exinde graviſſima ſchiſmata ſuborirentur.

Romani Correctores ad canonem 37. cau. 12. qu. 2. animadverterunt, ſe reperiiſſe fragmentum Concilii Urbani II., in quo eadem propemodum Gratianei canonis verba legebantur. Hodie vero poſtquam editi ſunt a recentioribus canones 22. Concilii Lateranenſis ſub Calliſto II. celebrati anno 1123., perſpicue liquet potius ad Calliſti Concilium, quam ad Urbanum eundem canonem pertinere. Ita in Concilio legitur canone ultimo: *Alienationes, quæ ſpecialiter per Ottonem,* (legitur alii *Attonem*) *Guidonem, Hieremiam, ſeu forte Philippum, ubilibet de poſſeſſionibus Ravennatis Exarchatus factæ ſunt, damnamus; generaliter autem omnium per intruſionem, ſeu canonice electorum ſub Epiſcopi nomine, aut Abbatis, qui ſecundum uſum Eccleſiæ ſuæ conſecrandus eſt, alienationes quocumque modo factas, nec non perſonarum ordinationes ab eiſdem ſine communi conſenſu Clericorum Eccleſiæ, ſive per ſimoniam itidem factas irritas judicamus. Illud etiam per omnia interdicimus, ut nullus Clericus præbendam ſuam, ſeu aliquod eccleſiaſticum beneficium aliquo modo alienare præſumat; quod ſi præſumtum olim fuit, vel aliquando fuerit, irritum erit, & canonicæ ultioni ſubjacebit.* Mirum porro eſſe non debet, Urbano II. tributa fuiſſe, quæ potius Calliſto II., ſeu Concilio Lateranenſi ſub eodem Pontifice celebrato tribui debuiſſent; cum enim Calliſtus proxime Urbano II. ſucceſſerit, facile utriuſque Pontificis acta a quodam collectore confundi potuerunt. Evidens hujus rei exemplum præbent iidem Romani Correctores, qui ad canonem 8. diſt. 27. Calliſto tributum obſervaverunt, ſe eundem canonem reperiiſſe una cum canone *alienationes* cau. 12. qu. 2., & can. *paternarum* cau. 24. qu. 3. in quodam fragmento Concilii, quod dicebatur ab Urbano II. celebratum; hi tamen omnes canones leguntur in memorato Lateranenſi Concilio ſub Calliſto. Can. 37. cau. 12. qu. 2.

Auctor Palearum errandi occaſionem nonnullis præbere potuit, qui crediderunt ad Urbanum II. pertinere canonem 2. cau. 16. qu. 2., qui tamen Urbani non eſt, ſed potius Concilii Moguntini anni 813. In veteribus Gratiani codicibus nec iſte canon 2. nec ſequentes 3., 4., & 5. habebantur; quemadmodum in notis ad Gratianum Baluzius monuit, quamobrem nomen Urbani II., quod eiſdem canonibus præfigitur, potius ſpectat canonem 6. Porro in commemorato Concilio can. 38. ita legitur: *Admonemus, atque præcipimus, ut decimas Deo omnino dari non negligatur, quas Deus ipſe ſibi dari conſtituit; quia timendum eſt, ut quiſquis Deo debitum ſuum abſtrahit, ne forte Deus per peccatum ſuum auferat ei neceſſaria ſua.* Eadem verba referuntur in Capitularibus Francorum lib. 5. cap. 154. Baluzianæ editionis, his adhuc adjectis: *Neceſſaria ſua, & qui decimam Deo dare neglexerit, novem partes auferantur ab eo.* Nomine etiam Concilii Moguntini retulit Burchardus Can. 2. & 6. cau. 16. qu. 2.

Digitized by Google

dus in cap. 131. lib. 3., & Ivo parte 3. cap. 197. Itaque liquet, inſcriptionem canonis 2. pertinere potius ad canonem 6. cau. 16. qu. 2., qui canon 6. quemadmodum ad Urbani II. Conſtitutiones referendus ſit, jam tradidi in prima hujus operis parte cap. 63., ubi de Concilio Claromontano, ſeu Arvernenſi. Hic nonnulla ſubjiciam ex Baluzio, qui poſtquam canonem ediderit, atque illuſtraverit in cap. 31. lib. 6. de concordia Sacerdot. & Imper., in notis ad Gratianum ad illa verba *cum Abbatum conſenſu*, animadvertit canonem hunc non levem difficultatem ingerere, ubi tota inſtituendi Presbyteri auctoritas datur Epiſcopo, Abbati ſolus conſenſus, licet in principio dicatur, electionem Presbyteri, ſive collocationem, ut ibidem dicitur, tribui Monachis, conſenſum Epiſcopo, dum præcipitur, ne Monachi in Paræcialibus Eccleſiis, quas tenent, abſque Epiſcoporum conſilio Presbyteros collocent; quæ prima fronte videntur eſſe contraria. Controverſiam iſtam dirimere conatur vir eruditus, dum rationem habet uſus, quem in Eccleſiam ſtatim invexit canon ille Claromontanus. Certum quippe ait, eodem tempore, quo conditus fuit, intellectum de jure præſentationis fuiſſe, quod Abbates deinceps habuerunt in inſtitutione Presbyterorum, qui regerent Paræciales Eccleſias eorum Monaſteriis contributas. Teſtis eſt ipſemet Urbanus auctor conditorque canonis, cujus hæc ſunt verba ex epiſt. ad Hugonem Abbatem Cluniacenſem edita in Bibliotheca Cluniacenſi pag. 520. *Liceat quoque vobis, ſeu fratribus in Eccleſiis veſtris Presbyteros eligere, ita tamen ut ab Epiſcopis, vel ab Epiſcoporum vicariis animarum curam abſque venalitate ſuſcipiant.* Quæ verba haud ita multo poſt repetita inveniuntur in epiſt. Paſchalis II. ad eundem Hugonem data pag. 522. Anno deinde 1111. Lambertus Atrebatenſis Epiſcopus, qui Concilio Claromontano interfuerat Eccleſiæ B. Petri de Inſula concedens altare de Moncellis hanc cautionem donationi ſuæ adjecit apud Ferreolum Locrium in Chronico Belgico pag. 268. *Adjicimus etiam, ut Eccleſia B. Petri per vos Presbyterum idoneum Epiſcopo Atrebatenſi præſentet, qui ei obedientiam promittat, & de vitæ ſuæ honeſtate, ſicut canonicum eſt, promiſſionem faciat, ac deinde curam in populo de Moncellis gerendam gratis ſuſcipiat.* Biennio poſt Guillelmus Cadurcorum Epiſcopus ſtatuens in futurum de Eccleſia S. Stephani Vairiacenſis, quæ tenebatur a Monachis Tutelenſibus, his, quæ ſequuntur, verbis explicavit poteſtatem Epiſcopis, & Abbatibus datam in Concilio Claromontano. *Electione, & providentia Tutelenſis Abbatis, & Monachorum in ſæpedicta Eccleſia S. Stephani de Vairiaco Sacerdos ponatur, ſed nobis præſentetur, a nobis curam ſuſcipiat animarum, nobis obedientiam promittat.* Eodem modo canonem poſtea explicavit Eugenius III. in epiſt. de privilegiis majoris Monaſterii Turonenſis data anno 1145. *In Parochialibus vero Eccleſiis, quas tenetis, Presbyteros eligatis, quibus ſi idonei fuerint, Epiſcopi Parochiæ cura committant, ut ejuſmodi Sacerdotes de plebis quidem cura Epiſcopo rationem reddant, vobis autem pro rebus temporalibus debitam ſubjectionem exhibeant.* Apertius Alexander III. anno 1179. cum privilegia confirmaret Monaſterii Tornodorenſis in tom. 4. Galliæ Chriſtianæ pag. 645. *In Parochialibus autem Eccleſiis, quas tenetis, liceat vobis Sacerdotes eligere, & electos Epiſcopo repræſentare; quibus, ſi idonei inventi fuerint, Epiſcopus &c.* Unde facile colligi poteſt, eſſe huic Concilio Claromontano imputandam originem juris, quo recentioribus temporibus utuntur Abbates, quoties Sacerdotia vacant, quibus incumbit cura animarum, quæ ab eorum Monaſteriis pendet. Deſtinant enim virum huic miniſterio, quem Epiſcopo præſentant, tum vero

Epiſcopus

Digitized by Google

Epiſcopus eum in Sacerdotio inſtituit, ſi idoneus repertus fuerit. Rurſum ea ratione ſublata eſt quoque repugnantia, quæ eſſe initio videbatur in verbis canonis Claromontani. Huc uſque egregie Baluzius.

Canon 1. cau. 16. qu. 4. tantum abeſt, ut ſit Urbani II., quin potius ejuſdem Papæ adverſari ſententiis videatur. Siquidem non ſemel conſtituit Urbanus, ut Monachi jure optimo illa poſſiderent, in quibus illis tricennaria poſſeſſio ſuffragabatur. Hinc in Concilio Claromontano anni 1095., quod Baluzius edidit in lib. 6. de Concord. Sacerd. & Imp. cap. 31. can. 3. ita legitur: *Porro quæcumque altaria, vel decimas ab annis 30., & ſupra hujuſmodi redemtione Monaſteria poſſediſſe noſcuntur, quiete deinceps, & ſine moleſtia qualibet eis poſſidenda firmamus*. Eadem propemodum verba repetita legimus in Concilio Nemauſenſi anni 1096. can. 1., ex quibus profecto colligitur, temporibus Urbani II. ſufficientem fuiſſe ad res eccleſiaſticas a Monaſteriis præſcribendas tricennalem poſſeſſionem. Potius itaque Gratianeus canon referendus erit ad Concilium Lateranenſe Calliſti II. anno 1123. celebratum; neque enim novum fuit Gratiano, aliiſve Collectoribus, monumenta ejuſdem Concilii Urbano tribuere, quemadmodum ſuperius tradidi ad can. 37. cau. 12. qu. 2. Itaque in can. 19. illius Concilii hæc habentur: *Servitium, quod Monaſteria, aut eorum Eccleſiæ a tempore Gregorii Papæ VII. uſque ad hoc tempus Epiſcopis facere, & nos concedimus. Poſſeſſiones Eccleſiarum, & Epiſcoporum tricennales, Abbates, vel Monachos habere omnimodis prohibemus*. Hic canon habetur quidem in editione Concilii facta a Coſſartio, ſed deſideratur in editione Baluzii facta ex vetere MS. Monaſterii Anianenſis in lib. 8. de Concord. Sacerd. & Imp. cap. 21., forte abraſus, aut omiſſus a Monachis Anianenſibus ejuſdem codicis auctoribus. Juvat hæc paulliſper explicare. Ante Juſtinianum Imperatorem univerſa jura, & actiones 30. annorum ſpatio præſcribebantur, quæ prudentia in omnibus rebus eccleſiaſticis, utut ſingulari privilegio donatis, obtinuerat. Primus Juſtinianus in rebus eccleſiaſticis Eccleſiæ Orientalis centenariam tantummodo præſcriptionem locum habere decrevit l. 23. cod. de Sacroſ. Eccleſ., quam deinde ad Occidentalem Eccleſiam protraxit Nov. 9. Sed demum reſtricta eadem præſcriptio fuit ad annos 40., uti colligitur ex Nov. 111., & Nov. 131. cap. 6.; ita ut uſque ad Urbani II. ætatem quadragenaria præſcriptio in rebus eccleſiaſticis obtineret. Contigit tunc, Laicos bona quamplurima ad Eccleſias pertinentia occupaſſe, neglectis ſacrorum canonum ſanctionibus, ex eo præſertim, quod Epiſcopi Laicorum potentiorum famulatui addicti, vel ipſa etiam decimarum jura Laicis eiſdem concederent iterato; & parum juvaret illa Eccleſiis, Epiſcopiſve reſtitui; quotidianum enim erat periculum, ne rurſus transferrentur in Laicos. Quid igitur? Plauſu receptum eſt apud Viros probos, ut Monachi illa ipſa decimarum eccleſiaſticarum jura redimerent, ac retinerent; ea enim ratione eveniebat, ut a Laicorum manibus eximerentur, & ſi non eccleſiaſtica omnino evaderent, eccleſiaſticis ſaltem juribus religioſa facta propius, quoad tempora paterentur, accederent. Hinc factum eſt, ut Monachis daretur non ſolum hæc ampla redimendi facultas, ſed præterea eadem jura ſic redemta præſcribendi ſolo triginta annorum ſpatio contra legem quadragenariæ præſcriptionis, uti liquet perſpicue ex commemoratis canonibus Conciliorum Claromontani, & Nemauſenſis; adjuvanda autem erat hujuſmodi præſcriptio, quæ favorabilis Eccleſiæ videbatur, ideoque minori etiam temporis ſpatio perficienda. Gaviſi ſunt hoc privilegio Monachi, quodque erat ſingulare in

Con. 1. cau. 16. qu. 4.

redem-

Digitized by Google

redemtione decimarum, non autem in aliis Eccleſiaſticis rebus redimendis expreſſum, utpote quod erat reparandis illius temporis injuriis accomodatum, cœperunt ad alias res Eccleſiaſticas extendere, imo etiam ad ſequentia ſæcula prorogare. Quamobrem opportunum fuit Eccleſiæ rebus, in Concilio Lateranenſi Calliſti II. tricennali hujuſmodi præſcriptione rerum Eccleſiaſticarum Monachis interdicere, ut rurſum jus commune vigeret quadragenariæ præſcriptionis. Id, licet paullo obſcurius, agnovit ipſemet Gratianus, qui poſtquam laudavit in can. 1. cau. 16. qu. 4. Concilii Lateranenſis fragmentum, ſtatim animadvertit, adverſus Eccleſiam quadragenariam præſcriptionem Monachis non denegari; erat enim ipſe in hac re admodum verſatus, qui in Monaſteriis degebat, & jura Monaſteriorum ſui temporis ignorare non poterat.

Can. 2. cau. 16. qu. 7. Quæ hucuſque velut per juris hiſtoriam de præſcriptione rerum Eccleſiaſticarum differui, lucem non modicam adferunt canoni 2. cau. 16. qu. 7. Certum eſt, Laicos, qui ab Epiſcoporum liberalitate res Eccleſiaſticas acceperant, eaſdem Monachis, aut Clericis Regularibus tandem aliquando reſtituiſſe, et quamquam id pluribus placuerit, redire ea ratione ad Eccleſiam bona ſua, Epiſcopi tamen ægre ſenſerunt, bona eadem minoribus potius Clericis, aut Monachis adſignari, quam reſtitui ſibi, aut ſaltem in hujuſmodi reſtitutionibus poſtularunt ſuum debere intervenire conſenſum, in quo præſtando ſui juris veſtigium quoddam agnoſceretur. Ita ſtatutum legimus in Concilio Melphitano anni 1089. can. 5. & 6., in Concilio Beneventano anni 1091. can. 2., in Concilio Claromontano can. 6. & 7., & in Concilio Romano anni 1099. can. 15. & 16. Ceterum quæ leguntur in can. 2. cau. 16 qu. 7. exigenda ſunt ad canonem 6. Concilii Claromontani his verbis: *Ut altaria congregationibus Canonicorum, vel Monachorum per perſonas data, mortuis perſonis libera redeant in manus Epiſcoporum, niſi fuerint illis per eorum ſcripta, vel privilegia confirmata*; ex quibus adparet Palearum auctorem in deſcribendo eo canone non verba Concilii, ſed potius ſententiam, quam ipſe aliis verbis ornavit, deſcripſiſſe. Apud Manſium in Supplemento Labbeano tom. 2. pag. 142. ad Concilium Claromontanum exhibetur idem canon paulo aliter exaratus ex ms. codice Decreti Gratianei Bibliothecæ Lucenſis Congregationis Matris Dei, quem vir eruditus conjicit eſſe ſæculi duodecimi exeuntis, ibi: *Congregato apud Claramontenſem urbem multorum Coepiſcoporum Synodali conventu propoſita eſt nobis a quibuſdam quæſtio de Eccleſiis, vel Eccleſiaſticis progreſſionibus a Clericis, vel Monachis uſque in præſentiarum inconſultis Epiſcopis adquiſitis. Nos autem uſi ſaniorum conſilio eorum ... condeſcendentes, providenteſque Eccleſiarum pace, vel ... ſcandali periculo hujuſmodi, quod non poterat procedere apoſtolica auctoritate decrevimus, ut ea, quæ a Clericis, vel Monachis, a quibuſcumque perſonis prout potuerit uſque hodie fuerit acquiſita, rata probentur, & inconcuſſa permaneat, hoc tamen tenore, ne in poſterum Epiſcopis inconſultis talia præſumant.*

Can. 2. cau. 19. qu. 3. Canon 2. cau. 19. qu. 3. tribuendus potius eſt Anſelmo Epiſcopo Havelbergenſi, qui in libro de Ordine Canonicorum Regularium edito apud Bernardum Pezium tomo 4. Theſauri Anecdotorum, cap. 5. ita ſcribit ad ſuæ Diœceſeos Clericorum inſtitutionem. *Mandamus, & mandantes utiliter interdicimus, ne quiſquam Canonicus regulariter profeſſus, niſi, quod abſit, publice lapſus fuerit, Monachus efficiatur; quod ſi decreto noſtro contraire præſumens facere tentaverit, ad ordinem canonicum præcipimus ut redeat, & deinde memoriale præſumptionis ſuæ cucullam deferat* (f rte

le-

egendum videretur *deferat*, quemadmodum ex ſequentibus facile colligi poſſet. Gratianus autem legit: *memorialem cucullam deferat, & ultimus in choro maneat. Et quidem de hoc verbo apud quoſdam contentio, vel dubium eſt, utrum deferre, vel deſerere cucullam in præcepto ſit. Nos vero de verbo non contendimus. Id tamen indubitantes ſcimus, ipſum præcepti datorem Urbanum Papam II., ac poſt ipſum alios Romanos Pontifices ejuſmodi præſumtoribus cucullam detraxiſſe.* Poſtrema hæc verba, quæ indicant, hanc prudentiam probatam fuiſſe Romanis Pontificibus, et ſpecialiter ipſi Urbano II., in cauſſa fuerunt, cur Gratianus, aut is, qui Gratiano auctor extitit, ejuſdem monumenti Urbanum II. auctorem faceret.

Inter monumenta Urbani II. minime reperitur canon 23. cau. 22. qu. 5., qui licet in aliquibus vetuſtis Gratiani codicibus deſideretur, quemadmodum animadverterunt Correctores Romani, tamen relatus eſt inter Decretales Gregorii IX. in cap. 3. de jurejurando. Quod ſane in eodem canone decretum legitur, & generali ſacrorum canonum traditioni conſonat, in ea parte, qua Clerici jurare prohibentur; conſonat præterea diſciplinæ temporum Urbani II., qua vigebat, ut Clerici illi, qui bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem obtinuerant, fidem ſuam, & ſponſionem jurejurando firmius obſtringerent. Canon 13. Cabilonenſis II. Concilii anni 813. juramenta Clericorum fuiſſe improbata demonſtrat ibi: *Dictum eſt interea de quibuſdam fratribus, quod eos, quos ordinaturi ſunt, jurare cogant, quod digni ſint, & contra canones non ſint facturi, & obedientes ſint Epiſcopo, qui eos ordinat, & Eccleſiæ, in qua ordinantur, quod juramentum, quia periculoſum eſt, omnes una inhibendum ſtatuimus.* At vero jurare temporibus Urbani II. conſueviſſe Clericos, quibus ſingularis erat bonorum Eccleſiaſticorum commiſsa adminiſtratio, probat perſpicue canon 8. Concilii Londinenſis celebrati anno 1108. ibi: *Jurabunt Archidiaconi omnes, quod pecuniam non accipient pro toleranda tranſgreſſione hujus ſtatuti*, (ſtatutum illud erat de mulieribus abjiciendis), *nec tolerabunt Presbyteros, quos ſciunt feminas habere, cantare, vel vicarios habere: ſimiliter & Decani hæc eadem per omnia jurabunt. Qui vero Archidiaconus, vel Decanus hæc jurare noluerit, Archidiaconatum, vel Decanatum irrecuperabiliter perdet.* Huc ſane referri commode poſſent duæ epiſtolæ Paſchalis II., quæ habentur num. 5. & 6. apud Labbeum, in quibus Archiepiſcopis Panormitano, & Polono non aliter ſe conceſſurum pallium idem Pontifex profitetur, niſi illi jurejurando fidem ſuam Sedi Apoſtolicæ obſtrinxerint, adjecta ratione, quia in pallio conceditur plenitudo Pontificalis officii, ſeu generalis rerum ſacrarum adminiſtratio. *Can. 23. cau. 22. qu. 5.*

Canonem 22. cau. 23. qu. 8. in monumentis Urbani II. hucuſque editis reperire nuſquam potui; non tamen eo facile adducor, ut illud apocryphum cenſeam, cum in primis noverim, non omnes Urbani epiſtolas ad noſtram uſque ætatem perveniſſe; deinde videam temporibus Urbani, & monumentis illa ætate editis plurimum congruere. Nemo ſane ignorat, quanta fuerit tunc temporis ſacrorum Antiſtitum, ac præſertim Romanorum ſolertia, ut res Eccleſiaſticas a Laicis potentioribus jamdiu occupatas vindicarent. Vix Acta alicujus Concilii, aut Decreta, Epiſtolaſve Pontificis illius ſæculi arripere potes, quum ſtatim objicientur oculis hujuſmodi imagines. Commemorare ſufficiat canonem 11. Concilii Melphitani ſub Urbano II. celebrati, & epiſtolam Urbani ad Rodulphum Comitem, quæ hodie non ſupereſt integra; cujus tamen fragmentum legitur apud Ivonem parte 6. cap. 408. Ad hanc ipſam materiem pertinere puto memoratum canonem 22., immo ſi in re valde *Can. 22. cau. 23. qu. 8.*

Digitized by Google

obſcura conjecturis locum dare licet, ſuſpicor eum canonem pertinere ad epiſtolam Urbani II. ad Robertum Comitem, qui Flandrenſem Clerum ita gravabat, ut nihil eſſet de bonis Eccleſiaſticis a Clero poſſeſſis, quod non tandem per vim in illius Comitis poteſtatem redigeretur. Edita eſt ad calcem Concilii Rhemenſis anni 1092. epiſtola Cleri Flandrenſis ad Rainaldum Rhemenſem Epiſcopum, in qua poſt expoſitas injurias a Roberto in Clerum, & Cleri res jamdiu illatas, refertur, Robertum eundem per epiſtolam ab Urbano Pontifice commonitum fuiſſe, imo & gravi præcepto obſtrictum, ut a ſuſceptis facinoribus temperaret. Hæc epiſtola Urbani deperiit; cum autem Gratianeum illud fragmentum convenire videatur ſententiis illis, quæ ad commonendum Robertum aptæ eſse poterant, quid prohibet, ne interea putem, Gratiani canonem ad illam epiſtolam pertinere? Utinam rei huic plurimum dubiæ majus lumen accederet: illud ſtatim ſequerer quam lubentiſſime.

Can. 24. Antonius Auguſtinus in dial. 5. lib. 2. de emendatione Gratiani canonem Gra-
cau. 24. tianeum 24. cau. 24. qu. 3. aſſeruit ſe vidiſſe in quibuſdam ſchedis Urbano II. ad-
qu. 3. ſcribi, addito numero capitis 1. Baluzius vero in notis ad Gratianum putavit, eſſe potius Concilii Claromontani. Ego eum canonem editum video in Concilio Lateranenſi I. Calliſti II. anni 1123. quod nimirum edidit Coſſartius can. 20. his verbis: *Paternarum traditionum exemplis commoniti paſtoralis officii debitum perſolventes, Eccleſias cum bonis ſuis tam perſonis, quam poſſeſſionibus, Clericos videlicet, ac Monachos, eorumque converſos, aratores* (Gratianus legit *oratores*) *quoque cum ſuis nihilominus rebus, quas ferunt, tutos, & ſine moleſtia eſſe ſtatuimus. Si quis autem contra hoc facere præſumſerit, & poſtquam facinus ſuum recognoverit, infra 30. dierum ſpatium competenter non emendaverit, a liminibus Eccleſiæ arceatur, & anathematis gladio feriatur.* Neque mireris canonem Concilii Lateranenſis ſub Calliſto editi adſcriptum fuiſſe Urbano; ſiquidem id jam in aliis canonibus eveniſſe animadvertendum ſuperius fuit ad canonem 37. cau. 12. qu. 2. Duplex autem eſſe potuit ratio illius edendi Decreti in Concilio Lateranenſi. Prima, quod Laici paſſim ea ætate bona Eccleſiarum diriperent, atque per vim occuparent. Altera, quod poſt Urbanum II. ſequentes Pontifices Maximi incubuerunt in expeditionem fidelium faciendam cauſſa recuperandæ, ut vocant, Terræ ſanctæ; unde opus fuit opportuno decreto, quo bona illorum, qui eo etiam ſtudio detinebantur, imo illud exequebantur, dum peregre proficiſcerentur, ab omnium impetu, & injuria præcavendo eriperentur. Hinc in eodem Concilio can. 11. hæc leguntur: *Eis, qui Hieroſolymam proficiſcuntur, & ad Chriſtianam gentem defendendam, & tyrannidem infidelium debellandam efficaciter auxilium præbuerint, ſuorum peccatorum remiſſionem concedimus, & domos, & familias, atque omnia bona eorum in B. Petri, & Romanæ Eccleſiæ protectione, ſicut a Domino noſtro Papa Urbano ſtatutum fuit, ſuſpicimus.* Item in canone ultimo Concilii Claromontani anni 1095. editi apud Baluzium hæc habentur: *Et quia pleræque Galliarum regiones alimentorum inopia laborabant, interdictum eſt, treviam uſque ad annos tres villanis, & mercatoribus eſſe continuam, militibus vero a quinta feria uſque ad dominicam per ſingulas hebdomadas obſervandam; Clericis autem, & Monachis omnibus æque temporibus, ac primum peregrinis ad ſacra loca tendentibus.* Similia leguntur in Concilio Rothomagenſi anni 1096. can. 2., ex quibus fieri forte potuit, ut idem canon Urbano II. potius tribueretur. Unum adhuc adjiciam, memoratum canonem 20. Concilii Lateranenſis inveniri quidem in editione Coſſartii, aſt in editione Baluzii ad lib. 8. cap. 21. de concord. ſacerd. & imper. deſiderari.

Licet

Digitized by Google

Can. 37. cau. 24. qu. 3.

Licet inter Urbani II. monumenta non facile reperiatur canon 37. cau. 24. qu. 3. imo potius congruere videatur ſcriptori alicui adverſus ſchiſmaticorum ſectas diſputanti, quam Pontifici quidpiam per epiſtolam decernenti, tamen ego non dubitaverim, quin recte Urbani ejuſdem temporibus tribuatur, unde Urbani nomen illi adſcribi potuerit. Nemo ignorat, illis temporibus frequentiſſimas fuiſſe excommunicationum ſententias, præſertim adverſus Enricianos, qui diutius Eccleſiam exagitabant. His proximi erant Eccleſiaſticarum rerum invaſores, ſimoniaci, concubinarii, quorum facinora turpem ſæculi illius faciem reddiderunt. Interea vero, qui flagitiis detinebantur, aut Enricianis adhærebant, graviter de excommunicatoribus conquerebantur, aſſerentes aut ſe nihil, niſi mali ſpeciem admiſiſſe, aut etiamſi malum admiſerint, non ideo ab Eccleſia eſſe expellendos, ſed potius tolerandos, quam ob rem adferebant Sanctorum Patrum, præſertim Auguſtini teſtimonia, quibus demonſtrabatur, in Eccleſia malos tolerari, nec omiſerunt Chriſti Domini exemplum, qui non ex agro dominico voluit eradicanda zizania. Hujuſmodi querimoniarum, ac diſputationum exemplar inſigne eſt in epiſtola Leodienſium ſcripta circa annum 1107. adverſus Paſchalem II. Urbani II. ſucceſſorem, quæ habetur apud Labbeum inter epiſtolas ejuſdem Paſchalis poſt ſeptimam. Quoties hæc integra legatur, deinde cum ea conferatur memoratus canon 37., facile colligetur, canonem 37. ad quoddam illius temporis monumentum pertinere, quo Leodienſibus excommunicatis, vel aliis hujuſce generis hominibus reſponderetur, collectis Patrum ſententiis, & exemplis ad demonſtrandum, quo jure Eccleſia excommunicationis pœna uteretur adverſus improbos homines, quænam præterea eſſent obſervanda inter excommunicationem, eradicationemque diſcrimina.

Can. 6. cau. 25. qu. 1.

Sententia canonis 6. cau. 25. qu. 1. convenit quidem cum aliis, et quidem egregiis Romanorum Pontificum monumentis, quorum multa in eadem cauſſa & quæſtione Gratianus commemorat, convenit præterea cum iis, quæ habentur paſſim apud Gelaſium Pontificem Maximum, qui nihil adverſus Acacianos antiquius habebat, quam formulas hujuſmodi proponere, quo præter canonem 1. cau. 25. qu. 1., referri etiam poteſt canon 2. cau. 24. qu. 1. Sed minime legitur inter monumenta Urbani II. quæ huc uſque edita proponantur. Ab eodem Pontifice abjudicandum eſſe eum canonem fidenter dicendum non eſt, cum nulla ad hanc rem poſſint eſſe argumenta; neque etiam tuto poſſet ille eidem Pontifici adſcribi. Tantum ego dixero, nonnihil ſimile legi in epiſtola ejuſdem Urbani ad Lucium Præpoſitum Sancti Juventii ibi: *Illud B. Petri reſpondemus obedire Deo oportet magis, quam hominibus; in quo exemplo notandum eſt, hominibus interdum obediri debere, ſed magis Deo: hominibus quidem in his, quæ contra fidem, & religionem non ſunt: quoniam cives Jeruſalem legimus Babylonis civibus militaſſe, ut ſanctum Joſeph & ſocios Danielis: quorum primus ſtuprum dominæ, ſequentes vero idololatriam perhorrentes, Rempublicam & alienigenarum Principum ſtrenue gubernaverunt. Et in Evangelio habes, cum eo, qui te angariaverit uno milliario, alia duo ambulare debere, & reddere quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Item Hieronymus ſuper epiſtola ad Philippenſes: Si Dominus ea jubet, quæ non ſunt adverſa ſcripturis ſanctis, ſubjiciatur domino ſervus: ſi vero contraria præcipit, magis obediat ſpiritus, quam Corporis Domino, & infra: Si bonum eſt, quod præcipit Imperator, jubentis exequere voluntatem: ſi malum, reſponde: obedire oportet Deo, magis, quam hominibus.*

Digitized by Google

Can. 1. cau. 31. qu. 2. De canone 1. cau. 31. qu. 2., ut Urbano II. Pontifici illum tribuamus, nos dubitare non ſinit non ſolum Panormiæ auctor, qui eadem verba retulit ſub hoc titulo: *Judicium Urbani Papæ de filia Jordanis*; verum etiam Ivo Carnotenſis Urbano ipſi coævus, qui in parte 8. Decreti cap. 23. hæc habet: *Judicium Urbani Papæ de filia Jordani Principis: Si verum eſſe conſtiterit, quod nobis legati Jordani Principis retulerunt, ſcilicet quod ipſe coactus, & dolens filiam ſuam infantulam, nolentem, flentem, & pro viribus renitentem, non aſſentientibus, ſed valde dolentibus, matre, & parentela, Raynaldo Ridelli filio deſponſaverit, quoniam canonum, & legum auctoritas talia ſponſalia (ut infra oſtenditur) non approbat, ne ignorantibus leges, & canones nimis durum, quod dicimus, videatur, ita ſententiam temperamus: ut ſi Principes cum aſſenſu filiæ, matris, & parentelæ, id quod cæptum eſt, perficere voluerint, concedamus. Sin autem, legatus noſter utraſque partes audiat, & ſi nihil fuerit ex parte ſupradicti Raynaldi amplius, quod impediat, ab ipſo Jordane Sacramentum quod ita conſtent. Hæc ut dicta ſunt, accipiat: & nos canonum, ac legum ſcita ſequentes, deinceps non prohibemus, quin alii viro ſi voluerit, prædicta filia ejus tantum in domino nubat.* Fateor, canon iſte inter editas Urbani epiſtolas non reperitur; ſed nec omnia monumenta ad nos uſque pervenerunt; & præ ceteris non maxima habenda fuit hujus monumenti ratio apud Collectores, cum de cauſſa privatorum ibidem agatur. Ceterum & ſimilia quædam in ſimili propemodum cauſſa definivit Urbanus in can. 3. cau. 31. qu. 2., item ad impediendos abuſus, qui tunc temporis in hac materie irrepſerant, habemus editum canonem 13. Concilii Nemauſenſis temporibus Urbani II. celebrati ibi: *Puellulæ uſque ad duodecim annos non nubant.*

CAPUT LXXXVI.

De Paſchali II.

Paſchali II. Pontifici ſequentes Canones apud Gratianum tribuuntur.

Ex Epiſt. ad Guidonem Archiepiſcopum Viennenſem.	*Can. 1. cau. 14. qu. 2. a Succeſſore Pontifice retractatus.*	
Addi poteſt	*Can. 19. cau. 25. qu. 2. perperam adſcriptus Gelaſio I.*	
Ex Epiſt. ad Rheginum Epiſcopum.	*Can. 5. cau. 30. qu. 3.* *Can. 5. cau. 30. qu. 4.* *Can. 22. cau. 35. qu. 2.*	*non diſſonant a Paſchalis II. temporibus, & diſciplina.*
Addi poteſt	*Can. 1. cau. 30. qu. 4. ex memoratis Paſchalis monumentis inter apocrypha recenſendus.*	

Digitized by Google

Ex Epiſt. ad Victorem Epiſcopum Bononienſem. — *Can. 9. cau. 16. qu. 1. plurimum convenit Paſchalis II. temporibus.*

Adjiciuntur
- *Can. 125. cau. 1. qu. 1.* / *Can. 14. cau. 1. qu. 3.* — *conveniunt cum aliis Paſchalis II., aliis etiam ejuſdem temporis monumentis.*
- *Can. 47. cau. 16. qu. 1. Paſchali II. jure tributus.*
- *Can. 16. cau. 16. qu. 7.* / *Can. 17. cau. 16. qu. 7.* / *Can. 18. cau. 16. qu. 7.* / *Can. 19. cau. 16. qu. 7.* — *referendi ad Trecenſe Concilium anno 1107. celebratum.*
- *Can. 18. cau. 18. qu. 2. incertæ admodum auctoritatis.*

PErveni tandem ad ipſum Gratiani ſæculum, ſcilicet ſæculum Eccleſiæ duodecimum, cujus initio & Gratianus vivebat, & ſummum Pontificatum geſſit Paſchalis II., eo cœpto ab anno 1099., protractoque uſque ad annum 1118., utinam vero in hac ipſa ætate multo accuratiorem Gratianum intueremur! Verum, quod lugendum eſt, eo tempore, ipſo etiam vivente Pontifice, falſarii plures extiterunt, qui ſub nomine Paſchalis comminiſci decreta, & epiſtolas minime dubitaverunt, unde concertationibus inopportunis datam fuiſſe occaſionem, perſpicue demonſtrat Baluzius in notis ad Gratianum ad canonem 53. cau. 2. qu. 7. Sane epiſtolæ, quæ ſub Paſchalis II. nomine præferuntur, plurimæ numero ſunt, atque ex illis nonnullæ apud Labbeum referuntur, quibus aliquot addidit Manſius una curans, ut ſingulæ, quoad fieri poſſet, ad ſua tempora referrentur. Ego Gratianum ex propoſito ſequar, poſtquam initio præmonuerim, eundem Paſchalem Pontificem, variis temporum, & locorum viciſſitudinibus agitatum fuiſſe, aliquando etiam in grave diſcrimen adductum maxime laboraviſſe, quemadmodum univerſi hiſtorici ſcriptores teſtantur; neque enim adhuc res Eccleſiaſticæ jamdiu Prædeceſſorum tempore turbatæ firmam ubique obtinere potuerunt tranquillitatem.

De Epiſtola ad Guidonem Archiepiſcopum Viennenſem.

Ex Dacherii Spicilegio edidit Venetus Labbeani codicis typographus num. 80. epiſtolam Paſchalis II. ad Guidonem Viennenſem Archiepiſcopum, quæ habetur apud Gratianum in can. 1. cau. 14. qu. 2. his verbis: *Paſchalis Epiſcopus, Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Guidoni Viennenſi Archiepiſcopo Sedis Apoſtolicæ legato ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Super prudentia tua plurimum admiramur, quod in negotio Eccleſiæ B. Stephani Clericorum ipſorum teſtimonium acceptare nolueris; cum B. Gregorius in hujuſmodi cauſſis Eccleſiarum auctoribus* (legunt alii, forte etiam melius, *actoribus*) *probationem imponat. Diverſæ namque ſunt in cauſſarum auctoribus ſpecies, nec in omnibus cauſſis crimina agitantur. In criminibus ſiquidem accuſatorum, teſtium illa diſtrictio obſervanda eſt, quæ canonibus continetur, ne qui ad probationem domeſtici aſſumantur. Ceterum in poſſeſſionum, vel ceteris hujuſmodi negotiis, hi potiſſimum aſſumendi ſunt, qui eadem negotia tractaverunt, de quorum viſu, & auditu hæſitatio eſſe non debeat. Si ergo iidem Clerici idonei ſunt, ab aſſertione cauſſæ illius nullatenus re-*

Can. 1. cau. 14. qu. 2.

Digitized by Google

pellantur, ſed ſicut aliis literis deliberatum eſt, inter Sancti Johannis, & Sancti Stephani Canonicos, lis illa plenius decidatur. Ceſſet jam malitiæ zelus, & doloſitatis cavillatio, & prædictarum Eccleſiarum negotium juxta literarum tenorem omnimodis peragatur. Alioquin ad præſentiam noſtram parati prorſus, & inſtructi proximo quadrageſimalis Concilii tempore revertantur. Datum Trojæ 6. Kalendas Septembris indictione VIII. Non inutile etiam erit huc referre aliam Paſchalis ad eundem Guidonem Legatum Apoſtolicæ Sedis epiſtolam, quæ apud Labbeum eſt numero 79., quæque ad eandem Eccleſiæ Sancti Stephani cauſſam pertinet, his verbis: *Controverſiam, quæ inter Biſuntinos Canonicos, & Sancti Stephani tanto jam tempore veluta, & revoluta eſt, canonico nunc tandem judicio apud nos noveris eſſe deciſam. Præcipimus igitur ſollicitudini tuæ, ut pro hoc negotio peragendo, & tanti ſcandali lite ſedanda, adhibitis tecum ſapientibus, & religioſis fratribus, vel Divionum, vel ad alium competentiorem locum convenias, quo poſſint ſine gravamine perſonas ſibi neceſſarias adducere, ut omni partium animoſitate ſepoſita ita ſincere, ita liquide judicii hujus perfectionem accipias, quatenus inter eos nulla ulterius hujus rei lis, aut querela remaneat. Teſtes autem hujus quæſtionis probatores, quia de capite Parochiæ cauſa gravior agitur, quinque ſint, ſive Clerici, ſive laici, qui ſecundum canonicas ſanctiones de viſu, & auditu teſtimonium proferant.* Eædem epiſtolæ habentur etiam inter acta Concilii Trenorcienſis celebrati anno 1115. a Guidone Viennenſi Archiepiſcopo, & Sedis Apoſtolicæ Delegato, immo & illa epiſtola, quæ incipit *Controverſiam* fuſius deſcribitur, ex qua propterea quo tota diſputatio pertineret, facile colligi poteſt: nam poſt illa verba nuper relata *noveris eſſe deciſam,* ita proſequitur: *Cum enim & illi, videlicet Canonici S. Johannis, per multos jam annos Epiſcopalem Sedem in Eccleſia ſua permanſiſſe perhiberent, & illi contra, videlicet Canonici S. Stephani, ſuam Eccleſiam matrem eſſe, quibuſdam privilegiis, & præceptis aſſererent, ſed per occaſionem deſtructionis Eccleſiæ ſuæ cathedram ab ea remotam conquererentur, juxta Chalcedonenſis decreta Concilii communi fratrum noſtrorum conſenſu judicatum eſt, ut ſi Canonici B. Stephani teſtibus idoneis probare potuerint, quod poſt redintegrationem Eccleſiæ ſuæ infra annos triginta ſuper querela hac quæſtionem fecerint, per quam illorum videatur interrupta retentio, videlicet vel ante Antiſtitem ſuum, vel ante Legatum noſtrum in communi audientia: hac probatione perfecta, privilegia eorum proprium robur obtineant, & Epiſcopalis Sedes in poſterum apud B. Stephani Eccleſiam habeatur; alioquin Canonici B. Johannis ab hac querela liberi maneant, & Epiſcopalem Sedem, ſicut tenuerunt, teneant. Sane in hac negotii executione nihil eis impediat illa excommunicationis diuturnitas, quam a Fraternitate tua pro hoc negotio paſſi ſunt. Præterea Canonici B. Stephani Eccleſiæ ſuæ munimenta detineri a Canonicis S. Johannis conqueſti ſunt. Item Canonici S. Johannis, quædam uſualia ſibi ab eis ſubtracta clamabant. Judicatum eſt ergo, ut & iſtis omnino Eccleſiæ munimenta reddantur cum vino, & præbenda manſionarii, & illi rerum corporalium reſtitutionem recipiant, ideſt vini, carnis, & ceræ. Præcipimus igitur ſollicitudini tuæ &c.* ut ſupra uſque ad illa verba *teſtimonium proferant*, poſt quæ, adhuc iſta erunt adjicienda: *Plane hujus judicii executionem uſque in aſſumptionem proximam B. Mariæ perfici, conſummarique præcipimus. Interim proceſſiones, vel officiorum celebrationes, quæ ab alterutra ſolent Eccleſia exhiberi, mutuo ſecundum conſuetudinem perſolvantur. Datum Laterani X. Kalendas Maji.* Hinc itaque adparet circa annum 1115. exortam fuiſſe concertationem inter duas Eccleſias in urbe Veſontionenſi ſitas de jure primatus, quarum una erat S. Johannis, altera S. Stephani titulo inſignita. Utraque ſe Cathedræ

Digitized by Google

thedralem Eccleſiam, & principem eſſe dicebat, quod Epiſcopalis Sedes modo in una, modo in altera collocata fuiſſet. Cauſſam hanc Paſchalis Papa dirimendam primum voluit a Guillelmo Veſontionenſi Epiſcopo, deinde ipſe decreto ſuo abſolvit, definiendo penes Canonicos B. Stephani Eccleſiam Cathedralem habendam eſſe, quoties teſtibus probaretur, infra annos triginta ſuper ea querela quæſtionem fuiſſe factam adverſus Canonicos B. Johannis. Interea vero Paſchalis eam probationem per teſtes faciendam mandavit, aut coram Ordinario, aut coram Apoſtolico Delegato. Legatione functus eſt Pontificia Guido Viennenſis Epiſcopus, qui convocato in eam rem Concilio apud Trenorcium teſtes examinavit, quotquot a Canonicis B. Stephani producti fuerant, quorum tamen plurimos rejiciendos voluit, quod eidem Eccleſiæ B. Stephani deſervirent; proptereaque favore Canonicorum B. Johannis ſententiam pronunciavit. Id placere non potuit Paſchali Pontifici Maximo, qui eam ob rem memoratas literas de rejectis teſtibus dedit ad Guidonem, quemadmodum habetur apud Gratianum. Non tamen hic res conſtitit: nam mortuo Paſchali Papa, ubi ſummum Pontificatum obtinuit idem Guido Viennenſis Epiſcopus ſub nomine Calliſti II., in primis plura favore Monaſterii B. Johannis privilegia confirmavit, & conſuetudines adſeruit etiam adverſus Canonicos B. Stephani, ut liquet ex epiſtola 13. in collectione Labbeana, & anni 1120.; deinde in epiſt. 14. ſcripta ad Anſericum Archiepiſcopum Biſuntinum, & Canonicos S. Johannis eo progreſſus eſt, ut ſui Prædeceſſoris factum, quod ſubreptionis vitio laborare profeſſus eſt, retractaret, ita exorſus: *Deceſſorum ſtatuta ſicut legitima, & juſta ſucceſſorem convenit cuſtodire, ita etiam debet malefacta ſalubri proviſione corrigere. Ea propter nos ſubreptionem illam, quæ Domino Prædeceſſori noſtro ſanctæ memoriæ Paſchali Papæ a Clericis S. Stephani de maternitatis judicio facta eſt, ad veritatis, & juſtitiæ curavimus ordinem revocare &c.*

Hic interea paulliſper ſubſiſtendum puto, quod in prioribus memoratis Calliſti II. verbis facile demonſtro verba canonis 19. cau. 25. qu. 2., quæ jam ſuo loco dixi perperam fuiſſe Gelaſio Magno tributa. Sunt enim illa Calliſti II. Pontificis, atque ad cauſſam Canonicorum S. Johannis, & Canonicorum S. Stephani, de qua huc uſque ſermonem habui, pertinentia, quamobrem canonem illum huc referendum eſſe non prorſus immerito cenſui. *Can. 19. cau. 25. qu. 2.*

Revertor in viam. Calliſtus II. in laudata epiſt. 14. enarravit, jamdiu inter Canonicos S. Johannis, & Canonicos S. Stephani agitatam fuiſſe controverſiam *ſuper Epiſcopali Cathedra, & Eccleſiaſtica maternitate*; allegantibus ex una parte Canonicis S. Stephani, Eccleſiam ſuam matricem antiquitus extitiſſe, ſed propter ejus deſtructionem Epiſcopos ad Eccleſiam S. Johannis ſeceſſiſſe: ex altera parte Canonicis S. Johannis contendentibus, uſu ſe jura Cathedralis, & Matricis Eccleſiæ cepiſſe, quaſi longa poſſeſſione. Præterea enarravit Calliſtus, ſe jampridem, dum Viennenſem Epiſcopatum teneret, vice Apoſtolica celebrato Epiſcoporum plurium conventu controverſiam diremiſſe, ac favore Canonicorum S. Johannis ſententiam in Concilio pronunciaſſe. Poſt hæc proſecutus Calliſtus, retulit Canonicos S. Stephani fraude facta clanculum Romam provocaviſſe ad Apoſtolicam Sedem, ubi Paſchalis Papæ animum ita circumvenerunt, ut perſuaderent nihil eo uſque fuiſſe diſcuſſum, ſed integram adhuc controverſiam pendere; atque *ita jam Curiam totam figmentorum ſuorum fallaciis, & aſſentationum blandimentis aſperſerant, ut aliis nullum in ea locum habentibus, ipſi ſcriptum Maternitatis acceperint*. Inſuper retulit,

Paſchalem

Digitized by Google

Paſchalem conſcium de re geſta apprime factum vehementius doluiſſe, ac facultatem conceſſiſſe Epiſcopo Biſuntino, ut in quacumque vellet Eccleſia, ſeu S. Johannis, ſeu S. Stephani Epiſcopalia perageret. Tandem ex integro controverſiam omnem a ſe retractatam adfirmans revocavit ſcriptum favore Canonicorum S. Stephani a Prædeceſſore datum declarans, jura Epiſcopalia Eccleſiæ S. Johannis competere; quod etiam firmatur ſubſequentibus epiſtolis 15. & 16., quæ commode apud Labbeum legi poſſunt, ut magis, ac magis res in aperto collocetur. Itaque adparet ex his, qua ratione interpretari debeamus memoratum Gratiani canonem 1. cau. 14. qu. 2., cujus ſententia viſa fuit a ſucceſſore Pontifice Maximo quodammodo retractata. Unum adhuc adjiciendum puto, quod ex huc uſque traditis facile colligitur; nimirum epiſtolam Paſchalis ad Guidonem, cujus fragmentum apud Gratianum legitur, non poſſe referri ad annum 1100. quod in ſua Syntaxi Chronologica epiſtolarum Paſchalis II. tradidit Manſius, laudabili ceteroqui labore, cum videatur epiſtola data circa tempora Concilii Trenorcienſis, ac propterea circa annum 1115.

De Epiſtola ad Rheginum Epiſcopum.

Can. 5. cau. 30. qu. 3. Can. 5. cau. 30. qu. 4. Can 22. cau. 35. qu. 2. Juncto Can. 1. cau. 30. qu. 4.

Tres apud Gratianum canones legimus ſub nomine Paſchalis II. ad Rheginum Epiſcopum ſcribentis, nimirum canonem 5. cau. 30. qu. 3., canonem 5. cau. 30. qu. 4. & canonem 22. cau. 35. qu. 2. His ego jungendum putavi, quem inter monumenta Nicolai Papæ, utut illis adſcribatur, recenſere nolui, canonem 1. cau. 30. qu. 4. iſte enim canon 1. ex aliis memoratis Paſchalis Papæ fragmentis tanquam omnino apocryphus reputatur. Legitur quidem ipſe apud Ivonem Carnotenſem in parte 1. cap. 137., nec non in cap. 35. partis 9. ſub nomine Nicolai ad Salomonem Epiſcopum Conſtantienſem ſcribentis; verum religio & fides Ivonis non ſatis me liberat ſuſpicione, non tam quod nihil tale inter edita Nicolai monumenta legam, quam quod reſiſtat Paſchalis Papæ Rhegino Epiſcopo reſcribentis auctoritas. Quæſiverat Rheginus Epiſcopus, num mortua uxore, ſuperſtes maritus defunctæ uxoris commatrem poſſet ſibi conjugio jungere. Reſpondit Paſchalis id *nulla videri auctoritate vel ratione prohibitum* in dicto can. 5. cau. 30. qu. 4. Quomodo vero ita reſcripſiſſet Paſchalis, ſi tum notum eſſet Nicolai reſcriptum initio ejuſdem cauſſæ & quæſtionis apud Gratianum exhibitum; ne forte dicamus aut nullam fuiſſe Nicolai auctoritatem penes Paſchalem, aut monumenta Nicolai Papæ ad Paſchalis uſque ætatem minime perveniſſe, quando tamen non diuturnum tempus a Nicolao interfluxit ad Paſchalem. Erant quidem temporibus Nicolai interdictæ nuptiæ inter eos, qui compatres, commatreſque ſpirituales appellabantur; quod idem Nicolaus in ſuis reſponſis ad Bulgaros tradidit can. 1. cau. 30. qu. 3., at ne leve quidem veſtigium eſt ulterius productæ diſciplinæ, qua fieret, ut hæc ſpiritualis cognatio adfinitatis legibus ſubjiceret, quemadmodum ſubjacet conſanguinitas. Controverſiæ iſtæ circa finem undecimi tantum, aut initio duodecimi ſæculi prodierunt, quo tempore non ignoramus, fuiſſe de cognationum juribus ad finem impediendi matrimonii acerrime diſputatum. Neque pepercerunt, qui diſputabant, effingendis Maximorum Pontificum decretis, ſententiiſque, quibus opinionem ſuam quaſi in tuto collocarent. Atque inter iſta non injuria recenſeo memoratum canonem 1. cau. 30. qu. 4, cui effingendo veroſimilem præbebat occaſionem epiſtola quædam Nicolai I. data Salomoni

moni

moni Epiſcopo Conſtantienſi in cauſſa Ludovici Germanici Regis, in qua nonnulla de injuſtis ejuſdem nuptiis tradita fuerunt.

Sic paucis expeditus a canone Nicolao Pontifici adſcripto, ad alia accedo, quæ Paſchali Pontifici tribuuntur. Romani Correctores ad canonem 5. cau. 30. qu. 3. jam obſervaverunt, epiſtolam Paſchalis ad Rheginum fere integram legi apud Anſelmum, atque apud Polycarpum hoc ordine: nimirum ut primum legatur canon 5. cau. 30. qu. 4., deinde canon 5. cau. 30. qu. 3., poſtremo canon 22. cau. 35. qu. 2. Ego non dubito de hujus epiſtolæ veritate, tanquam ejus, cujus meminerunt Collectores Paſchali II. coævi. Dixero tamen, Anſelmum Lucenſem ætate Paſchalis jam obiiſſe, proptereaque niſi collectionem ipſam ab Anſelmo abjudicemus, neceſſario concludere oportebit, eam epiſtolam recentiore manu Anſelmi collectioni adſutam fuiſſe; cum autem recentior eadem manus Gratianeam collectionem anteverterit, utpote quam Gratianus ſecutus eſt, non dubito, quin Paſchalis II. temporibus eadem epiſtola addi Anſelmi collectioni potuerit, ac proinde additamentum in ipſa tempora Paſchalis inciderit. Neque vero aliquid in eiſdem monumentis occurrit, quod minus adcommodatum diſciplinæ illius ſæculi videatur. Etenim in primis canon 5. cau. 30. qu. 3. comparat filios ex baptiſmate ſuſceptos, filiis adoptione quæſitis, ita, ut quemadmodum adoptio matrimonia impedit inter naturales liberos, atque adoptivos, ſic etiam ſpiritualis quædam filiorum ſuſceptio inter ſpirituales, naturaleſque filios conjugia prohiberet. Quis autem ignorat, has fuiſſe non tantum Eccleſiaſticorum Patrum, ſed etiam veterum Principum tales nuptias prohibentium ſententias? quemadmodum etiam ratiocinabatur inter ceteros Nicolaus I. in can. 1. cau. 30. qu. 3. Deinde in can. 5. cau. 30. qu. 4. declaravit Paſchalis, cognationem ſpiritualem adfinitati non ſubjici, uti ſubjicitur conſanguinitas, quod ſine receptis Eccleſiaſticæ diſciplinæ principiis minime adſervabatur. Nimirum ipſa exempla adoptionis, quæ facile accomodabantur, ut diximus, cognationi ſpirituali, idipſum facile, & ſine diſcrimine evincebant; præſertim, quod nulla veterum auctoritas intercederet, quin amplius faceſſere negotium poſſit memoratus canon 1. cau. 30. qu. 4., quem ob eam rationem perperam Nicolao Pontifici adtributum fuiſſe nuper ſcribebam. Imo eidem firmandæ diſciplinæ commode accedere huc poteſt canon 47. Concilii Triburienſis ita conceptus: *Qui ſpiritalem habet compatrem, cujus filium de lavacro ſacri fontis accepit, & ejus uxor commater non eſt, liceat ei defuncto compatre ſuo ejus viduam ducere in uxorem, ſi nullam habent conſanguinitatis propinquitatem*. Demum quod ſpectat ad canonem 22. cau. 35. qu. 2., conſonat ipſe germanis, quæ jamdiu ſtabilitæ erant, regulis adfinitatum, quibus cavebatur, ut non ſolum inter conſanguineos a nuptiis abſtineretur; verum etiam vir abſtineret a ducenda defunctæ conjugis conſanguinea, ſicut uxor abſtineret a conjugio cum defuncti conjugis conſanguineo celebrando.

De epiſtola ad Victorem Epiſcopum Bononienſem.

Ex collectione Anſelmi primum etiam repetitur canon 9. cau. 16. qu. 1. tributus Paſchali II. ad Victorem Bononienſem Epiſcopum ſcribenti. Verum ex iis, *Can. 9. cau 16. qu. 1.* quæ ſuperius jam dicta ſunt, liquet collectioni Anſelmi poſteriore manu eundem canonem fuiſſe adjectum, cum ante Pontificatum Paſchalis vita jam functus fuiſſet

Digitized by Google

Anſelmus. Ego ſane affirmare non poſſum, jure optimo canonem Paſchali adſcribi, cum inter edita Paſchalis ejuſdem monumenta minime reperiatur, cum præterea Victoris Bononienſis Epiſcopi nomen non adpareat inter monumenta Eccleſiaſtica illius ætatis. Dixero tamen, quod in eodem canone traditur, convenire admodum canonibus numero plurimis eo tempore conſtitutis; nimirum contentiones tunc acerrimæ fuerunt inter Clericos, & Monachos de Sacramentorum adminiſtrationibus, Monachis paſſim Eccleſiaſtica officia ſibi vindicantibus, & quamquam, ubi Epiſcopi id in Diœceſibus permiſiſſent, res nullam dubitationem haberet, rejecti tamen Monachi ab eiſdem muneribus frequentiſſime fuerunt, quoties ipſi propria auctoritate eam ſibi poteſtatem adſererent. Idipſum etiam de decimarum juribus paſſim conſtitutum eſt; nemo enim ignorat, undecimo Eccleſiæ ſæculo decimas ex conceſſione Epiſcoporum, Maximorumque Pontificum pluribus in locis Monaſteriis fuiſſe donatas, ut tandem aliquando a Laicis auferrentur, qui eaſdem pridem occupaverant, & viris Eccleſiaſticis, quaſi non ſatis tunc officio ſuo fungentibus denegaverant. Ita ad eam rem ſcribit Ivo Carnotenſis in epiſtola 192. ad Monachos Columbenſes. *Abbates, & Procuratores Monaſteriorum aliquas decimas, quæ jure pertinent ad diſpenſationem Epiſcoporum, Monaſteriis ſuis adquiſierunt ... Licet enim decimæ, & oblationes principaliter Clericali debeantur militiæ; poteſt tamen Eccleſia omne, quod habet, cum omnibus pauperibus habere commune. Quanto magis cum his pauperibus, qui relictis facultatibus propriis non in angaria bajulantes Chriſti crucem ſequuntur pauperem Chriſtum? Eſt tamen, in quo Abbatibus, & Præpoſitis Monaſteriorum parcendum eſſe non æſtimo, ſi ab illis, ad quos non pertinet, ideſt a laicis decimas, & oblationes accipiant, ſi inordinate eas a quibuſcumque perſonis adquirant, ſi terminos tranſgrediantur antiquos, ideſt ſi ſtipendia Presbyterorum antiquitus inſtituta minorent, ac ſibi uſurpent.* Ut vero canones illos in medium producam Paſchalis II. temporibus editos, quibus nonnulla ſimilia cum ſententia memorati canonis 9. continentur, in promptu eſt canon 38. Concilii Strigonienſis anni 1114. apud Manſium ita conceptus: *Abbates mitram, ſandalia, nodum ante cappam non habeant, vel cetera inſignia, neque baptizent, neque pœnitentiam dent, neque ad populum ſermonem faciant.* Huic ſimilis eſt canon Concilii Lateranenſis paullo poſt Paſchalis II. obitum celebrati ſub Calliſto II. anno 1123. num. 17. ibi: *Interdicimus Abbatibus, & Monachis publicas pœnitentias dare, & infirmos viſitare, & unctiones facere, & miſſas publicas cantare. Chriſma, & oleum, conſecrationes altarium, ordinationes Clericorum ab Epiſcopis accipiant, in quorum Parochiis manent.* Huc etiam pertinent canones 6. 10. & 11. Concilii Pictavenſis celebrati ſub Paſchali II. anno 1100. ibi: can. 6. *Ut nullus Abbatum utatur chirotecis, ſandaliis, annulo, niſi quibus fuerit per privilegium a Romana Eccleſia conceſſum.* Can. 10. *Ut Clericis Regularibus juſſu Epiſcopi ſui baptizare, prædicare, pœnitentiam dare, mortuos ſepelire liceat.* Et can. 11. *Ut nullus Monachorum parochiale miniſterium presbyterorum, ideſt baptizare, prædicare, pœnitentiam dare præſumat.* Facere etiam poſſet ad eandem rem epiſtola Paſchalis II. 75. ad Pontium, & Cluniacenſem Abbatem, ubi poſtquam Sanctus Pontifex retulit, temporibus Berardi Matiſcenſis Epiſcopi inter Monachos, & Epiſcopum eundem omnia quiete, pacificeque ordinata fuiſſe, conqueritur deinde, quod illi poſt Epiſcopi ejuſdem obitum ſibi jura quædam Epiſcopalia temere vindicaſſent. Adde, ſi lubet, canonem 6. cau. 16. qu. 2. qui pertinet ad Claromontanum Concilium ſub Urbano II. celebratum paullo ante, quam Paſchalis II. ſummum Pontificatum conſequeretur: adde demum duos canones 15. & 16. Con-

Digitized by Google

Concilii Romani ſub Urbano II., & anni 1099., quo ipſo anno Paſchalis II. ad Pontificatum evectus eſt; ſunt autem his verbis concepti: Can. 15. *Nullus laicus decimas ſuas, aut Eccleſiam, aut quidquid eccleſiaſtici juris eſt ſine conſenſu Epiſcopi, vel Romani conceſſione Pontificis, Monaſteriis, aut Canonicis offerre præſumat. Quod ſiquis Epiſcopus improbitatis, & avaritiæ cauſſa conſentire noluerit, Romano Pontifici nuntietur, & ejus licentia quod offerendum eſt, offeratur.* Can. 16. *Nullus Abbas, nullus Eccleſiarum Præpoſitus quæ juris ſunt eccleſiaſtici, a laicis accipere ſine Epiſcopi conceſſione præſumat.* Ex quibus omnibus ſatis arbitror demonſtratum, canonem 9. cau. 16. qu. 1., & ſi forte indicari non poſſit, quonam ſingulari ex monumento decerptum ſit, tamen Paſchali II., & ejuſdem temporibus plurimum convenire.

De ceteris canonibus Paſchali adſcriptis.

Superſunt adhuc nonnulla Paſchalis II. monumenta, quæ aut apud Collectores alios perierunt, aut ad alios auctores pertinent, ideo vero Paſchali adſcripta, quod temporibus ejuſdem Papæ in variis Epiſcoporum Conciliis edita fuerint. Hujuſmodi ſunt in primis canon 125. cau. 1. qu. 1., & canon 14. cau. 1. qu. 3., quorum equidem verba in ipſis Paſchalis epiſtolis deſiderantur, ſed ſententia aut maxime congruit ejuſdem Pontificis ætati, aut in canonibus illius temporis Conciliorum facile continetur. Pertinet illa ad improbandam ſimoniæ labem, item ad redarguendam vim, quæ in beneficiorum eccleſiaſticorum, præſertim majorum, conceſſionibus intervenire ſolebat, quemadmodum apprime norunt quotquot in hiſtoria illius ſæculi vel leviter verſati ſint. Cum vero ea res non modicis contentionibus eſſet obnoxia, unde gravia & ipſe Pontifex pati incommoda debuit, mirum non eſt, ſi ſancti Viri ſcripta eo colimantia non ad nos uſque pervenerint; quamobrem curandum eſt, ut ſimilia quædam adhuc adferantur, ex quibus Paſchalis ſententia in tuto collocetur. Profecto cum memorato canone 125. plurimum conſonat epiſtola Paſchalis 3., 41., & 42. ad Anſelmum Cantuarienſem in Veneta editione Labbei, ubi ſine Epiſcoporum electiones libere, nec vi adhibita faciendas eſſe traditur. Eo etiam referri poſſunt canones aliquot non longe diſſiti ab ætate Paſchalis; inter quos memoratur canon 4. Concilii Toloſani anni 1119., ubi qui bona Eccleſiarum regulariter ordinari non patitur, ita damnatur, ut *ab Eccleſiæ liminibus tanquam ſacrilegus arceatur*; & canon 4. Concilii Lateranenſis anni 1123., in quo ejuſdem criminis reus *ut ſacrilegus judicatur*. Item cum memorato canone 14. plurimum conſonat canon 9. Concilii Pictavenſis ſub Paſchali II. celebrati anno 1100. ibi: *Ut neque Clerici, vel Monachi per pecuniam Altaria, vel decimas a laicis, vel quibuslibet perſonis ſibi adquirant, ſimiliter ſub excommunicatione interdicimus.* Romani Correctores etiam adnotaverunt, verba illius canonis eadem eſſe cum verbis canonis 3. cau. 1. qu. 1., ad quem videre quiſque poterit, quod de eo ſuperius tradidi, junctis etiam ad illum Romanorum Correctorum adnotationibus, quibus canon ipſe ad varia veterum Conciliorum capita exigendus porrigitur. *Can. 125. cau. 1. qu. 1. & Can. 14. cau. 1. qu. 3.*

Canon 47. cau. 16. qu. 1. inter edita Paſchalis II. monumenta deſideratur: tantummodo nonnulla ſimilia ſub ejuſdem Pontificis nomine leguntur apud Gregorium in cap. 2. de decimis, & uberius in Collectione 1. Decretalium cap. 7. *Can. 47. cau. 16. qu. 1.*

eod. tit. his verbis: *Novum genus exactionis eſt, ut Clerici a Clericis frugum decimas, vel animalium exigant; nuſquam in lege Domini hoc præcipi legimus, aut permitti; non enim Levitæ a Levitis decimas accepiſſe, vel extorſiſſe leguntur. Illi profecto Clerici, qui a Clericis ſpiritualium miniſteriorum labores accipiunt, decimas eis debent*. Ceterum quoties memoratus canon 47. exigendus ſit ad Conſtitutiones aut ab eodem Paſchali II., aut ejuſdem Paſchalis II. temporibus editas, facile in medium ea producentur, unde colligatur, canonem illum jure optimo Paſchali tributum fuiſſe. Tres canon ille partes habet: nimirum in prima agitur de obligatione decimarum Sacerdotibus, ac Levitis perſolvendarum; in ſecunda de exemptione Monachorum, ac Clericorum communem vitam ducentium a decimis præſtandis; in poſtrema Gregorii Magni ſententia explicatur. Sane quod ad primum attinet, extat egregium monumentum Paſchalis II. apud Gerohum Præpoſitum Reicherſpergenſem in pſalmum 64. editum apud Baluzium lib. 5. Miſcellaneorum pag. 188., & apud Manſium in tom. 2. Supplementi Labbeani pag. 171., atque in illo traditur, Sacerdotes novæ legis locum quodammodo tenere Levitarum antiquæ legis, ut quemadmodum olim Levitis, ita Sacerdotibus hodie decimæ perſolvantur, his verbis: *Clericorum ordinem in Eccleſia tribus Leviticæ locum tenere, & apoſtolicæ dignitatis jura ſervare, & officia gerere nemo ſanum ſapiens dubitat. Unde certum eſt, eos Levitarum, & Apoſtolorum regulas, & vitas imitari debere, quorum noſcuntur locum tenere, dignitatem habere, & officia gerere. Quæ enim lex Levitis, & quæ a Domino regula datur Apoſtolis, hæc eadem Catholicis pariter Clericis uſque in finem mundi vices eorum ſupplentibus indicta nequaquam ambigitur. Ecquidem quod Levitis interdicitur adhuc in umbra gradientibus, quomodo nobis conceditur jam in veritate perſiſtentibus, cum multa legamus illis fuiſſe conceſſa, quæ nobis procul dubio ſunt prohibita? Aaron itaque, & filiis ejus, ceteriſque Levitis a Domino dicitur, In terra filiorum Iſrael nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos; ego enim pars, & hereditas veſtra in medio filiorum Iſrael, & paullo poſt ſubſequitur: Filiis Levi dedi omnes decimas Iſraelis in poſſeſſionem pro miniſterio, quo ſerviunt mihi in tabernaculo fœderis: & de eiſdem poſt pauca: nihil aliud poſſidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in uſus eorum, & neceſſaria ſeparari . . . Hæc Levitis, & Apoſtolis mandata ſunt. Utriſque una regula, & eadem lex præcipitur. Qui ergo alii regula, & lege iſta tenentur, niſi Clerici, qui Levitarum Domini, & Diſcipulorum Chriſti locum tenent, miniſterium implent, vices ſervant, ordines habent?* Quod ſpectat ad ſecundam partem, plurimum facit canon 62. Concilii Strigonienſis anni 1114. celebrati temporibus Paſchalis in illis verbis: *Decretum eſt, & ſancti Concilii ſancitum eſt auctoritate, ut de propriis horreis, ſeu cellariis, aut quolibet Monaſteriorum, & Eccleſiarum, & omnium, qui in Clero ſunt, decimæ non exigantur, excepta quarta parte parochiani Presbyteri*. Quod demum nomine Gregorii Magni in poſtrema canonis parte deſcribitur, referendum eſt ad celebrem illam epiſtolam ejuſdem Pontificis ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum cap. 2., de quo jam agendum fuit ad canonem 8. cau. 12. qu. 1.

Can. 16. 17. 18. & 19. cau. 16. qu. 7. Non aberravit a veri ſpecie Baluzius ad canonem 16. cau. 16. qu. 7., cum tradidit, putare ſe, illum conditum fuiſſe in Concilio Trecenſi, cui Paſchalis II. præfedit; addens, ad illud ipſum Trecenſe Concilium videri pertinere etiam tria capita, quæ ſequuntur, videlicet canones 17., 18., & 19. Sane quotquot Scriptores de Concilio Trecenſi anno 1107. celebrato mentionem fecerunt, univerſi te-

ſtati

ſtati ſunt, ea omnia ibidem decreta fuiſſe, quæ in memoratis Gratiani canonibus continentur. Perierunt hodie illius Concilii acta, tantum nonnullæ actorum reliquiæ ſuperfuerunt, unde vix Gratianeorum canonum verba ad alios codices exigi quoquo modo poſſunt: interea tamen non dubito, quominus eorum per omnia conſiſtat auctoritas. Etenim ſi in primis conſideremus canonem 16., ſcribit Urſpergenſis in Chronico ad annum 1107. latam fuiſſe in Trecenſi Synodo ſententiam *de libera Paſtorum electione, & de coercenda laicorum in eccleſiaſticas dignitates præſumptione.* Aptius Crantzius lib. 5. cap. 33. inquit: *Paſchalis autem Pontifex tum in Galliis apud Trecas habuit generale Concilium, in quo inter alia decretum eſt, quod nemo inveſtituram alicujus beneficii, aut eccleſiaſticæ dignitatis a manu laica excipiat, quoad uſque hæc quæſtio inter Papam, & Regem ſynodaliter terminaretur.* De eadem re ſcripſit Paſchalis ad Rothardum Archiepiſcopum Moguntinum utens canonibus vulgo Apoſtolorum, & ſententia Concilii Antiocheni, quemadmodum liquet ex epiſtola, quam edidit Martene veterum monumentorum tom. 1. pag. 616., cujus in fine hæc leguntur: *Nos quoque Sanctorum Patrum conſtitutiones ſequentes cum fratribus noſtris in Trecenſi Concilio ſtatuimus, ut quicumque Clericorum de hac hora inveſtituram Eccleſiæ, vel eccleſiaſticæ dignitatis de manu laici acceperit, & qui ei manum impoſuerit, gradus ſui periculo ſubjaceat, & communione privetur.* Nemo ſtatim non agnoſcit in his verbis memoratum canonem 17. cau. 16. qu. 7. Huc quoque pertinet, quod dicitur in alia Paſchalis epiſtola ad Reinhardum Epiſcopum Halberſtadenſem apud laudatum Martenium pag. 618. ibi: *Statutum eſt in Trecenſi Concilio, ut ſiquis ex manu laica Eccleſiæ inveſtituram acceperit, tam ipſe, quam ordinator ejus deponatur, & a communione removeatur.* Idem Martene in tom. 7. monumentorum ex MS. S. Germani a Pratis nonnullos edidit Trecenſis Concilii canones, quorum primus hic eſt: *Qui ab hac hora inveſtituram epiſcopalem, ſeu aliquam ſpiritalem dignitatem a laicali manu ſuſceperit, ſi ordinatus fuerit, deponatur, ſimul & ordinator ejus.* De canone 18. cau. 16. qu. 7. præter ea, quæ Romani Correctores obſervaverunt, illud notandum eſt, quod deducitur ex epiſtola Richardi Albanenſis Epiſcopi, & Sedis Apoſtolicæ Legati, quæ habetur inter acta Concilii Claromontani anni 1110. ibi: *Dominus Papa Paſchalis in Concilio Trecenſi omnes eos excommunicavit, qui pacem violarent, & præcipue eos, qui res eccleſiaſticas uſurparent, vel perſonas in aliquo injuſte læderent, ut nec in vita, nec in morte Eccleſiæ communionem haberent, niſi aliqua ſatisfactione prius reſipiſcerent &c.* Eadem fere conſtituta leguntur in Concilio Pictavenſi anni 1110. ſub eodem Paſchali II. celebrato can. 14. & 15. ibi: *Ut nullus laicorum de oblationibus, quæ offeruntur, vel donantur ad Altaria, ſive ad manum Presbyteri, ut quod pro ſepultura fidelium devote donatur, præſumat participare, ſub excommunicatione interdicimus. Ut nemo advocatus, vel quæcumque perſona res Epiſcopi, ſive in vita, ſive poſt mortem ſibi vendicare præſumat. Quod ſi fecerit, anathema ſit.* Demum verba canonis 19. cau. 16. qu. 7. non leguntur quidem ipſa in iis, quæ ſuperſunt, Trecenſis Concilii laciniis, ſed tamen facile ad illius Synodi ſententias rediguntur; eo nimirum, ut intelligatur res eccleſiaſticas a nemine diripiendas fuiſſe, ne Dei Eccleſia dividi quoquo modo videretur. Huc referri poteſt Capitulum quoddam Concilii Guaſtallenſis a Paſchali II. celebrati, & quidem editum apud Labbeum ad annum 1106. ita conceptum: *Jamdiu a pravis hominibus tam clericis, quam laicis Catholica eſt Eccleſia conculcata, unde plura temporibus noſtris ſchiſmata, & hæreſes emerſerunt. Nunc autem per Dei gratiam hujus nequi-*

Digitized by Google

tiæ deficientibus auctoribus in ingenuam libertatem reſurgit. Unde providendum eſt, ut horum ſchiſmatum cauſſæ penitus abſcindantur. Patrum ergo conſtitutionibus conſentientes, Eccleſiarum inveſtituras a laicis fieri omnino prohibemus. Siquis autem hujus decreti temerator extiterit, tanquam maternæ injuriæ reus, Clericus quidem ab ejuſdem dignitatis conſortio repellatur, laicus vero ab Eccleſiæ liminibus arceatur. Porro Trecenſes Patres in eo canone, qui apud Gratianum laudatur, imitati quoquo modo videntur verba S. Auguſtini in enarratione 2. in pſalmum 21. ita ſcribentis: *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea: veſtimenta ſua, Sacramenta ipſius: Attendite, fratres, veſtimenta ipſius, Sacramenta ipſius potuerunt dividi per hæreſes, ſed erat ibi veſtimentum, quod nemo diviſit. Et ſuper veſtimentum meum miſerunt ſortem. Erat ibi tunica, dicit Evangeliſta, deſuper texta. Ergo de cœlo, ergo a Patre, ergo a Spiritu Sancto. Quæ eſt iſta tunica, niſi charitas, quam nemo poteſt dividere, quæ eſt iſta tunica, niſi unitas? In ipſam ſors mittitur, nemo illam dividit: Sacramenta ſibi hæretici dividere potuerunt, charitatem non diviſerunt: & quia dividere non potuerunt, receſſerunt, illa autem manet integra. Sorte obvenit quibuſdam, qui habet hanc, ſecurus eſt. Nemo illam movet de Eccleſia catholica. Et ſi foris illam incipiat habere, intromittitur, quomodo ramus olivæ a columba.* Hæc omnia ſimul juncta facilem memoratis canonibus univerſis exhibent interpretationem.

Solius Gratiani teſtimonio Paſchali II. adſcriptum invenio canonem 18. cau. 18. qu. 2., verum Collector ille apud me tanti non ſit, ut ſtatim adquieſcendum putem. Nimirum aut ea, quæ in canone exhibentur, non ſunt Paſchalis verba, aut ſi ſunt, commoda erunt interpretatione donanda, non ea, quæ ex ipſo verborum cortice colligatur. Nimirum ſtatutum ibidem videtur, nemini ex Abbatibus, Monachiſve ſacra miniſteria eſſe a quoquam Epiſcopo concedenda, qui non fuerit aut Epiſcopi, aut Archiepiſcopi, aut Primatis, aut Patriarchæ alicujus obnoxius juriſdictioni. At vero quid juris, ſi Epiſcopi, aut Metropolitæ, aut Primatis, aut etiam Patriarchæ juriſdictionem declinet Abbas ex Apoſtolico, quod rite obtinuiſſet, privilegio exemptionis? Ecquidem verba canonis generalia ſunt, nec ſinunt hujuſmodi Abbates aliquam cum Epiſcopis habere communionem. Verum hæc omnino diſſonant a mente Paſchalis II., & aliorum Pontificum Maximorum illius ſæculi, qui non ſemel plurimis Monaſteriis exemptionum privilegia conceſſere, ideſt, ut ſoli Pontifici Maximo ſubeſſent, nemini ex inferioribus Antiſtitibus quacumque dignitate condecoratis, ita tamen, ut iidem Abbates, & Monachi a proximis Epiſcopis, quos elegiſſent, Sacramenta quædam, & Sacramentalia poſtularent. Sic Paſchalis II. ſibi immediate ſubjecit Monaſterium Cabilonenſe, uti liquet ex ejus epiſtola 2., *ſalva* tamen *Cabilonenſis Eccleſiæ canonica reverentia*. Sic epiſt. 47. *Soli Romanæ Eccleſiæ ſubditum, & ab omni Eccleſiarum jugo liberum* haberi voluit Cœnobium Sanctæ Sophiæ Beneventanum, ita tamen, ut *Chriſma, Oleum ſanctum, conſecrationes Altarium, ſive Baſilicarum, ordinationes Monachorum ad ſacros Ordines* ab Epiſcopis Diœceſanis acciperentur. Idipſum habetur in epiſt. 51. de Monaſterio Vezeliacenſi, necnon in epiſtola 67. & 75. de Monaſterio Cluniacenſi, & in epiſtola 94. de Monaſterio S. Mariæ apud Bantium, ut multa alia omittam ſimilia, & vetuſtiorum, & recentiorum Maximorum Pontificum monumenta. Itaque aut memoratus Gratiani canon a Paſchali II. erit abjudicandus, tanquam is, qui Paſchalis ſententiis minime conſonet; aut ſi forte a quoquam recipiatur, ita erit intelligendus, ut pertineat ad Abbates illos, qui teme-

Can. 18. cau. 18. qu. 2.

re,

re, & nullo obtento a Sede Apoſtolica privilegio Epiſcopis Diœceſanis parere, ac ſubeſſe detractabant. Illis occaſionem excutiendi Antiſtitum juriſdictionem dare poterunt Monaſteria quædam, quæ vel fundationum tabulis, vel ſingularibus privilegiis exempta fuerant ab Ordinariorum poteſtate. Tunc autem temporis plurimos fuiſſe hujuſmodi Abbates, qui adverſus Epiſcopos contenderent, unde propterea oriri occaſio potuerit Paſchali II. ita conſtituendi, eoſdemque ad præſtandam Epiſcopis legitimam obedientiam hortandi, compellendique, facile colligitur ex univerſis propemodum Conciliorum actis, quæ ſub ſæculi undecimi finem, vel ſub initium duodecimi celebrata feruntur.

CAPUT ULTIMUM.

De Innocentio II.

Innocentii II., cujus ætate Gratianus aut jam collectionem ſuam adornabat, aut adornandam meditabatur, Decreta, & Conſtitutiones, aut ex Lateranenſi Concilio ſub eo celebrato, aut ex duabus illius Pontificis epiſtolis depromta ſunt.

Ex Concilio Lateranenſi.	*Can.* 2. *diſt.* 28. *conſonat etiam cum canonibus Concilii Romani anni* 1131. *Can.* 3. *diſt.* 60. *jungendus cum can.* 5. *cau.* 21. *qu.* 2. *Can.* 35. *diſt.* 63. *ex integris exemplaribus emendandus.* *Can.* 11. *diſt.* 90. *ex integris Concilii exemplaribus ſupplendus.* *Can.* 15. *cau.* 1. *qu.* 3. *ex integris Concilii exemplaribus emendandus.* *Can.* 7. *cau.* 8. *qu.* 1. *ſupplendus ex integris Concilii exemplaribus.* *Can.* 47. *cau.* 12. *qu.* 2. *ex aliis integris exemplaribus emendandus.* *Can.* 29. *cau.* 17. *qu.* 4. *ex adjunctis illius temporis explicandus.* *Can.* 25. *cau.* 18. *qu.* 2. *conſonat cum integris Concilii exemplaribus.* *Can.* 5. *cau.* 21. *qu.* 2. *jungendus cum can.* 3. *diſt.* 60. *Can.* 5. *cau.* 21. *qu.* 4. *paullo varius in aliis Concilii exemplaribus.* *Can.* 32. *cau.* 23. *qu.* 8. *ex integris Concilii exemplaribus ſupplendus.* *Can.* 40. *cau.* 27. *qu.* 1. *ſupplendus ex integris Concilii exemplaribus.* *Can.* 8. *de pœn. diſt.* 5. *conſonat cum integris Concilii exemplaribus.*
Ex Epiſtolis Innocentii.	*Can.* 17. *cau.* 2. *qu.* 5. *conferendus cum aliis Pontificum Maximorum collectionibus.* *Can.* 8. *cau.* 35. *qu.* 6. *conſonat etiam cum Concilio Rhemenſi Innocentii II.*

Gelaſii,

GElaſii II., Calliſti II., Honorii II. geſta non recenſeo, quod apud Gratianum vix quædam alicui ex ipſis tribuenda referuntur, atque iſta jam aliis in locis commodius deſcripſi. Hinc recta methodo progreſſus ſum ad Innocentium II. anno 1130. Maximum Pontificatum adeptum, non tamen ſine contradictione nonnullorum; ſiquidem aliqui facto ſchiſmate ab eo deficientes Pontificem nominarunt Petrum quendam, & nomine Anacleti II. appellaverunt. Et quidem quouſque Petrus vixit, omnem movit lapidem, ut Innocentium huc illuc exagitaret. Eo deinde vita functo anno 1127. nondum quies reſtituta Eccleſiæ Romanæ, & Innocentio, quum Schiſmatici Petro olim adhærentes alium Victorem IV. nominatum in Apoſtolica Sede collocaverunt. Sed hic Victor paucis menſibus Sedem tenuit, ſponteque ſuaſionibus Virorum graviſſimorum publici Eccleſiarum boni cauſſa abdicavit, unde tandem libere Innocentius univerſam Eccleſiam rexit uſque ad annum 1143., quo demum obiit.

De Concilio Lateranenſi.

Pacatis Romanæ Eccleſiæ rebus anno 1139. mortuo jam Petro Pſeudo-Pontifice, & poſt Victoris abdicationem, uti nuper ſcriptum eſt, nihil ſollicitius curavit Innocentius II., quam ut fere lapſam Eccleſiaſticam diſciplinam repararet. Ob eam rem Romæ Concilium convocavit, quo confluxerunt Epiſcopi numero circiter mille, ubi triginta canones conſtitutos ſcimus, qui apud Collectores Conciliorum exhibentur. Ut plurimum iſti ad auferendos varios in Eccleſias inductos abuſus pertinent; ſimul autem nonnullis edendis occaſionem etiam præbuerunt dira ſchiſmata tunc temporis concitata, nec non aliquot hæreticorum noviſſime prodeuntium errores, quales erant Petrus de Bruis in templa Summo Deo dicata, in ſacram ipſam Chriſti Redemptoris crucem, in ſacrificium Divinum, myſteriaque ſeu Euchariſtiæ, ſeu baptiſmatis impia verba evomens, item Arnaldus quidam de Brixia in viros eccleſiaſticos, & Eccleſiis conceſſa bona quæcumque debacchatus. Percurram univerſos ejus Concilii canones, ſingulos eo referens, quo potiſſimum ſpectant, ſive ad memoratas hæreſes confodiendas, ſive ad diſciplinam eccleſiaſticam reſtaurandam, ac potiſſimum eos, qui apud Gratianum habentur, ne ultra propoſitum meum vagari videar.

Exordiuntur Lateranenſes Patres in can. 1., & 2. adverſus geſta Simoniacorum, ac deteſtati ſunt non ſolum ſimoniacas Clericorum ordinationes, verum etiam ſimoniacas quaſcumque rerum eccleſiaſticarum, ſacrarumve conceſſiones. Verba canonis 1. apud Gratianum non habentur; ſed verba canonis 2. leguntur
Can. 15. in can. 15. cau. 1. qu. 3. ita deſcribendi ex integris Concilii illius exemplaribus:
cau. 1. *Siquis præbendam, vel prioratum, ſeu decanatum, aut honorem, vel promotionem ali-*
qu. 3. *quam eccleſiaſticam, ſeu quodlibet Sacramentum eccleſiaſticum, utpote Chriſma, vel Oleum Sanctum, conſecrationes altarium, vel Eccleſiarum, interveniente execrabili ardore avaritiæ per pecuniam acquiſivit, honore male acquiſito careat, & emptor, atque venditor, & interventor nota infamiæ percellantur. Et nec pro paſtu, nec ſub obtentu alicujus conſuetudinis ante, vel poſt a quoquam aliquid exigatur, vel ipſe dare præſumat, quoniam ſimoniacum eſt, ſed libere, & abſque imminutione aliqua collata ſibi dignitate,*

atque

atque beneficio perfruatur. Nova ſane non fuit hujuſmodi conſtitutio, ſed jam ab anno 1131. edita in Concilio Rhemenſi celebrato, cum Innocentius II. in Gallia conſiſteret, ut ſubortas in Romana Eccleſia ſchiſmate turbata ſeditiones eluderet, nam ibidem can. 1. hæc habentur: *Statuimus, ut ſiquis ſimoniace ordinatus fuerit, ab officio cadat, quod illicite uſurpavit. Ut ſiquis præbendas, aut honorem, vel promotionem aliquam eccleſiaſticam, interveniente execrabili ardore avaritiæ, per pecuniam acquiſivit, honore male acquiſito careat, & emptor, ac venditor, & interventor notæ infamiæ percellantur*. Similia etiam fere leguntur in univerſis illius ætatis Conciliis, cum ſimoniacorum hæreſis late in Eccleſia diffuſa plurimorum animos occuparet.

In canone 3. ejuſdem Concilii ſtatutum fuit, ne excommunicati a Diœceſano Epiſcopo ab aliis ſuſciperentur. Deinde in can. 4. leguntur eadem verba, quæ retulit Gratianus in can. 5. cau. 21. qu. 4., dummodo pro illis, *ſed potius, quod eorum deceat ſanctitatem, præſeferant*, iſta ſubſtituantur ex Codice Labbeano, *ſed potius, quæ eos deceat, ſanctitatem præ ſe ferant*. Similia jam edita fuerant in Rhemenſi Concilio ſuperius memorato can. 2. ibi: *Præcipimus etiam, quod tam Epiſcopi, quam Clerici, in ſtatu mentis, vel habitu Corporis Deo, & hominibus placere ſtudeant, & nec in ſuperfluitate, aut colore veſtium, intuentium, quorum forma, & exemplum eſſe debent, offendant aſpectum, ſed quod eorum deceat ſanctitatem*. Opportunæ ſane erant hujuſmodi conſtitutiones ob effrænem illorum licentiam, qui duce Arnaldo Brixienſi hæretico, cujus ſuperius mentionem feci, adverſus Clericos & res eccleſiaſticas vim faciebant, contra quos nihil ſane ſalubrius objici poterat, quam ſanctior, & purior Clericorum eorundem vita, etiam quæ ex humili exteriore corporis habitu colligeretur. *Can. 5. cau. 21. qu. 4.*

Ex eadem ratione, nimirum adverſus Arnaldum Brixienſem, ejuſque ſocios, ſanciendum fuit in canone 5., quod etiam eiſdem verbis ſtatutum fuerat in canone 3. Concilii Rhemenſis prælaudati, quod apud Gratianum legimus in can. 47. cau. 12. qu. 2., ubi tamen emendanda videntur poſtrema verba ex integris exemplaribus tam Lateranenſis, quam Rhemenſis Concilii, in quibus non legitur uti apud Gratianum, *ſimili ſententiæ ſubjaceant*, ſed *ſimili ſententiæ ſubjiciantur*. Id autem ſedulo animadvertendum velim, præſertim ab illis, qui in verbo *ſubjaceant* excommunicationem quandam, ut recentiores loquuntur, latæ ſententiæ agnoſcunt, quam ſane agnoſcere non poſſent in verbo *ſubjiciantur*. *Can. 47. cau. 12. qu. 2.*

Quid præterea aliud exhibetur in canone 6. Concilii, quem retulit Gratianus in can. 2. diſt. 28., quam ſollicitudo quammaxima Innocentii Papæ in Clericorum moribus jamdiu corruptis reformandis, ut tandem os obſtrueretur Arnaldiſtis Clerum univerſum inſimulantibus, & res ipſas eccleſiarum invadentibus, quarum poſſeſſione indignos viros eccleſiaſticos adfirmabant? Imitatus jam fuerat in hac parte Innocentius vigilantiam Prædeceſſorum ſuorum, qui ſimiles paſſim conſtitutiones ediderant; imo & ipſe totidem verbis eadem ipſa jam conſtituerat in cap. 4. memorati Concilii Rhemenſis. *Can. 2. diſt. 28.*

Eo quoque mentem Innocentii pertinuiſſe dignoſcitur, dum primum in laudato Concilio Rhemenſi canone 5. ita ſtatuit: *Ad hæc Prædeceſſorum noſtrorum Gregorii VII, Urbani, & Paſchalis Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes præcipimus, ut nullus miſſas eorum audiat, quos uxores, vel concubinas indubitanter habere cognoverit*. Deinde in Concilio Lateranenſi ita definiendum voluit can. 7. *Ad hæc* *Can. 40. cau. 27. qu. 1.*

Prædeceſſorum noſtrorum, Gregorii VII., Urbani, & Paſchalis Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes præcipimus, ut nullus miſſam eorum audiat, quos uxores, vel concubinas habere cognoverit. Ut autem lex continentiæ, & Deo placens munditia in eccleſiaſticis perſonis, & ſacris Ordinibus dilatetur; ſtatuimus, quatenus Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares Canonici, & Monachi, atque converſi profeſſi, qui ſanctum tranſgredientes propoſitum uxores ſibi copulare præſumpſerint, ſeparentur. Hujuſmodi namque copulationem, quam contra eccleſiaſticam regulam conſtat eſſe contractam, matrimonium non eſſe cenſemus. Qui etiam ab invicem ſeparati pro tantis exceſſibus condignam pœnitentiam agant. Et in canone 8. *Idipſum quoque de ſanctimonialibus feminis, ſi, quod abſit, nubere attentaverint, obſervari decernimus.* Hinc erutus eſt canon 40. cau. 27. qu. 1., qui etiam legitur eiſdem verbis in Pœnitentiali Romano edito ab Antonio Auguſtino tit. 8. cap. 7.

Non ſatis id fuerat Innocentio, ut Clericos ab Arnaldiſtarum conviciis tutius
Can. 3. liberaret; hinc in can. 9. eiſdem Clericis interdixit, ne aut Imperialium legum,
diſt. 60. vel medicorum diſciplinæ operam darent. Deinde vero in canone 10. ad Laicos
& Cap. 5. orationem convertens, illos præſertim, qui hæretici Brixienſis dictis adhæſerant,
cau. 21. & res eccleſiaſticas, præcipue decimas, a Clericis abſtulerant, ita voluit definien-
qu. 2. dum: *Decimas Eccleſiarum, quas in uſu pietatis conceſſas eſſe canonica demonſtrat auctoritas, a laicis poſſideri apoſtolica auctoritate prohibemus. Sive enim ab Epiſcopis, vel Regibus, vel quibuſcumque perſonis eas acceperint, niſi Eccleſiæ reddiderint, ſciant ſe ſacrilegii crimen committere, & periculum æternæ damnationis incurrere. Præcipimus etiam, ut laici, qui Eccleſias tenent, aut eas Epiſcopis reſtituant, aut excommunicationi ſubjaceant. Innovamus autem, & præcipimus, ut nullus in Archidiaconum, vel Decanum, niſi Diaconus, vel Presbyter ordinetur: Archidiaconi vero, Decani, vel Præpoſiti, qui infra ordines nominatos exiſtunt, ſi inobedientes ordinari contempſerint, honore ſuſcepto priventur. Prohibemus autem, ne adoleſcentibus, vel infra ſacros Ordines conſtitutis, ſed qui prudentia, & merito vitæ clareſcunt, prædicti concedantur honores. Præcipimus etiam, ne conductitiis Presbyteris Eccleſiæ committantur: & unaquæque Eccleſia, cui facultas ſuppetit, proprium habeat Sacerdotem.* Ex hoc canone depromti ſunt ſimul propterea jungendi canon 3. diſt. 60., & canon 5. cau. 21. qu. 2. Similia etiam propemodum jam conſtituta fuerant in memorato Concilio Rhemenſi, ubi canone 8. hæc leguntur: *Innovamus autem, & præcipimus, ut nullus in Archidiaconum, vel Decanum, niſi Diaconus, vel Presbyter ordinetur. Archidiaconi vero, Decani, & Præpoſiti, qui infra ordines prænominatos exiſtunt, ſi inobedientes ordinari contempſerint, honore ſuſcepto priventur. Prohibemus autem, ne adoleſcentibus, vel infra ſacros Ordines conſtitutis, ſed qui prudentia, vel merito vitæ clareſcant, prædicti concedantur honores.* Et canone 9. *Placuit etiam, ne conductitiis Presbyteris Eccleſiæ committantur, & unaquæque Eccleſia, cui facultas ſuppetit, proprium habeat Sacerdotem.* Hæc ſane erant opportuna remedia, quibus & Sacerdotum, & Eccleſiarum honori adverſus Arnaldiſtas conſuleretur.

Can. 11. In canone 11. Concilii Lateranenſis renovatus eſt canon 10. Concilii laudati Rhe-
diſt. 90. menſis, quo parta Eccleſiaſticis viris, Monachis, peregrinis etiam, Mercatoribus, & ruſticis viarum ſecuritas. Deinde in can. 12. conſtitutum eſt, quod jam antea decretum in Canone 11. Concilii Rhemenſis, his verbis: *Treguam autem ab occaſu ſolis in quarta feria uſque ad ortum ſolis in ſecunda feria, & ab adventu Domini uſque ad octavas Epiphaniæ, & a quinquageſima uſque ad octavam Paſchæ, ab omnibus inviola-*

Digitized by Google

inviolabiliter obſervari præcipimus. Siquis autem treguam frangere tentaverit, poſt tertiam commonitionem, ſi non ſatisfecerit Epiſcopus ſuus, in eum excommunicationis ſententiam dictet, & ſcriptam Epiſcopis vicinis annunciet. Epiſcoporum autem nullus excommunicatum in communionem ſuſcipiat, imo ſcripto ſuſceptam ſententiam quiſque confirmet. Siquis autem hoc violare præſumpſerit, ordinis ſui periculo ſubjacebit. Et quoniam funiculus triplex difficile rumpitur, præcipimus, ut Epiſcopi ad ſolum Deum, & ſalutem populi habentes reſpectum, omni tepiditate ſepoſita, ad pacem firmiter tenendam mutuum ſibi conſenſum, & auxilium præbeant, neque hoc alicujus amore, aut odio prætermittant. Quod ſi quis in hoc Dei opere tepidus inventus fuerit, damnum propriæ dignitatis incurrat. Poſteriora hæc Lateranenſis canonis verba leguntur apud Gratianum in can. 11. diſt. 90., ad cujus interpretationem nonnulla adjicienda hoc in loco viderentur de trevia, ut canones habent, Dei, niſi vel apud Scriptores Canonici juris jam plura ad eandem hanc rem pertinentia haberentur, vel alibi de hac ipſa re ſermo incidiſſet.

De canone 13. & 14. Concilii Lateranenſis, quibus & fœneratoribus uſura interdicitur, & deteſtabiles nundinarum, vel feriarum tempore concertationes improbantur, verba non facio, cum de illis nihil apud Gratianum occurrat. *Can. 29. cau 17. qu 4.* Hinc progredior ad canonem 15., unde decerptus fuit Gratianeus canon 29. cau. 17. qu. 4. His verbis ille deſcribitur: *Item placuit, ut ſiquis ſuadente diabolo hujus ſacrilegii reatum incurrit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo ſubjaceat: & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſolvere, niſi mortis urgente periculo, donec apoſtolico conſpectui præſentetur, & ejus mandatum ſuſcipiat. Præcipimus etiam, ut in eos, qui ad Eccleſiam, vel cœmeterium confugerint, nullus omnino manum mittere audeat. Quod ſi fecerit, excommunicetur.* Non hæc primum in Lateranenſi Concilio conſtituta fuerunt, ſed in Concilio Rhemenſi memorato, cujus in canone 13. hæc habentur: *Item placuit, ut ſiquis ſuadente diabolo hujus ſacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathemati ſubjaceat. Et nullus Epiſcoporum illum præſumat abſolvere, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & ejus mandatum ſuſcipiat*; & can. 14. *Præcipimus etiam, ut in eos, qui ad Eccleſiam, vel cœmeterium confugerint, nullus omnino manum mittere audeat, quod qui fecerit, excommunicetur.* Severior hæc diſciplina, qua qui manus violentas in Clericum vel Monachum injeciſſet, anathemate percellebatur, ſine ſpe abſolutionis a Diœceſano Epiſcopo obtinendæ, opportuna admodum fuit, ut occurreretur incommodis, quibus quotidie ſubjacebant Clerici univerſi ab Arnaldiſtis infenſo ductis ſpiritu, & publice jactantibus adverſus Clericos eſſe pugnandum, Clericoſque perdendos eſſe, quo puto referenda eſſe illa verba canonis *ſuadente Diabolo*. De Arnaldo Brixienſi hujuſmodi hæreticorum adverſus Hierarchiam Eccleſiaſticam temere debacchantium Duce ita ſcribit Guntherus Ligurinus.

. . . . Aſſumpta ſapientis fronte, diſerto
Fallebat ſermone rudes, Clerumque procaci
Inſectans odio, Monachorum acerrimus hoſtis,
Plebis adulator, gaudens popularibus auris,
Pontifices, ipſumque gravi corrodere lingua
Audebat Papam, ſceleratague dogmata vulgo
Diffundens variis implebat vocibus aures.
Nil proprium Cleri, fundos, & prædia nullo

Digitized by Google

Jure ſequi Monachos, nulli fiſcalia jura
Pontificum, nulli curæ popularis honorem
Abbatum, ſacras referens concedere leges.
Omnia Principibus terrenis ſubdita, tantum
Committenda viris popularibus, atque regenda.

. . . .

Pontificum faſtus, Abbatum denique laxos
Damnabat penitus mores, Monachoſque ſuperbos.
Veraque multa quidem, niſi tempora noſtra fideles
Reſpuerent monitus falſis admixta monebat.
Et, fateor, pulchram fallendi noverat artem,
Veris falſa probans, quia tantum falſa loquendo
Fallere nemo poteſt, veri ſub imagine falſum
Influit, & furtim deceptas occupat aures.
Articulos etenim fidei, certumque tenorem
Non ſatis exacta ſtolidus pietate fovebat,
Impia mellifluis admiſcens toxica verbis.
Ille ſuam vecors in Clerum, Pontificemque,
Atque alias plures adeo commoverat urbes,
Ut jam ludibrio ſacer, extremoque pudori
Clerus haberetur. Quod adhuc, ni fallor, in illa
Gente nocet, multumque ſacro detruncat honori
Mox in Concilio Romæ damnatus, &c.

Itaque perſpicue exinde liquet, quibuſnam primum de cauſſis obtinuit, latius deinde ſubſequentium Pontificum Maximorum decretalibus producta, diſciplina, juxta quam quicumque violentas manus in Clericos injiciant, anathemati ſubjaceant, cujus abſolutio ſit a ſolo Romano Pontifice impetranda. Dixi latius productam recentioribus decretalibus; etenim ſi unum Concilii Lateranenſis canonem conſideres, non ſtatim, & facile tibi perſuadebis, anathema in percuſſores inflictum fuiſſe latæ ſententiæ, quemadmodum a recentioribus receptum eſt, ſed potius interpretaberis de excommunicatione ferendæ, ut noſtri loquuntur, ſententiæ ob verba illa *anathematis vinculo ſubjaceat*, quæ loquendi formula cum non majorem habeat vim, quam iſta *ſit anathematizatus*, vel *ſit ab eccleſiaſtica communione ſequeſtratus*, indicat profecto adhuc ſententiæ pronunciationem expectandam, quemadmodum in iſtis differunt Gloſſographi ad cap. 2. de foro competenti. Adde his, etiamſi de dubia formula ageretur, eam capiendam eſſe interpretationem, ut de anathemate ferendæ ſententiæ intelligatur, eo præſertim tempore, quo excommunicationes latæ ſententiæ, nullaque prævia ſacrorum Antiſtitum monitione inflictæ minime frequentarentur. Quamobrem mihi non diſplicet nonnullorum juris eccleſiaſtici Interpretum opinio, qui ſcripſerunt excommunicationem, quæ infligitur in percuſſores Clericorum juxta mentem Lateranenſium Patrum, non ipſo jure, & latæ ſententiæ, quoad originem attinet, appellari, quamquam deinde talis evaſerit ex jure recepto, ita poſtulantibus temporum, locorum, & cauſſarum adjunctis, unde gravioribus pœnis pervicaces graviſſimorum criminum rei plecterentur. Qui hac diſputatione delectatur, conferre poterit etiam canonem 5. Lateranenſem, ſeu canonem 47. cau. 12. qu. 2., ubi de diripiente eccleſiaſtica bona dicitur, *excommuni-*

Digitized by Google

municationi ſubjaceat; item canonem 10. Lateranenſem, quem ſuperius retuli, in eo ſiquidem legitur de laicis, qui Eccleſias tenent, ut aut eas Epiſcopis reſtituant, *aut excommunicationi ſubjaceant*.

Quæ habentur in canone 16. Concilii Lateranenſis, jam edita fuerant pridem in Concilio Rhemenſi ab eodem Innocentio II. can. 15., utrobique autem hæc ſunt canonis verba, ex quibus ſupplere juvabit, quod deeſt Gratianeo canoni 7. cau. 8. qu. 1. *Indubitatum eſt, quoniam honores eccleſiaſtici ſanguinis non ſunt, ſed meriti, & Eccleſia Dei non hereditario jure aliquem, neque ſecundum carnem ſucceſſorem expectat, ſed ad ſua regimina, & officiorum ſuorum diſpenſationes, honeſtas, ſapientes, & religioſas perſonas expoſcit. Propterea auctoritate prohibemus apoſtolica, nequis Eccleſias, Præbendas, Præpoſituras, Cappellanias, aut aliqua eccleſiaſtica officia hereditario jure valeat vendicare, aut expoſtulare præſumat. Quod ſiquis improbus, aut ambitionis reus attentare præſumpſerit, debita pœna mulctabitur, & poſtulatis carebit.* Hæc quoque, ut patet, opportune, & ſalubriter erant decernenda, ut, quoad fieri per tempora poſſet, ſuus honos Eccleſiis, & Viris Eccleſiaſticis reſtauraretur. Can. 7. cau. 8. qu. 1.

De conſanguineis juſto conjugio non copulandis conceptus eſt canon 17. Lateranenſis, qui apud Gratianum deſideratur. Sed in canonibus ſubſequentibus, nimirum 18., 19., & 20., habentur ea, quæ jamdiu definita fuerant in canone ultimo laudati Concilii Rhemenſis. Eadem recenſuit Gratianus in can. 32. cau. 23. qu. 8., ubi tamen multa ſupplenda ſunt ex integris Concilii exemplaribus. Canon 18. ita exprimitur: *Peſſimam ſiquidem, & depopulatricem, & horrendam incendiariorum malitiam auctoritate Dei, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Paulli omnino deteſtamur, & interdicimus. Hæc etenim peſtis, hæc hoſtilis vaſtitas omnes alias deprædationes exuperat. Quæ quantum populo Dei ſit damnoſa, quantumque detrimentum animabus, & corporibus inferat, nullus ignorat. Aſſurgendum eſt igitur, & omni modo laborandum, ut tanta clades, tantaque pernicies pro ſalute populi eradicetur, & extirpetur. Siquis igitur poſt hujus noſtræ prohibitionis promulgationem malo ſtudio, ſive pro odio, ſive pro vindicta ignem appoſuerit, vel apponi fecerit, aut appoſitoribus conſilium, vel auxilium ſcienter tribuerit, excommunicetur. Et ſi mortuus fuerit incendiarius, Chriſtianorum careat ſepultura. Nec abſolvatur, niſi prius damno, cui intulit, ſecundum facultatem ſuam reſarcito, juret ſe ulterius ignem non appoſiturum. Pœnitentia autem ei detur, ut Hieroſolymis, aut in Hiſpania in ſervitio Dei per annum integrum permaneat.* Canon 19. *Siquis autem Archiepiſcopus, vel Epiſcopus hoc relaxaverit, damnum reſtituat, & per annum ab officio epiſcopali abſtineat.* Canon 20. *Sane Regibus, & Principibus facultatem faciendæ juſtitiæ, conſultis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, non negamus.* Ad laudatum Gratiani canonem nonnihil adnotavit Baluzius, ſcribens in primis, idem fere legi in Concilio habito ab Innocentio II. apud Claromontem initio ſui Pontificatus, in quo tamen hæc diverſa leguntur a vulgato canone Synodi Lateranenſis: *Omnimodis laborandum . . . ignes appoſuerit . . . . & ſi in hoc mortuus fuerit &c.* Deinde animadvertit ad verba illa *in Hiſpania in ſervitio Dei*, non intelligi ibidem iter hiſpanicum cauſſa ſimplicis peregrinationis ſuſceptum, ſed potius iter cauſſa belli ſacri, quod tum adverſus Sarracenos Chriſtianis univerſis infeſtos fuerat inſtitutum. Can. 32. cau. 23. qu. 8.

In capite 21. Concilii ejuſdem Lateranenſis hæc leguntur: *Presbyterorum filios a ſacri Altaris miniſteriis removendos decernimus, niſi aut in Cœnobiis, aut in Canonicis religioſe fuerint converſati.* Verba iſthæc alias retulit ſub nomine Urbani II.

Gra-

Digitized by Google

Gratianus in can. 1. & 11. diſt. 56., imo etiam ſimilia quædam ſub nomine Concilii Pictavienſis habentur apud Gregorium IX. in cap. 1. de filiis Presbyte-
Can. 8. de pœn. diſt. 5. rorum. Subſequitur caput 22. his verbis: *Sane quia inter cetera unum eſt, quod ſanctam maxime perturbat Eccleſiam, falſa videlicet pœnitentia, Confratres noſtros, & Presbyteros admonemus &c.*, quæ eiſdem omnino verbis leguntur in can. 8. de pœn. diſt. 5.

Can. 25. cau. 18. qu. 2. Adverſus eos, qui Divina Eccleſiæ Sacramenta damnarent, aut res ſacras pudendæ mercaturæ ſupponerent, editi fuerunt in Lateranenſi Concilio canones 23., 24., & 25., deinde in canone 26., & 27. damnati ſunt nonnullarum mulierum mores, quæ quidem ſanctimonialium ſpeciem præſeferebant, prætextu autem ſingularis cujuſdam pietatis, ac religionis ab integritate vitæ procul, & longiſſime aberant. Ipſamet canonum Lateranenſium verba habentur apud Gratianum in can. 25. cau. 18. qu. 2., unde ſemper adparet, quam conſtans fuerit Innocentius in inſtituenda, reſtaurandaque religioſarum perſonarum vita, ne occaſio daretur hominibus hæreticis de Viris eccleſiaſticis conquerendi, & adverſus eos convicia proferendi.

Superſunt adhuc tres Concilii canones 28., 29., & 30. Sed apud Gratianum
Can. 35. diſt. 63. nec 29. habetur, quo artem *Balliſtariorum, & Sagittariorum adverſus Chriſtianos, & Catholicos* exerceri vetitum eſt, nec 30., quo irritæ declarantur ordinationes celebratæ a Petro Pſeudo-Pontifice, & aliis Schiſmaticis, vel Hæreticis. Tantum legimus in canone 35. diſt. 63. canonem 28. Lateranenſem, qui his verbis exhibetur in vulgatis Concilii exemplaribus. *Obeuntibus ſane Epiſcopis, quoniam ultra tres menſes vacare Eccleſias prohibent Patrum ſanctiones, ſub anathemate interdicimus, ne Canonici de Sede Epiſcopali ab electione Epiſcoporum excludant religioſos Viros, ſed eorum conſilio honeſta, & idonea perſona in Epiſcopum eligatur. Quod ſi excluſis eiſdem religioſis electio fuerit celebrata, quod abſque eorum aſſenſu, & conniventia factum fuerit, irritum habeatur.* Quinam religioſorum Virorum nomine intelligantur, ſatis obſcurum eſt. Ego vero arbitror, laicos quoſdam fuiſſe de Eccleſia optime meritos, quique patrocinio ſuo fovere, ac tueri Eccleſiam poſſent; quod facile deduci puto ex canone 25. Lateranenſis ejuſdem Concilii, ibi: *Laici, quamvis religioſi ſint, nullam tamen habent diſponendi de eccleſiaſticis facultatibus poteſtatem.* Intererat ſane tunc temporis Viros iſtos in electionibus Epiſcoporum admittere, ut eorum præſidio tutior Epiſcopus eſſet, qui etiam illorum ſuffragio ad cathedram conſcendiſſet, quum alias non ignoremus, Arnaldiſtarum auſu bellum quodammodo adverſus Epiſcopos fuiſſe, & Clerum univerſum indictum. Præterea ſub eo religioſorum Virorum nomine reor, veniſſe etiam Clericos, qui in Canonicis non verſabantur, ideſt communem vitam minime ducebant. Siquidem cum ſæculo undecimo in Clerum reducta fuiſſet vita communis, qui iſtam amplexati fuere, quaſi ſoli Clerum conſtituerent, facile ceteros aſpernabantur; unde tandem factum eſt, ut ipſi Capitulum Cathedralis Eccleſiæ appellarentur, & fratres Epiſcoporum, ceteris non in eadem vita conſiſtentibus a rerum eccleſiaſticarum generali adminiſtratione, & præcipua cura remotis, quemadmodum hodierna etiam diſciplina demonſtrat. Initio novæ hujus conſuetudinis pati non potuit Innocentius, ut ſoli Canonici in communi viventes, vacante Epiſcopali Sede, ad ſucceſſoris Epiſcopi devenirent electionem, ſed voluit, religioſos quoſcumque, ideſt præ ceteris etiam Clericos non inter Canonicos viventes admitti debere, quibus admiſſis Clero univerſo major accedebat honos, de quo reſtaurando potiſſimum Innocentius cogitabat.

De

Digitized by Google

De duabus Innocentii Epiſtolis apud Gratianum laudatis.

Duo adhuc ſuperſunt fragmenta, quæ a Gratiano ſub nomine Innocentii II. deſcribuntur, nimirum can. 17. cau. 2. qu. 5., & can. 8. cau. 35. qu. 6. quos Can. 17.
nonniſi temere ab eodem Pontifice abjudicaremus. In primis quod attinet ad ca- cau. 2.
nonem 17. cau. 2. qu. 5. fateor apud alios Gratiano coævos Collectores nihil qu. 5.
tale reperiri. Verum hac in parte plurimum valet auctoritas Gratiani, dum de ſui temporis re teſtimonium facit, neque ſuſpicandum eſt tantam fuiſſe ejus audaciam, ut in evulgando opere, ex quo non mediocrem laudem ſui nominis expectabat, falſa obtruderet ſui ejuſdem temporis monumenta, de quibus propterea facile, atque illico redargueretur. Non ignoro, quod adnotatur a Romanis Correctoribus, in aliquibus vetuſtis MSS. Gratiani codicibus eundem canonem deſiderari, in omnibus vero deſiderari verſiculum *nos itaque* uſque in finem; quemadmodum nec ignoro in nonnullis Gregorii IX. codicibus eundem canonem referri in cap. 5. de purgatione canonica uſque ad verſ. *nos itaque* ſub nomine Innocentii III. Verum Innocentio III. nullo modo tribui poſſe facile evincitur non ſolum ex eo, quod animadverterunt jam Romani Correctores, quia Collector Decretalium Gregorii IX. in Decretalibus, ſive earum capitulis deſcribendis ſervavit ordinem temporum, laudatumque capitulum edidit quaſi editum ante tempora Alexandri III., ſed etiam quod idem capitulum ſub nomine Innocentii Papæ legatur in prima Collectione Decretalium ſub eodem titulo de purgatione canonica cap. 4., alias vero auctor primæ Collectionis Decretalium minime attigit Innocentii III. ætatem, cujus propterea reſcripta recenſeret. Itaque Innocentio II. recte tribui memoratum caput probat Gratiani, auctoris Collectionis 1. Decretalium, & Gregorii IX. teſtimonium. Quid habeat Gratianus, quid deinde Gregorius IX. deſcribendum ex ea epiſtola voluerit, facile omnibus patet. Ego hoc in loco deſcribam quid in memorata 1. Decretalium Collectione referatur adſutis optimis Antonii Auguſtini adnotationibus. Verba Collectoris Decretalium hæc ſunt: *Innocentius Papa Aquilegienſi Patriarchæ & Epiſcopo Mant. Quoties frater noſter A. Tridentinus* (notat Antonius Auguſtinus in aliquo Codice legi *Ateridentinus*, alibi *Adiſpertinus Tudertinus*, apud Raymundum vero, & Contium omiſſam fuiſſe literam *A.*, uti omnibus facile patet) *Epiſcopus in noſtra, & veſtra de ſimonia impetitus ſit præſentia* (adnotat Antonius Auguſtinus aliquam in his eſſe codicum varietatem, quam ego omittendam puto, cum in ſimplici vocum tranſpoſitione conſiſtat), *prudentiam veſtram latere non credimus, cujus cauſſam in præſentia noſtra ventilavimus*. (Antonius Auguſtinus refert alibi legi: *cujus cauſſa in noſtra tandem ventilata præſentia* alibi: *cujus cauſſa tandem in noſtra præſentia ventilata.*) *Producti ſunt apud eum* (legunt alii, ut notat Antonius Auguſtinus *adverſus eum*) *accuſatores; & una voce ſcriptum adferentes* (teſte Antonio Auguſtino alibi legitur: *viva voce, & ſcripto aſſerentes, quod &c.* alibi: *& teſtes viva voce, & ſcripto accuſantes eum, eo quod &c.*), *nec teſtes ſecundum formam canonum* (alibi *formam canonicam, producere potuerunt, quod Eccleſiam B. Petri de Paſorum* (alibi: *producere nequiverunt, quod Eccleſiam B. Petri de Pado*) *Presbytero Paulo dederit pro quatuor modiis de frumento* (alibi *modiis frumenti*, alibi *pro mittendis modiis frumenti*)

quos

Digitized by Google

quos ab ejuſdem Eccleſiæ laicis acceperit. Unde quia (legitur alibi *verum quia*, alibi *verum quoniam*) *nec accuſatores, nec teſtes ſecundum formam canonum, & ſtatuta Sanctorum Patrum in cauſſam ipſam* (alibi ex Antonio Auguſtino *in cauſſa ipſa*) *procedere potuerunt, communi fratrum noſtrorum conſilio* (alibi *de communi fratrum Concilio*) *judicavimus, ut tertia manu ſui ordinis, & quatuor* (legerunt alii *& quarta manu*) *Abbatum, & Religioſorum Sacerdotum de ſupradicta ſimonia in veſtra præſentia ſe debeat expurgare*. (alibi: *de prædicta ſimonia debeat ſe purgare*, alibi: *ſe expurgaret*). *Porro expurgationis tenor erit hujuſmodi. Idem Epiſcopus ſuper ſancta Evangelia* (alibi *Dei Evangelia*) *primum jurabit pro Eccleſia Sancti Petri de Pa.* (poſtremam hanc vocem alii Codices ita ediderunt *de Pajo*, alii *de Pado*) *Presbytero Paullo danda, nec ipſe per ſe, nec per ſubmiſſam perſonam, nec aliquis pro eo ſe ſciente pretium receperit. Deinde expurgatores ſuper Sancta Evangelia jurabunt ſimiliter, quod ipſi credunt, quod verum juravit*. Legunt alii: *ſcilicet quod, ſicut ipſi credunt, verum juravit*: alii: *quod ipſi credunt verum eſſe, quod ipſe juraverat*, alii demum, *quod ipſi credunt eum verum juraſſe*. Sic teſtatur ſemper Antonius Auguſtinus, cujus ſunt ſupra allatæ animadverſiones, omiſſis illis, quæ leviſſimi momenti eſſent. Concludit autem vir eruditus, ea, quæ ſequuntur apud Gratianum in verſ. *Nos itaque*, uti in eadem Collectione prima Decretalium, & in Collectione Decretalium Gregorii IX. deſiderantur, ita etiam deeſſe in multis veteribus Gratiani libris. Proinde eundem ego verſiculum non omnino indubiæ fidei exiſtere arbitrarer.

Can. 8. cau. 35. qu. 6. Quæ habentur in can. 8. cau. 35. qu. 6., integram exhibent epiſtolam Alexandri II. ad Ottonem Lucenſem Epiſcopum, quæ inter Labbeanas eiſdem omnino verbis recenſetur numero 43. Similia etiam nonnulla definita videntur in Concilio Rhemenſi anno 1131. celebrato ab Innocentio II. juxta editionem Manſii in tom. 2. Supplementi Labbeani pag. 407. can. 13. ibi: *De conjugiis diſſolvendis caute determinatum eſt, quod poſt manifeſtam nuptiarum celebrationem nec marito, nec uxori liceat quærere occaſionem ſpontaneam diſſolvendi conjugii, nec juramentum eorum recipiendum, qui inducti familiaritate privata jurant cognationem conjugatorum. Sed ſi quis fidelis pro charitate Chriſti aliquam lineam conſanguinitatis præpedientem conjugium monſtraverit, ceteriſque indiciis, & teſtimoniis comprobaverit, ei fidem habendam eſſe cenſet Sedis Apoſtolicæ venerabilis auctoritas*. His abſolutam arbitror ſecundam mei operis partem, digniſſimam profecto, in quam labor omnis impenderetur. Quod meæ tulerant vires, perfeci; quod deeſt, humaniſſimos, eruditiſſimoſque lectores rogo ut ſuppleant doctrina ſua, eaque, quam huc uſque numero plurimi, & verbis, & epiſtolis erga me exhibuerunt, benevolentia, unde eadem animi hilaritate tertiæ operis parti manum admoveam, iſtudque opus meum Deo dante, undecumque perfectum læter dicari bono publico potuiſſe.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google